

1657



IVDICIORVM
DIVINORVM
QVÆ
DEVS IN HOC MVNDO
EXERCET
TOMVS QVARTVS.

Auctore

GEORGIO STENGELIO
SOCIETATIS IESV
THEOLOGO.



Omnia iudicia eius, in conspectu meo. Psal. 17. 23.

Cum Priuilegio Sacræ Cæsareæ Maiestatis, & Permissu
Superiorum.

Ingolstadij, Apud GEORGIVM HÆNLIN.

ANNO M. DC. LI.

IVSTI
TAS DIV
INFIRMIT
MORIE, SEP
NÆ VITÆ



marum vallis a
duobus cornib
quàm nasceret
denuò posset, a
pe ad tempus
plo illius infa
tùm est, inibi
geret immine
uator dixit:
numerat ei, si
cum impatien
se ærumnis o
Et sanè
tæ cupidine
rùm ætates ex
studium, nu
cùm tamen n
vitam odiosa

IVSTITIA ET BONITAS DIVINA QVÆ FAMIS ET INFIRMITATIS TEMPORE, ITEM IN MORTE, SEPVLTVRIS, ET CETERIS HUMANÆ VITÆ MISERIIS, TRISTIISQUE SEMPER AGNOSCENDA EST.

CAPVT I.

De humanæ vitæ miserijs.

SParsim has attigi, tractatibus præcedentibus; quæ nunc tandem etiam enucleatè, atq; ex professo sunt considerandæ. Sunt enim, præter elementorum pugnas, condicionem nascendi, inopiam, infamiam, bellorum mala, tot aliæ quoque calamitates, in hac vita, vt meritò ea *lachrymarum vallis* appelletur; ne que sine caussa infans, in Rascato, duobus cornibus deformis natus, quatuordecim diebus antè, quàm nasceretur, auditus sit plorare. Immò, vt, si nasci homo denuò posset, ac *in ventrem matris suæ iteratò introire, & renasci*, sæpe ad tempus eò reuerti deberet, vnde in lucem prodijt, exemplo illius infantis, qui anno, quo Saguntum ab Hannibale deletum est, inibi natus, in vterum protinus reuersus est, quasi refugeret imminentem vrbi calamitatem. Quod enim de Iuda Seruator dixit: *Væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*, id multi quoque alij de se cum impatientia dicunt, quando miserijs pressi, non agnoscunt se ærumnis ornari potiùs, quàm grauari.

I. Maiol. dier. canicul. coll. 4. Ioan. 3. 5. Matth. 26. 24.

II. Et sanè mirandum magnopere est, homines tanta huius vitæ cupidine & amore flagrare, vt si eam in innumeras sæculorum ætates extendere possent ac propagare, nullum in ea re sibi studium, nullam contentionem intermittendam existimarent: cùm tamen multò plura reperiantur, & sint, quæ nobis eamdem vitam odiosam potiùs & acerbam, quàm gratam & amabilem reddant,

reddant. Quocumq; enim nos mente, quocumq; nos oculis vertamus, omnia plena miserijs, plena calamitatibus, plena ærumnis grauissimis videmus. Quas quidem ærumnas Philosophus quispiam non intelligendi modò, sed dicendi quoque laude præclarus, cùm sensu iuxta animoque esset probè complexus, ita de eis disseruit ac scripsit, vt plurimi, qui vel illum audierunt, vel scripta eius legerunt, morte varijs modis quæsita, se vitæ huius malis eripere non reformidarent. Valerij verba audiamus. *Quantum eloquentia valuisse Hegesiam Cyrenaicum philosophum arbitramur?* ait, *qui sic mala vitæ repræsentabat; vt eorum miseranda imagine audientium pectoribus inserta, multis voluntariæ mortis oppetendæ cupiditatem ingeneraret: ideoq́ à rege Ptolemæo vlteriùs de hac re disserere prohibitus est.* In quorum malorum cogitatione mihi quoque versanti visum est, de his ipsis, quibus nos, quotquot viuimus, immersos conspicio, miserijs deductiùs esse disserendum: non eo quidem consilio, vt homines mea disputatione, perinde ac Hegesias ille, quem dixi, ad laqueum, ad ferrum, ad præcipitia impellam, quibus se humanis molestijs & acerbitatibus liberent (grande namque hoc nefas foret, & piaculum inexpiabile) sed partim vt vitam suam ne nimium ament, & si quando ærumnas eius perpetiantur, aut illam omnino amittere necesse sit, bene secum potiùs, quàm malè infeliciterque agi arbitrentur.

Val. Maxim. lib. 8. c. 9.

III. Atq; vt hinc nostra principium capiat oratio; Thracibus olim hunc fuisse morem percepimus, vt hominis ortum multis tristitiæ ac mœroris, occasum verò lætitiæ voluptatisque significationibus, & argumentis prosequerentur, propterea, quòd illum multarum maximarumq́ue miseriarum principium, hunc verò earumdem finem existimarent. Quorum quidem opinio (de more namque nihil nunc dico) etsi aliquantum discrepat à sententia sapientum & religione nostra, qua non omnes in fata concedentes, omnibus molestiarum generibus eripi, sed eos, qui vitam impiam multis & atrocibus sceleribus inquinatam vixerunt, ad multò grauiores, adeoque sempiternas ærumnas abripi credimus, tamen quà de principio, nihil eorum iudicium à nostro dissentit. Neque dissentit ab ipsa indole & natura nostra, quæ vi-

tam ipsam à lachrymis inchoat. *Et ego natus accepi communem aërem, ait ille, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans.* Nimirum infantibus rationis adhuc vsu destitutis vel natura præsagit, in quas miserias nascantur. Quod paruuli sentiunt, adultiores intelligunt. Hominem, siquidem ex vteri materni velut ergastulo in hunc orbem egressum, nuda nudum excipit humus; quàm, DEVS bone, pusillum, quàm tenerum, quàm infirmum, non ambulare, immò nec repere gnarum. Qui vix dum è carceris illius tenebris in hanc lucem productus, tamquam reus conijcitur in fasciarum vincula, quibus, manus pedesq; deuinctus iacet in cunis infans miserrimus: cognoscit mortalium neminem, nec ipsos quidem progenitores, immò nec ipsum quidem Deum immortalem. Quamobrem illi idololatrarum cæcitas comparatur. *Etenim in erroris via diutiùs errauerunt, deos æstimantes hæc, quæ in animalibus sunt superuacua, infantium insensatorum more viuentes.* Agnelli vix nati statim ad vbera matris adrepunt; infans nec motu, nec nutu se potest iuuare; neq; verò sermonis vsu. Vagitu, ploratu, fletu necesse habet omnia vitæ necessaria flagitare. Comesse vult? plorat. bibere? plorat. fasciolis aliquantum leuari, & arctis illis vinculorũ nexibus dissolui? plorat. Lugere igitur ac flere natura nos primùm docet: risus (si Plinio credimus) ante quadragesimum diem, nemini datur. Quando autem incessus? quando vox articulata, quando firmum cibis os? nihil scit sine doctrina, non fari, non ingredi, non vesci sine digito matris aut nutricis.

Sapi. 7. 3.

Sapi. 12. 24.

IV.

Hæcce vitæ humanæ præclara primordia, quibus quemadmodum cetera consentiant, audiamus. Cùm enim homo partim corpore, partim animo constet, vtraque pars tanta malorum ac calamitatum multitudine varietateque cumulatur, vt quamuis hoc viuendi spatium sit angustissimis finibus circumclusum, multis tamen nimis longum videatur; quo modo vel hi, qui febribus æstuant, alijsque morborum generibus perpetuò cruciantur, horas esses putant integros dies menses, annos. Atq; vt de animo propriùs dicamus, quæ nauis in æquore tot tempestatibus, tot procellis ac fluctibus, tot ventorum inter se pugnantium ac depræliantium flatibus obiecta est, quot motibus, quot perturbationibus

nibus hæc quantumuis cælestis, & ex diuina mente, vt quidam loquuntur, libata ac decerpta particula, nunc huc, nunc illuc miserandum in modum impellitur? Quoties eum formidines terrent? quoties ægritudines exedunt? quoties effrænatarum cupiditatum ac libidinum œstus incitant? quoties irarum flamma incendunt? quoties curarum ac solicitudinum stimuli pungunt, fodicant, sauciant? Quibus rebus fit, vt numquam ei, vel perrarò illa tranquillitatis felicitas contingat, nihil vt metuat, nihil concupiscat, nihil angatur, nullo alio commotionis genere, velut aura fluctus commouente, turbetur. *Numquid ergo hoc, quod viuimus, in hoc mundo, dicere possumus vitam?* ait S. Augustinus, *quam humores tumidant, dolores extenuant, & ardores exsiccant, aër morbidat, escæ inflant, ieiunia macerant, ioci dissoluunt, tristitiæ consumunt, solicitudo coarctat, securitas hebetat, diuitiæ inflant & iactant, paupertas deijcit, iuuentus extollit, senectus incuruat, infirmitas frangit, mœror deprimit.* Et alio loco: *Nunc gaudeo, statim tristor: nunc vigeo, iam infirmor: nunc viuo, statim morior: nunc felix appareo, semper miser: nunc rideo, iam fleo. Sicq; omnia mutabilitati subjacent, vt nihil vna hora, in vno statu permaneat. Hinc timor, hinc tremor, hinc fames, hinc sitis, hinc calor, hinc frigus, hinc languor, inde dolor exuberat: subsequitur his importuna mors: quæ mille modis quotidie miseros homines inopinatè rapit.*

S. Augustin. lib. Medit. c. 21.

Idem in soliloq. c. 2.

Idem tom. 9. lib. 1. de visitat infirmorum.

V. Atque hæc doloris argumenta, partim è corpore in animam, partim ex anima in corpus redundant. Corpus autem ipsum quantis laboribus, quantis sudoribus alendum est, ac sustentandum? Qua quidem in re non immeritò dubitet quispiam, meliórne parens homini, an injustior nouerca videatur natura? quam cùm cæteris animantibus, neque laborantibus, neque sudantibus magnopere, facilem, & cuique generi congruentem, victus parandi rationem monstrârit, earum principem solùm, ad vitam tolerandam necessaria, tanta corporis & animi contentione sibi conquirere ac comparare voluerit. *Miser enim homo,* ait Comicus ille, *qui, quod edat, quærit, & ægrè inuenit; ille miserior, qui & ægrè quærit, & nihil inuenit; ille miserrimus est, qui cùm edere cupit, quod edat, non habet.* Quid autem hac miseria communius? quid frequentius? his præsertim temporibus, quibus

quibus complures mortales in victu quærendo omnem ope-
ram, omnem laborem propemodum frustra consumunt. Quem-
admodum aranea magno studio telas, velut retia quædam, filis
ex suis ipsius visceribus eductis, ad capandas muscas contexit:
quod opus vix dum perfectum sæpe vel ab hominibus decutitur,
vel venti validioris exortu disturbatur, ac dissipatum fertur per
aëra. Quantis laboribus terra proscinditur? aratur, seritur? Et
tamen quoties alieni intrant in messem colonorum? quoties ho-
stilis equitatus proterit *sata læta boumq; labores*? quoties collectas
iam atque in horrea inuectas fruges asportat indomitus miles?
quoties vel segetes maturas grando, vel totos manipulorum
aceruos ignis, de cælo cadens absumit? Ita in reliquis quoque
omnibus, quæ corpus pascunt, corpus patitur. *Nos ignari rerum,* S. Hieronym. lib. 1. aduers. Iouinian.
ait S. Hieronymus, *putabamus nuptias saltem carnis habere lætitiã.*
Si autem nubentibus etiam in carne tribulatio est, in qua sola vide-
bantur habere delicias, quid erit reliquum, propter quod nubant, cùm
& in spiritu, & in anima, & in ipsa carne tribulatio sit?

VI.

Porrò autem cùm natura nobis corpora infirma dederit,
ijs etiam varios morbos, & subinde insanabiles adiunxit, quos
vnâ cum alijs malis ex Pandoræ pyxide in humanum genus ef-
fusos fingunt Poëtæ. *Morborum tam infinita est multitudo, vt Phe-* Plin. lib. 7. nat. c. 51. & lib. eod. c. 50.
recydes Syrius copia serpentium ex corpore eius erumpente expiraue-
rit. Quibusdam perpetua febris est, vt C. Mæcenati. Eidem trien-
nio supremo, nullo horæ momento contigit somnus. Antipater Sidonius
Poëta omnibus annis vno die tantùm natali corripiebatur febri, & eo
consumptus est satis longa senecta. Hæc Plinius, qui paulò superiùs
illa præmiserat: *Publius Cornelius Rufus, qui Consul cum M. Curio*
fuit, dormiens oculorum visum amisit, cùm id sibi accidere somniaret.
Horum morborum multitudinem ac varietatem, qui nosse desi-
derat, adeat Pharmacopolæ tabernam, & inspectis tot pyxidibus,
tot capsulis, tot vasis, interroget, cui quæque morbo pellendo
asseruentur. Immò inspiciat medicorum volumina innumeris
medicamentorum referta agminibus, quæ tamen humanis
corporibus curandis ac persanandis nequaquam sufficiunt. Na-
scuntur enim in dies noua, & antehac medicis incognita morbo-
rum genera, de quibus nihil Hippocrates, nihil Galenus, nihil
Theo-

Cic. lib. 3. Tusc. qq.

Theophrastus, nihil alij vel medici, vel chirurgi. Quoniam igitur *caussa morbi inuenta, curationem inuentam esse* putant medici his tot nouis morborum formis, nouæ curationes, noua medicamenta excogitanda sunt. At quanto cum dolore, quanto etiam cum periculo sæpe huiusmodi morbi, vel vitia corporis curantur?

Corpora vix ferro quadam sanantur acuto,

Multi emori malunt, quàm eiusmodi curationum acerbitates & cruciatus subire. Id quò planiùs certiùsque intelligatur, hominem nobis ante oculos proponamus, vel calculo, vel ruptura, quam ῥῆγμα Græci vocant, laborantem. Vtriusque enim non omnino dissimilis sanandi ratio. Sed, ô Deum immortalem, quàm formidabilis? cum quanto cruciamento discrimineque cõiuncta? ita vt eius vel cogitatio ingenti quodam horrore mihi, alijsque, qui non sunt è tigride nati, pectus concutiat. Hunc chirurgus primùm vestibus omnibus exuit, exutum nudatumque in ferali tabula extendit, manus pedesque quàm arctissimè colligat, adeò vt sese in neutram auertere, immò commouere partẽ possit. Tum, circumstante ministrorum, pelues, variaque instrumenta tenentium, corona, cultrum præacutum corripit: locum in corpore sectioni designat: moxque hominem, velut sensu omni carentem, secando, vulnus luculentum facit; per factam plagam forcipe, vel etiam manu immersa, intimas corporis partes, vbi doloris sensus acerrimus, rimatur, lapidemque indagat; comprehensum vi summa extrahere conatur. Quo in tormento, quales æger ille, & quàm tristificas voces profundit? vt orat? vt obsecrat? vt per Deum, per Matrem Dei, per cœlites omnes, per quidquid in ista vita charissimum, obtestatur, se soluat, se liberet, tam diro, tam immani, tam intolerabili cruciatu? se enim illius magnitudinem capere non posse, neque perpeti dolores, à nullo, qui non senserit, satis cogitatos. Et quisquam sit tam ferreus, tam ab omni humanitate desertus, quin hæc aspicienti, & audienti miseratio intimos sensus commoueat, atque conuulneret? Sudat in hoc labore ipse, qui sanat chirurgus, & ad vulnus à se factum contremiscit. At *non eadem est ratio sentire, & tollere morbos.* Si igitur videnti tam graue est medici ferrum, quid erit patienti?

uenti? Multi, qui eiuſcemodi ſectioni ſemel interfuerunt, dixerunt, ſe poſthac nulli ampliùs interfuturos, ne in alieno corpore vulnerentur. Verùm quod vitant in vno genere miſeriarum, in alio vel inuiti coguntur intueri. Vbi enim homines non ægrotant? vbi non lamentantur? Atque hoc in hac vita humana aſpicere & audire in dies pænè ſingulos licet. *Mille mali ſpecies.* Ouid. lib. 3. de Pont. el. 9.

VII.

Plato dicere ſolebat: *Si me interrogares, quo præſente, vel abſente meliùs habeant corpora? reſponderem vtique: Sanitate præſente, morbo remoto.* Ex qua vrbe, ex qua arce morbi remouentur? vbi locorum ſanitas ſemper eſt præſens? Neque Tuſculi, neq; Romæ aſylum eſt contra inualetudines: neque raro in ipſo *Tibure Sardinia eſt*: Immò ſæpe vires vbi ſperantur reſtaurandæ, ibi minuuntur. Quid quòd etiam Ficin. lib. 5. de hominis natura.

Curando fieri quædam maiora videntur
Vulnera, quæ meliùs, non tetigiſſe, fuit? Ouid. lib. 3. de Pont. el. 7.

In Taprobana Inſula longiſſimam vitam ſine vllo languore traduci, Artemidorus teſtatur. At quot in Taprobanam profecti, mortui ſunt? Nomina mihi vllum membrum, quod morbo careat infeſtatore. Pedes podagra, chiragra manus, cacoſtomachi ventriculo laborant. Alij auribus ſurdi, alij oculis cæci ſunt; alijs dentes, alijs renes dolorem pariunt. Deniq; nulla corporis pars, nullus neruus, nullus locus eſt, in quo non poſſit aliquod malum reperiri. *Per ſingulas membrorum partes, qualiter nullis alijs animalibus*, ait hiſtoriæ naturalis Scriptor, *certis peſtifer calor remeat horis, aut rigore, neque horis modò, ſed & diebus noctibusq; trinis, quadriniſue, etiam anno toto.* Ipſe cibus, qui eſt homini ad vitam ſuſtentandam datus, ſæpe vitam quatit. Nec ſine cauſſa Diogenes dicere ſolebat: *Earum domorum, in quibus reperitur copia alimenti, multos eſſe mures & feles: ſic etiam corpora, quæ multũ cibi caperent, multos quoque morbos aſciſcere.* Hinc, vt Herodotus tradit, ſingulis menſibus triduo purgant ſe Ægyptij, vomendo, atque inteſtina diluendo, gratia ſanitatis conſeruandæ: exiſtimantes omnes languores hominibus creari ex cibis. Vnde videas maximè delicatos, & opum abundantia fruentes, ſæpiſſimè ægrotare, Plin. lib. 7. c. 2. Plin. lib. 7. nat. hiſt. c. 50. Stob. ſerm. de intemperant. Herodot. lib. 2.

tare, & maiorem vitæ partem in lecto decumbere. Quid hac felicitate infelicius?

VIII. Quòd si dicas, non omnes his malis & incommodis corporis afflictari, multos ita bene cõstitutos esse, ita valentes, vt numquam, vel rarò morbus eos inuadat, aut aliud quiddam, quod male corpus afficiat. Haud inficior. At non est semper bonum, in bonis esse, atque omnia ad votum habere. Suspecta est meritò prosperitas, quæ tot præambulum fuit æternæ calamitatis. Enimuerò illi ipsi corpore validi, & membris robusti, quàm multis sunt alijs miserijs ac discriminibus obiecti? & quidem tantis, vt in illis legantur, audiantur quàm plurimi perijsse? Quot hominum myriades maris fluctibus haustæ, aut ad scopulos allisæ? quanti exercitus in prœlijs ceciderunt, aut in bellis consumpti sunt? quot cum ipsis pagis & vrbibus mortales subitis terræ hiatibus absorpti? quot arborum, aut ædificiorum ruinis obtriti? quot alijs alij casibus miserandum in modum è vita eiecti? confligendum nobis interdum cum bestijs, cum feris, cum belluis, &, quod longè miserrimum, cum ipsis hominibus, quibus nulli ferè infensiores, nulli capitaliores hostes, quàm ipsi homines, inueniuntur. Quid enim sibi vult, aut quò spectat illa machinarum, illa tormentorum bellicorum, illa munitionum, illa ensium, & hastarum tanta varietas & multitudo? An non hæc omnia ab hominibus sunt in hominum perniciem ac necem comparata? O quantopere dolendum est, & quàm multis lachrymis deplorandum, neminem homini ipso homine esse infestiorem? Quid enim, cùm videas ceteras animantes communione naturæ inter se congregari; alias ab alijs defendi, atque in diuersa dumtaxat genera sæuire, solósne homines tam hostilibus inter se odijs ardere; tantas, & tam implacabiles iras gerere, tam fœdis, tam crudelibus, & plus quàm belluinis se se modis mutuò dilaniare? ita vt verè homo homini lupus veteri prouerbio dicatur: immò
Dan. 6. & 14. lupo, immò tigride, immò leone truculentior. Danieli enim Prophetæ famelici leones nihil nocuerunt, cui non pepercerunt inuidi susurrones. Quanta porrò nobis, & quàm multa discrimina impendent à sicarijs, à latronibus, à veneficis, ab alijs, qui diu noctuque capitibus nostris pestem & exitium machinantur? Deni-

Denique nec frater à fratre tutus est. Habemus in profanis hi-
storijs Romulum & Remum, Eteoclem & Polynicem: in sacris
Cainum & Abelem, Iosephum & fratres eius. IX.

Nihil hoc loco dicam de breuitate vitæ, quæ nos spes vetat
inchoare longas. Hanc satis declarāt illi, qui eam floribus, fœno, Iac. 4. 14.
fumo, vapori comparauerunt. *Quæ est enim vita vestra?* ait D.
Iacobus, *vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.*
Talem vaporem fuisse Marcellum illum Poëta deplorat, quem
canit terris tātùm fata ostendisse. Tales caduci flores fuêre pueri Exod. 1, 16.
Israëlitarum, quos in Ægypto omnes ab obstetricibus jussit Pha-
rao necari. Tale fœnum fuit filius Dauidis, quem languentem nō
potuit satis deplorare. Innocentes quoq; infantes ab Herode al-
tero Pharaone crudelissimè demessi fœnum se esse experti sunt.
Quibus meritò scribi potuit Epitaphium illud:

Viuere vix cœpit, iam viuere desiit infans,
Et nondum vitam nouerat ipse suam.
Antè mori quid sit, quàm viuere discimus. Eheu,
Eheu, quàm misera condicione sumus!

Neque illud abs re eiusmodi puero positum est monumentum.
QVAS LACHRYMAS FINII, MATER INCOEPIT: RISVRA, NI
FINISSEM. EHEV MISERA VITA, QVÆ NEC RISVM HABET,
NISI FLETV EXPRESSVM! Itemque

Alij mori senes solent,
Senex si ego forem, viuerem. X.

Atque esto, mors multis in infantia parcat; nec rapiat
maiorem in juuenta, aut virili ætate hominum partem: quàm
tamen breuis est illius vita, etiamsi perueniat ad senectutē? Olim
homines septingentos, octingentos, nonaginta annos vixerunt,
nunc autem successit ætas vitiosior, decreuerunt mortalium vi- Plin. lib. 7.
res, multum imminuti sunt eorum anni. *Epigenes CXXII. annos* cap. 49.
impleri negauit posse: Berosus excedi CXVII. Durat & ea ratio, quam
Petosiris ac Necepsos tradiderunt (ait Plinius) *& tetartemorion ap-*
pellant, à trium signorum portione, qua posse in Italiæ tractu CXXVI.
annos vitæ contingere apparet. Negauêre illi, quemquam XC. par-
tium exortiuam mensuram (quod anaphoras vocant) transgredi, &
has ipsas incidi occursu maleficorum siderum, aut etiam radijs eorum
solisq;.

solisq́;. Rursus Æsculapij secta, quæ stata vitæ spacia à stellis accipi dicit, sed quantum plurimùm tribuat, incertum est. Rara autem esse dicunt longiora tempora, quandoquidem momentis horarum insignibus lunæ dierúmue septem atque IX. (quæ nocte ac die obseruantur) ingens turba nascatur, scansili annorum lege occidua, quam climacteras appellant, non ferè ita genitis LIV. annum excedentibus. Primùm ergo artis ipsius inconstantia declarat, quàm incerta res sit. Sed quamuis sideralem hanc scientiam incertam esse, adeoque scientiam non esse demus: haudquaquam tamen dandam esse putamus nullam astris in humanam vitam potestatem. Cui etsi imperare possit per miracula Siderum Conditor, tamen etiam multa possunt interuenire, quæ positum à stellis vitæ terminum anteuertant. Quàm multos enim occidit non solùm ferri violentia validos homines, sed etiam immoderata vini cibique appe-
Iob. 14. 5. tentia? Itaque *Breues dies hominis sunt*: & vera est cantio illa:
Ibid. v. 1 *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs.* Quid igitur? an quemquam, in hac vita, felicem, quemquam beatum esse existimemus? ab omni parte prorsus neminem.

XI. Summa quidem olim felicitas Q. Metello tribuebatur, propterea quòd iam inde ab ortu suo secundo, & æquabili vitæ cursu vsus, præter honores amplissimos, quos gesserat, corpore tandem extrema senectute laxatus, à quatuor filijs, vno prætorio, tribus consularibus, duobus triumphalibus, vno censorio, esset in rogum illatus. Summæ etiam beatitatis fuisse dicebatur Lacedæmonia quædam, quòd regis filia, regis vxor, regis mater fuisset: Summa quoque fuisse credebatur prosperitas familiæ Curionum, in qua tres continua serie Oratores extitissent. Summa denique felicitas celebrabatur Fabiorum, in quibus tres continuò Principes senatus fuissent. Inprimis rara est hæc felicitas: quem-
Plin. lib 7. nat. hist. cap. 40. admodum etiam *pro miraculo, & id solitarium reperitur exemplum, Xenophilum musicum, centum & quinque annis vixisse, sine vllo corporis incommodo.* Deinde has felicitates (si quidem felicitates verè possint appellari) quot infelicitatibus fuisse permistas, implicatas, contaminatas existimabimus? An non magnos honores, magnæ inuidiæ insidiæque comitantur? an non in longa vita,

vita, & sana, longæ curæ, sollicitudines, lites, mille inquietu-
dines intercurrunt? Et si vel Nestorem annis superares, quid Psal. 89. 4.
sunt illi comparatione æternitatis? *Quoniam mille anni ante ocu-*
los tuos, tamquam dies hesterna, quæ præterijt. Et custodia in nocte,
quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt. Manè, sicut herba
transeat, manè floreat, & transeat; vespere decidat, induret, &
arescat. Itaque si vel cerui ætatem, immò si vel Mathusalæ sæ- Iob. 14. 5. &
cula viuas, de te dici poterit: *Breues dies hominis sunt;* itemque: v. 1.
Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis mise-
rijs. Qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, &
numquam in eodem statu permanet. Hanc vitæ breuitatem agno-
uit, qui ita orauit: *Paucitatem dierum meorum nuntia mihi;* Et Psal. 101. 24.
cuius hæc fuit interrogatio: *Numquid non paucitas dierum meo-* Iob. 10. 20.
rum finietur breui? Ac Iacob à rege Ægypti interrogatus: *Quot* Gen. 47. 8.
sunt dies annorum vitæ tuæ? Respondit: Dies peregrinationis meæ
centum triginta annorum sunt, parui, & mali, & non peruenerunt
vsque ad dies Patrum meorum, quibus peregrinati sunt. Itaq; sicut
peregrinis, & ad patriam suam tendentibus, bene non est, quàm
diu sunt extra patriam, ad quam anhelant: ita hominibus, quàm
diu cumque viuant in hac terra, in qua à *Domino peregrinamur,*
semper tamen, velut exules, habent, quò anhelent; & tandem
morte finiuntur.

XII.

Mors vltima linea rerum, miseriarumque humanarum su-
prema est in hac vita, ac maxima. Moriendi necessitas nobis
nascentibus imposita, vinculis ita nos tenet colligatos, vt eua-
dere, aut effugere nulla ratione possimus. In numero Deorum,
quos veteres colebant, etiam ille reponebatur, quem Deum Ter-
minum nominabant. Huic Numam Pompilium regem sacellum
construxisse memoriæ proditum est. Consequentibus autem an-
nis, Tarquinius Capitolium ædificaturus fertur Deos consuluisse,
num Ioui cedere vellent? cedentibus reliquis, solùm Terminum
remansisse. Huius proinde imaginem quidam pingunt statuam,
seu saxum quadratum, cuius superior pars hominis figuram con-
tinet, cum hac inscriptione, CEDO NVLLI. Hæc statua
mortem significat, cui cùm omnia cedant, ipsa cedit omnino
nulli. O tristis, ô funesta, ô truculenta mors! tantáne tibi in
ges

res humanas concessa potestas? Tanta. Ergo nec inuictissimis Imperatoribus, nec potentissimis Regibus, nec Serenissimis Ducibus ac Principibus, nec alijs quocumque cum imperio, quacumq; cum potestate sint, cedis? CEDO NVLLI. Non Pontificibus, non sacrorum ac religionum Antistitibus, non amplissimo sacerdotio præditis viris? NVLLI. Non sanctissimis, Deóque plenis vatibus? non diuinis illis à Christo in orbem missis Euangelij internuncijs? Non omnibus sanctitatis ac virtutis laudibus cumulatissimis? NVLLI. Non Socrati, non Platoni, non Aristoteli, non Salomoni; non Hieronymis, non Ambrosijs, non Augustinis, non Gregorijs, non Basilijs, non ceteris sapientiæ doctrinæque luminibus? NVLLIS. Quoniam igitur nullis potentiæ, vel sapientiæ, vel doctrinæ, vel sanctitatis ac virtutis viris cedis, saltem parces supplicibus? Non parco. Valebunt apud te preces? minimè. At lachrymæ te mollient? Nihil. Munera? tantundem. Ergóne tu penitus inexorabilis? penitus inexorabilis. O *Capitoli immobile saxum!* Verè Orpheus in Hymnis dixit:

Nec prece, muneribus nec tu placabilis vlli.

Quam ob caussam veteres morti neq; ritus & cærimonias, neq; sacerdotes, neque sacrificia vlla attribuerunt; cuius sanè tyrannis hoc crudelior, & formidabilior est, quòd in omnem vitæ nostræ partem desæuiat; deque ea iam inde à prima huius lucis vsura perpetuò aliquid deterat, atque decerpat. *Quotidie* namq;, vt sapienter notat Romanus Sophus, *morimur, quotidie demitur pars vitæ, & tunc quoque, cùm crescimus, vita decrescit. Infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam: vsque ad hesternum, quidquid transijt temporis, perijt. Hunc ipsum, quem agimus diem, cum morte diuidimus: Quemadmodum clepsydram non extremum stillicidium exhaurit, sed quidquid antè defluxit: sic vltima hora, qua esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola cõsummat. Tunc ad illam peruenimus, sed diu venimus.* Eamdem pænè sententiam non inuenustis versiculis Thomas Morus, vir ingenij, doctrinæ, virtutis & martyrij gloria clarus expressit, quos libet referre.

Nugamur, mortemq; procul, procul esse putamus,
At medijs latet hæc abdita visceribus.

Scilicet

Scilicet ex illa, qua primùm nascimur hora,
Prorepunt iuncto vitáque, morsq́; pede.

Quid igitur hoc breue, hoc miserum, hoc calamitosum æuum quod agimus in terris, esse dicemus? vitámne? at enim morimur, &, vt idem Morus ait, *interea dum loquimur, morimur.* Mortem? attamen viuimus. quid igitur? Vitam, opinor, mortuam, aut mortem viuentem non absurdè appellabimus. Rectè nonnulli exilium, rectè ergastulum, rectè Camerinam, rectè lernam malorum, rectissimè *vallem lacrymarum* appellauerunt. Et vita est verè fletu digna, de qua cùm homines querantur, datâ, formident tamen auferendâ. Quid miserabilius est, quàm ærumnas nec pati velle, nec finiri? Sed de his sat est dictum, tanta enim earum est multitudo, vt neque Ilias eam complecteretur. Videamus nunc, quo iudicio, quibúsue de caussis earum, etiam reliquas voluerit in mundo, immò mundum in illis esse diuina prouidentia, sub quam omnia cadunt; & cum Poëta hoc caput finiamus. Bernhard. Bahus. lib. 6 Epigram.

Verè dicitur, estq́; terra vallis
Amarissima, Paule, lachrymarum,
Et plenissima, Paule, lachrymarum.
Paremus Strophium, & sinu geramus,
Quod bibat lachrymas quotidianas:
Quas fleas, dabit omnis hora caussas.
Dolorum omnium amaritudinumq́;,
Ærumnabiliumq́; lachrymarum,
Hæc est patria; Terra nostra vallis,
Non potest aqua vallibus deesse.

CAPVT II.

Ob quasnam caussas DEVS humanam vitam tot tantisq́; voluerit esse miserijs repletam?


QVoniam igitur diuina vox est illa: *Ego Dominus, & non* I.
est alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pa- Isa. 45. 7.
cem, & creans malum: ego Dominus faciens omnia hæc; à bono autem DEO mali nihil potest esse, consequens est, bella, & famem, & morbos, etsi nobis mala aut sint, aut videantur, tamen,

tamen, prout à Deo sunt, magnam quoque habere bonitatem, coniunctam. Poëtarum somnia sunt, morbos, aliaque mala Pandoræ pyxide in terras euolasse. At nos Poëtarum fabulas nihil moramur, qui è diuinis litteris veras malorum caussas didicimus. Felicem condidit hominem DEVS, & eum, vt tanto beatior esset, in loco felici posuit. Vt tamen Dominum agnosceret, vnicum ei, idque haud difficile præceptum dedit, illudque, vt decebat, comminatione pœnæ firmauit. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum: Præcepitq; ei dicens: Ex omni ligno Paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. in quocumq; enim die comederis ex eo, morte morieris,* hoc est, morbis, & morti subjectus eris, quibus te liberum creaui. Vnius arboris abstinentiam præcepit tam liberalis in hominem Dominus. Si rem grandem jussisset, parére debuisset. Præuaricatus est; quare pœna dignus fuit, & ipse, & vxor, & tota series posteritatis. Hinc DEVS & Dominus, & Iudex mulieri dixit: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Adæ verò dixit: Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vesceris pane, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es.* Hæc fundi nostri est calamitas. *Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.* Hinc rectè Concilium Mileuitanum definit: *Quicumq; dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ita vt, siue peccaret, siue non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.* Igitur, quod delinquimus, luimus. Dominum serui contempsimus, & miremur, si vapulamus? Quæ enim Adamo via fuit ad mortem, hæc & nobis fuit; estque quotidie. *Nam per mortem ad nihilum tendimus,* ait S. Augustinus, *dum nos nihil facere per peccatum non formidamus. Et justè quidem hoc, Domine; nam digna factis recipimus, dum ad nihilum deuenimus, tamquam aqua decurrens, quia sine te factum est nihil; & nos faciendo nihil facti sumus nihil, quia sine te sumus nihil, per quem facta sunt omnia,*

Gen. 2. 15.

Gen. 3. 16.

Sapient. 1. 13.

Conc. Mileuit. can. 1.

S Augustin. lib. soliloq. cap. 4.

sine quo factum est nihil. Quare fames, sitis, morbi, mortes, mala sunt, quia nos affligunt; hæc autem mala ipsi accersiuimus, dum deliquimus; in pœnam autem à Deo immissa, bona sunt, quia à iustitia sunt, & puniunt præuaricatores.

II Hoc semper nobis in animo debet esse, quoties morbo tentamur. Morbi enim sunt fructus peccati. Quibusdam profugis numquam demuntur compedes; ne iterum fugiant. Fugimus à Deo, eapropter iniecti sunt nobis morbi tamquam compedes. Et reliqua mala nos commonent, ne maiora mala mereamur. Mirabili hoc prouidentia Dei accidit, hoc enim pacto superbia nostra deprimitur, & cristæ, quas in cælum erigimus, in terram inclinantur. *Anaxarchus cognomento Eudæmonicus ridebat Alexandrum,* (AElian. cap. 37.) *quòd seipsum DEVM faceret. Cùm autem aliquando in morbum incidisset Alexander, & ei medicus sorbitionem imperaret fieri, ridens Anaxarchus: At nostro Deo (inquit) in cochlearis sorbitione spes est.* Quemadmodum igitur fortunæ fauor, & res bene feliciterque gestæ Alexandro occasio fuerunt, vt se Deum esse arbitraretur; ita vicissim vitæ humanæ miseriæ atque corporis infirmitas caussa fuerunt, vt nihil de se diuinum somniaret. Est is hominibus agnatus morbus, vt facilè credant, quando ijs dicitur, *eritis sicut* (Gen. 3. 5.) *Dij.* Huic morbo præstans remedium est inualitudo, & calamitates, quæ homines in dies circumueniunt, ex illis enim agnoscunt suam fragilitatem. Admonentur siquidem, ne se Deos esse fingant, nullis malis obnoxios. Hinc & ille videns dixit: *Bonum mihi, quia humiliasti me; vt discam iustificationes tuas.* (Psal. 118. 71.) Ex qua humanæ humilitatis cogitatione, etiam regius ille adolescens cœpit cristas demittere, & animum ad altiora eleuare, de quo, apud S. Damascenum, hæc leguntur, nimirum Iosaphat Auenniri (S. Io. Damascen. de reb. gestis SS. Barlaam & Iosaphat, cap. 5.) Indiæ regis filio, qui diu, ne in Christianos, aut religionem Christianam incideret, inclusus in palatio, tandem foras exeundi impetrauit à patre potestatem. *Iis autem, & qui cum eo erant, summopere mandauit, vt curarent, ne quid iniucundi obuiam haberet: verùm quidquid pulchrum & amœnum ac iucundum esset, ipsi ostenderent; choreasq; in vijs agitarent, suauissimisq; cantionibus operam darent, ac varia spectacula constituerent: vt ipse mentem his rebus occuparet atque oblectaret. Cùm igitur regis filius ad hunc modum fo-*

ras

ras crebrò progrederetur, quadam die, ministrorum obliuione factum est, vt duos viros perspiceret, quorum alter leprâ, alter cæcitate labora bat. Quos conspicatus, atque animi mœstitiâ affectus, ab ijs qui secum erant, quinam hi essent, & quodnam graue hoc spectaculum esset, percontatus est: illi autem, cùm id, quod in ipsius aspectum venerat, occultare non possent, has humanas calamitates esse responderunt, quæ ex corrupta materia, & corpore vitiosis humoribus pleno, mortalibus contingere solent. Tum ille: Cunctisne hominibus hæc accidere consueuerunt? Non cunctis, inquiunt illi, verùm ijs dumtaxat, quorum valetudo propter improbos humores deprauata sit. Rursum igitur sciscitari perrexit adolescens: Si non omnes homines in has calamitates incidere consueuerunt, sed quidam dumtaxat, exploratumne est, quinam sint, quos malorum acerbitates accepturæ sint; an contrà citra vllam distinctionem atque ex improuiso conflantur? Et quis tandem hominum, responderunt illi, futura perspicere, ac perfectè intelligere queat? Hoc enim humanæ naturæ captum excedit, ac solis immortalibus Dijs attributum est. Hic percontandi quidem finem fecit regis filius: verùm ex huiusmodi spectaculo dolorem animo cepit, reiq; nouitate ita affectus est, vt oris ipsius forma immutaretur. Rursum autem foras progrediens, in capularem quemdam senem incidit, rugata facie, fractis ac dissolutis tibijs, curuo corpore, capite prorsus cano, qui prætérea dentibus carebat, atque concisum quiddam & interruptum loquebatur. Stupore itaque correptus, cùm hominem eum propiùs ad se adduci iussisset, eos, qui tum aderant, interrogabat: Ecquidnam tam insolens spectaculum esset? Illi autem dixerunt: Hic ætate valde prouectus, ac paulatim decidentibus ipsi viribus, membrisq; imbecillitatem contrahentibus, ad hanc, quam cernis, ærumnam peruenit. Et quisnam, inquit ille, ipsius finis est? Nihil aliud, inquiunt illi, quàm mors ipsum excipiet. Omnibusne hominibus, inquit ille, hoc propositum est, an quibusdam dumtaxat contingit? Responderunt illi: Nisi mors anteuertens aliquem hinc abducat, fieri non potest, quin temporis progressu status huiusce periculum non faciat. Tum adolescens: Quoto anno hoc cuipiam contingit? atque prorsúsne mori necesse est, neque ars vlla est, quâ mortem effugiamus, atque in hanc calamitatem minimè incidamus? Dicunt ei: Octogesimo, aut centesimo anno ad hanc senectutem homines perueniunt, ac deinde moriuntur: nec aliter fieri potest.

Debitum

Debitum enim naturale mors est, hominibus ab initio impositum: neque
vlla ratione ipsius aduentus vitari potest. Hæc omnia, vt sagax ille ac
prudens adolescens audiuit atque intellexit, intimo corde ingemiscens,
dixit: Acerba hæc vita est, atque omni dolore ac mœstitiâ plena, si res
ita se habet. Et quonam modo quispiam in incerta mortis exspectatio-
ne, cuius aduentus non modò vitari non potest, sed etiam, vt dixistis,
incertus est, securo animo erit? Abijtq; hæc secum voluens, atque as-
siduè considerans, mortisq; memoriam identidem animo repetens, ac
deinceps in doloribus animiq; consternatione viuens atque in perpetuo
mœrore degens. Atque apud se dicebat: Ergóne mors me aliquando
corripiet? Et quisnam erit qui mei post mortem meminerit, cùm tem-
pus omnia obliuione contriuerit? Num præterea morte functus in ni-
hilum dissoluar; an contrà altera quædam vita est, & alter mundus?
Hæc & his similia perpetuò cogitans, pallore conficiebatur. Nempe
ea indoles erat, vt res suis momentis ponderaret: quo ingenio
voluit omnes homines esse hominum Moderator, vt, naturæ suæ
imbecillitate considerata, supercilium discerent ponere. III.

Superbit homo tot miserijs vndique circumuallatus: quas
cogitationes habuisset, si ipse, tamquam rupes immobilis, inter
circumlatrantes vndas stetisset inconcussus? Oriuntur, & occi-
dunt sidera: nascuntur, & denascuntur elementa: Lapides quo-
que & saxa finduntur, suamque patiuntur senectutem: plantæ
virescunt, & arescunt: animalia cetera omnia gignuntur, & mo-
riuntur; quid de se ipso sensisset homo, si immortalis fuisset? in
quantum intumuisset? *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, &* Eccl. 1. 2.
omnia vanitas. Itaque quia *vniuersitatis* quidam veluti *finis est ho-* Aristot. 2.
mo, vel Philosopho teste, isq; à fine suo deflexit, qui erat Deus, *om-* Phys. tex. 28.
nis creatura vanitati subiecta est, propter ipsum quodammodo, ipse Rom. 8. 20.
verò non solùm *vanitati similis factus*, sed etiam *vniuersa vanitas* Psal. 143. 3.
(si viuens, multò magis mortuus, inquit S. Hieronymus) om- Psal 38. 6.
nium namque rerum in se gradus comprehendit. Nam subit in-
iurias corruptibilitatis, vt res inanimatæ; necessitatem nutritio-
nis, accretionis, decretionis, mortis cum viuentibus; sensibilium
affectionum, & patibilium alterationem qualitatum, cum sen-
tientibus; alternationem cogitationum, voluntatum, studio-
rum, consiliorum cum Angelis; at insuper peccatorum, quæ ne-

Vide Bellarm. li. 6. de amissione gratiæ. c. 8. & seq. Eccli. 10. 9. Plutarch. in apopht. regum.

fanda & cum natura pugnantia sunt, vt de morbis & ærumnis sileam, quibus supra animalia cuncta obnoxius est homo, vt docent medici, & naturalis historiæ scriptores, & qui deplorant lapsi hominis calamitates. Ob hæc omnia, *quid superbit terra & cinis?* Antigonus, à graui morbo postquam conualuerat: *Nihilo peius est*, inquiebat, *siquidem hic morbus submonuit nos, ne animo efferamur, cùm simus mortales.* Deplorabant amici ceu magnum malum, quòd tam grauiter ægrotasset: ille interpretatus est, ex morbo plus sibi accessisse boni, quàm mali. Corpus extenuarat, sed animum reddidit modestiorem: corporis robori nonnihil detraxerat, sed animo detraxit insolentiam, morbum longè periculosissimum. Proinde non pessimè res habet, cùm leuior morbus arcet pellitué maiorem.

IV. Neque verò tantùm, per imbecillitatis huius considerationem, pellitur superbia, sed etiam, ea agnita, subit animum humilitas & demissio, quæ docet hominem, vt apud Deum quærat miseriarum suarum medicinam, & reuerenter quærat. Audi talem ita orantem: *Quid est homo, vt possit alloqui Deum factorem suum? Parce mihi colloquenti tibi. Ignosce seruo tuo, qui præsumit loqui tanto Domino. Legem non habet necessitas. Dolor me compellit dicere, calamitas, quam patior, cogit me exclamare. Ægrotus sum, ad medicum clamo: cæcus sum, ad lucem propero. Mortuus sum, ad vitam suspiro. Tu es medicus, tu lux, tu vita,* IESV *Nazarene, miserere mei, Fili Dauid, miserere mei fons misericordiæ. Audi, qui ad te clamat, infirmum. lux, quæ transis, expecta cæcum, præbe ei manum, vt ad te veniat, & in lumine tuo videat lumen. Vita viuens, reuoca mortuum. Quid sum ego, qui loquor tecum? Væ mihi, Domine, parce mihi, Domine.* Et infrà: *Dicam, dicam miseriam meam; confitebor, nec erubescam ante te vilitatem meam. Adiuua me, fortitudo mea, per quam subleuor. succurre virtus, per quam sustentor; veni lux, per quam video: appare gloria, per quam gaudeo; appare vita, in qua viuam, ô Domine* DEVS *meus.*

S. Augustin. in soliloq. cap. 2.

V. Quemadmodum autem miseriæ huius vitæ non solùm pœna sunt delicti nostri, verùm etiam frena superbiæ, ne nos ipsos magni faciamus; ita etiam efficiunt, ne mundum ipsum nimis æstimemus. *Despiciendus à nobis hic mundus fuerat*, ait S. Gregorius,

S. Gregor. li. 3. dial.

etiamsi rebus prosperis demulceret animum. At postquam tot flagellis premitur, tot nobis quotidie flagella ingeminat, quid nobis aliud, quam ne diligatur, clamat? Itamus, cùm apud Antigonum, corporis aduersa valetudine laborans, strenuè tamen militaret, nullum hostem, nullum periculum formidans, rogatus à rege palloris caussam, ægritudinem incognitam caussatus est. Rex igitur animi magnificentia ductus iubet remedia adhiberi ad eum sanandum. Restitutus autem sanitati miles, postea timidior cautiorque factus, omnia mortis pericula vitabat. Interrogatus igitur à rege mutationis caussam, respondit: *O rex, tu me minùs audacem fecisti, quòd ijs malis me vindicasti, quibus vita à me mea contemptui habebatur.* Sensit nimirum vel miles, ægritudinem hominibus in eo prodesse, vt omnia fortunæ bona, & ipsam etiam vitam miseram atque ærumnosam contemnant, qua cùm sani sumus, in nostram perniciem abutimur. *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis*, ait Apostolus, *vt inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo. Cùm enim infirmor, tunc potens sum. Nam virtus in infirmitate perficitur*, vt paulò priùs dixerat. Magna autem est virtus, mundum despicere; qui non potest faciliùs despui, quàm cùm tot miserijs amarescit.

Brusonius lib 4. cap. 15. post Plutarch.

2. Cor. 12. 9.

VI.

Quæ cogitatio non solùm Apostolum magnum, sed etiam magnum Episcopum induxit, vt cuncta caduca nihili faceret. Nam ita loquitur: *Tædet me, Domine, valde vitæ huius, & istius ærumnosæ peregrinationis. Vita hæc, vita misera, vita caduca, vita incerta, vita laboriosa, vita immunda, vita domina malorum, regina superborum, plena miserijs & erroribus; quæ non est vita dicenda, sed mors; in qua momentis singulis morimur, per varios mutabilitatis defectus, diuersis generibus mortium.* Et paulo pòst. *Et his malis omnibus mors furibunda succedit, simulq; cunctis gaudijs istius miseræ vitæ ita finem imponit: vt cùm esse desierit, non fuisse putetur. Mors ista vitalis, & vita mortalis: licet his alijsq; sit respersa amaritudinibus: prô dolor, quàm plurimos suis capit illecebris, & quàm multos suis falsis promissionibus decipit? Et cùm ita per se sit falsa & amara, vt etiam suos cæcos amatores latere non valeat: tamen infinitam stultorum multitudinem aureo calice, quem in manu habet, potat, & prorsus inebriat.*

S. Augustin. lib. Medit. cap. 21.

briat. Felices illi, & ipsi rari, qui familiaritatem eius recusant, perfunctoria gaudia spernunt, societatem abijciunt; ne cum pereunte deceptrice, & ipsi perire cogantur. Inter quos fuit monachus ille Ægyptius, qui Ioanni Climacho narrauit, se, *cùm in intimo cordis mortis memoriam penitus fixisset, velletq́ue aliquando, necessitate vrgente, carnis huius luto solatij aliquid indulgere, ab huiusmodi memoria, veluti à quodam judice prohibitum esse. Quodque mirabilius est, cùm vehementer vellet hanc memoriam repellere à se, non potuit.* Adeò profuit ad mundi illecebras, carnisque fomenta negligenda, vel memoria mortalitatis, & humanarum calamitatum, quæ omnes morte finiuntur.

Io: Climach. in scala cæli. grad. 6.

VII. Hæc vitæ ærumnosæ incommoda, qui secum expendunt, numquam de vitæ breuitate conqueruntur: immò potiùs ægrè ferunt mortis dilationem, quemadmodum illi, qui diu in ergastulo detinentur; quos quò citiùs liberos dimittis, eò clementiùs tractas. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* clamat è carcere suo Propheta. Et Apostolus: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Quale gaudium est nauigantium ad optatum portum appellentium? atque è sæuientis Oceani procellis emergentium? Quis murmurat, cùm onus graue, sarcinamque molestā jubetur deponere? Quid ergo homines mussant, si id impetrant, pro quo ille orauit, qui dixit: *Educ de custodia animam meam?* itemque: *Quando veniam & apparebo ante faciem* Dei? *P. Franciscus Costerus, cùm SS. Sacramentis ad agonem muniretur identidem exclamabat: ô quale gaudium! ô quæ consolatio! Post ea peracta legi sibi Psalmum voluit:* Qui habitat, *in quo admiranda facinora diuinæ prouidentiæ enumerantur in eos edita, qui ei se totos permisissent. Post eius Psalmi singulos versus affirmabat, singula sibi ordine ita obtigisse, vt erant illic expressa Cùm ventum ad illa verba fuisset:* Longitudine dierum replebo eum: *Et hoc, inquit, apud me locum habet;* Dei *enim singulari beneficio octoginta & octo annis vixi, nullo vnquam morbo tentatus. Ad extrema versus illius verba:* Et ostendam illi salutare meum: *Hoc, inquit, vnum restat; quod modò expecto. Cumq́ue astantium aliqui adderent, sperare se, hoc supremum beneficium ad cumulum ei ceterorum accessurum: Non dubito, respondit. Ita felix* Dei *seruus obijt, sancta hilaritate, ac fiducia salutis,*

Psal. 119. 5.
Rom. 7. 24.

Psal. 141 8.
Psal. 41. 3.
Ex cap. 13. triplicis coronæ B. V. tract. 3. P. Francisci Poiræi.
Psal. 90.

tis, Matris dulcissimæ fructu ac interuentu partæ, plenus. Octoginta quidem octo annis se vixisse in beneficio habuit, & quidem nullo vnquã morbo tentatum, quia ita diuinam gloriam poterat impensiùs propagare; sed tamen vel sic doluisse se indicat, quòd incolatus eius esset propagatus. Alioquin enim profectò, de corpore, in quo tam diu habitauit, exiturus non dixisset, *ô quale gaudium, ô quæ consolatio!* sed vitæ jacturam deplorasset.

VIII.

Quid, quòd vel Ethnici, ob has mortalium miserias, vitæ breuitatem inter naturæ beneficia numerauerunt? De qua vita cùm Plinius loqueretur, adjecit: *Incertum ac fragile nimirum est hoc munus naturæ, quidquid datur nobis: malignum verò & breue, etiam in ijs, quibus largissimè contingit, vniuersum vtique æui tempus intuentibus. Quid quòd æstimatione nocturnæ quietis, dimidio quisq; spatio vitæ suæ viuit? Pars æqua morti similis exigitur, aut pœna, nisi contingit quies. Nec reputantur infantiæ anni, qui sensu carent, non senectæ in pœnam viuacis. Tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curæ, toties inuocata morte, vt nullum frequentius sit votum. Natura verò nihil hominibus breuitate vitæ præstitit melius. Hebescunt sensus, membra torpent, præmoritur visus, auditus, incessus, dentes etiã ac ciborum instrumenta, & tamen vitæ hoc tempus annumeratur.* Immò optatur, quia amatur ab ijs, qui nihil in futura vita sperãt, sed aliquid formidant. At verò homini ea, quæ recensuimus, partim oculis, partim animo contemplanti, perbeati illi videntur, qui ex hoc ærumnarum humanarum & miseriarum pelago ad eũ portum, Deo auspice, cælestibusque bene iuuantibus aspirant: quò qui perueniunt, placidissimè conquiescunt, procul à grauibus illis, quas ostendimus, corporum animorúmque jactationibus, procul à procellis, & tempestatibus, procul ab omnibus vitę salutísque discriminibus secreti atque disiuncti. Senecam audiamus. *Omnia, inquit, ista bona, quæ nos speciosâ, sed fallaci voluptate delectant, pecunia, dignitas, potentia, aliaq; complura, ad quæ generis humani cæca cupiditas obstupescit, cum labore possidentur, cum inuidia conspiciuntur: eósque ipsos, quos exornant, & premunt: plus minantur, quam prosunt. Lubrica & incerta sunt: numquam bene tenentur. Nam vt nihil de tempore futuro timeatur, ipsa tamen magnæ felicitatis tutela solicita est. Si velis credere altiùs veritatem intuentibus, omnis vita sup-*

Plin. lib. 7. nat. hist. cap. 50.

Seneca in Consolat. ad Polybium. cap. 28.

ta supplicium est. In hoc profundum inquietúmque projecti mare, alternis æstibus reciprocum, & modò alleuans nos subitis incrementis, modò maioribus damnis deserens, assiduéq; iactans, numquam stabili consistimus loco: pendemus & fluctuamur, & alter in alterum illidimur, & aliquando naufragium facimus, semper timemus. In hoc tam procelloso, & in omnes tempestates exposito, mari nauigantibus, nullus portus nisi mortis est. Nemo dolet, è fluctibus & scopulorum periculis, se ad fortunatas insulas citiùs appulisse.

IX. Itaque, vt ad veram felicitatem tantò ardentius aspiremus, multum nos impellit vitæ huius amaritudo, quæ ante oculos posita, vitę futuræ jucunditatem tantò magis commendat. Cuius rei figurã Devs ostendit in populo Hebræorum, cui etsi sæpe laudata fuerit terra promissionis lacte & melle fluens, numquam tamen tantum desiderium injecisset, nisi in Ægypto tanta passi

Exod. 1. 13. essent. Siquidem *oderant filios Israël Ægyptij, & affligebant illudentes eis: atq; ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti & lateris, omniq; famulatu, quo in terræ operibus premebantur.* Itaque *ingemiscentes filij Israël propter opera vociferati sunt:*

Exod. 2. 23. *ascenditq; clamor eorum ad Deum ab operibus.* Pari modo, dum nos in terris varijs exagitamur ærumnis, exules filij Euæ, ad cælum clamamus, & ad Devm suspiramus, eumque vitæ cursum & instituimus, & tenemus, quo absoluto atque confecto, meritò illã, quâ fruuntur, qui nos sunt antegressi, quietem sperare possimus. Et qui maximè sperant, maximè eò anhelant, gaudentque, si videant adesse finem laborum, nec procul distare coronam, ad quã sunt ex hac lachrymarum valle euolaturi. Cuius rei cùm extent

Franc. Poiræus loc. cit. sine numero exempla, vel illud sufficeret, quod Frãciscus Poiræus de P. Francisco Suarezio narrat. Nam Suarezius, vt ille scribit, *mortem inter tam raras delicias animi obijt, vt finem facere non potuerit dicendi, numquam se antehac in animum inducere potuisse, mortem vlli posse tam suauem ac facilem accidere, quàm modò sibi sentiret*

Psal. 39. 1. Psal. 83. 1. *euenire. Vnde sæpius illis regij Vatis verbis vsus est: Expectans expectaui Dominum. Quàm dilecta tabernacula tua, Domine, virtutum: & alijs eiusmodi aspirationibus, quibus anhelantis animi desideria prodebat.* Hic vir, quantò doctior fuit, tantò accuratiùs & vitæ præsentis incommoda, & futuræ emolumenta habuit perspecta.

Erudi-

Eruditione ergo sua adiutus est, & ad fluxa ista contemnenda, & ad æterna bona ardentiùs appetenda. Quod & illi euenit, de quo S. Gregorius hæc narrat: *Quidam mecum in monasterio frater Antonius nomine viuebat, qui multis quotidianis lachrymis ad gaudia patriæ cælestis anhelabat Cumq; studiosissimè, & magno feruoris desiderio sacra eloquia meditaretur: non in eis verba scientiæ, sed fletum compunctionis inquirebat: quatenus per hæc exaltata mens eius inardesceret & ima deserens, ad regionem cælestis patriæ, per contemplationem volaret.* Quò etiam, bis de instante morte, & semel de peccatis dimissis monitus, tanta securitate, quanta lætitia mentis è mortalibus emigrauit. Enimuerò S. Andreas Episcopus Fesulanus Ordinis Carmelitarum, anno ætatis suę septuagesimo primo, in ipsa nocte Natiuitatis Domini, dum rem sacram in Ecclesia faceret, Dei Matrem habuit aspectabilem, quæ ei obitus sui diem nuntiaret, quem proximo mense, videlicet, octauo idus Ianuarij, quo die Epiphania Domini celebratur, fore dixit. Qua reuelatione ille tanto gaudio repletus est, vt qui priùs ob victus tenuitatem macilentus, & squallore perfusus erat, Seraphico pænè colore perfusus sit. Nemo igitur vitæ istius calamitates, quas meruit, existimet sine grauibus etiam alijs caussis atque vtilitatibus humano generi incidisse. Illatæ sunt mundo, vt nos punirent; ita puniunt, vt prosint, nosque vel tergiuersantes promoueant ad nostram felicitatem.

S. Greg. lib. 4. Dial. cap. 47.

Sur. in vita eius. 6. Ian.

X. Quo modo S. Cæcilia Tiburtium Valeriani sui fratrem promouit, carnifices, eorumque tormenta metuentem, quem his verbis est allocuta: *Si hæc vita esset sola, & nō esset alia, iure, quæ hîc sunt, timeremus perderé. Cùm autem sit alia vita, quæ est hâc multò melior, & sublimior, & numquam potest finiri, cur timemus hanc perdere, quando per huius amissionem ad illam accedimus?* Ad quæ cùm Tiburtius respondisset, se numquam audiuisse, aliam esse vitam, subiecit Cæcilia: *Nunc hoc certò scias, ô charissime, quòd quàm diu in hoc mundo viuimus, vitam laboriosam & dolore plenam agimus, in angustijs, & afflictionibus: quandoquidem inflammant humores, minuunt labores, valde exsiccant febres, rheuma assiduè inducit aër, cibi inflant, molesta sunt jeiunia, ludi dissoluunt, curæ contrahunt, perdit negligentia, diuitiæ abijciunt, expellit paupertas, elatos reddit juuentus,*

Sur. 22. Nouember.

incuruat

incuruat senectus, deprimit imbecillitas, perturbat ira, & inter h[...] omnia mors excindit cum minis, & sic imponit finem omnibus corpore[...] lætitijs, vt ab eo, quod est esse, recedens, ne fuisse quidem putetur. Pr[...] nihilo enim de cetero habetur, quidquid non est. Illa autem vita ater[...]na, hanc vitam caducam, miseramq́, & breuem excipiens, cum æ[...]ternis afflictionibus & tormentis datur malis, & injustis: lætitia ver[...] æterna & exultatio præbetur justis. Sic sanctissima Virgo & Martyr Cæcilia à fluxis bonis, immò malis, ad stabilia; à terrenis ad cælestia, à desituris ad semper duratura bona traduxit. Nemo enim est, qui, si hæc inter se se conferat, vanitati non præferat veritatem. Atque hac de caussa diuina Sapientia vitæ huius ærumnas nobis ante oculos ponit, vt nos melioris vitæ delicias miserijs discamus præponere.

CAPVT III.

Fames quid sit, & quantum malum?

I. Nter miserias, quæ humanum genus affligunt, venit in censum etiam Fames, non rarus Belli, aut comes, aut sequela, & sæpe etiam extra belli tempora mortales infestans. Quæ non absurdè etiam quoddam genus morbi potest appellari: neque enim solùm morbos atque debilitatem creat, sed ipsa quoque sæuissimo cum cruciatu vitam tollit. S. certè Augustinus cibum mortalibus pro medicina, aut saltem instar medicinæ esse obseruauit. Sicut enim multi ægrorum vitam morbo amitterent, nisi Æsculapius aliquis eis medicinam faceret; ita profectò omnes, nisi comederent, fame interirent. Itaque cibus eis pro pharmaco est, pro medico coquus. Tametsi enim fames, *appetitus calidi & sicci*, est à natura homini data, quæ hominem allicit ad vires restaurandas, optimúmque cibi condimentum haud immeritò à Socrate vocatur; quippe

Ieiunus stomachus rarò vulgaria temnit:

tamen ea sæpe molesta accidit, & sæpe cruciat, sæpe necat. Hinc illud apud Comicum legimus:

Fames, & mora bilem in nasum concitant.

Tantúmque est malum, vt apud Ieremiam legamus: *Melius fuit occisis*

S. Augustin. lib. 10. Confess. c. 31.

Aristot. lib 2. de Anima. Cic. lib 5. Tusc. qq.

Horat. lib. 2. Carm. 2.

Plaut. in Amph.

Thren. 4. 9.

occisis gladio, quàm interfectis fame: quoniam isti extabuerunt con-
sumpti à sterilitate terræ. Quod expertus est, Abrahæ temporibus,
orbis terrarum. *Facta est autem fames in terra; descenditq; Abram* Gen. 12. 10.
in Ægyptum, vt peregrinaretur ibi; prævaluerat enim fames in terra.
Fugit ergo Abram cum vxore sua famem, quemadmodum & Eli-
melech, de quo in historia Ruth hæc habentur. *In diebus vnius* Ruth. 1. 1.
iudicis, quando iudices præerant, facta est fames in terra. Abijtq; homo
de Bethlehem Iuda, vt peregrinaretur in regione Moabitide cum
vxore sua ac duobus liberis. Adeò metuenda res est fames, vt ho-
mines cogat patriam cum exilio mutare. Quod & Iacob contigit, Gen. 46.
qui nisi fame pulsus, numquam in Ægyptum cum filijs, & omni
familia sua descendisset: Sicut nec Isaac pater eius *ad Abimelech* Gen. 26. 1.
regem Palæstinorum in Gerara. Tempore autem regum, sæpius
hoc exitij genere laceratæ sunt multæ regiones.

II.

In profanis quoque historijs multa reperimus exempla
magnarum calamitatum à fame profectarum. Vt enim obsessâ 4. Reg. 6.
Samariâ, rabies edendi, etiam matres adegit ad proprios filios co-
quendos & comedendos; ita & post Christum à Iudæis occisum, Ioseph. lib. 2. de bell Iud.
tempore Titi & Vespasiani, in obsidione vrbis Ierosolymitanæ c. 8 & Cæl.
idem factum est. Nimirum haud immeritò fames à Poëtis *male-* lib. 23 c. 24.
suada nominatur. Nam vt C. Cato, in oratione, quam habuit ad
populum tumultuantem de frumento diuidendo, dixit: *Perdiffi-* Plutarch. in Caton.
cile est ad carentem auribus ventrem verba facere. Venter quippe cibi
auidus præcepta non audit. Hinc post victoriam Platæensem Athe-
nienses, Xantippo duce, cùm Sestum in Chersoneso oppugnarent, Sabell. lib. 2. Eunead. 3.
obsidio illa tam diu durauit, vt, qui obsidione tenebantur, lecto-
rum funibus elixis vescerentur. Quid dico funibus? infantibus
iam dictum est; immò & viris, Nam, vt Sigonius testatur, Anno Sigon lib. 19 de regn. Ital.
546. Romani, qui Placentiæ erant, inopia rei frumentariæ vsque
adeò laborare fame cœperunt, vt carnes humanas esui adhibe-
rent. Quibus malis adacti semet cum vrbe Totilæ Gothorum regi
dediderunt. Et Alexander Guaguinus memorat, Anno Christi Alex. Guaguin. in Moschouia.
1569. centum quinquaginta rusticos ad ædificandã arcem Orlo
à Io. Basilide Moschorum tyranno missos, coactos fuisse, ob an-
nonæ penuriam ex suis nouem mactare, & illorũ carnibus vesci.
Pharao per somnium *putabat, se stare super fluuium, de quo ascen-* Gen. 41. 1.
debant

debant septem boues, pulchra, & crassa nimis: & pascebantur in locis palustribus. Aliæ quoque septem emergebant de flumine fœda confectaq; macie: & pascebantur in ipsa amnis ripa in locis virentibus: deuorauerunta; eas, quarum mira species & habitudo corporis erat. Quo viso septem annorum fertilitas, à septem aliorum annorum sterilitate absumenda portendebatur. Quam famem non portendet, si non iam vaccæ à vaccis, per somnium, sed ipsi homines re ipsa ab hominibus deuorentur? Tantum est hoc malum, vt id antè, quàm inferret, DEVS vel per cæleste signum legatur denuntiâsse. Anno 944. in Italia miræ magnitudinis ac proceritatis continuis noctibus cometes apparuit, igneos diffundens radios; qui imminentem famem, qua paulò pòst pressa est vniuersa Italia, significauit, teste Luitprando & Sigeberto, quamuis Vrspergensis cometam ad Annum 945. referat.

Luitprand. lib. 5. c. 1. Sigebert. eod. An.

Vrsperg. An. 945.

III.

Sabell. lib. 9. Enned. 4.

Quæ ciuitas est tam vallis, mœnibus præsidijsque omnibus munita, vt fame capi non possit? Stipendiarij Carthaginensium, post primum Punicum bellum, seditione mota, ad extremum periculum res Carthaginensium deduxerant, nec nisi fame ab Hamilcare domari potuêre. Constat illos, captiuorum primò, mox & seruorum corpora crudeliter absumpsisse. Itaque fames humana corpora, famelici ciuitatem perdiderunt. Tyrus quoque vrbs à Venetis & Latinis reliquis fame capta fuit Anno 1124. Cal. Iulij. Quinque tantùm tunc frumenti modij in vrbe reperti fuisse dicuntur. Quid opus est hîc exemplis? omnes historiæ plenæ sunt; & docet quotidiana experientia, nihil fame potentius esse ad bestias hominésque perdomandos. Lysimachus superatus à Dromichete in Thracia, cùm seipsum totúmque exercitum propter sitim tradidisset, postquam captiuus bibit: *O Dij,* inquiebat, *quàm parua voluptatis caussa meipsum ex rege seruum effeci!* M. Brutus, post cædem Dictatoris, cùm ex Macedonia in Epirum properaret ad legiones Gabinij accipiendas, per multam niuem iter faciens, prope Dyrrhachium ex labore & algore bulimia, id est, vehementi esurie, & velut canina fame est correptus; iamque animo deficiebatur, adeò vt cùm nullus in exercitu quidquam haberet cibarij, necesse fuerit ministris eius ad hostes confugere, atque ad ipsam portam accedentes panem petere à statione,

Bruson. lib. 7. c. 6. ex Plutarch.

tione. Quanta hæc sit miseria, norunt generosi Duces, quibus graue est, vel ab amicis aliquid petere, ne dum ab hoste panem mendicare. *Tale aliquid passi sunt Æthiopes* (ait Seneca crudelissimam iram describens) *qui ob longissimum vitæ spatium Macrobij appellantur, in hos enim, quia non supinis manibus exceperant seruitutem, missisq; legatis libera responsa dederant, quæ contumeliosa reges vocant, Cambyses fremebat; & non prouisis commeatibus, non exploratis itineribus, per inuia, per arentia trahebat omnem bello vtilem turbam: cui intra primum iter deerant necessaria, nec quicquam subministrabat sterilis & inculta humanoq; ignota vestigio regio. Sustinebant famem primò tenerrima frondium & cacumina arborum, tum coria igne mollita, & quidquid necessitas cibum fecerat: postquam inter arenas radices quoq; & herbæ defecerant, apparuitq; inops etiam animalium solitudo, decimum quemq; sortiti, alimentum habuerunt fame sæuius. Agebat adhuc ira regem præcipitem, cùm partem exercitus amisisset, partem comedisset: donec timuit, ne & ipse vocaretur ad sortem. tum demum signum receptui dedit. Seruabantur interim illi regiæ aues, & instrumenta epularum camelis vehebantur: cùm sortirentur milites eius, quis malè periret, quis peiùs viueret.* Tantò autem peius est esurire, si videas alium regiè epulari; crescit enim cupiditas edendi, si in oculis sit, quod ore appetis. Hinc vel, quòd Secreta Deorũ prodiderit, vel quòd ijs humanas carnes apposuerit, in fabulis, apud Inferos,

Quærit aquas in aquis, & poma fugatia captat
Tantalus.

æterna fame punitus. Puniti sunt autem fame, in hac vita, quàm plurimi; & non pauci seipsos inedia interemerunt. Vxor Hircani III. Ducis Iudæorum, à filio, in vinculis, fame perempta est; vti vicissim à matre Erisisthenes; & à patre Agesilao Pausanias in templum Palladis inclusus; & Aristo maledicus Poëta ab Atheniensibus; qui idem fecerunt Anaxandridi, ob eamdem caussam: & alij alijs. Haud pauci autem, cùm alia ad mortem via deesset, inedia sibi ipsis vitam abrupere, vt Sisigambis Darij Persarum regis mater ab Alexandro Magno capta, inedia extincta est, cùm cibo aliquamdiu abstinuisset. Quod & complures alij ausi sunt, vel morbi, aut injuriarum dolore, vel vitæ tædio affecti, dolorem dolore finientes.

Senec. lib. 3 de Ira, c. 20.

IV. Vt autem corpus vexat edendi insatiabilis appetitus, ita & animum in multa crimina impellit. Quot mulieres vt habeant, quod edant, pudicitiam vendunt? *Pretium enim scorti vix est vnius panis.* Neque enim aues tantùm, aut feræ, escæ caussa in retia incidunt, sed etiam homines.

Prou. 6. 26.

Pers. in. Prologo.

Magister artis, ingeniiq; largitor Venter, quid non audet?

Iuuenal.

Græculus, esuriens in cælum jusseris, ibit.

Sigebert. in Chron. An. 1095.

Fames, proditionum, perfidiæ, latrociniorum, & cuius non maleficij est caussa! Memorat Sigebertus Anno Christi 1095. cùm grauissima vbique fames inualuisset, mirificè ditiores à pauperibus, per furta, rapinas, incendia, fuisse vexatos. Quam inediæ vim cùm non ignoraret, velut catapultam adhibuit ipsi Christo Stygius veterator. Ita enim loquitur Euangelista: *Et cùm jeiunasset, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esurijt. Et accedens tentator dixit: Si Filius Dei es, dic, vt lapides isti, panes fiant.* Quem tamen nec fames, nec tentator vicit vt ostenderet, nequaquam panis aut cibi cuiuscumq; caussa vlli suggestioni diabolicę esse parendum.

Matth. 4. 2.

V. Quantum sit in fame malum, etiam Poëtæ ostenderunt in pœna Erisichthonis, quam illi Dea frugum Ceres immisit à Dryadibus offensis exorata. Fabulam ita describit Ouidius:

Ouid. lib. 8. Metamorph. fab. 13.

Omnes germanæ Cererem cum vestibus atris
Mœrentes adeunt, pœnamq; Erisichthonis orant.
Annuit his, capitisq; sui pulcherrima motu
Concussit grauidis oneratos messibus agros.
Moliturq; genus pœnæ miserabile, si non
Ille suis esset nulli miserabilis actis,
Pestifera lacerare fame: quæ quatenus ipsi
Non adeunda Deæ (neque enim Cereremq;, Famemq;
Fata coire sinunt) montani numinis vnam,
Talibus agrestem compellat Oreada dictis:
Est locus extremis Scythiæ glacialis in oris,
Triste solum, Sterilis, sine fruge, sine arbore tellus,
Frigus iners: illic habitant Pallorq;, Tremorq;,
Et jeiuna Fames. ea se in præcordia condat
Sacrilegi scelerata, jube: nec copia rerum

Vincat eam, superetq; meas certamine vires.
Neue viæ spatium te terreat, accipe currus,
Accipe, quos frænis altè moderère dracones,
Et dedit: illa dato subuecta per aëra curru,
Deuenit in Scythiam, rigidiq; cacumina montis,
(Caucason appellant) serpentum colla leuauit,
Quæsitamq; famem lapidoso vidit in agro,
Vnguibus & raris vellentem dentibus herbas.
Hirtus erat crinis, caua lumina, pallor in ore,
Labra incana situ, scabri rubigine dentes,
Dura cutis, per quam spectari viscera possent:
Ossa sub incuruis extabant arida lumbis:
Ventris erat pro ventre locus: pendere putares
Pectus, & à spina tantummodò crate teneri.
Auxerat articulos macies, genuumq; tumebat
Orbis, & immodico prodibant tubere tali,
Hanc procul vt vidit (neq; enim est accedere iuxtà
Ausa) refert mandata Deæ: paulumq; morata
Quamquam aberat longè, quamquam modò venerat illuc,
Visa tamen sensisse famem, retroq; dracones
Egit in Æmoniam versis sublimis habenis.
Dicta fames Cereris (quamuis contraria semper
Illius est operi) peragit, perq; aëra vento
Ad iussam delata domum est, & protinus intrat
Sacrilegi thalamos altoq; sopore solutum
(Mortis enim tempus) geminis amplectitur vlnis,
Seq; viro inspirat, faucesq; & pectus, & ora
Afflat, vt in vacuis peragat ieiunia venis.
Functaq; mandato, fœcundam deserit vrbem,
Inq; domos inopes, assuetaq; vertitur antra:
Lenis adhuc somnus placidis Erisichthona pennis
Mulcebat, petit ille dapes sub imagine somni,
Oraq; vana mouet, dentemq; in dente fatigat,
Exercetq; cibo delusum guttur inani,
Proq; epulis tenues nequicquam deuorat auras.
Vt verò est expulsa quies, furit ardor edendi,

Per'que auidas fauces, immensaque viscera regnat.
Nec mora, quod pontus, quod terra, quod educat aer,
Poscit, & appositis queritur ieiunia mensis:
Inque epulis epulas quærit: quodque vrbibus esse,
Quodque satis poterat populo, non sufficit vni:
Plusque cupit, quò plura suam demittit in aluum.
Vtque fretum recipit de tota flumina terra,
Nec satiatur aquis, peregrinosque ebibit amnes:
Vtque rapax ignis non vmquam alimenta recusat,
Innumerasque faces cremat, & quò copia maior
Est data, plura cupit, turbaque voracior ipsa est:
Sic epulas omnes Erisichthonis ora profani
Accipiunt, poscuntque simul: cibus omnis in illo
Caussa cibi est, semperque locus fit inanis edendo.
Iamque fame patrias altique voragine ventris
Attenuârat opes, sed inattenuata manebat
Tum quoque dira fames, implacataque vigebat
Flamma gulæ; tandem demisso in viscera censu,
Filia restabat, non illo digna parente:
Hanc quoque vendit inops.

Quæ dominum recusans, & abhorrens à seruitute, varijs modis famelico succurrebat,

Prabebatque auido non iusta alimenta parenti.
Vis tamen illa mali postquam consumpserat omnem
Materiam, dederatque graui noua pabula morbo,
Ipse suos artus lacero diuellere morsu
Cœpit, & infelix minuendo corpus alebat.

Quod multis reuera legimus contigisse, qui fame adacti sibi digitos prærodebant, & extrema brachiorum, qua tenus ea ore contingere potuerunt. Quod autem maius esse malum potest, quàm quod hominem eò impellit, vt non solùm sua, sed etiam se ipsum absumat deuoretque? *Nonnè ad hoc perduxit sitientes homines*, ait S. Augustinus, *ardor immanis, vt vrinam quoque humanam, vel etiam suam biberent? Nonnè ad hoc fames, vt à carnibus hominum abstinere se non possent, nec inuentos homines mortuos, sed propter hoc à se occisos, nec quoslibet alienos, verùm etiam filios, matres incredi-*

S. Aug. lib. 22. de ciuit. c. 22.

...edibili crudelitate, quam rabida esuries faciebat, absumerent?
...nò audiuimus, inclusos, alioque cibo destitutos, prærodisse
...metipsis digitos, vt dixi, manus absumpsisse, & brachia eò
...ue manducasse, quò dentes poterant attingere; quoque os
...n potuit peruenire populando, saltem adhuc appetitum aspi-
...se, contempto omni cruciatu, quem morsus faciebat. Nonnè
...c plus est, quàm Erisichthonia fames?

CAPVT IV.

Fames quotuplex sit, & quàm varia? quamq́ ex diuina prouidentia ad multa bona vtilis?

HÆc ita esse, negari nequit, verùm vt à malo bonum secernamus, ponendum est, duplicis esse generis famem, vnam moderatam, immodicam alteram; illa vtilis, hæc naturæ aduersa est. Illa non est morbus, etsi ratione ...agilitatis humanæ ac remedij rectè cum morbo comparetur; ...sana autem fames plus est quàm morbus. Moderata fames, ...uæ est concupiscentia calidi & sicci, vsque adeò morbus non ...t, vt potiùs contrarium, hoc est, inappetentia cibi sit morbus; ...t, vt potiùs contrarium, hoc est, inappetentia cibi sit morbus; ...psa autem cibi cupiditas naturæ indita indicium sanitatis, & ...ulcrum existat. Miser est, qui cùm nullum habeat alimentorum defectum, habet tamen defectum appetitus edendi, sine quo nulla esca sapit, sicut nec sine siti potio. Vt ergo condimentum cibi non inter mala, ita neque eiusdem cibi appetitum inter mala, sed inter bona, & naturæ conuenientia debemus numerare. Philosophum Poëticè loquentem audiamus: I.

Illud item non est mirandum, corporis ipsa Lucret. lib. 4. de rer. nat.
Quòd natura cibum quærit cuiusq; animantis.
Quippe etenim fluere atq; recedere corpora rebus
Multa modis multis docui, sed plurima debent
Ex animalibus ÿs quæ sunt exercita motu:
Multaq; per sudorem ex alto pressa feruntur:
Multa per os exhalantur, quom languida anhelant.
His igitur rebus rarescit corpus, & omnis
Subruitur natura, dolor quam consequitur rem.

Propterea capitur cibus, vt suffulciat artus,
Et recreet vires interdatus, atq; patentem
Per membra ac venas, vt amorem obduret edendi.
Humor item discedit in omnia, quæ loca cumq;
Poscunt humorem: glomerataq; multa vaporis
Corpora, quæ stomacho præbent incendia nostro,
Dissupat adueniens liquor, ac restinguit, vt ignem,
Vrere ne poßit calor ampliùs aridus artus.
Sic igitur tibi anhela sitis de corpore nostro
Abluitur, sic expletur jeiuna cupido.

Atrophia autem species est mala. Nam, vt Celsus scribit, *Atrophia est, qua corpus non alitur, & naturaliter semper aliquibus decedentibus, nullis verò in eorum locum subeuntibus, summa macies oritur; &, nisi occurritur, tollit.* Hinc Varro apud Gellium, agens de numero septenario, ait: *Nec non id etiam est ad vim facultatemq; eius numeri augendas, quòd quibus inedia mori consilium est, septimo demum die mortem oppetunt.* Quemadmodum igitur omne nimium in vitium vergit, & verè quiuis excessus noxius est; ita & fames, si exorbitet, inter morbos meritò potest computari, vt iam non solùm *fames canina*, aut *lupina*, sed etiam *Melitæa*, aut *Saguntina* appelletur. Est enim molestus interpellator venter, si ei debitum vectigal non persoluatur; &, stomacho arraneante, incipiunt omnia membra languere, tandemque etiam homo famelicus in rabiem agitur. De vtraque fame à nobis est agendum, quo fructu, quáue pœnâ & æquitate diuinâ, inter mortales dominetur.

Gell. lib. 3. Noct. c. 10.

Thucyd. lib. 3. hist.

II. Illud autem, vt quis omni ciborum appetitu careat, atque omnino non famescat, vel ex morbo potest contingere, vel ex prodigio diuino, vel è diabolica deceptione, vel etiam ex pœna Dei, quemadmodum Lazius refert, puellam quamdam, Anno M. CCC. XLVIII. in Austria, tempore magnæ caristiæ, cùm à matre panem postulasset, & illa fortè impatiens doloris, famem decennem imprecata fuisset, decennio omni cibo abstinuisse, raró admodum aquæ potu se reficientem. Quod miraculo in pœnam euenit. Excipio igitur hinc miracula, quæ neq; morbus sunt, neq; semper malum, sed quoddam beneficium Numinis singulare.

Lazius in Genealogiæ Austriacæ commentar. lib. 2.

gulare. Quale fuit illud, quando *ingressus Moyses medium nebulæ,* Exod. 24. 18.
ascendit in montem: & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta
noctibus, sine cibo & potu. Tale fuit & Eliæ, *qui cùm surrexisset,* 3. Reg. 19. 8.
comedit & bibit (ea, quæ Angelus attulerat) *& ambulauit in for-*
titudine cibi illius, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Hi
figura fuêre Christi, qui & ipse ieiunauit *quadraginta diebus, &* Matth. 4. 2.
quadraginta noctibus. D. Augustinus, cùm Casulano rescriberet,
affirmauit, tẽporibus suis, quemdam quadraginta dieb⁹ sine cibo
vixisse. Alium quoq; Petrarcha scribit, Venetijs idem fecisse, atq; Fulgosus lib. 1. c. 2.
à multis eius rei experimentum fuisse factum. Memorabile, quod
in recentiore est historia obseruatum, fuisse quemdam, qui bien-
nio continuo nil prorsum vel comederit, vel biberit. Quæ proba- Albert. Magn lib. 7 de hist. animal.
biliora faciunt illa ab Alberto Magno in scriptis relicta, fuisse
feminam Coloniæ in Germania sub Friderico II. quæ sine cibo
dies quandoq; viginti transmiserit, sæpe verò & triginta. Virum
quoque melancholicum se vidisse testatur, qui sine cibo septem
perseuerârit hebdomadas, alternis tantùm diebus aquam exor- Cœl. lib. 13. cap. 24.
bentem. Visam quoq; in Hispania puellam grauissimi produnt
authores, quæ comederet nihil, ac haustu tantùm aquæ vitam
confoueret, annumque iam ageret secundum ac vigesimum. Sty-
giáne hæc fascinatione, ac furtiua ciborum clàm subministrato-
rum celeritate; an diuino miraculo contigerint, cùm authores
taceant, non est meum, vel in odium, vel in fauorem cuiusquam
decernere.

III. Complura huiusmodi contigisse certum est, de quibus cer-
tum non est, quo authore contigerint. Iniquum esset præstigia-
rum reos facere innocentes, temerarium ex mendacijs miracula
proclamare. Itaque in ambiguo & illa relinquo, quæ à Gerardo
Bucoldiano narrantur, de puella quadam Margarita, quæ apud
Spirenses, in villa Rhodo dicta, An. Christi. M. D. XXXIX. pa-
tre nata Suffrido Weis, & matre Barbara, cùm iam ferè de-
cimum ætatis suæ annum attigisset, capitis, & ventris dolore
leuiore ad festum D. Michaëlis est correpta. Tum cibum magis
magisque fastidire cœpit. Ad Natiuitatem vsque Dominicam,
cùm adhuc comedisset, nullum planè post id tempus, aut cibum
assumpsit, aut per aluum excrementum egessit: à potu tamen

non abhorrebat animus. Post Pascha etiam potum fastidire cœpit, adeò, vt post Pentecostes festa, æstuosissimo licet anni tempore, ne biberit quidem, aut vrinam miserit. Ferdinandus Rom. rex, ne quid fraudis subesset, per Medicos suos, rem explorari curauit. Sed non est ad affirmandum satis, quod satis est ad non damnandum. Aliud enim est dicere, fraudem non esse, & aliud, fraudem non esse deprehensam.

IV. Illud constat, multos, simulatione sanctitatis, compertos esse, qui à cibo omni viderentur abstinere. Eugenio IV. Pontifice, vt testatur Æneas Syluius, Gallus quidam nomine Iacobus, in aula Romana amanuensis: graui valetudine affectus, cùm in patriam redijsset, Hierosolymitanam peregrinationem vouit. Inde Romam Nicolao V. Pont. reuersus, nec bibere, nec esse vmquam inuentus est, jureque jurando affirmauit, se iam biennium ita vixisse, neque subitò, sed paulatim in hanc consuetudinem descendisse. Eum se familiariter nouisse Poggius scribit. Cùm dies Romæ multos fuisset, & admirationem sui turbæ fecisset, quasi Sanctus, & Deo charus; postremò captus, virgisque cæsus, in exilium est actus. Ita splendor in fumum desijt. Luculentum de Antonio Picente, simili hypocrita, alibi dedi. De huiusmodi inedia, quæ est sine fame, sed non sine fraude, hîc non est agendi locus. Quamquam hæc ipsa cum summa malitia coniuncta, quouis malo peior est.

Fulgosus. li. 1. cap. 2.
AEn. Sylu. lib. 2. Com. in Panorm.

Tom. 3. de iudicijs, quæ Deus in hoc mundo exercet cap 31. § 6.

V. Neque de illa incredibili sanctorum virorum abstinentia disputare mens est, qui vel cum fame & dolore, vel cum prodigio diu se se ab omni cibo continuerunt. Virtutis ea res fuit, & grandis meriti, aut etiam miraculi. Et sanè pænè fidem superant, quæ de longis multorum dierum, hebdomadum, mensium, immò annorum jeiunijs Climachus, Rosweydus, alijque memorant eorũ, qui eremiticam vitam, inter feras & antra agitauerũt. Enimuerò Lucianus, osor Christianorum, testatur, Christianos sic solitos esse seruare jeiunium, vt decem soles sine cibo transigerent. D. Greg. Nazianzenus, de habitantibus Ponticam solitudinem monachis sui temporis scribit, ex illis complures fuisse, qui totos viginti dies, totidemque noctes à cibo abstinerent, dimidia ex parte Christi jeiunium imitantes, ex eisque vnum sui gregis ouem

Lucian. in Philopatr.
D. Greg. Nazianzen. ad Helenium de Monachis.

fuisse

fuisse testatur. D. Augustinus ait, nonnullos, suo tempore, re- S. Augustin. ad Casulanū Episcopum, epist 86.
pertos esse, qui vltra hebdomadam perpetuum seruassent jeiuniū, eosque se nouisse; & addit: *Ad ipsum quadragenarium numerum peruenisse quemdā à fratribus fide dignis nobis asseueratum est.* Quod humanis viribus fieri non potuit. Ieiunij amatores, DEVS adjuuit. Ad miracula quoque pertinent illa, quæ à Sigeberto alijsq; Sigebert. in chron. An. 823. & Regin. lib. 2.
referuntur, vt de puella duodenni, quæ in Tullensi territorio, villa Commerciaco, post sacram communionem, in Paschate, à sacerdote susceptam, primùm per decem menses pane, deinde omni cibo & potu per triennium abstinuit, & pòst ad communem hominum vitam redijt. Anno Domini 823. quamuis alij ad Fulgos. lib. 3. cap. 6.
annum Domini 1322. referant. Martinus affirmat eam studio jeiunij ita abstinuisse, & nihilominus tamen SS. Eucharistia fre- Idem lib. 1. cap. 2.
quenter vsam esse. Quod etiā creditur de Palumba Interamnensi, quæ Perusiæ annos nata viginti, sumpta sacra hostia, nullo alio cibo gustato, septem annos vixit. Id quod Innocentius VIII. Pontifex, re quæsita, diligenter inspexit. Neque enim omnia mirabilia sunt fabulis ascribenda. Alioqui nec Moysen, nec Eliam credemus quadraginta dies & quadraginta noctes jeiunos permansisse. Et tēpore, & loco vicinū nobis est, quod de sanctissimo viro Nicolao Heluetio Vnderwaldensi, pluribus testibus, est affirmatum. Is anno salutis 1460. post susceptos ex coniuge quinq; Fulgosus lib. 2. cap. 6.
liberos, cùm haud longè à pago solitariam ageret vitam, peracto quintodecimo anno, sine vllo potu ciboque decessit: veraque inuenta fuerunt, quæ prædicebat futura: vitaque prorsus austera, fidem faciebat, nihil ab eo de cibi ac potus abstinentia fingi. Et tamen Constantiensis Episcopus, in cuius diœcesi agebat, profectus ad eum ipsum locum, vbi Nicolaus erat, diligenter rem perquisiuit, inuentaque palàm litteris mandauit. Qui, vt ea de re certior fieret, sub obedientiæ imperio, recusantem parùm cibi sumere coëgit: ob quam rem triduum grauiter stomachi dolore laborauit: id quod ipse vereri se, antè monuerat. Nec verò Episcopo illi tantùm, verùm multis quoq; Principibus Germanicis, Gallicis, atque Italis, qui eò profecti sunt, res hæc explorata fuit. *Nos quoq; cum his locuti, qui viderunt, ac sermones vnà miscuerunt,* ait Fulgosus, *rem extra ambiguum ponimus: præsertim quòd* *de hac*

de hac cibi abstinentia diligentiùs quæsitum est, de qua ipse parcè loquebatur, remq́ non miraculo, sed naturæ tribuerat. At fuerat planè miraculo tribuenda, & virtuti SS. Eucharistiæ, quam identidem accipiebat. Quod & alijs legimus sæpius contigisse, & in figura
3 Reg 19. 8. SS. Eucharistiæ Eliæ contigit, qui gustato subcinericio pane, *ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vsq; ad montem Dei Horeb.* E quibus miraculis intelligimus, beatos in cælo itidem sola Dei visione pascendos & satiandos.

VI. Miraculis autem hæc in hominibus probatæ fidei meritò ascribuntur, naturalis enim calor, velut ignis, pabulum exigit, sine quo extingui eum necesse est. Quare fabulis, vel præstigijs, vel monstris diuinitus aliquid portendentibus tribuendum est, quod Olympiodorus Platonicus Aristotelis interpres scripsit, Aristotelis, qui rem vidit, testimonio, fuisse hominem, qui donec vixit, neque manducauit vmquam, neque dormiuit. Ceterùm in sole manendo alimētum accepit. Quibus persimilia, in Phædone, Plato conscribit. Faciliùs credi posset, quosdam solo odore pasci, cùm odor è floribus, fructibusq́ue non expiret, sine halitu corpulento, qui potest cedere in alimentum. Ita recenset Plinius, *ad extremos fines Indiæ, ab Oriente, circa fontem Gangis, Astomorum gentem sine ore, corpore toto hirtam vestiri frondium lanugine, halitu tantùm viuentem, & odore quem naribus trahant. Nullum illis cibum, nullamq́ potum: tantùm radicum, florumq́ varios odores, & syluestrium malorum, quæ secum portant, longiore itinere, ne desit olfactus: grauiore paulò odore, haud difficulter exanimari.* Horum etiam Strabo ex Onesicrito facit mentionem, alijq́ue. Quæ, si vera sunt, vti nobis prodigiosa videntur, ita diuinæ arti sapientiæq́ue sunt ascribenda, quæ *ludit in orbe terrarum.* Certiora sunt, quæ de manna; de fonte ex asini maxilla; de coruis Eliæ; de centum hominibus ab Eliséo viginti panibus pastis; de Daniele in lacu & Habacuc illi pulmentum ferente; de ipso Christo in solitudine bis multa hominum millia, iam quinq; , iam septem panibus reficiente; quin & de Pauli Primi eremitæ, & S. Erasmi Episcopi coruis; deque auibus S. Blasij; de cerua Ægidij, de apibus S. Mennæ, deq́ue alijs diuinitus mirabiliter sustentatis memorantur,

Vide Cæl. lib. 24. c. 21.

Plin. lib. 7. nat. hist. c. 2.

Strabo lib 15. Cæl. lib 24. c. 21. Antiq. Lect.

Prou. 8, 30.

...ur, de quibus in primo tomo, de Iudicijs, quæ DEVS in hoc mundo exercet, prolixiùs fecimus mentionem. Quia spectant ad diuinæ prouidentiæ bonitatem. Quemadmodum & illa, quæ de Cyro, de Romulo, & Remo, de Habide, Hierone, Camilla, Atalanta, Telepho, Pindaro, Pelia, ac similibus, in profana historia, narrantur.

VII. Sed, vt dixi, hos omittamus, & videamus, cur DEVS naturalem illam famem hominibus voluerit insertam? Facileque eius consilium apparet: quia non tantùm corpori nostro necessarium est alimentum, verùm etiam, quia in eo quærendo non est exiguus labor: multi sanè eum laborem omitterent, negligerentque curam cibi, nisi ad eum fame extimularentur. Præcipua ferè plebeiorum cura est, vt stomacho & ventri satis faciant, vt liberos & coniuges alant. Quod sanè cum labore faciunt, sed hæc est pars pœnæ nostræ: *In sudore vultus tui, vesceris pane.* Quod si ditio- Gen. 3. 19.
res nonnulli haud faciunt, aliunde castigantur. Nam vel ambitione, vel ipsa sua saturitate castigantur. Siquidem, quia fame, hoc est, condimento cibi carent, numquam bene cœnant, quod de Apicio, similibusque Sardanapalis & Eumolpis dictum est. Hi enim, quòd non comederent, quia esuriebant, sed ne esurirent, numquam cum voluptate comederunt; quemadmodum Stratonicus, apud Athenæum, qui ad quietem iturus, assiduè iubebat puerum sibi infundere vinum: *Non quòd sitiam,* inquiebat, *sed ne sitiam.* Malè isti & famem & sitim oderunt, & in suum detrimentum. Effecerunt enim, vt numquam illis, vel cibus, vel po- Stobæ, serm. 93.
tus saperet. Siquidem sat citò, Antiphanes dicebat, *famem & sitim omnia dulcia reddere, præter seipsam.* Hoc ergo commodum solatiumque habent, quos vel paupertas cogit famere; hoc supplicium diuites, si sint intemperantes.

VIII. S Chrysostomum de hoc argumento pulcherrimè differen- S Chrys. hom. 2, ad pop.
tem audiamus. *Vnum est,* inquit, *quo diuitiæ paupertatem superare videntur, quotidianis scilicet affluere delicijs, & multa in conuiuijs repleri voluptate. Hoc tamen in pauperum mensa potiùs contingit, qui maiori, quàm diuites voluptate fruuntur; & ne miremini dictum, ex ipsâ rerum demonstratione manifestum fiet. Nostis quippe omnes, & hoc confitemini, quòd voluptatem in conuiuijs non ferculorum natura,*

sed

sed conuiuantium dispositio facere consueuit, vt cùm fame quis mensam attingit, omni obsonio & condimento, & innumeris ciborum illecebris jucundiorem escam gustabit, etsi omnium vilissima sit; necessitatem verò & esuriem praueniens (quod diuites faciunt) etiam si placenta inuenerit appositas, non sentiet voluptatem, appetitu scilicet non excitato; & in hoc testes quidem vos omnes voco. Audiamus autem Scripturam,

Prou. 27. 7. *Anima (inquit) saturata calcabit fauum, & anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet. Et certè quid dulcius fauo, & melle? Sed non jucundum (ait) non esurienti; quid verò amaris injucundius? Sed dulcia pauperi sunt: pauperes autem cum necessitate & esurie ad cibum veniunt, diuites verò eam non exspectant. Vnde legitimam & sinceram voluptatem non capiunt, neq; in cibo tantùm hoc accidit, sed etiam in potu: sicut enim illic esuriens supra escarum naturam, voluptatem inducit, sic & hîc sitis jucundissimum potum facere consueuit, etsi pura sit*

Psal. 80. 7. *aqua quæ bibatur, & hoc ipsum Propheta dicebat: Et ex petra melle saturauit eos. Atqui hoc nusquam in Scriptura lectum est, quòd eduxerit Moyses mel de petra, sed tantùm aquam; quid igitur hoc? neque enim Scriptura mentitur: postquam enim sitientes, & indigentia defatigati in aquas inciderunt, ex potu voluptatem asserere volens, mel aquam appellauit, non tamquam mutata in mel natura, sed bibentium dispositione fluenta illa melle jucundiora faciente. Vides quomodo sitis sitienti potum suauem reddere consueuit? Multi ergo pauperes fatigati laboribus, siti ardentes, cum dicta voluptate talia tribuêre fluenta, diuites verò vinum suaue, & odorem, & omnem virtutem habens, quæ in vino optari posset, haurientes, non eamdem sensêre delectationem. Hoc etiam in somno fieri videas, non enim molle stratum, neq; deargentatus lectus, neq; quies per domum facta, somnum dulcẽ & procliuum facere solet, sicut laborari & lassari, & vehementer somni indigentes reclinari, & hoc testatur rerum experientia, & ante ipsam experientiam scripturarum sententia: Delitijs enim enutritus Salomon idem demonstrare volens dicebat: Iucundus somnus seruo, siue parùm, siue multum come-*

Eccl. 5. 11. *dat. Cur igitur addit, siue parùm, siue multum comedat? quia ambo hæc vigiliam inducere solent, Indigentia, & Crapula, illa quidem spiritum arefaciens, & palpebras corneas reddens, nec claudi permittens, hæc verò anhelitum augens & elidens, & multos inferens dolores: sed tanta est laborum medicina, Quòd si etiam ambo adsint, seruus dormire potest;*

ceſt; poſtquam enim ſerui tota die circumcurſitant dominis ſuis mi-
ſtrantes, & ne minimum quidem reſpirantes, ſufficientem laborum
laßitudinum reſtitutionem capiunt in dormiendo voluptatem. Et
c Dei benignitate factum eſt, vt non auro, & argento, ſed labore, &
ceßitate, & omni diſciplina emi valeant voluptates. Non ſic diuites:
d ſtratis mollibus jacentes, ſæpe totam noctem inſomnem ducunt, &
ulta ſomniantes tali non fruuntur voluptate. Cùm ergo maiori cum
oluptate pauper & comedat, & bibat, & dormiat, quare diuitiæ hîc
rinatæ ſupra ipſam paupertatem prærogatiuam habebunt? Ita Chry-
oſtomus, qui addit, diuites non ſolùm tantis non frui volupta-
ibus, verùm etiam plures maioreſque ſentire infirmitates. Diui-
ibus in ſua jucunditate, ait, multæ irruunt ægritudines: pauperes au-
em à medicorum manibus immunes ſunt: Si verò nonnumquam in
mbecillitatem incidant, breui ſeipſos inſtaurant, mollitie omni liberi, &
corpora habentes robuſta. Magna quidem poſſeßio paupertas ſapienter
pſam ferentibus; theſaurus, qui nequit auferri, inculpabilis poſſeßio;
diuerſorium ab inſidijs tutum, & fons puriſsimæ ſanitatis.

Sanitatis pariter ac voluptatis minus habere opulentos, IX.
alio loco, in hunc modum oſtendit, à comeſſationibus, & conuiuijs, S Chryſoſt. hom quòd
& menſarũ affluentia, in his enim, ait, diuitiarum magnificentia præ- nemo lædi-
dicatur. Sed conferamus menſam diuitis, & mediocris; & diſcutia- tur, niſi à ſe
mus, qui puram vtriuſque menſæ capiant voluptatem. Illi quidem totâ ipſo.
die recumbunt, & cœnas prandijs jungunt, & ventris diſtenſione rum-
puntur, & ciborum oppreßione premuntur, & vini inundatione, veluti
naufragio anima necatur; vbi neq; oculus, neq; lingua, neq; pes proprijs
deſeruit officijs, ſed omnia membra corporis vini vinculis jacent vincta,
grauiùs quàm catenis, vbi ſopor eis non datur ad quietem, neque ad ſa-
lutem cedit, ſed exterriti ſomnijs inſanientibus, & furentibus dete-
riores fiunt, & riſus, & ſpectaculum omnibus etiam famulis fiunt, nihil
ſentiunt, ſed ab alijs de accubitu portantur ad lectos. Numquid igitur
in his conuiuijs maior voluptas eſt, an in illis, vbi cibus potuſq; tantus
eſt, quantus famem depellat ac ſitim? Hunc vitæ modum natura do-
cuit, illum verò libidinis corruptela, in hoc deniq; ſanitas adeſt, ratio
permanet, & honeſtas cum ſobrietate perdurat, nec grauatum corpus
& oppreſſum è menſa leuatur, ſed potiùs adjutum, & viribus auctum,
& alacritate ſubnixum ſurgit incolume. Vtrorumq; igitur corpora &

animos

animos considera, & inuenies illa robusta magis & valida, ac succi plena, quæ mediocribus & simplicibus vtuntur alimonijs: hi verò, qui in delicijs viuunt, resoluta quidem corpora, & omni cerâ circumferunt molliora, & agmine quodam infirmitatum repleta, quibusq; ad malorum cumulum maiorem, podagra tremor & immatura senectus accedit, & est eis vita semper cum medicis, & medicamentis, sensus autem ipsi tardi, graues, obtusi, & quodammodo iam sepulti, & si aliquid voluptatis, aliquid jucunditatis habent, quis hæc jucunda & grata dicat? voluptas enim definitur, cùm quis fruitur desiderijs suis: Vbi verò desiderijs suis frui non potest, quia ægritudo non sinit, vel satietas ipsa desiderari non facit, quæ onerosa efficit abundantia, sine dubio voluptas & jucunditas eis periit. Deniq; considera ægros, qui fastidio perurgentur, quomodo quamuis suaues eis & lauti apponantur cibi, horrori tamen magis eos accipiunt, quam voluptati; sic ergo cùm per abundantiam cupiditas fuerit extincta, pariter voluptas & jucunditas perimitur; quia non tam ciborum gratia, quam desiderij gignit satisfactio voluptatem.

X. Adstipulantur huic sancto viro, ipsi etiam alioqui delicijs & saturitati, ab ineunte ætate, assueti, qui experientiâ aliquando docti famem sitimque laudare didicerunt. Sisara princeps exercitûs Iabin, militaris animus, & fortassè æquè poculis, ac hastis certare solitus, certè vino & côuiuijs innutritus, de fuga æstuans, non dubitauit à Iahel, muliercula Hebræa, aquam mendicare. *Da mihi, obsecro*, inquit, *paululum aquæ, quia sitio valde. Quæ aperuit vtrem lactis, & dedit ei bibere.* Hic haustus illi nectar fuit, quem aliàs vitulorum, aut rusticorum potum appellauisset. Marcellinus scribit, Constantium Imp. superatum à Persis, frusto panis à quadam vetula porrecto inediam repulisse. Apud M. Tulliû Darius ipse in fuga, cùm aquam turbidam, & cadaueribus inquinatam bibisset, negauit vmquam se bibisse jucundiùs. Numquam autem, vel perrarò sitiens biberat. Quod etiam Artaxerxi legimus euenisse, cui iam siti deficienti, Peribarzanes eunuchus, cùm aliud non liceret, à rustico quopiam sordidum vtrem detulit, putris aquæ cotilas octo continentem: eam aquam, cùm rex ebibisset, se numquam vinum potasse jucundius, nec vllam aquam, quamuis purissimam, sibi visam suauiorem, confessus est. Queruntur

Iudic. 4. 19.

Cic. lib. 3. Tusc. q. 4.

Erasm lib. 5. Apophtheg.

runtur multi de cereuisiæ & vini vilitate, obuium illis posuit re-
medium natura. Optimum potionis condimentum est sitis. XI.
Quemadmodum & cibum omnem fames reddit sapidio-
rem. Gulosi, non famelici fuerunt illi, qui cælesti dape fastidi- Num. 21. 5.
ta dixerunt: *Deest panis, non sunt aquæ: anima nostra iam nau-*
seat super cibo isto leuissimo. Gula est, luxus est, non vera fames,
quæ inter cibos discernit; immò stultitia est, quæ manna reijcit,
& coturnices petit. Fames seria mucidum panem pluris facit,
quàm saturitas crustula è saccharo confecta. Artaxerxes vt vim Plutarch. in
sitis, ita & famis expertus, cùm in fuga quadam, direpto illius Reg. & Imper.
commeatu, aridis ficis, & hordeaceo pane vesceretur: *Dij boni,* Apophtheg.
inquiebat, *cuiusmodi voluptatis hactenus inexpertus fui?* Ad eum-
dem modum Ptolomæus Lagi F. cùm peragranti Ægyptum, co- Cic. lib. 5.
mitibus non consecutis, cibarius in casa panis datus esset, nega- Tuscul. q q.
uit vllum cibum vmquam sibi visum suauiorem. Aderat enim
optimum condimentum fames. Panormitanus author est, Al- Panormit.
phonsum, cùm videret rusticum quemdam humi prostratum vuas lib. 1. de reb.
auidè comedere, ad suos conuersum dixisse: *Vtinam mihi isto otio* gestis Al-
comedere Dij dedissent! Quod etiam D. Augustinus optauit, cuius phons.
hæc sunt verba: *Transiens per quemdam vicũ Mediolanensem, anim-* S. Augustin.
aduerti pauperem mendicum, iam credo saturum, iocantem atq; læ- lib. 6 Con-
tantem: & ingemui, & locutus sum cum amicis, qui mecum e- fess. cap. 6.
rant, multos dolores insaniarum nostrarum, quia omnibus talibus co-
natibus nostris, (qualibus tunc laborabam, sub stimulis cupiditatum
trahens infelicitatis meæ sarcinam; & trahendo exaggerans) nihil vel-
lemus aliud, nisi ad securam lætitiam peruenire, quò nos mendicus ille
iam præcessisset, numquã illuc fortasse venturos. Quod enim iã ille pau-
culis & emendicatis nummulis adeptus erat, ad hoc ego tam ærumnosis
anfractibus & circuitibus ambiebam, ad lætitiam scilicet temporalis
fælicitatis. Non enim verum gaudium habebat, sed & ego illis ambi-
tionibus multò falsius quærebam. Et certè ille lætabatur, ego anxius
eram: securus ille, ego trepidus. Et si quisquam percunctaretur me,
vtrùm mallem exultare, an metuere: responderem, exultare. Rursum,
si interrogaret, vtrùm me talem mallem, qualis ille, an qualis ego tunc
essem, meipsum curis, timoribusq; confectum eligerem; sed peruersitate;
numquid veritate? neq; enim eò me præponere illi debebam, quò doctior
eram: quoniam non inde gaudebam, sed placere inde quærebam homi-
nibus,

nibus, non vt eos docerem, ſed tantùm vt placerem. Hæc Auguſti-nus de mendiculo lætante, & ludente, quòd ei cibatio muci-panis voluptaria fuiſſet; quemadmodum & alijs luxus & luxuri-

Senec. ep, 24.

eſt in cruciamentum. Nam fragili corpuſculo noſtro, *ipſa volupta-tes in tormenta vertuntur*, teſte Seneca, *Epulæ cruditatem afferunt, ebrietates neruorum torporem tremoremq́; : libidines pedum, ma-nuum, articulorum omnium deprauationes.*

XII.

Habemus ergo, famem ſitimque corporibus humanis eſſe neceſſariam, vtilem, atque ita moleſtam, vt tamen plurimùm fa-ciat ad oblectationem cibi & potus percipiendam. Quid quòd & corporum vitia ſanet, & animorum? Multi ſanè crapula diſ-

Cic, lib. 4. epiſt. ad Atticum. Eraſm. lib. 4. Apophtheg.

tenti, multi faſtidio afflicti, non citiùs redeunt ad ſanitatem, quàm ſi diætâ curentur, ad quam ipſe Cicero, cùm chirurgiæ tæ-deret, ſe conuertit. Iulius Cæſar dicere ſolebat, ſibi idem eſſe, conſilium aduerſus hoſtem, quod pleriſque medicis contra mor-bos corporum, fame potiùs, quàm ferro ſuperandos. Nam me-dici, non, niſi tentatis omnibus, ad ſectionem deſcendunt. Hic mos & hodie manet apud Italos: aduerſus omne morbi genus in-dicunt inediam. Naturæ enim proprius calor abundantes con-ſumit humores, vnde morbi exiſtunt. Qua de cauſſa, etiam ſani-

S Hieronym. ad Marcellū. epiſt. 54.

tatis habita ratione, poſt pigram hiemem, & hibernos menſes *Nos*, vt loquitur S. Hieronymus, *vnam quadrageſimam, ſecun-dùm traditionem Apoſtolorum, toto anno, tempore nobis congruo, je-iunamus.* Eſt enim tempus illud animæ corporiſque ſaluti com-

Sabbato ante Dominic. 1. quadrageſimæ in Miſſa. S Baſil de jeiunio, orat. 2.

parandæ, maximè congruum. Vnde Eccleſia ita voluit orari ſub initium verni jeiunij: *Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & concede: vt hoc ſolemne jeiunium, quod animis corporibusq́; curandis ſalubriter inſtitutum eſt, deuoto ſeruitio celebremus.* Quò etiam al-ludit D. Baſilius, dum ait: *Ieiunium per omne tempus vtile eſt his, qui illud ſuſcipiunt, &c. ſed multò magis, hoc tempore, quo per vni-uerſum terrarum orbem vndiq́; denuntiatur jeiunij praconiũ. Multò magis hoc tempore*, ait, quia præceptum eſt eo tempore: quia eo tempore, ad meditãdam Chriſti Redemptoris Paſſionem & mor-tem, per jeiunium, præparamur; quia eo tempore ipſum quoque corpùs multis ſuperuacuis humoribus, per hiemem collectis, v-tiliter jeiunando exinanitur; quia deniq; verum tempus tenta-

ionibus carnis est infestum, Venere tunc, & Cupidine incipiente connubia serere, juxta illud Poëtæ *Vere nubunt alites*; magis igitur tum caro castiganda, & in freno habenda est. Catull. in Peruigil.

XIII. Atque hinc apparet, auctam è jejunio famem, non solùm corpori prodesse, sed etiam seruire ad cohibendos intemperantes animi motus, & cupiditatis malæ domandam rebellionem. Sine fame enim jeiunia non sentiremus; nec difficile esset, sine appetitu cibi aut potus, esse temperantem. Quin & multa aspernaremur, à DEO ad nos alendos condita, nisi ea nobis fames commendaret, faceretque pretiosa. In quam rem fabula illa extat. Delicatus quispiam & gulæ ventrique deditus, cùm numquam fameret, tantùm ea ori admouebat, quæ palato blandiebantur, non quæ stomacho erant vtilia. Accidit aliquando, vt ad lautitias epularum, in rus inuitaretur, quòd abesset ab vrbe longiùs. Vt ergo aliquando è cibis voluptatem caperet, integramque ad conuiuium famem afferret, pridiana cœna abstinuit. Summo manè surgit, ne serus hospes ad amicum veniat. Dum proficiscitur, spe singularum lautitiarum & opiparè instructarum dapum, per siluam transit, ibi nocturno vento nimboque deiecta pyra, magno numero reperit sub arbore jacentia; quæ ita spreuit, vt ea etiam per contemptum lotio aspergeret. Sed, vt sæpe consilia temerè præcipitata, præsumptio cogit retractare, ita & huic euenit. Cùm enim riuus, quà fuerat transeundum, ea nocte, subitò, ad tantam altitudinem excreuisset, vt cum manifesto vitæ discrimine ille se aquas ingressurum intelligeret, impransus longiore via redire, tristisque coactus est. Itaque post ereptam spem copiosi cibi, tam longum jeiunium tolerare insuetus, acerrimè esuriuit. Nullum erat in eo itinere hospitium, ad quod diuertere, nulla domus, in qua latrantem stomachum & talem injuriam ferre non solitum placaret. Itaq; cùm ad pyra siluestria, quæ dudum rore nō cælesti irrigauerat, venisset, magna auiditate collecta detersaque arrosit; perspicuo documento fastidij & contemptus, cuius mortales justissimas dant pœnas, dum coguntur appetere & amplecti, quæ paulò antè spreuerunt, & abjecerunt. Gulosus hic contemptor, vt modestus fieret, & vili apparatu disceret esse contentus, non alia re meliùs, quàm fame potuit

domari. Fames ergo virtutum est magistra; quamquam & ip magistris indigeat, ne sit occasio vitiorum.

XIV. S. Augustin. lib. 10. Confess. cap. 31.

Quod nemo accuratiùs obseruauit D. Augustino, qui Devm it alloquitur: *Est alia malitia diei, quæ vtinam sufficiat ei! Reficimus enim quotidianas ruinas corporis edendo & bibendo priusquā escas & ventr destruas: cùm occideris indigentiam meam, satietate mirifica, & corruptibile hoc indueris incorruptione sempiterna. Nunc autem suauis e mihi necessitas, & aduersus istam suauitatem pugno, ne capiar, & quotidianum bellum gero in jeiunijs, sæpiùs in seruitutem redigens corpu meum, & dolores mei voluptate pelluntur. Nam fames & sitis, quidam dolores sunt. Vrunt, & sicut febris necant, nisi alimentorum medicina succurrat. Quæ quoniam præsto est ex consolatione munerum tuorum, in quibus nostræ infirmitati terra & aqua & cælum seruiunt, calamitates deliciæ vocantur. Hoc me docuisti, vt quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. Sed dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ. Ipse enim transitus voluptas est: & non est alius, quà transeatur quàm quò transire cogit necessitas. Et cùm salus sit caussa edendi & bibendi, adiungit se tamquam pedissequa, periculosa jucunditas, & plerumq; præire conatur, vt eius caussa fiat, quod salutis caussa me facere vel dico, vel volo; nec idem modus vtriusq; est. Nam quod saluti satis est, delectationi parum est. & sæpe incertum fit, vtrùm adhuc necessaria corporis cura subsidiū petat, an voluptuaria cupiditatis fallacia ministerium suppetat. Ad hoc incertum hilarescit infelix anima, & in eo præparat excusationis patrocinium, gaudens non apparere quod satis sit moderationi valetudinis, vt obtentu salutis obumbret negotium voluptatis. His tentationibus quotidie conor resistere, & inuoco dextram tuam ad salutem meam, & ad te refero æstus meos: quia consilium mihi de hac re nondum stat. Audio vocem jubentis Dei mei: Non grauentur corda vestra in crapula & ebrietate.*

XV.

Ne igitur grauentur, aut si hoc pacto grauata sunt, vt plectantur, Devs æquissimo judicio sterilitatem famemque procurat, scilicet, *si clauso cælo, pluuia non fluxerit propter peccata populi.* Quod & olim, tempore Prophetarum, & postea sæpiùs factum legimus. Immò vt artes Dei in diuersa potentes sciamus, Anno Domini 819, non ob siccitatē, sed propter juges pluuias, & aërem humore nimio resolutum, magna incommoda contigerunt. Nam & homi-

2. Paral. 6. 26.

In Annalibus Francor. An. 819.

k hominum, & boum pestilentia, tam immaniter longè lateque
grassata est, vt vix vlla pars totius regni Francorum ab hac peste
immunis & intacta posset inueniri. Frumenta quoque & legumi-
na imbrium assiduitate corrupta, vel colligi non poterant, vel
collecta computrescebant. Vinum etiam, cuius paruus prouentus
eodem anno fuit, propter caloris inopiam, acerbum & insuaue
fiebat. In quibusdam verò locis, ex inundatione fluminum, aquis
in plano stagnantibus, autumnalis satio ita impedita est, vt pe-
nitus nil frugum, ante vernum tempus, seminaretur. Quoniam
igitur aliqui nulla pietate possunt adigi, vt jeiunia sponte assu-
mant ad gulæ appetitum refrænandum, adiguntur necessitate,
dum eis à DEO alimenta subducuntur.

Atque, vt videas minus in fame damni, minus lucri esse in XVI.
saturitate, duos Sanctos audi. *Quid Paulo fames,* ait Chrysosto-
mus, *quid frigus, aut nuditas, quid verbera, quid saxa nocuerunt? quid detrimenti in naufragijs? quid in profundo maris passus est? nonnè permansit idem semper Paulus?* Immò fames, & hæc omnia illum ad nuptias Agni & cælestes epulas promouerunt. Beda cùm Bri-
tonum famem vexationemque hostilem retulisset, hæc narrauit.
*Cessante autem vastatione hostili, tantis frugum copijs insula, quantis nulla retro ætas meminit, affluere cœpit, cum quibus & luxuria cresce-
re, & hanc continuò omnium lues scelerum comitari accelerauit: cru-
delitas præcipuè, & odium veritatis amorq́ue mendacij: ita vt si quis eo-
rum mitior, & veritati aliquatenus propior videretur, in hunc quasi Britanniæ subuersorem, omnium odia telaq́ue sine respectu contorqueren-
tur. Et non solùm hæc seculares viri, sed etiam ipse grex Domini, eiusq́ue pastores egerunt, ebrietati, animositati, litigio, contemptioni, in-
uidiæ, ceterisq́ue huiusmodi facinoribus sua colla, abiecto leni jugo Christi, subdentes. Interea subitò corruptæ mentis homines acerba pestis corri-
puit, quæ in breui tantam eius multitudinem strauit, vt ne sepeliendis quidem mortuis viui sufficerent: sed ne morte quidem suorum, nec ti-
more mortis, hi qui supererãt, à morte animæ, qua peccando sternebantur, reuocari poterant. Vnde non multò pòst acrior gentem peccatri-
cem vltio diri sceleris secuta est. Initum namq́ue est consilium, quid a-
gendum, vbi quærendum esset præsidium, ad euitandas, vel repellendas tam feras, tamq́ue creberrimas gentium Aquilonarium irruptiones; placuitq́ue*

S. Chrysost. tom 5. Homil. quòd nemo læditur, nisi à se ipso.

V. Beda lib. 1. hist. Anglor. cap. 14.

placuitq; omnibus cum suo rege Vortigerio, vt Saxonum gentem de transmarinis partibus in auxilium vocarent. Quod Domini nutu dispositum esse constat, vt veniret contra improbos malum, sicut euidentius rerum exitus probauit. Nam gens ad auxilium vocata, Britones expugnauit, quos propugnatura sperabatur. Huc abundantia & saturitas, per scelera, populum duxit. Hæc altissima sunt diuinæ prouidentiæ consilia, vt inde vtilitas veniat, quod tamquam malum timetur; & inde exitium, quod velut inter optima solet bona numerari.

CAPVT V.

Non solùm Prouidentiæ, sed etiam bonitatis & justitiæ diuinæ judicia æquissima in fame contineri.

I. Odys. μ.



EX Homericæ Odysseæ fabulis, sententia olim cantionibus, apud veteres, celebrata est ista:

Dura quidem miseris mors est mortalibus omnis,
At perysse fame, res vna miserrima longè est.

Plato lib. 3. de repub.

Plato refert, hoc carmen veluti pestilens moribus adolescentum, quibus vtique, belli tempore, aut alterius honesti gratia, nulla mors sit misera, quæ oppetitur. Quin alios si audiamus:

Fames magistra est artium complurium.

AEgid. Corrozetus de dictis & factis mem.

Hæc artem jaculandi docet eos, quibus panis non datur, nisi sagitta dejectus. Hæc lepido inuento escam sportulamque impetrauit. Plebeius quidam Alphonsum Aragonum regem supplex accedens, Ære alieno, ô rex, inquit, opprimor, iam inde à parentibus in me deriuato. Creditoris rapacissimi & injustissimi exactionibus quotidianis atteror. Detestante id factum rege: *Venter hic meus est*, respondit. Rex ingenio hominis delectatus, non indonatum dimisit. Nimirum *Ingenium mala sæpè mouent.* Eadem etiam fames, assuetudine longa, homines abstinentiæ facit tolerantes: tum quia etiam, vt ostendimus, ex virtute atque jejunio spontè suscepto oritur. Quo pacto & Christus, *cùm jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, posteà esuryt.*

Matth. 4. 2.

Adde, quòd fame etiam extraordinaria trahat DEVS homines ad fidem & agnitionem rerum diuinarum, ad preces, & rectam fiduciam

fiduciam erga Patrem cælestem, ad pœnitentiam, vitæque malè actæ seriam emendationem; ad humanæ miseriæ notitiam, experientiamque; nec non ad opera misericordiæ & charitatis erga indigentes exercendæ. Denique ad calamitates in Inferno extituras impendio meditandas. Ita fames & cos est ingenij, & mater pariterque proles abstinentiæ; & pretium cibi; & sanitas membrorum; & virga summi Pastoris oues suas in viam reuocantis; etiam occasio fidei, fiduciæque & spei nostræ in DEVM excitatio; & stimulus atque incitamentum charitatis; denique omnium virtutum vel occasio, vel magistra. Quæ paulò adhuc impensiùs commonstranda sunt; præsertim de fame, extra naturæ modum ordinemque, è vero morbo, aut per sterilitatem, hostémue inducta.

II. Psal. 58. 7.

Quòd si ergo interdum fames humanum genus duriùs infestat, non imitandi sunt illi, de quibus dicitur: *famem patientur, vt canes, & circuibunt ciuitatem*, latrantes: nam *ecce loquentur in ore suo, & gladius in labijs eorum*: quo diuinæ prouidentiæ iugulum petentes, dicent: *quoniam, quis audiuit*, scilicet nos panem flagitantes? *Et tu, Domine, deridebis eos*, quia famem, non vt homines animo æquo, sed vt canes, sine ratione, patiuntur. Apud homines mente præditos, clarum est, famem, vel tamquam pœnã, vel tamquam medicinã à DEO immitti, qui facit, quod homines faciunt, equum effrænem, aut accipitrem, falconemque in aucupia domare cupientes. Qui enim refractarium sentit caballum, auenam illi subducit, cuius abundantia animaduertit, eum ferocire. Accipitrem etiam, qui volunt cicurare, captum insomnia inediaque fatigant; somni ademptio mitem reddit, priuatio cibi, appetentem atque ad manum aucupis escam ostentantis aduolantem. Cùm igitur sagina & saturitas panis etiam homines faciat insolentes, inediâ domandi sunt.

III. Exod. 32. 6. Ezech. 16. 49.

Fieri mortales intemperanter pastos, minùs ad DEI obsequium idoneos, immò insolescere, & vitulari, ostendit Moyses, cùm scripsit: *sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere*; nempe quando circa vitulum saltitauit, more vitulorum, aliaque multa indigna fecit. Quid Sodomitis nefandius? *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis & abun-*

dantia

dantia, & otium ipsius, & filiarum eius: & manum egeno & paupe[ri]
Gen. 9. 21. *non porrigebant.* Noë *bibens vinum inebriatus est*, quid inde secu[tum]
tum est? *& nudatus est in tabernaculo suo.* O quanta in vino se[-]
creta reuelantur? quanta sæpe in lucem prodit turpitudo! Filiæ
Lot ad incestum, qua via peruenerunt? Audi consilium fe[-]
Gen. 19. 32. minæ; & filiæ de patre ad sororem loquentis: *Veni, inebriemus*
eum vino, dormiamusq́ue cum eo, &c. *Dederunt itaq; patri suo bibere*
vinum nocte illa: & ingressa est maior, dormiuitq; cum patre: at ille
non sensit, nec quando accubuit filia, nec quando surrexit. Altera quoq;
die dixit maior ad minorem: Ecce dormiui heri cum patre meo, demus
ei bibere vinũ, etiam hac nocte & dormies cũ eo &c. Dederunt etiam
& illa nocte patri suo bibere vinum, ingressaq; minor filia dormiuit cum
eo: & ne tunc quidem sensit, quando concubuerit, vel quando illa sur-
rexerit. Ad eamdem impudicitiæ palæstram, quo pacto se Mar-
Iudith. 12. 20. tius ille Iudithæ procus armauit? *Et iucundus factus est Holofernes*
ad eam, bibitq; vinũ multum nimis, quantũ numquam biberat in vita
Esther. 1. 10. *sua.* Nempe à Cerere & Baccho ad Venerem itur, quæ frigida es-
set, nisi vino caleret. Reginam Vasthi quando Assuerus voluit
oculis satraparum populorumque suorum prostituere? *Die septi-*
mo, cùm rex esset hilarior, & post nimiam potationem incaluisset mero,
præcepit Maumam, & Bazatha, & Harbona, & Bagatha, & Ab-
gatha, & Zethar, & Charchas, septem Eunuchis, qui in conspectu eius
ministrabant, vt introducerent reginam Vasthi coram rege, posito su-
per caput eius diademate, vt ostenderet cunctis populis & Principibus
pulchritudinem illius: erat enim pulchra valde. Si sobrius fuisset,
minùs id fecisset. Cur enim fecit? vt de eius venustate super-
biret, an vt alios quoque flamma Cupidinis incenderet? Sibi vxo-
rem duxit, non vt produceret alijs meretricem.

IV. Atque vt è noua lege exemplum recenseam, nónne Herodes
Matth. 14. 8. inter epulandum à saltatrice captus, Ioanni Baptistæ viro inno-
Luc. 16. 21. centissimo maluit caput auferre; quàm impurissimam incestuo-
sissimamque matrem saltatricis contristare? Et Epulo ille fercu-
lorũ multitudine pænè obrutus, tantò minùs succurrit fami alie-
næ, quantò ipse eam minùs sensit. Itaq; quò plus ei Devs dedit, eò
minùs ipse dedit alijs, etiam auarus, vt posset esse gulosus. Abun-
dantia fecit immisericordem, quia crapula auaritiam auxit. Ti-
muit

nuit etenim, ne sibi postea deesset, quod priùs alteri largiretur.
nnumeræ id genus historiæ occurrunt, quæ docent, homines sa-
uritate fieri deteriores: sicut & viæ, quas pluuia reddit lutulen-
as; & paludes sordibus repletæ Mephitim exhalant fœdiorem.
Omnia hominum peccata, rationis & mentis expertia, ait Isidorus Isidor. Pelus.
Pelusiota, *è vino tamquam è fonte scaturiunt.* Quod autem facit ad Xenod.
ebrietas, id facit & saturitas, vtraque temperantiæ inimica; vtra- epi 203. lib. 1.
que amica vitijs mancipium suum perdituris. V.

Cùm igitur Diuina bonitas hoc videat, an non rectè judi-
cat, panem subinde vel minuendum, vel subducēdum hominibus,
vt (more famelici accipitris, ad Domini sui manum & ostentatā
meliorem escam reuolantis) vel inedia coacti resipiscant? & cum
prodigo filio ad patrem suum reuertantur, dicentes: *Quanti mer-* Luc. 15, 17.
cenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo.
Surgam, & ibo ad patrem meum. Cur ad Ioseph, quem antè occi-
sum voluerunt, vel ignotum profecti sunt fratres eius in Ægy-
ptum? Cur ipse senio grauatus Iacob, cum tota familia, ad illum
descendit? *In vniuerso orbe fames præualuit, in cuncta autem terra* Gen 41. 54.
Ægypti panis erat. Omnesq; Prouinciæ veniebant in Ægyptum, vt
emerent escas, & malum inopiæ temperarent. Audiens autem Iacob, Gen. 42. 1.
quòd alimenta venderentur in Ægypto, dixit filijs suis: Quare negli-
gitis? audiui, quòd triticum venumdetur in Ægypto: descendite, &
emite nobis necessaria, vt possimus viuere, & non consumamur inopia.
Sic vel inscij Iosephum adierunt fratres, ac postea ad eum agni-
tum, patrem quoque adduxerunt. Fames dux viæ fuit. Quemad-
modum & illi, qui, in deserto, pasti à Christo, regem eum facere Ioan. 6. 15.
cogitabant. Mirum est, tam multos esse, qui pane carent, & ta-
men ad Devm non veniant, immò, toto anno numquam orent,
Panem nostrum quotidianum da nobis. Potiùs eunt ad quemcumque Matth. 6. 11.
alium; potiùs ab hominibus quasi liberalioribus, mendicant; po-
tiùs fraude escam colligunt; potiùs furantur; vt hîc egeni, in al-
tera vita æternùm miseri efficiantur & calamitosi. Tales, vt ad se
alliciat Devs, sicut mater filium, fame castigat. Quæ castigatio
non solùm est justissima, verùm etiam clementissima; nam à manu
diuinæ prouidentiæ proficiscitur, partim ad scelera punienda;
partim ad scelerata pectora corrigenda. *Ego Dominus, & non est* Isa. 45. 7.
G *alius,*

alius, ait, *formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum*; hoc est, omnes calamitates, quæ secundùm communem rerum cursum à diuina sapientia directum inferuntur, famem, pestem, bella, tempestates, procellas, naufragia, terræmotus, ventorum væsanias, populationes agrorum, inundationes aquarum, incendia, siccitates. Denique *si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit?* ait Amos.
Amos. 3. 6.

VI. De fame hîc loquar, quã præuaricatoribus Scriptura minatur, dicens: *Mittet Dominus super te famem, & esuriem, & increpationem in omnia opera tua, quæ tu facies: donec conterat te, & perdat velociter, propter adinuentiones tuas pessimas, in quibus reliquisti me. Adjungat tibi Dominus pestilentiam, donec consumat te de terra, ad quam ingredieris possidendam.* Quo loco omnis generis mala à Deo peccantibus immittenda enumerantur. Sed famem terris illatam, ob effusionem sanguinis innocentis, regum memorat historia. *Facta est quoq; fames in diebus Dauid tribus annis jugiter: & consuluit Dauid oraculum Domini. Dixitq; Dominus: Propter Saul, & domum eius sanguinum, quia occidit Gabaonitas.* Quamuis enim bono zelo, id factum, (siquidem *voluit Saul percutere eos zelo, quasi pro filijs Israël & Iuda*) factum est tamen contra promissionem ac juramentum; & non tantùm fame vniuersali, sed etiam vniuersali cæde extinctioneque stirpis Saul vindicatum. Videant ergo vani illi promissores, & fœderum violatores, quàm magnas inferant in Remp. calamitates, zelo non bono, oppressione subditorum, crudelitate; dum namque volunt, per fas & nefas, bonum publicum augere, euertunt; non promotores rerum publicarum, sed proditores, humanis inuentis, contra diuinam sapientiam potentiamque pugnantes.
Deut. 28. 20.
2. Reg. 21. 1.

VII. Sed & superbia fame punitur. Quare cùm Dauid populum vniuersum, contra bona bonorumque consilia numerari jussisset, viresque suas voluisset ipse tumida mente admirari; postquam pœnitentiam agere cœpit, à Deo per Gad Prophetam, hunc nuntium accepit: *Aut septem annis veniet tibi fames, in terra tua: aut tribus mensibus fugies aduersarios tuos, & illi te persequentur: aut certè tribus diebus erit pestilentia in terra tua. Nunc ergo delibera, & vide quem respondeam ei, qui me misit, sermonem.* Tantum malum est,
2. Reg 24 13.

st fames, tam atrox in ea supplicium, vt præ ea Dauid potiùs elegerit ipsam pestilentiæ grassationem. Ite, qui pecunias, qui amicos, qui fauitores, qui potentias vestras numeratis & jactatis, vobisque ipsis de multitudine plauditis: Fames vobis cristas adimet, & veteres auias de pulmone reuellet. Inedia & vultum pariter, & fastum deuastabit. Nec mirum est, si multi, qui vocari volunt Patres conscripti, sunt simul etiam esuritionum patres. VIII.

Superstitio quoque, & idolorum dæmonumque cultus fa- 3. Reg. 18. 16.
me corrigitur. Sic quando, cælo clauso, pluuia negata est agris, *famesq; fuit vehemens in Samaria*, impius quidem Achab Eliæ calumniam impegit, sed per jugulum suum redituram. *Venit Achab in occursum Eliæ. Et cùm vidisset eum, ait: Túne es ille, qui conturbas Israël? Et ille ait: Non ego turbaui Israël, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim.* Inde sacrificijs, inter Eliam, & Prophetas Baal, certatum, Prophetæque Baal ad vnum omnes interfecti sunt. Reducto veri Dei cultu, etiam pluuia reducta est, fertilitasque redijt agrorum. Quare, occisis sacrificulis, *ait Elias ad Achab: ascende, comede, & bibe: quia sonus multæ pluuiæ est.* Cecidit ergo imber, & seges erecta panem peperit, famem pepulit. Videtis, vnde petenda sint alimenta? de cælo: non ex orci furno. Quid ergo mirum est, sagas, & magas semper ferè pauperes & famelicas, neque in ipsis suis impijs mysterijs nuptijsque Tartareis, saturari, epulisque vmbraticis toties aut nefandis deludi? Fame eas vexat, cruciatque Alastor, Devs autem fame ad se inuitat, sicut Filium prodigum fame à siliquis porcorum, ad panem mercenariorum inuitauit. Matth. 22. 4.
Ille enim est Paterfamilias & rex, qui quotidie clamat; prandium suum, cœnamq; suam esse paratam, sed nimis multi se incipiunt Luc. 15. 17.
excusare. Siliquis porcorum magis, quàm cæli ambrosia, paternoque pane delectati. IX.

Mirissima res, fame aues cicurantur, domantur leones, ipsi dracones discunt humanitatem; & sunt homines, qui cùm in abundantia ciborum exorbitent, etiam ipsâ penuriâ non sinant se erudiri? Enimuerò licet plurimi adeò indurati sint, vt non sentiant, cùm percutiuntur; sunt tamen haud pauci etiam, qui, post ictum, sapiant, & per famem discant justitiam sitire & esurire:

Psal. 77. 19. neque iam ex illorum volunt numero esse, de quibus dicitur, *Et malè locuti sunt de Deo, & dixerunt: Numquid poterit Deus pa-*
S. Bonauent. in Apolog. Pauperum. *rare mensam in deserto?* Quæ diffidentia, teste Bonauentura, vel ab infidelitate oritur, qualis est eorum, qui res humanas, vel saltem suas, non credunt à Deo curari; vel nascitur à pusillanimitate, cui scribit, annexam esse remissionem amoris diuini, proprijque amoris intensionem. Proprius enim amor, quia cæcos facit, non sinit eos videre diuinam prouidentiam. quare ipse sibi solicitus, & quodammodo sibi quidam Devs esse vult. Amor autem Dei, fidit Deo, quem amat. Vt enim diffidentia inter inimicos, ita inter amicos fiducia locum obtinet. Amor non suspicatur: odia in teterrimas ebulliunt cogitationes; ipsosque è dilectione ortos affectus, insidias, aut vindictas amarissimas arbitrantur. Qui autem Dei amicus est, scit eum ex pumice aquam, è nube panem posse elicere. Itaque, si in maxima necessitate homines desint, sperat vel Angelos sibi adfuturos.

CAPVT VI.

Diuinæ prouidentiæ, circa corporalem escam, è SS. Eucharistiæ institutione, & ipsius Famis fructibus agnitio.

I. T, inquies, hodie talia miracula nulla fieri, neque enim cadere panes de cælo, aut coturnices esurientibus in os inuolare; aut Angelos passim se præbere conspiciendos, qui nobis afferant è Paradiso alimenta; neque miracula tam magna quotidie fiunt. Immò longè fiunt maiora. Nam inprimis miraculum miraculorum est in Eucharistia. In illa enim est panis Angelorum, qui de cælo descendit, panis paratissimus, panis sine labore præstitus, omne delectamentum habens, & saporis suaui-
Sapi. 16. 20. tatem, de quo verè dici potest: *Substantia tua, dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat: & deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisq; volebat, conuertebatur.* Vult quis fidem exercere? ecce Devm velatum, sub speciebus panis. Vult in spem assurgere! ecce anchoram; ecce medicinam ægrorum; ecce fortitudinem cibi. Vult in [illegible]itatem efferuescere? ecce dilectum, præ amore, in

ior tuum ingredi cupientem. Quod vmquam manna tantarum
irium, & tantæ fuit suauitatis? Quàm multos hic panis susten- Vide de hoc
tauit? Nullo alio, nisi isto vixit Nicolaus Heluetius, alijque, de argumento
quibus suprà, spiritali certè vita, per huius panis sumptionem, tomi 1. c. 15.
plerique spirituales vixerunt, inque naturam Angelicam, immò de diuers.
diuinam transierunt. Ita enim, apud D. Augustinum, nos alloqui- judicijs.
tur Christus: *Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me: nec tu* S. Augustin.
me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. Et lib. 7. Confes.
S. Leo: *Non aliud agit participatio corporis & sanguinis Christi, quàm* cap. 10.
vt in id, quod sumimus, transeamus. Vtque tantò maior nobis fi- S. Leo serm.
ducia corporis à DEO alendi, de ipso cibo spirituali procurato 14. de Passione Domini.
accedat, ait S. Cyprianus: *Sacramentorum communicatio per quam* S. Cyprian.
illius corporis sinceritati vnimur, nos in tantum corroborat, vt de mun- sermon de
do, & de diabolo, & de nobis ipsis victoria potiamur; & Sacramentali Natiuit.
gustu viuificis mysterijs inhærentes vna caro; & vnus spiritus simus, Christi.
dicente Apostolo: Qui adhæret Domino, vnus spiritus est. Sic hi, ad quos
sermo fit, dicuntur Dij, & filij excelsi nominis, & hæreditatis æternæ
participes.

Quid ergo? natura quorumdam est eiusmodi, vt si quotidie II.
regias dapes haberent, tamen manerent lignei & macilenti. Alij
verò vel olere vescentes pingues sunt, & roborantur, vt tribus
pueris accidit, quorum vultus de leguminibus meliores erant, Dan. 1. 16.
quàm aliorum, de phasianis ac regijs dapibus. Ita quibusdam con-
tingit, vt licet sæpissimè carne Christi vescantur, numquam tamẽ
fiãt fide, spe, charitate fortiores, aut in alijs virtutib[9] perfectiores.
Et tamen quoties quis dignè communicat, toties ei gratia diuina
additur, augmentumque charitatis. Cur ergo, alijs adeò profi-
cientibus, tam multi subsistunt, immò tempore corporalis famis,
fide & fiducia decrescunt? Nempe vt Eremita, alibi à nobis me- Tom. 1. de
moratus, superbia, negligentia, tepiditate, impuritate meruit Iudicijs Dei.
panem sibi paulatim minui, dulcedine priuari, tandemq; omnino cap. 18. §. 5.
subduci: ita quidam cogitant, dum sæpius communicant; *Ego plus*
alijs facio; Ego sum Deo coniunctior: Ego dignus hoc pane, dignus hoc
epulo, dignus Christi familiaritate, &c. & non cogitant se pane
quotidiano indignos. Hoc maximè quibusdam sacerdotibus
contingit; qui cùm ad primitias ac primum sacrum se summo ar-
dore,

dore, diligentia, humilitate præparent; paulatim consuetudine longâ veniunt in tantæ rei contemptum. Itaque tepidè, immò turbidè ad Missam accedunt, vt nihil minùs, quàm de Missa soliciti sint. Immò à litibus, à lusu, illo ore ad Christum sumendum accedere non verentur, quo, eadem nocte, vt S. Hieronymus ait, meretricem sunt osculati, aut vinum crapulamque ex fœtenti gutture reuomuerunt, pleni negligentijs, immò neglectis horis, diurnis & nocturnis; pleni fœditate & impudicissimis desiderijs; quo pacto nullus profectò secularis auderet sumere Eucharistiã. Quid ergo mirum, si eis Christus dulcedinem subtrahit? Si illis non modò non sapit hoc cæleste manna, sed etiam horror est & abominatio, cùm *judicium sibi manducent*? Negat Devs panem corporalem indignis, cur fructum panis spiritualis concederet? Itaque tales ad vomitum, ad seculum, ad omne scelus reuertuntur; estque assidua illorum cogitatio: *Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?*

Matth. 6, 31.

III.

Quid his est faciendum? illa doctrina, quâ alios docent, se ipsos instruant, ne cùm alijs prædicauerint, ipsi reprobi inueniantur. Redeant in se, redeant ad pœnitentiam & veterem feruorem, tunc Devs illos, sicut filium prodigum pater, recipiet, & epulo sacro, velut vitulo saginato reficiet, loco siliquarum. Inter porcos, & more porcorum qui vitam viuunt, ipsi sibi has delicias cælestes subducunt. Sic homines, per ipsorummet praua desideria, Angelico pane, eiusque fructu, spe & fiducia priuat Devs. Itaque non illum, quasi durum, aut iniquum, sed, si hoc viatico tam diuino destituimur, neque ex eo tam pretioso cibo, discimus sperare etiam corporis escam, nos ipsos accusemus, & illud identidem repetamus: *Cognoui, Domine, quia æquitas judicia tua: & in veritate tua humiliasti me.* Iam demum disco, de pane quotidiano non desperare, quando video sic mundum à Deo dilectum, vt illi proprium Filium, & panem Angelorum dederit in cibum. Sed de hac diuina prouidentia ac prodigalitate in humanum genus, iam alio loco prolixè disputaui. Hîc sufficit cum Domino dicere: *Nolite soliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm regnum Dei, & justi-*

Psal. 118. 75.

Tom. 1. de Iudicijs, quæ Deus exercet in hoc mundo, cap. 15.

Matth. 6. 31.

*& iustitiam eius: & hæc omnia adijcientur vobis: Nolite ergo soliciti
esse in crastinum.* IV.
Verùm, vt omittamus diuini panis prodigiosam à Deo præ
spirituali fame, largitionem, ex qua vtique spem concipimus, ne-
que panem humanum, cogitationem suam in Dominum iactan-
tibus defuturum, Nonnè fames, si non immodica est, noxios in
homine catarrhos exsiccat? Nonnè materiam subducit febrium
exæstuationi? Nonnè crapulam dissipat & corrigit stomachum
nauseantem? Pingues & adipati ventres quanto sudore præpor-
tantur? quanta mole sese mouent? quantis obnoxij sunt anhe-
lationibus? quanto pondere à cursu, immò ab incessu impediun-
tur? quot morbis prostituuntur? At pinguedinem abstergit
inedia, & cum pinguedine tot mala. Sic etiam corpori prodest
fames, cuius malum esse censetur. Sed si extraordinaria est, & à
vindice Deo missa, etsi corpora extenuat, eneruat, necat, atta-
men animo longè conducit magis. Nam si in pœnam missa agno-
scitur, emendationem parit: si ideò inducta est, vt cælestem osten-
dat prouidentiam, gignit fiduciam, reuerentiam, amoremque
Dei: si denique data est, vt ij, qui abundant, egentibus opitulen-
tur, ansam præbet exercendæ in proximos charitati. V.
Igitur ne quis antiquam desijsse prouidentiam existimet,
narrat Nicephorus circa An. Domini 455. ingentem in Phrygia, Niceph. Calist. lib. 15.
Gallacia & Cappadocia, siccitatem, famem, pestem extitisse; lon- c. 10 hist.
giùsque propagatam homines ad noxia & abominanda alimen- Eccles.
ta, atque inde ad inflammationes, tumores, oculorum amissiones,
& subitas mortes perduxisse. Superfuerunt, ex tanta mortalitate,
pauci; sed neque his quidem cibus humanus suppetebat. Igitur,
cùm humana deessent auxilia, seruatrix omnium diuina proui-
dentia opem miseris attulit, famique subuenit. *Eo enim anno, quo
fruges non prouenerunt, alimento aërio eos fouit, sicuti olim veteribus
Israëlitis fecisse memoratur. Manna illis, quod dicitur, cælitus demit-
tens. Proximo autem anno, vt fruges sponte excrescerent effecit.* Vi-
des hîc prouidentem Dei clementiam, in ipso furore famis & pe-
stis? Vides, quàm verè dictum sit: *Cùm iratus fueris, misericordiæ* Habacuc. 3 2.
recordaberis. Sic, cùm deest terra, cælum succurrit, vt ibi potiùs,
quàm alibi auxilium quæritemus. Bona fames, quæ facit homi-
nem

nem DEI esurientem, vtilis morbus, qui ad talem medicum ducit. Nam & fames veluti morbus, & cibus est instar medicinæ. Immò *cùm sit fames ex inedia contracta pernicies*, inquit S. Augustinus, *atq; ita sit in eis, qui eam patiuntur, vt aliquis morbus; vt esse desinat, fit plerumq; per medicamentum: sic & fames sanatur quodammodo per alimentum.*

S. Augustin in Psal. 104.

VI. Ioan. Curopal. & ex eo Baron. tom. 10. Annal. ad Annum Domini, 845, 3.


Qualis fuit illa, de qua Ioan. Curopalata hæc refert. Anno Christi 845. cùm intellexisset Bogaris Bulgarorum Princeps, mulierem, tenero adhuc filio, & ad sceptrum nondum maturo, Romanis imperare, audacia elatus nuntios ad reginam misit, per quos, se fœdera soluturum, atque Romanorum fines inuasurum, superbè minitabatur. Sperabat nimirum insolens animus, apud feminam terrores, pro armis, futuros. Sed Regina nihil humile aut effeminatum cogitans: *Et me*, inquiebat, *paratam inuenies, ad resistendum in acie, Deiq; nutu superiorem. Si autem (quod absit) victor ipse fueris: hoc quoq; pacto mea erit victoria: Viceris enim non virum, sed mulierem.* Hæc verba tam animosa, quauis amentata hasta fuerunt potentiora. Nam ijs in ruborem datus Princeps ac deterritus quieuit pristinaque fœdera renouauit. Quare vltro citroque legati, inter Reginam & Principem liberrimè commearunt. Caussa erat, quia ad Reginam quidem legatos misit Theodorus Cuphara cognomento, vir administrandæ Reip. vtilis, qui ea tempestate, in Bulgaria captus detinebatur; Ad Principem autem legati mittebantur à sorore eius, quæ in excursione quadam capta, in regia commorabatur. Hæc iam pridem in suam salutem captiua abducta, Christianorumque religione initiata, & litteras edocta, non desistebat fratri identidem mysteria Christiana commendare, fideique semina in cor eius inijcere. Is tametsi iam etiam antea à Cuphara sæpiùs eadem audijsset, saxeo tamen pectore diuina verba radices agere non sinebat. Quin neque tum manus dabat, quando, inita permutatione, & muliere fratri reddita, ac Cuphara Reginæ restituto, assiduè aures illius ijsdem admonitionibus pulsabantur. Tanti refert, animos recentes, vel vanitate, vel veritate imbutos esse, & præoccupatos. Cultui Deorum, cui assueuerat à teneris vnguiculis, vsq; ad extremum spiritum inhærendum pertinacissimè

existi-

existimabat, etiamsi contraria rationi magis consentanea indi-
caret. Sed voluit vltimam manum addere, diu frustra admonito
Devs. Vt falconem, aut asturconem, censuit domandum: aut,
quemadmodum belli dux obsessam vrbem, adegit ad deditionem,
fame scilicet, qua totam illius regionem grauissimè afflixit. Ei
enim cùm remedium nusquam reperiret, æstimare secum cœpit,
qua de caussa, tam grauem & altam plagam diuina æquitas sibi
populoq; suo fecisset. Ictus sapuit; agnouit enim, hanc esse dignā
pertinaciæ suæ mercedem. Contempta igitur impia idolorum
vanitate, & ipse Devm Christianorum in vota vocauit, omnibus-
que sibi subjectis populis mandauit, vt ab eodem hominum nu-
tritore auxilium implorarent. Audijt hæc vota Devs, & famem
depulit proscripsitque. Hoc tam luculento beneficio tota natio
ad nostram religionem perducta est, & Princeps ipse, sacri bapti-
smi aquis expiatus, ad Imperatoris Romanorum nomen vene-
randum, Michaël voluit appellari. Numquid huic Principi, &
populis istis profuit esurijsse? Ionathæ, ob inediam, oculi caliga-
uerunt; his fame oculi diuina luce fuerunt illustrati. Et quidem
alij spem, alij temperantiam, alij aliam virtutem, omnes fidem
famendo adepti sunt. *Famem diuturnam*, ait S. Augustinus, *in vsus
suos boni fideles piè tolerando verterunt. Quos enim fames necauit,
malis vitæ huius, sicut corporis morbus, eripuit. Quos autem non ne-
cauit, docuit parciùs viuere, docuit productiùs jeiunare.* Ostendit
id Diodorus Siculus, vel in profano rege Ægyptiorum Gnefacto,
qui cùm in Arabiam ingentem exercitum duxisset, &, in desertis
ac asperis locis, deficiente commeatu, vt stomachum latrantem
placaret, vilem cibum sumere cogeretur, fassus est, nullum ci-
bum magis jucundum vmquam fuisse, & adeò quidem,
vt omnem luxum damnarit; atque huius frugalitatis
tabulam Thebis in templo Iouis poni
voluerit.

S. Augustin. lib. 1. de ciuit. Dei. cap. 11.

Diodor. Sicul. lib. 2. cap. 1. de antiq. vrb. Platin. lib. 2. de optimis ciu.



CAPVT VII.

Seueram Famis, sed justissimam & meritissimam esse pœnam.

I.



Est & alia famis caussa. Etenim, quemadmodum nos homines, si quem punire volumus, ferculo, aut cœna priuamus, aut inedia longiore; sic & Devs cælum claudit, ne agros irriget, & fame vexari, vel enecari sinit, quos vita indignos judicat. Exemplum illustre recenset Procopius de Basilisco Orientalium Imperatore. Anno Domini 477. bellum illi indixit Zeno, iamque infesto eum exercitu petebat; nec prœlium declinauit Basiliscus. Sed suo loco Armatum (sic enim Duci erat nomen) misit, qui militi præesset. Vbi amborum copiæ in mutuo conspectu fuêre, cùm iam tuba expectaretur, starentque vtrimque acies ferro & flammis paratæ, ibi, inopinantibus omnibus, repentè Armatus Zenonis se se Ducibus, cum toto tradidit exercitu, & duo diuersa agmina in vnum repentè coaluerunt. Mox ea fama Constantinopolim est perlata. Basiliscus accepto tantæ & cladis, & proditionis nuntio, in templum confugit. Sed serò ibi opem quæsiuit, vbi maximè reus extitit. Nam quia ab orthodoxa fide deficiens in Euthychianam sectam inclinauerat, omnemque vitam pessimis moribus inquinauerat, non solùm omnibus exosus fuit, sed etiam captus, ab Acacio Præsule Constantinopolitano, Zenoni & ipse traditus est. Zeno igitur Basiliscum Imperatorem simul cum vxore ac liberis captiuum in Cappadociam relegauit. Anni hiems tunc erat, & rigebat gelu cælum. Delicatis autem & frigori inassuetis corporibus intolerabile erat perdurare. Basilisco tamen ac vxori, & ipsis etiam liberis, ex Zenonis mandato, neque vestes, neque cibi concedebantur. Itaque neque foris vestimento, neque intus alimento calefiebant. Quamobrem frigore, inedia, & rabie, vnà se complexi corporibus, collacrymantes miserè perierunt. Hic finis fuit Imperatoris, ea mors Imperatricis. Nemo dubitet, caussam habuisse tam diræ mortis eum, sine cuius nutu nec passer de tecto, nec de capite nostro capillus cadit. Certè nec Armatus cum toto exercitu eius, sine graui caussa ab illo defecit; & ciues Constan-

Procop. de bello VVandalor. lib. 1. & Baron. tom 6. Anno 477.

Luc. 21. 18.

Constantinopolitani interitum eius misericordissimæ Dei justi-
tiæ ascripserunt. Nam Basiliscus, non solùm in fide fuit incon-
stans, sed etiam octo menses super annum, tyrannidem exercuit,
atque ob insatiabilem auaritiam, omnibus & aulicis, & militi-
bus exosus fuit; &, vt Suidas de eo loquitur, *pecuniam ab Ecclesia-* Suidas V. Basilisc.
rum Episcopis exigebat, & Acacium Constantinopolis Episcopum pro-
pemodum pepulisset, nisi à multitudine eorum, qui Monachi diceban-
tur, repulsus fuisset, magnaq; pecuniæ congerendæ cupiditate flagrabat,
& insigni auaritia præditus erat; vt ne illis quidem parceret, qui viles
& sordidas artes exercebant. Quamobrem, propter huiusmodi tri-
butorum exactiones, omnia lachrymarum erant plena. Quòd si qui
imitatores Basilisci, in hac vita abundantes, fame non pereunt,
in altera certè, cum diuite epulone siti æterna, fameque crucia-
buntur, & stridore dentium Erisichthoniam rabiem testabuntur.
Neque vxor Basilisci innocens fuit, vt enim taceam, eam cum
Harmato matrimonij jura violasse, quod Suidas in Harmato
scribit; certè & ipsa tyrannicè satis in Theodoricum egit, nec cre-
dibile est, illi mariti tyrannidem displicuisse. Quare neque mi-
rum etiam est, vtriusque parentis scelus in filijs quoque plexum
esse, qui vt impietatis fuerunt, ita & calamitatis hæredes esse
meruerunt.

Meritò Basiliscum diuina vindicta in hac vita fame extin- II.
xit, sed fame dumtaxat paucos puniente. Multò grauior est
manus Dei, si homines complures tangit, famemque aut obsessę
ciuitati, aut totis populis infligit, atque in vniuersam aliquam
prouinciam sinit dominari. Cùm Benedad rex Syriæ Samariam
obsideret, *Facta est fames magna in Samaria: & tam diu obsessa est,* 4. Reg. 6. 24.
donec venumdaretur caput asini octoginta argenteis, & quarta pars cabi
stercoris columbarum quinq; argenteis. Cumq; rex Israël transiret
per murum, mulier quædam exclamauit ad eum dicens: Salua me,
domine mi rex. Qui ait: Non te saluat Dominus: vnde te possum
saluare? de area, vel de torculari? Dixitq; ad eam rex: Quid tibi vis?
Quæ respondit: Mulier ista dixit mihi: Da filium tuum, vt comedamus
eum hodie, & filium meum comedemus cras. Coximus ergo filium meũ,
& comedimus. Dixiq; ei, die altera: da filium tuum, vt comedamus
eum, quæ abscondit filium suum. Quod cùm audisset rex scidit vesti-

menta sua. Tanta vis est in fame, vt amorem maternum superet, nec carnibus tantùm vescatur hominis, sed etiam in ventrem mittat, quæ de ventre prodierunt.

III. Simile quid commemorat Iosephus alijque scriptores. An. Domini 72. obsidebat Titus Imperator vrbem Hierosolymam, vallisque arctissimè muniebat. Sic septi inclusique Iudæi, adeo fame laborare cœperunt, vt innumera hominum multitudo inedià quotidie necaretur. Quia ergo populum tanta fames inuaserat, vt neque herbæ, quibus vesci possent, superessent; è stabulis fimum quærebant in cibum, collectoque domatim stercore vescebantur. Fame hac magis inualescente, neque humanis carnibus abstinuêre. Iam enim calceamentis, cingulisque ac insuper corijs, quibus scuta tegebantur, detractis, insumptisque, & veteris fœni laceramentis magno pretio venditis, quæ his careret, eo immanitatis redacta est, fame improba compellente, nobilis ac prædiues mulier, Maria nomine, filia Eleazari, à seditiosis iam exuta omnibus vitæ præsidijs fortunisque, lactentem filium occidit, quem comestura mox coxit. Cuius nidoris odore illecti milites, qui sibi victum, quacumque possent, raptu quærebant, cùm eius peruasissent domum, partem assati filij, quæ supererat epulanda, intuiti, detestati facinus impransi abiêre. Moxque repleta est eius sceleris famâ tota ciuitas, & vnusquisque ante oculos sibi cladem illam proponens, tamquã hoc facinus ipse admisisset, horrescebat. Paria de fame Saguntina, deque fame Mælia possunt narrari, itemque de fame Perusina; & nostri temporis tragœdijs, si non præstaret tacere tam tristia, quàm dolorem memorando renouare.

Ioseph. lib. 7. de bell. Iud. cap 6. & 8. Hegesipp. de excidio Hierosol. lib. 5. cap. 40. Niceph. lib. 3. cap. 7. Baron. 1. tom. An. 72.

IV. Fortasse aut illi, quos sub rege Israël fames presserat, aut isti quos Titus obsidione cinxerat, aut nostra sæcula tantam famem non meruerunt? Potuisset Devs vel innocentes exercere, vt grandi illo miraculo (quod ab Eliséo prædictum illis verbis: *In tempore hoc cras modius similæ vno statere erit, & duo modij hordei, statere vno, in porta Samariæ*) discerent diuinam prouidentiam, potentiamque agnoscere. Sed quis innocentes putaret illos, quorum rex famem populi adeò impatienter tulit, vt in illa erumperet: *Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, si steterit caput Eli-*

4. Reg. 7. 1.

4. Reg. 6. 31.

ti filij Saphat ſuper ipſum hodie: itemque regis nuntius: *Ecce tan-
um malum à Domino eſt: quid ampliùs expectabo à Domino?* quæ
ptique regis nomine ac mandato dixit, Nempe, ſedato prompto-
que animo acceptare debuiſſet, quod à Domino eſſe crediderat.
Nam crediderat; ſed cum impatientia, & furore, vt qui ſibi ſuiſq;
à Domino injuriam fieri judicabat. Hinc injuriam vindicaturus,
qui DEVM non potuit occidere, Prophetam DEI voluit capite
truncare, vt ſe ſe in ſeruo de Domino vindicaret. Quod etſi in
ipſa iam fame factum eſt, oſtendit tamen, haud multò meliore
eum animo antè extitiſſe, ſimilemque fuiſſe multis impijs homi-
nibus; qui cum telis ſuis cælum non poſſunt attingere, neque
Numen ipſum vulnerare; in ſeruos Numinis ſæuiunt. Læditur
autem & in ſeruis ſuis DEVS; quos qui tangit, tangit pupillam
oculi illius. Iudæi autem, qui Hieroſolymis tanta fame ſunt pu-
niti, non ſeruos dumtaxat DEI, ſed ipſum DEVM innumeris con-
tumelijs, injurijs, morte denique ignominioſiſſima affecerunt,
eique animam agenti, effuſoque ſanguine, mirum in modum
ſitienti, fel & acetum propinauerunt; more eorum, qui ipſi quo-
tidie Maſſico vino ebrij, ſanguinem exugunt ſubditorum, eiſque
vitam efficiunt ita amaram acerbamque, vt meritò illis nihil niſi
fel & acetum præbêre videantur. Et tales Deus paſcat, neque
fame ac ſterilitate terræ puniat? talibus cibum & potum ſuppe-
ditet? An non potiùs aqua & igni, immò terra & communi
aura interdicat? V.

Enimuerò hoc ſe facturum iam dudum eſt comminatus:
Sit cælum, quod ſupra te eſt, æneum; & terra, quam calcas ferrea: ait: Deuter, 28. 23.
Significatur igitur clauſum cælum æreum eſſe, vſum ſui terris negare,
ait S. Ambroſius. *Terra quoq; ferrea eſt, cùm prouentus abnuit, &
jacta ſibi ſemina tamquam hoſtili duritia genitali excludit aluo, quæ
gremio ſolet blanda matris fouere. Quando enim ferrum fructificat?
Quando æs imbres relaxat? His igitur miſerandam famem minatur
impijs: vt qui pietatem filiorum communi Domino & Patri exhibere
neſciunt, careant nutrimento paternæ indulgentiæ: ſit illis cælum æreũ,
concreto aëre & ſolidato in metalli rigorem: ſit illis terra ferrea partus
ſuos neſciens; & quod plerumq; inopia habet, diſcordias ſerens. Rapto
enim vtuntur, qui victu indigent, vt alienis diſpendijs famem ſuam
ableuent.*

ableuent. *Iam verò, si & offensa inhabitantium huiusmodi sit, vt diuina commotione his inferantur prælia, verè terra est ferrea telorum segetibus inhorrens, & suis nuda fructibus: fœcunda ad pœnam, sterilis ad alimoniam. Vbi autem abundantia: Ecce ego pluo vobis panes, dicit Dominus.* A Domino itaque abundantia, in beneficium; & penuria in supplicium est.

VI.

Sabell. li. 10. cap. 7.

Non est autem paruum istud supplicij genus. *Fames*, ait Sabellicus, *inter tetra & dira monstra, in vestibulo inferni, vt Vates summus ingeniose fabulatur, omnium, quæ inibi sunt, teterrima, & ad omne scelus suadendum efficacissima existit. Ex nullo malorum fonte fœdiora manarunt exempla. Filiorum cædes & infandæ epulæ hinc sunt, hinc præcipitationes, aliæq; festinatæ mortes. Et quod omnium atrocissimum est, reperti sunt, qui seipsos laniarunt, quando obscœnos morsus in alios vertere non potuerunt.* Libet hoc itidem per exempla ostendere.

Fulgos. lib. 7. cap. 6.

Babyloniorum vrbem Darius Persarum rex obsidebat, à quo desciuerant. Vt ergo commeatus, quos in vrbe habebant Babylonij, diutiùs extenderent, ex toto femineo sexu, cùm singulas viris omnibus delegissent; reliquas, ne eis alendis illorũ nutrimenta, per quos vrbs defendebatur, consumerent, manu crudelissima strangulauerunt. Fæminas hæc fames deuorauit, militibus pepercit.

Herodot. lib. 3.

Illa autem nec militibus, quæ fuit, cùm Cambyses Persarum rex contra Æthiopes Macrobios expeditionem pararet. Nam nondum quinta itineris parte confecta, per arenas, tanta commeatus penuria exercitum inuasit, vt, quemadmodum suprà meminimus, cùm herbis carerent milites, sortiti ex se ipsis decimum quemque comederint. Itaque Cambyses veritus & ipse suorum dentes ac depastionem, retro redire coactus est. Longiùs progressa est alibi hæc rabies. Calagurium vrbs est Hispaniæ, cuius incolæ à Cn. Pompeio obsessi, vt fidem Sertorio præstarent, in tantam famem durauerunt, vt vxores suas ac liberos in vsum extremæ dapis conuerterent, cùm nullum aliud animal, in vrbe, superesset. Denique, vt finem faciam, Saguntus vrbs Hispaniæ, olim amicissima Romanis, longa Pœnorum obsidione, eò famis redacta est, vt ciues extructo, in foro, igni, suas res omnes eò conijcerent, seque ac suos postremò liberos, ne in manus hostium venirent, eòdem præcipitarent. Vidimus prô

dolor,

olor, propemodum similia, hoc Suecico bello: audiuimus gemi-
us & lamenta vicinorum pagorum & ciuitatum: sed, vt dixi,
on necesse est, miserrimam calamitatem geminare commemo-
ando. Quotquot tunc interfuerunt, in recitatis historijs suam
maginem intuentur. Vtinam & sua delicta agnoscerent, qui-
us Dei super se iram prouocauerunt. Quàm parùm curabant
æléstia? quàm paruo in pretio erat religio? in negotijs fidei &
Ecclesiæ Deum offendere, quàm homines maluerunt. Regem
Sueciæ, eiusque Duces, tamquam Messiam, optarunt, inuitarunt,
traxerunt. Ne accusent DEVM, si cum bello, paupertatem, famem,
pestem immisit, adepti sunt, quod habere voluerunt.

VII. Sed de fame ciuitates affligente satis est dictum: addam
exemplum, in quo conspicitur, quanta sit pœna, si tota aliqua
natio fame castigetur. Memorat ex Procopio Cæsar Baronius:
Anno Christi 539. qui quartus belli Gothici à Procopio poni-
tur inchoatus, dirissima fame vexatam fuisse Italiam, quam
ita describit. *Cùm iam se verteret annus, & messis tempus adesset,
in campis frumentum sua sponte maturescebat: non tamen, quà priùs,
in copia fuit, sed longè minori, vt quod nec hominum manibus, nec
boum labore satum humoq; tectum fuisset, sed temerè in agri superfi-
ciem jactum: vnde eius pars quædam, terræ vi fœta, emerserat. Ipsum id
tamen, cùm demeteret nemo, præ nimia sui maturitate in terram ite-
ratò excidens renascebatur. Quæ res cùm eumdem in modum, in Æ-
milia accidisset, eius regionis homines proprijs sedibus ac bonis relictis, in
agrum Picenum profugerant, haudquam existimantes, eius Prouinciæ
loca, quia maritima essent eàdem omninò rei frumentariæ inopia premi.
Thuscos præterea haud secus, ac pari de caussa fames attigerat. Ex his
tamen, qui montes incolerent, frumenti in modum è glandibus com-
molitis confectum panem edebant. Vnde vulgatis, velut in pecua mor-
bis, vti par erat, multi mortales capiebantur, & paucis superstitibus
interibant. Inter Picentes autem tradunt non minùs quinquaginta
millia hominum, præ inedia interijsse, & longè plures extra Ionicum
sinum. Qua autem morbi specie, & quemadmodum hi morerentur,
mox explicabo. Cùm enim nihil ijs esset, quo vescerentur, extenuati
nimirum omnes pallentesq; reddebantur caroq; vt cibo diutiùs carens,
in se ipsa retracta cohæserat: fel item, cùm nimium abundaret, atque*

Procop lib 2. de bello Gothic. Baron. tom. 7. Anno 539.

adeò corpora ipsa vi sua oppressa iam infecisset, haudquaquam sineba suo è pristina cursu in his venas defluere. Malo itaq; peruincente, nih prorsus succi corporibus relinquebatur. Cutis præterea obdurata cori persimilis erat, præ se maximè ferens, quòd impacta ossibus inhæsij set, liuore iam in nigredinem commutato. Vnde & homines exustis fa cibus nihil absimiles videbantur, eorumq; facies stupidior erat, toruusq & furentis aspectus. Mortem itaq; passim obibant, cibi partim inopia nimia partim saturitate. Nam postquam in his fuerat calor omni extinctus, quem natura introrsum excusserat: si quis fortè eos ad sa tietatem, & non paulatim cibasset (vt recens nati lactari solent) cùm ingestos minùs digererent cibos, celeriùs longè moriebantur. Fuêre, qui fame cogente alterni se esitarent. Fœminas enim duas fuisse tunc tra dunt, quæ viros septemdecim interfectos absumpserint. Hæ namq;, vt ferunt, cùm solæ & resides domi, ceteris mortuis superfuissent, diuertentibus ad se peregrinis, noctuq; dormitantibus interfectis diuescebantur. Septem itaq; & decem, diuersis temporum spatijs, in cibum absumptis, octauus ac decimus, qui ad has fortè diuerterat, somno tunc subitò experrectus, cùm in se eadem, quæ in ceteros fecerant, molirentur, cognita primùm facti ab his ratione, vtrasq; obtruncat. Hæc talia Procopius.

VIII. Quæ grauia esse, qui non videt, talpa est. Sed & inde grauitatem licet æstimare flagitiorum, quæ in hac quoque vita, vbi misericordiæ diuinæ est locus, tam atrociter puniuntur. Vnde conjecturam licet facere de tormentis, quæ, in altera vita, dam-
Matth. 8. 12. natis sunt præparata. Nam & *stridor dentium* ibi erit; & intole-
Luc. 16. 24. randa æternaque sitis, in diuite illo epulone expressa est. Neque
in suprà memoratis historijs diuinam aliquis accuset seuerita-
Sapi. 19. 12. tem; aut afflictos dicat esse innocentes: *justè enim patiebantur secundùm suas nequitias*, sicut & de alijs, in Scriptura, dicitur. Constat enim de sceleribus, quæ famem illam meruerunt. Tantus est ciborum, tantus vini abusus, vt non iam ad conseruandas vires corporis, non ad hilaritatem animi; sed ad satietatem & crapulam, ad libidinem corroborandam, ad ebrietatem, & insaniam, ingerantur: & non subducat DEVS alimenta? non exsiccet vites? non exurat vineas? Hæresibus, blasphemijs, sacrilegijs violatur Numen, & hoc Magistratus, Duces, Principes impunè fieri per-

mittunt: itáne etiam permittere debet diuina justitia? jaciunt mortales in cælum conuicia; & immortales de cælo fluere sinant pulsa & mella? Nempe vt tantò maior ansa detur DEVM blasphemandi, quasi non sit in cælo DEVS, qui talia audiat, aut videat, & punire possit. Puniuntur ergo injusti, vt DEVM esse dicant, & justi fiant. *Nosse enim te*, ait quidam ad DEVM, *consummata justitia est: & scire justitiam, & virtutem tuam, radix est immortalitatis.* Quam justitiam & virtutem vt sciret Ioannes Daileus Londini, in Anglia, in domo Carthusiensi professus, mirabiliter à DEO punitus est, vt P. Vitus Dulcken, & Guil. Sitart, ambo Carthusiani litteris vulgarunt. Allati fuerant huic Ioanni Daileo, quadam die, cibi nec sapientes, nec, vt arbitrabatur, sufficientes. Itaque in impatientiam datus cœpit murmurare; palamque cum stomacho, dicere, *bufones se, quàm illius generis pisces comedere maluisse.* Annuit voto DEVS, & *non fraudauit eum desiderio suo.* Tantam enim extemplo bufonum copiam illi in cellam adduxit, vt cumulati totum loci illius pauimentum replerent. Nec otiosi hærebant; sed quocumque pedem mouebat Ioannes, post eum reptantes aut salientes, tamquam ministri, sequebantur. Si mensæ accumberet, commanducabant; in patinas, in discum, in sinum inuolantes ingrati parasiti. Si se ad quietem recipiebat, aderant vndique bufones, etiam in lecto sociati. Si quem in focum proijceret, illæsus statim exiliebat. Vnum forcipe prehensum igne torrere instituit; sed tantus ex eo fœtor exhalauit, vt Auernali hac mephiti per totum claustrum intolerabiliter propagata, à cœpto desistere compelleretur. Alios fuste elisit, sed mox alij aliíque superueniebant, & numerum augebant. Toto mense, Pharaonica hæc plaga, in cella; in horto autem etiam trium mensium spacio perdurauit. Desijt tandem, vbi Daileus stulti desiderij sui impietatem satis deplorauit; quam etiam omnibus postea, magno animi dolore solebat commemorare. Fame igitur probatus cecidit, vt punitus *sciret justitiam & virtutem Dei*, altioresque correctus ageret radices immortalitatis.

Sapi. 15. 3.

P. Vit. Dulcken, & Guil. Sitart. Carthusiani in epist. nuncupatoria ad Theodoricũ Lother Buxen. Carthusiæ Priorem ad Historiam Martyrum Angliæ. Menochij 1573.

IX. Denique toti sæpe exercitus, fame perierunt, quod hoc quoque sæculo videmus accidisse. Neque id quidem fit, sine æquitate diuina. Aut enim vult militum ducumúe, qui sæpe satis im-

pij existunt, insolentiam, rapinas, libidines, adulteria, crudelitates, blasphemias plectere; aut vult Prouinciam, Mundumque adeò ipsum tanto malo liberare. Extinguit igitur exercitum fame. Et id non mereantur, qui, vt parentes cogerent, quidquid esculenti aut poculenti in penu, quidquid auri aut argenti in loculo habebant, promere, infantes eorum flebilissimè eiulantes flammis tantisper vstulauerunt? An non Devs de cælo audiat hos clamores! an non puniat tales, non dicam iam milites, sed carnifices, sed Phalarides, sed Busirides, sed Mezentios, sed tyrannos, sed hominum Deique immanissimos contemptores?

CAPVT VIII.

Inter cetera vitia, intemperantiam in cibo & potu conuenientissimè puniri fame.

I. Mne quidem crimen iram Dei prouocat, pœnamque diuinam meretur; æquissimum tamen est, vt in quo quis peccat, in eo etiam puniatur, & vitia ijs rebus plectantur, quas constat eis maximè aduersari, juxta illud:

Apoc. 18, 7. *Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit: tantùm date illi tormentum & luctum.* Superbi igitur ac gloriosi ignominiâ; deliciosi & luxuriosi corporis cruciatu; auari egestate merentur affligi. Quid superest, nisi vt & gulosi, ac ebriosi fame ac siti torqueantur? Quæ duo flagitia, ebrietas scilicet atque ciborum ingurgitatio, ita iam passim à populo, viris primarijs, immò ipso magistratu, ipsisque adeò clericis liberè, ac sine infamiæ metu committuntur, vt pro vrbanitate, non fœditate habeantur. Qua mea sententia non vereor, ne potatores offendam: peccatum suum ipsi, vt Sodomæi ciues prædicant, jactant Bacchi certamina, grassantur, lymphati discurrunt, vicisse se putant, cùm amicos poculis grandibus deposuerint sepeliuerintque vino; cùm corpus marcore, mētem lethali crimine dejecerint. Vt verè vaticinatus sit Seneca,

Senec. lib. 1. de Beneficijs cap 10. quando dixit: *Habebitur aliquando ebrietati honor, & plurimum meri cepisse, virtus erit,* Et pauló priùs: *conuiuiorum vigebit furor, & fœdissimum patrociniorum exitium culina.* Quantùm autem nunc non viget furor iste? E plebe multi, quidquid per totam hebdo-

hebdomadem laborando sunt lucrati, die festo, in cauponis profundunt. Multi de populo, immò de maiorum gentium satrapis, tota patrimonia, per collũ transmittunt, & concoquunt. Quanti duces militares ingentia stipendia, vel spolia, quæ tot vigilijs, tot prœlijs, tot vulneribus atque sanguine suo adepti sunt, hoc ipso conuiuiorum furore profligant? vt tandem, cùm debellatum est, nihil habeant, quo vxorem, quo liberos, quo familiam, quo seipsos sustentent, verumque sit illud: *Nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Psal. 75. 6

II. Fateor, dapes esse idoneas ad naturæ sustentationem; fateor, posse & vinum prodesse; sed non nisi moderatè sumpta. Hinc ipse Apostolus ad Timotheum scribit: *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere, propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates. Modico vino*, ait, non totas mensuras, immò totas amphoras, aut tota cymbia falerno spumantia. In prouerbijs quoque Salomon ait: *Date siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo: bibant; & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur ampliùs.* Cui Ethnicus Philosophus ferè in hunc modum assonat: *Indulgendum est animo: dandumq; subinde otium, quod alimenti & virium loco sit: & in ambulationibus apertis vagandum, vt cælo libero & multo spiritu augeat attollatq; se animus. Aliquando vectatio, itemq; & mutata regio, vigorem dabunt, conuictusq; & liberalior potio: nonnumquam & vsq; ad ebrietatem veniendum, non vt mergat nos, sed vt deprimat. Eluit enim curas, & ab imo animum mouet: & vt morbis quibusdam, ita tristitiæ medetur: Liberq; non ob licentiam linguæ dictus est inuentor vini, sed quia liberat seruitio curarum animum & asserit, vegetioremq; & audaciorem in omnes conatus facit. Sed vt libertatis, ita vini salubris moderatio est. Et Solonem, Arcesilaumq; indulsisse vino credunt. Catoni ebrietas objecta est: at faciliùs efficiet, quisquis objecerit, hoc crimen honestum, quàm turpem Catonem. Sed nec sæpe faciendum est, ne animus malam consuetudinem ducat: & aliquando tamen in exsultationem libertatemq; extrahendus, tristisq; sobrietas remouenda paullisper. Nam siue Græco Poëtæ credimus, aliquando & insanire jucundum est: siue Platoni, frustra poëticas fores compos sui pepulit: siue Aristoteli, nullum magnum ingenium sine mixturâ dementiæ fuit.*

1. Tim. 5. 23.

Prou. 31. 6.

Senec. lib. de tranquillit. animi cap. 15.

Tibull. lib. 1. eleg. 2. Idem consilium mœstis suggerunt Poëtæ. Tibullus:

Adde merum, vinoq; nouos compesce dolores,
Occupet vt fessi lumina victa sopor,

Ouid. lib. 12. Metam. fab. 3. Et Ouidius. *Vinoq; leuant curasq; sitimq;*. Atque alio loco:

Vina parant animos, faciuntq; caloribus aptos.
Cura fugit multo diluiturq; mero.
Tunc veniunt risus, tunc pauper cornua sumit,
Tunc dolor, & cura, rugaq; frontis abit.
Tunc aperit mentes æuo rarissima nostro
Simplicitas, artes excutiente Deo.

III. Hæc, vt ab hominibus Ethnicis, etsi partim verè, partim paulò liberiùs dicta sunt, tamen simul ostendunt periculum à nimietate. Enimuerò alibi, vbi docet Seneca multos oblectamentis fallacibus & breuibus decipi, perspicuè reprehendit ebrietatem, *quæ vnius horæ hilarem insaniam, longi temporis tædio pensat.* (Senec. epist. 59.) Possunt quidem homines & in conuiuijs, & in vino esse læti; sed qui boni sunt, & appetitum habent in potestate. Nam ad talem dicitur: *Vade & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum: quia Deo placent opera tua.* (Eccle. 9. 7.) Itemque: *Æqua vita hominibus, vinum in sobrietate; si bibas illud moderatè, eris sobrius.* (Eccli. 31. 32.) Sed additur: *Quæ vita est ei, qui minuitur vino? Vinum in iucunditatem creatum est, & non in ebrietatem ab initio;* quemadmodum & cibus, vt eo restaurentur, non opprimantur vires. Quàm igitur longè à ratione discedunt, qui vino rationem dementant, & cibo profligant sanitatem? Nonnè pœna digni sunt? Intemperantia hac magnas humano generi clades accersi, eadem Scriptura docet. Ecce quàm horribiles minæ. Vix introduxerat hominem in Paradisum, immò in Mundum, cùm statim ei dixit: *Ex omni ligno Paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni & mali, ne comedas, in quocumq; enim die comederis ex eo, morte morieris.* (Gen. 2. 16.) Decepit diabolus Euam, seduxit Eua Adamum, vicit vtrumque gula, & quid non inde mali est consecutum? Satis, prô dolor, experimur, minas non intra verba stetisse. Experti sunt & illi, qui *tentauerunt Deum in cordibus suis: vt peterent escas animabus suis. Et malè locuti sunt de Deo: dixerunt: Numquid poterit Deus parare mensam in deserto? Numquid & panem poterit dare, aut parare mensam po-* (Psal. 77. 18.)

ulo suo? Ideò audiuit Dominus, & distulit: & ignis accensus est in
Iacob, & ira ascendit in Israël. Quia non crediderunt Deo, nec spera-
uerunt in salutari eius. Quid ergo experti sunt? Primò illius po-
tentiam: *Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes*
inundauerunt. Et mandauit nubibus desuper, & ianuas cæli aperuit.
Et pluit illis manna ad manducandum, & panem cæli dedit eis, &c.
Transtulit Austrum de cælo: & induxit in virtute sua Africum. Et
pluit super eos, sicut puluerem carnes: & sicut arenam maris volatilia
pennata. Et ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula
eorum. Et manducauerunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eo-
rum attulit eis: non sunt fraudati à desiderio suo. Experti sunt ergo
primùm, posse Devm mensam parare in deserto. Sed quam huius
intempestiui desiderij mercedem acceperunt? non fame quidem,
morte tamen subita puniti sunt. *Adhuc esca eorum erant in ore*
ipsorum: & ira Dei ascendit super eos. Et occidit pingues eorum, &
electos Israël impediuit.

Vt autem tunc ipso cibo in venenum verso sunt plexi Israë- IV.
litæ, ita aliàs eos fame per hostem illata castigauit iustus Devs.
Cùm enim *gula sit immoderata cibi auiditas, seu, cibi & potus inordi-* S Thom 2. 2.
natus, vt Hugo addit, *solius corporis caussa illecebrosus & auidus ap-* q. 148. a. 1.
petitus; quem Græci Gastrimargiam vocant; meritò vorax illa e-
dacitas nauseanti stomacho applaudens, naturalibusque finibus
non contenta, punitur pabuli subtractione. Pabulum autem
subtrahitur vel siccitate, vel sterilitate, vel noxijs bestijs fruges
absumentibus, vel hoste semina destruente, aut messem deuo-
rante. Quam plagam per Ioël Prophetam ita declaratam acci- Ioël. 1. h.
pe: *Verbum Domini, quod factum est ad Ioël filium Phatuel. Audite*
hoc senes, & auribus percipite omnes habitatores terræ: Si factum est
istud in diebus vestris, aut in diebus patrum vestrorum? Super hoc filijs
vestris narrate, & filij vestri filijs suis, & filij eorum generationi alteræ.
Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus,
& residuum bruchi comedit rubigo. Expergiscimini, ebrij, & flete, &
vlulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine: quoniam perijt ab ore
vestro. Gens enim ascendit super terram meam, fortis, & innumerabi-
lis: dentes eius vt dentes leonis: & molares eius vt catuli leonis. Posuit
vineam meam in desertum, & ficum meam decorticauit: nudans spo-
liauit

liauit eam, & proiecit: albi facti sunt rami eius. Plange, quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis suæ. Periit sacrificium & libatio de domo Domini. luxerunt sacerdotes ministri Domini. Depopulata est regio, luxit humus: quoniam deuastatum est triticum, confusum est vinum, elanguit oleum. Confusi sunt agricolæ, vlulauerunt vinitores super frumento & hordeo, quia periit messis agri. Vinea confusa est, & ficus elanguit: malogranatum & palma, & malum, & omnia ligna agri aruerunt: quia confusum est gaudium à filiis hominum. &c. *Numquid non coram oculis vestris alimenta perierunt de domo DEI nostri, lætitia & exultatio? Computruerunt iumenta in stercore suo, demolita sunt horrea, dissipatæ sunt apothecæ, quoniam confusum est triticum,* &c. Hinc ergo fames secuta saturitatem.

V. Sed neque Bacchi ministris mancipiisq; mitiora intentantur. Nota est omnibus opulenti illius epulonis miseranda sitis. Quid Isaias minitatus sit iis, qui se rosis coronauerunt, considere-

Isa. 28. 1. remus. *Væ coronæ superbiæ, ebriis Ephraim, & flori decidenti, gloriæ exultationis eius, qui erant in vertice vallis pinguissimæ errantes à vino.*

Horat. lib. 2. satyr. 7.

Nempe inamarescunt epulæ sine fine petitæ,
Illusiq; pedes vitiosum ferre recusant
Corpus.

Sed Prophetam potiùs auscultemus. *Ecce,* inquit, *validus & fortis Dominus sicut impetus grandinis, turbo cōfringens, sicut impetus aquarum multarum inundantium, & emissarum super terrā spatiosam. Pedibus conculcabitur corona superbiæ ebriorum Ephraim. Et erit flos decidens gloriæ exultationis eius, qui est super verticem vallis pinguiū, quasi tēporaneum ante maturitatem autumni: quod cùm aspexerit videns, statim vt manu tenuerit, deuorabit illud,* &c. *Verùm hi quoque* (reuertentes de bello) *præ vino nescierunt, & præ ebrietate errauerunt: sacerdos & propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino, errauerunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignorauerunt iudicium. Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu sordiumq;, ita vt non esset vltrà locus.* Quàm sæpe turbo exurgit? quoties in aliquo populo titubatur? deest, quod molatur, ne dum, quod seratur. Timetur hostis rediturus, vt omnia vsque ad puluisculum auferat.

Nescitur,

Nescitur, quid consilij sit capiendum, deest animus resistendi, non suppetunt vires. Cur ita? corona ebriorum, iactantia deliciarum, nihil contra ensem & galeam; assueti vitro non sunt apti ferro tractando; errantes à vino ordinem seruare nesciunt. Quid mirum si corona sit in conculcationem, pro qua tantùm potatur, non pugnatur? Quid mirum si flos decidat, & quidem subitò? Sicut enim temulentiæ assueti plerumque improuisis mortibus ad Acherontem abripiuntur, neque præsentem habent animum, dum viam æternitatis ingrediuntur, quia rationis vsum sibi, dum viuerent, crebrò eripuerunt; & cùm à Deo *gloria & honore* essent *coronati*, sponte sua transierunt in naturam iumentorum, facti sunt *sicut equus & mulus, quibus non est intellectus*. Psal. 8. & 31.

Solonis lex erat: *Princeps si deprehendatur ebrius, morte multetur.* Franc. Petr. lib. 6. de regno tit 26.

Non tam seuerè, verè tamen Salomon dixit: *Noli regibus, ô Lamuel, noli regibus dare vinum: quia nullum secretum est, vbi regnat ebrietas, & ne fortè bibant, & obliuiscantur iudiciorum, & mutent caussam filiorum pauperis.* Prou. 31. 4. Quis enim speret, eos, dum vino æstuant, dum criminosa voluptate fruuntur, sobriè iudicaturos? Porrò *nullum esse secretum, vbi regnat ebrietas*, facile creditum est, quia *non est animus in sua potestate, ebrietate deuinctus. Quemadmodum musto dolia ipsa rumpuntur, & omne, quod in imo iacet, in summam partem vis caloris eiectat: sic vino exæstuante, quidquid in imo iacet abditum, effertur, & prodit in medium, onerati mero quemadmodum non continent cibum, vino redundante, ita ne secretum quidem: quod suum alienumq; est, pariter effundunt.* Senec. ep 83. Hinc quanta mala vel ab inscijs emanant? Etsi enim ipsi Reges & Duces cum hoste non colludant, tamen ebrij, & idcirco incauti effutiunt arcana coram famulis, & ijs, qui ab hoste maius, quàm à dominis suis salarium expectant. Hac via consilia arcana ad aliena castra euolant, vt sæpissime totus hostilis exercitus priùs sciat, quid facere cogitemus, quàm noster miles, immò nostrarum copiarum capita. Malè his vinum creditur; hinc nec sermo bene. Atque totæ in hunc modum prouinciæ pessum eunt. An non pœnam merentur isti suæ ebrietatis? Solent homines ebrietatis obtentu crimen extenuare, at Pittacus legem tulit: *vt qui per temulentiam sceleris aliquid commisissent, duplo plecterentur*, nempe Laërt. lib. 1. cap 5.

& sce-

& sceleris illius rei, & rei ebrietatis, ex qua quid sequeretur sci[re] debuissent.

VI. Quemadmodum autem è temulentia lites, rixæ, vulnera, blasphemiæ in Deum, adulteria, homicidia, proditiones vrbium & regionum proueniunt; ita par est etiam, in pœnam famem, si[c]tim, sterilitatem, vastationem prouenire. Omnia enim hæc iu[stis]simè respondent, gulæ, crapulæ, & ebrietati Maximus est in his diuinorum munerum abusus; idcirco non solùm æquo iudicio, sed clementi prouidentia subtrahitur à Deo peccantibus materia peccandi, hoc est, cibus, & potus, & opes mortem operaturæ. Si quis triticum neget egenis, & spargat in lutum, vt conculcetur; si quis vinum lassis, debilibus, ægris, afflictis solatium, in eloacam effundat; nemo sanus dubitârit, illum administratione bonorum extemplo dimouendum. Quid igitur de illo in cælesti consistorio iudicabitur, qui dona Dei vertit in venena? nec perdit modò vinum, quod est crimen (dispensator enim est, &, vt de omni verbo otioso, sic de omni expensa inutili danda est donatori ratio) sed etiam corpora & animas, egenos ægros, afflictos occidit non succurendo; insuper & compotatores; vitam illis accidendo, morbosque agminatim diluuio vini inuehendo; animas denique ipsas, per ebrietatem dæmonibus tradendo. Romano monstro, sed Cæsari indignamur, stagna nataturis ex vino implenti: & Christianum laudabimus vino amicos submergentē? Hunc tam abominabilem creaturæ saluberrimæ abusum, hanc inimicè amicam lasciuiam, omnium sapientum offensione, iam inter magnates pro more cultam, non potest Deus, sine ira, & vindicta intueri. Amos pastor & Propheta, ita in hos tonat: *Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ: optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israel, &c. Qui separati estis in diem malum: & appropinquatis solio iniquitatis. Qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris: qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem psalterij: sicut David putauerunt se habere vasa cantici. Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti: & nihil patiebantur super contritione Ioseph. Quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium; & auferetur factio lasciuientium*; qui non cessant,

Amos 6. 3.

ınt, famente populo, & ſuper contritione ſua gemente Ioſeph,
: ob inopiam frumenti aliò tranſmigrantibus alijs, conuiuia
onuiuijs connectere; & menſas menſis jungere, vt nullum ſit
ıter prandium & cœnam diſcrimen, ſed cœna prandij tempore
rincipium, prandium autem neque cœnæ hora finem habere
ideatur. VII.

Nimirum hæc factio hoſtem, hoſtis bellum, bellum famem
ttraxit in multas prouincias; quæ vtinam inopia & modeſtia
eruentur, per laſciuiam periturę. Hoc eſt peccatum, quod Ger-
naniæ quidem potiſſimùm, ab alijs gentibus tribuitur, ſed non
ntra Germaniam & finitimas nationes ſolas continetur, cùm
tiam Iudæis alijſque populis olim à Prophetis ſit obiectum.
Vbicumque autem vigeat, non eſt niſi penuriâ emendabile.
Quamuis, an etiam egeſtate tolli poſſit, debet dubitari. Spoliati
enim, & in poteſtate hoſtium poſiti, nondum animos, non con-
ſuetudines antiquas ponunt, ſed quoties ſeſe offert occaſio, co-
meſſantur, & Baccho litant. Proceres aliqui primi vexillum te-
mulentiæ præferunt, & lymphati vino circumeunt; qui vel hinc
maximè culpabiles, quòd non modò potatores legibus & pœnis
non coërceant, ſed etiam præeant exemplo. Graue enim illis
imminet à Deo judicium, qui cùm ſupplicijs à tanto dedecore
ſubditos deterrere deberent, alios ipſi vltro prouocant ad luxu-
riæ imitationem. Cùm igitur inſania potitandi paſſim pudore
careat, leges vicerit, potentes patronos ſortiatur, & in palatijs
magnorum quorumdam ſatraparum ſtabuletur, ordinaria gu-
bernatione Reipublicæ tolli non poteſt. Hinc prouidentia diui-
na nouas rationes adinuenit, & plures porrò inueniet. Ne pluri-
mi vino morerentur, neceſſitatem ſobrietatis intulit ipſis vinde-
miæ lætitijs. Creuit pretium vini, vt abuſus & ebrietas decreſce-
ret. Abſumptæ ſunt fruges, nondum abſumpta ſunt vitia. Tot
mala nondum faciebant ſobrios; tanta egeſtas adhuc aluit in-
temperantes. Et pauperes quidem de potu minùs querebantur;
aqua non deerat populo ſitienti. Sine cibo viuere, naturæ non
conueniebat. Qui quia deerat, in eſcam vrticæ, in panem furfu-
res coquebantur. Hinc morbi, hinc contagio, hinc mortes. Quid
ergo? an non & iſtorum multi has porcorum dapes meruerunt,

quando porcorum ritu sese priùs ingurgitarunt? & planè Epicurei in pari honestate habuerunt bibere & vomere; vinum ingerere, & egerere? Punit DEVS etiam priuatorum intemperantiam fame, aut esurie prodigiosa. Quod vel è religiosorum hominum pœna atque exemplis disce.

VIII. Narrat id idoneus author, Venerabilis Beda Presbyter Anglus, qui vixit Anno Christi 731. sub S. Burgundofora in monasterio, *quod Euoriacas appellatur*, contigisse. *Quædam puella nobilis genere, ad suprà memoratum Cœnobium regulari disciplinæ colla submittere venit: sed bonæ vitæ conuersationem antiquus hostis aggressus euincere, excitauit in ea gulæ auiditatem, ita vt esuriem furtiuo cibo semper exatiare studeret. Quod facinus, per longa spatia temporum, non deprehensa patrauit, nec prorsus alicui sodalium patefactum est. Cùm ergo diu gulæ auiditas animam maculasset, dedit arbiter justam sententiam super animam injustam: corripuit grauißimum facinus pœna grauiori, ac super fessos artus excitauit odium liciti cibi. Nec alio quoquam genere ciborum alebatur, nisi furfurum frondiumq; & herbarum, agrestium more pecudum, alimento: cumq; iam multis diebus hæc vltio supra animam transgreßione deceptam maneret, & sibi hora refectionis supradictum cibum adduci postularet, vidit speciem apri magni secum comedere, & morticinosos cibos porci grunnio ventilare. At illa pauefacta, interrogauit, quid esset? Respondit, quæ videbatur bestia, & ait: Aper ego sum, cibos, quos hactenus per transgreßionem comedisti, tecum ego comedi, & modò per istius anni circulum hunc cibum habebis. Permansit ergo cibus ille per metam vertentis anni, nec prorsus aliud quidquam edebat, quàm furfures, frondesq; arborum, atq; herbas agrestes, & quodcumq; ex ceterarum radicum reliquijs projcitur. Quid enim fuit, vt diaboli voce fragilis mens miseræ transgreßionis conscia objurgaretur, nisi quia per præsentium pœnarum immanitatem non sineret animam postmodum cruciatibus damnari, & diuina pietas per eum voluit improperia constituendo depromere, per quem fuerat transgreßio propagata, & hunc habere iudicem, cuius suasionibus malis diu decepta obtemperauerat, & post pœnas illatas cognoscere, non diabolo, sed Creatori creaturam debere obedire.* In virgine, in nobili puella, & delicatè educata, & fortè aliquot poma, aut panis frusta furtim comedente, tam seuerè gastrimargiæ vitium

Beda: tom. 3. in fine vitæ S. Burgũdoforæ Abbatissæ.

vitium animaduertit diuinus judex, & in ea femina, quæ mundi illecebris, quæ nuptijs, quæ titulis & honoribus auitis ſpretis, ceteroqui ei ſeruiebat: quo modo gulæ peccatum plectet in illis, qui degulato patrimonio, ſemper in popinis, numquã in templis verſantur? Pergit Beda. *Similiter alia puella nomine Baractrudis, cùm diu in ſupradicto cœnobio conuerſaretur, & nequaquam regularis diſciplina omni conatu intẽderet præcepta ſeruare, miſit diabolus in mentem tranſgreßione correptã, vt quæq; potuiſſet furto rapere, occultè cõederet: quæ cùm diu hac tranſgreßione animam macularet, dedit juſtam vltionem de ea arbiter juſtus. Corripitur enim repentè ignitis febribus, ac inter incendia clamare cœpit, væ mihi, væ mihi. Et poſt has voces ita ſopita jacuit, vt mortua ab omnibm crederetur: cumq; poſt multum horarum ſpatium anhelaret, febris ab igne vexata, clamare cœpit: veniat mater, veniat mater. Concito ergo gradu, quæ audierant, matrem monaſterij beatam Burgundoforam vocant: quæ cùm veniſſet, ægra, quæ jacebat, tota intentione cordis facinorum ſuorum conjecturam per confeßionem pandit. Omnes verò aſtantes, cùm iam finem vitæ exſpectarent, ſubitò illa diuina miſeratione conualeſcens, meliùs habere cœpit, & ita paulatim ſubtracta periculo mortis, beatam vitam poſtea duxit.* IX,

Ad hunc modum menti & virtuti reſtituta puella, eſt etiam eum reſtituta ſanitati. Quem modum in priuatis caſtigandis, etiam rectè ſeruat in publicis DEVS. Si emendantur, gladium in vaginam reponit; ſi obſtinatè pergunt peccare, nouit pœnam intendere. Quando enim vitia pudorem, leges, magiſtratus vincũt, dicuntur completæ iniquitates, & in faſtigio ſupremo ſtantes publicis cladibus, atque etiam tota ſæpe regnorum euerſione puniuntur. Quid enim, ſi adeſt hoſtis, vaſtantur agri, fumant incendijs pagi; audiuntur è vicino tympana & tormenta hoſtilia; & in noſtris vrbibus gliſcit intemperantia, immò in noſtris caſtris non acies, ſed conuiuia inſtruuntur? vt hoſtis ſuperueniens ebibat, quod tu amicis tuis propinauiſti? Nemo queratur; tantùm moneo nocentes. Scio & domi & belli abſtemios reperiri, ſed paucos. Nemo miretur, opes inſtrumenta luxuriæ tam malè vtentibus auferri. Nemo doleat innocentibus non dari malè fortunæ; quæ malè vitijs ſeruiebant, ſtan vſuris. Bene abeunt fortunæ; quæ malè vitijs ſeruiebant.

Bonam concipere ſpem audebunt viri fideles, & publici commo di amantes, ſi eò deducta fuerit diſciplina, vt non modò Concio natores temulentiam è cathedris deteſtentur, Magiſtratus decli nent, Principes legum ſeueritate terreant, pœnis perſequantur, Epiſcopi in clerum canonum vigorem exerceant; ſed in vſum quoque reuocetur temperantia, & ametur; ne metu ſupplicij, ſed amore virtutis recta agantur. Rectè Anacharſis dicere ſole. bat, *Quicumq; ſobrius fieri vult, turpes ebriorum mores intueatur.*

X. Quare ebrij mores non ſine cauſſa tam exactè depinxit

Senec. ep. 83 Philoſophus illis verbis: *Satius eſt, apertè accuſare ebrietatem, & vitia eius exponere, quæ etiam tolerabilis homo vitauerit, nedum perfectus & ſapiens, cui ſatis eſt ſitim extinguere: qui etiam, ſi quando orta eſt hilaritas, alienâ cauſâ producta longiùs, tamen citra ebrietatem reſiſtit. Nam de illo videbimus, an ſapientis animus nimio vino turbetur, & faciat ebrijs ſolita. Interim, ſi hoc colligere vis, virum bonum non debere ebrium fieri, cur ſyllogiſmis agis? dic quàm turpe ſit, plus ſibi ingerere, quàm capiat, & ſtomachi ſui non eſſe menſuram: quam multa ebrij faciant, quibus ſobrij erubeſcant: nihil aliud eſſe ebrietatem, quàm voluntariam inſaniam. Extende in plures dies illum ebrij habitum: numquid de furore dubitabis? nunc quoq; non eſt minor, ſed breuior. Refer Alexandri Macedonis exemplum, qui Clitum chariſsimum ſibi ac fideliſsimum inter epulas transfodit, & intellecto facinore, mori voluit, certè debuit. Omne vitium ebrietas, & incendit, & detegit: obſtantem malis conatibus verecundiam remouet. Plures enim pudore peccandi, quàm bona voluntate, prohibitis abſtinent. Vbi poſſedit animum nimia vis vini, quidquid mali latebat, emergit. Non facit ebrietas vitia, ſed protrahit. tunc libidinoſus ne cubiculum quidem exſpectat, ſed cupiditatibus ſuis quantum petierint, ſine dilatione permittit: tunc impudicus morbum profitetur, ac publicat: tunc petulans non linguam, non manum cõtinet. creſcit inſolenti ſuperbia, crudelitas ſæuo, malignitas liuido: omne vitium detegitur, & prodit. Adijce illam ignorantiam ſui, dubia, & parum explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipſa mobilia, velut aliquo turbine circumagente totam domum: ſtomachi tormenta, cùm efferueſcit merum, ac viſcera ipſa diſtendit. Tunc tamen vtrumq; tolerabile eſt, dum illi vis ſua eſt, quid, cùm ſomno vitiatur, & quæ ebrietas fuit, cruditas*

litas facta est? cogita quas clades ediderit publica ebrietas. Hæc acer-
rimas gentes, bellicosasq́; hostibus tradidit: hæc multorum annorum
pertinaci bello defensa mœnia patefecit: hæc contumacißimos, & ju-
gum recusantes, in alienum egit arbitrium: hæc inuictos acie, mero do-
muit. Alexandrum, cuius modò feci mentionem, tot itinera, tot præ-
lia, tot hiemes, per quas victa temporum locorumq́; difficultate, trans-
ierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum dimiserunt: in-
temperantia bibendi, & ille Herculaneus ac fatalis scyphus condidit.
Quæ gloria est capere multum? Cùm penes te palma fuerit, & propi-
nationes tuas strati somno, ac vomitantes recusauerint, cùm superstes
toti conuiuio fueris, cùm omnes viceris virtute magnifica, & nemo
tam vini capax fuerit; vinceris à dolio. M. Antonium, magnum
virum, & ingenij nobilis, quæ alia res perdidit, & in externos mores ac
vitia non Romana traiecit, quàm ebrietas, nec minor vino Cleopatræ
amor? Hæc illum res hostem reipublicæ, hæc hostibus suis imparem red-
didit, hæc crudelem fecit, cùm capita Principum ciuitatis cœnanti re-
ferrentur, cùm inter apparatißimas epulas luxusq́; regales ora ac ma-
nus proscriptorum recognosceret, cùm vino grauis sitiret tamen sangui-
nem. Intolerabile erat, quòd ebrius faciebat, etiam si sobrius faceret:
quantò intolerabiliùs, quòd hæc in ipsa ebrietate faciebat? Ferè vinolen-
tiam crudelitas sequitur: violatur enim, exasperaturq́; sanitas mentis.
quemadmodum difficiles faciunt oculos diutini morbi, etiam ad mini-
mam radij solis offensionem: ita ebrietates continuæ efferant animos.
Nam cùm sæpe apud se non sint, consuetudine insaniæ durata vitia, vino
concepta, etiam sine illo valent. XI.

Hinc demonstrat Philosophus, *illas, quæ voluptates vocan-*
tur, vbi transcenderint modum, pœnas esse; ego ostendo etiam pœ-
nas mereri; mereri hostem, mereri famem, mereri pestem. Quid
mirum, si pacis & belli consilia in irritum cadunt, quando caussæ
pacis impetrandæ, & belli finiendi non tolluntur? Quid de fame
queruntur saturi? Sanè inter tot mala in publico luctu nondum
cessat crapula. In immensum crescit pretium panis, & æstimatio
annonæ, & instituuntur adhuc quotidianæ comessationes.
Quod non miror, potens est consuetudo vitiorum. Illud admi-
ratione dignissimum est, nondum puniri intemperantes, tabaco,
fumo, cereuisia, vino, non tantùm in singulos dies, sed etiam in

singulas horas immersos; non appellari de flagitio, quo sanitas, natura, DEVS offenditur; & ob quod pagi, vrbes, Prouinciæ affliguntur, omnia ad exitium fugiendum consilia exquiruntur; de vera & vnica malorum tollenda caussa, hoc est, de euitandis peccatis, non satis seria, constans, efficax est deliberatio, non executio; reduuiam curamus, incurata manet tabes; lenimenta dolori conficimus, hæret in vrnis caussa morbi; riuum siccamus, non obturato fonte; discutimus fumum molestum oculis, ignem fouemus vrentem viscera. Seiungi illa non possunt, quæ nexu indissolubili sunt deuincta, culpa & pœna. Admittenda sunt, quæ misericorditer DEVS coniunxit, pœnitentia & venia. Dolendum non de pœna, quæ salubris, sed de culpa quæ exitiabilis est. Lachrymas multis extorquet pœna, quæ sentitur; sed abest detestatio culpæ, quæ blanditur. Quàm multi dolent, non quia in sanitate & justitia, in jejunijs, in orationibus, in templis, & spiritualibus exercitijs DEO seruire nequeunt, sed quia opes, deliciæ, epulæ, compotationes, cæteræ cupidines, hostium aduentu, sunt excussæ. Ad hoc orant, ad hoc anhelant, vt per pacem, ad cupiditates redeant explendas, ne publicis calamitatibus turbentur priuatæ voluptates. Quo in morbo, si ipsi jacent, quorum esset curare, sera est spes sanitatis. Quo pacto judex sententia sua damnabit eos, quos confirmat vita sua? Siquidem, vt Philo dixit: *absurdum est, criminibus teneri eos, qui alijs jura exæquant & administrant.*

Stob. serm. 309.

XII.

Nec est, quòd quis dicat, vbique vigere hoc vitium gulæ; nusquam non agitari conuiuia; apud Ethnicos & DEI hostes maximos, temulentiæ esse peruicaciorem furorem; & fatentur eorum non pauci, prouincias suas magis Baccho, seu Cereri, seu Semeles filio, quàm Thebas ipsas esse sacratas. Cur igitur ad eos fames non migrat? cur hostis illorum agros non depopulatur? cur nos plectimur, illis est impunè, quos sibi totos subjecit venter, *tamquam mediastinos improbos quotidianis laboribus inseruientes*, vt Theognis ait? Imprimis disputari potest, vbi hoc vitium magis inualescat. Tanta enim reperitur etiam apud Christianos exorbitatio, vt videantur cum Apicijs & Sardanapalis velle de luxuria certare. Deinde demus, maiores alibi excessus inueniri,

Idem Stob. serm. 17.

& viuere

:viuere infideles quosdam, more porcorum, quid mirum? Illis
ùm vera fides desit, in tanta errorum varietate, non est cura
isciplinæ. Nobis DEVS grauiùs irascitur, post fidei gratiam in-
ratis; non est eadem ebrietas Ethnici & Christiani, fidelis & in-
delis. Nos DEVS castigat vt filios; illos reseruat ad maiores
lagas, vt seruos. Nec enim illos relinquet impunitos. Nos ple-
tit, vt emendet; quod ipsum est beneficij genus. Sanare vult,
quos de saturitate languidos cogit famere. *Fruitiones & volupta-* Stob. loc. cit.
es, quæ non per ianuas ingrediuntur, ex Antisthenis sententia opus ha-
bent aut sectione aut helleborismo, aut fame macerari: vt malas pœnas
luat illa ingurgitatio, quam breuissima voluptatis gratiâ admisimus.
Trahit quidem communem pœnam secum omne delictum, sed
hoc vitium, præter commune conscientiæ flagellum, ac suam
propriam vanitatem, in Christianis etiam fame punitur, vt sa-
netur. Commune illud est omnibus, quod Democritus animad- Ibid.
uertit, vt *qui ventris voluptates sequuntur, edendo, potando, Veneris*
illecebris tempus fallentes, breue omnino delectationis tempus habeant,
interim dumtaxat, dum edunt ac bibunt. Curæ verò ac tristitia multæ
sequuntur. Semper etenim earumdem rerum desiderio torquentur:
& cùm, quæ appetunt, nacti fuerint, voluptas confestim transit, cùm
nihil in se boni, quam momentaneam titillationem habeat: itaq; mox
rursus ijsdem indiget. Hæc pœna communis est omnibus, qui se
sinunt decipi à voluptate. Aliam quidem illam famis pœnam
etiam alijs gentibus, certas ob caussas, immittit subinde, ne crea-
turis adeò abutantur, atque vt è vita etiam sublatæ ad promerita
supplicia abripiantur; suis autem fidelibus, vt icti sapiant, & con-
fugiant ad nutritorem suum, per pœnitentiam, cuius beneficia
contempserunt. Hoc intellectu exclamat Amos Propheta: *Au-* Amos. 3. 1.
dite verbum, quod locutus est Dominus super vos, filij Israël: super om-
nem cognationẽ, quam eduxi de terra Ægypti, dicens: Tantũmodò vos
cognoui ex omnibus cognationibꝰ terræ. idcirco visitabo super vos omnes
iniquitates vestras. Nimirum, vt medicus, non reuertitur ad æ-
grotum, neque ei pharmacum præscribit, de quo desperat sanan-
do; illum autem, de cuius valetudine restauranda sibi confidit,
vrit, secat, ligat, & nihil non adhibet curæ; ita DEVS, sæpe suos,
præ alijs plectit, & fame conficit, quod non facit peioribus, in

quibus restituendis oleum & opera perderetur. Neque diuina sapiunt, qui existimant, nimis crudelem esse pœnam, famem induci, per totas regiones, ob conuiuiorum hilaritates, & , vt vocant, inuitantium amicitiam atque charitatem. Nam hoc etiam ad cumulum peccantium culpasque accedit, excusare delicta, accusare seueritatem visitantis, irasci suadentibus pœnitentiam, & justitiam punientis defendentibus. Quæ verba his respondenda sunt? Silendum est, vt in summis malis fieri solet. Siquidem plorare magis conuenit deploratos, quàm loqui non audituris. Audiant tamen Dominum exercituum; & metuant, & contremiscant. *Audite verbum hoc vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ: quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes: quæ dicitis dominis vestris: Afferte, & bibemus. Iurauit Dominus Deus in sancto suo: quia ecce dies venient super vos, & leuabunt vos in contis, & reliquias vestras in ollis feruentibus.* Hic optimates quosque, non boues aratores, sed, per sarcasmum, vaccas pingues appellat; *quia residentes domi, ventri & gulæ seruiebant, opprimendo egenum, & confringendo in judicio pauperem, vt bona illorum in suos redigerent vsus*, ait ibidem Strabus. Itaque *leuabunt vos in contis*, ait, *& reliquias vestras in ollis feruentibus*, quemadmodum vaccarum carnes in vectibus solent leuari, & postea in ollis feruentibus coqui. Nam populus ille impius ab Assyrijs erat obsidendus, & post multas calamitates fame pestilentiaque in obsessis ciuitatibus excoquendus. Neque hæc ad decem dumtaxat tribus dicebantur, sed ad nos quoque, quos non par est in pœna impares esse ijs, quibus sumus in culpa pares.

Amos. 4. 8.

CAPVT IX.

Famis, ad charitatem exercendam vsus; & abusus ad exercendam immanitatem.

I. Ratores quidam, aut declamatores, vt se in dicendo exercerent, paradoxa quædam sibi ad dicendū sumpserunt argumenta. Quidam Helenam, Paridem alij; alij podagram, nonnulli ipsam pestilentiam laudauerunt. Quantò æquius etiam Famem verbis extollere potuerunt? Quæ sanè,

anè, tametsi, vti tamquam malum aliquod naturæ, neq; aman-
a, neque laudanda est; laudandus tamen & amandus est in illa
Devs, quia per eam, tamquam per flagellum, homines affligit,
t resipiscant. Sic Paulus ait: *Gaudeo: non quia contristati estis, sed* 2. Cor. 7. 9.
uia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundùm
Devm, *vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis.* Pari pacto, etsi,
n terris preces fundimus, ad famem à nobis auertendam; in cælo
amen multi gaudebunt, famem extitisse; atque eam ipsam lau-
dabunt, non solùm ob jeiunij & abstinentiæ præmium; sed etiam
quia in ea diuinæ prouidentiæ veritatem, æquitatem, iram, &
pœnam agnoscentes, pœnitentiam egerunt. Immò, quia fames
caussa fuit, vt *felices miseritudine fierent aliena*, quemadmodum
Actius loquitur. Qui enim esuriei alterius miseretur, charitatem
exercet, cælum emit. Siquidem si *quicumque potum dederit calicis* Matth. 10. 42
aquæ frigidæ, non perdit mercedem suam; cur perderet, qui panem
porrigit inopi esurienti? Ideò vnus indiget, & alter abundat, vt
abundans det indigenti; & indigens petat ab eo, qui abundat.
Quod si verò magni est, apud cælestem Patrem, meriti, quando
vnum è filijs eius tunc saturamus, cùm ab alio habere posset, &
annus est in vilitate; quantò plus merebimur, in summa caritate
& inopia, liberales? Quantò enim tunc maior est necessitas
proximi, tantò illustrior est miseratio porrigentis. Datur namq;
tunc & magis indigenti; & ab eo, qui ipse potest metuere, ne in-
digeat. Quare & spem habet eminentiorem, dum, periculo con-
tempto, Devm confidit omnia compensaturum: & opus facit
nobilius, ob difficultatem faciendi.

II. Tali spe fuit Basilius Magnus, de quo Gregorius Nyssenus
hæc habet. *Fames grassabatur, & quidem post hominum memoriam* Greg. Nyssen. orat. in laudes Basil. Magn.
atrocissima. Languebat ciuitas, nec ex vllo loco auxilium afferebatur,
nec vlla calamitatis Medicina. Nam maritimæ quidem vrbes eiusmodi
rerum penurias facilè sufferunt, dantes nimirum ea, quibus affluunt,
ac vicissim ea, quibus carent à mari accipientes: at nos, qui procul à
mari degimus, nec ex ijs rebus, quibus abundamus, vtilitatem vllam
capimus, nec ea, quibus egemus, vllâ arte comparare possumus: vt qui
nec ea, quæ habemus exportare, nec ea, quibus caremus, importare que-
amus. Sed in huiusmodi malis nihil grauius atque acerbius, quàm cru-
delitas

delitas cupiditasq́; inexplebilis eorum, qui rei frumentariæ copiâ circumfluunt. Obseruant enim temporum difficultates, atq; ex annonæ penuriâ lucrum captant, & ex aliorum calamitatibus messem faciunt,
Prou. 19. *nec illud audientes, Eum, qui pauperi commisereatur, Deo fœnori dare.*
Eccli. 29. Prou. 11. *Nec rursus illud, Eum, qui frumentum abscondit, plebi execrabilem esse: Nec deniq; quidquam aliud eorum, quæ vel humanis & benignis hominibus pollicetur Scriptura, vel duris & inhumanis comminatur. Verùm immodicâ quadam & inexplebili cupiditate flagrant, maleq́ sibi consulunt, vt alijs sua, ita sibi ipsis Dei, cuius ope non multò magis se indigere sentiunt, quàm alij ipsorum auxilio egeant, viscera præcludentes. Atq; hæc frumentarij mercatores cauponesq́; faciunt, qui nec cognationis jure mouentur, nec erga* DEVM, *cuius munere ipsi alijs inopiâ laborantibus in rerum copiâ viuunt, grati animi officio funguntur.*
Exod. 16. *At Basilius panem quidẽ è cælo per orationem fundere, populumq́; profugum in deserto alere minimè poterat, nec alimoniam sumptus expertem vasis, fontis instar, scaturire, quodq́; vix humani sensus capiunt, inanitione ipsâ intumescentibus, vt altricem suam in hospitalitatis præmium aleret, nec postremò quinq; panibus copiosissimæ multitudinis famem explere, quorum reliquiæ etiam ipsæ tales erant, vt pluribus mensis sufficerent.*
3. Reg. 17. Ioan. 6. *Hæc enim Moysis erant & Heliæ & DEI mei, à quo ad eos quoq; huiusmodi potestas manauerat: fortasse etiam temporibus illis statuiq; conueniebant: quandoquidem signa infidelibus, non fidelibus dantur.*
1. Cor. 14. *Verùm, quæ his consentanea sunt, & eòdem tendunt, ea cum pari fide cogitauit atq; perfecit. Apertis enim oratione suâ & cohortatione locupletum horreis, facit, quod est in Scripturâ, cibum esurientibus frangit, panibusq́; pauperes satiat, alitq́; eos in fame, atq; esurientes animas implet bonis.*
Isa. 58. Tob. 4. Luc. 1. *Quo tandem modo? neq; enim hoc ad laudis cumulum parui momenti est. Nam cùm eos, quos fames vulnerârat, in vnum coëgisset, nonnullos etiam spiritum ægrè trahentes viros, fœminas, puerulos, senes, omnem ætatem commiseratione dignam, omnia ciborum genera, quibus fames depelli posset, corrogans, atq; ollas pulmentariorum salsiq; nostratis obsonij, atq; ad leuandam pauperum famem accommodati plenas proponens: ac deinde Christi, qui linteo*
Ioan. 13. *præcinctus discipulorum pedes abluere nequaquam grauabatur, ministerium imitans, simulq́; puerorum siue conseruorum suorum ad eam rem operâ vtens, corpora pauperum animasq́; curabat, honorem cum neces-*

necessario alimento connectens, ac dolorem eorum vtrimq; leniens. Talis erat nouus noster procurator & secundus Ioseph: immò etiam quiddam habemus, quod de nostro magnificentius prædicemus. Ille enim arte fami occurrit, ac benignitate Ægyptum emercatur, vbertatis tempore ad famem venturam commodissimè vsus, aliorumq; insomnijs ad eam rem ordinatus: hic autem gratuitam beneficentiam exercebat, neq; in hoc frumentario largitionis auxilio quæstum vllum captabat, id vnum spectans, vt misericordiâ misericordiam sibi conciliaret, ac pro terrenâ frumenti erogatione cælestibus opibus frueretur. Accedebat sermonis alimonia, pleniusq; beneficium ac munificentia, illa inquã verè cælestis ac sublimis: Siquidem Angelorum panis sermo Diuinus est, quo aluntur atq; irrigantur animæ DEVM *esurientes, ac cibum non defluentem & abeuntem, sed perpetuò manentem expetentes, cuius ipse dispensator erat, & quidem perquam locuples, homo alioquin omnium, quos noui, tenuissimus atq; egentissimus, non panis famem aut sitim aquæ sanans, sed verbi illius verè vitalis ac vim alendi habentis, eumq; qui rectè nutritur, ad spiritualis ætatis incrementum ducentis, auiditatem explens. Ob hæc igitur ac tanta (quid enim omnibus recensendis longiorem moram trahere necesse est?) cùm is, qui nomen à pietate appositè ducebat, ex hâc vitâ migrâsset, atq; in ipsis manibus animam suauiter exhalasset, ad excelsam Episcopatûs sedem euehitur: non id quidem citra laborem, nec citra inuidiam & dimicationem tum eorũ, qui patriam cum imperio administrabant, tum perditissimorum quorumcumq; huius vrbis ciuium, qui ab illorum partibus stabant. Verùm fieri aliter non potuit, quin Spiritus S. vinceret, atque adeò abundè vicit.*

Gen. 41. 42.

III. Omnia, quæ hucusque, ex D. Gregorio recensui, sunt documenta, in fame, erga proximum seruanda, quæ ille demonstrat, D. Basilium seruasse, à quo alij scribunt, adhuc presbytero prędia, possessionesque venditas, pecuniamque in alimenta conuersam, vt inedia laborantibus posset succurrere, adeò vt etiam Iudæorum liberos huius benignitatis & liberalitatis ex æquo participes faceret. Documenta autem, quæ etiam nobis sunt capienda, præcipuè sunt. 1. vt, dum alij esuriunt, frumentum non abscondamus, neque dicamus, farinam, aut panes non haberi, quod faciunt, qui aut pretium, & famem augere volunt, habendi cupiditate

tate inflammati, aut qui Deo diffidunt, ne & ipsis subducat, quo comedant. Quasi ille auaros magis curet, quàm liberales; aut immisericors sit erga misericordes. Contrarium efficiunt. Nam dum habent, & negant, etiam Devm, qui habet, vnde eos alat, docent negare; immò propemodum cogunt. 2. Discimus, in fame, non miracula petenda, & panem è nubibus cadentem; sed modos viasque naturales adhibendas, magisque tunc Promos, quàm Condos in familiam asciscendos. 3. Adeundos locupletes, & adhortatione aures primùm, tum etiam cistas, & granaria illorum aperienda. 4. Non fugiendos aut declinandos esse miseros, neque expectandum, donec ipsi fores nostras pulsent; sed vltro quærendos, sed conuocandos, sed cogendos, vt ijs & ostia & viscera patefaciamus. Si enim opifices nonnulli circumeunt, & quærunt, vbi laborando lucrum possint reportare; cur non & nos lucrum hoc spirituale quæramus? Ad hoc Devs famem facit, vt tibi charitatis exercendæ & lucri faciat occasionem. 5. Christi, & Basilij exemplo, lauandos miserorum pedes, vt & corpora eorum cibis, & mentem humilitate nostra reficiamus. Neque putandum est, hoc ad veteres dumtaxat sanctos, aut ad religiosos pertinere; cùm complures Principes, etiam nostra hac ætate, sciam pauperibus pedes abluisse. 6. Non aliena tantùm liberalitate, sed proprijs opibus inopes refocillandos. *Honora Dominum de tua substantia, & de primitijs omnium frugum tuarum da ei, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt*, ait Salomon. 7. Addenda solantia verba, & ad patientiam, fiduciamque in Devm excitantes exhortationes; vt & anima cum corpore pascatur. 8. Magnam, & in hac, & in altera vita, misericordibus superesse mercedem; nam, Basilij instar, non rarò euehuntur ad magnas dignitates, qui minimis succurrunt, & postquam morte defunguntur, etiam ipsi misericordiam reperiunt.

Prou. 3. 9.

IV. Florentius Abbas in vita eius, apud Sur. Tom. 6. cap. 4.

Immò reperiunt etiam in hac vita. Vt enim illi non sinunt Christum in pauperibus esurire, ita nec ipsos patitur Christus, in fame, famem pati; sed pascit vicissim pascentes se. Iudocus Britonum regis filius, eò inopiæ adactus est aliquando, vt pro se, proque discipulo suo Vulmaro, in victum quotidianum non haberet,

eret, nisi modicum panem. Hæ regiæ tanti viri dapes erant. Sed
vit misericordia eius, & Dei de suis cura pariter patefacienda,
taque Christus mendicabuli vilissimi palliastro tectus, à paupere
tipem rogauit. Ille, cùm aliud nihil suppeteret, panem suum
vnicum iussit quadrifariam æqualiter diuidi, mendicantique par-
em vnam è quadrantibus dari. Vix exierat iste, cùm alius, im-
mò idem Dominus sub alia pauperis specie, intrauit, præ inedia
defecturus, vt apparebat. Iudocus igitur mandauit, vt quadrans
alter ei præberetur. Nec mora, vix enim & iste abierat, cùm alius,
enim verò idem diuinus Vertumnus, alio rursus schemate sub te-
ctum intrauit, multò quàm prior, vultu miserabiliore, & magis
famelicus. Abstulit ergo & tertiam panis partem. Restabat vlti-
ma portio, in exiguum Iudoci, atque discipuli eius solatium. Vt
ergo absoluta eius & perfecta in miseros charitas mundo osten-
deretur; rursus in alia effigie mendici rediuit Dominus eleemo-
synam rogitans, sicut iam tertiò antè fecerat; nec erat vnde refi-
ceretur, nisi de residuo vltimo panis quadrante, qui duobus in
cœnam supererat, nec vni suffecturus. Quid faceret hîc vir Dei,
qui pauperum magis, quàm sui curam habebat? id ergo etiam,
quod vnicum supererat frustillum panis, pauperi iussit erogari.
Quod cùm videret Vulmarus: non potuit se continere, quin di-
ceret: *Nihil nobis vis reseruare, Pater?* Cui Iudocus respondit:
*Volo totum tribui esurienti, quia potens est Dominus etiam hodie nostræ
prouidere necessitati.* Quanta vis est fiduciæ in Devm? Vix reces-
serat in mendici imagine Dominus, eo ipso tempore, quo vir
sanctus discipulum de liberali panis erogatione commotum ad-
huc consolabatur; ecce per fenestram prospiciunt ambo, vidént-
que in alueo fluminis quatuor nauiculas optimo commeatu vi-
ctuque oneratas. Nimirum pro singulis panis distributi particu-
lis, integram nauiculam de cælesti granario remisit Dominus.
Nam quis eas adduxerit mercibus instructas, aut quis denuo ab-
duxerit exoneratas, non constitit. Non fuit ergo dubitatum, ab
Angelis fuisse aduectas & auectas, docentibus nihil amitti, sed
cum multo fœnore reddi, quæ famentibus mendicis distribuun-
tur.

Sed vt hæc omnia tantò impensiùs discamus facere, quàm
dignum

dignum miseratione malum ſit fames pariter, & quàm ardente
in ea charitatem exercuerint Chriſtiani, in alio exemplo oſten
damus. Sic enim loquitur, in Eccleſiaſtica hiſtoria Nicephorus
poſtquam edictum Maximi, contra Chriſtianos, impium fame
punitum recitauit. *Eiuſcemodi litteris contra nos publicatis, ſpes re.*
rum meliorum omnis, quantum in nobis ſitum eſt, præcludebatur, &
electi quoq; inter nos, vt eſt in ſacro oraculo, non in mediocre delabe.
bantur ſcandalum & offendiculum. Verùm enim verò omnibus tam
inexpectatâ rerum mutatione conſternatis. quum adhuc paſſim in iti.
neribus decreta ea eſſent, & ad multas vrbes nondum perlata fuiſſent,
qui omnia ſolo nutu & voluntate ſuâ facit & mutat Dominus, glorio.
ſam Tyranni ſuperbiam veluti ſtrangulans, derepentè auxilium cælitus
tulit. Statim enim ſolitæ pluuiæ, hiberno etiam tempore, in nubibus ipſis
vinctæ ſunt & retentæ: fames mox conſecuta & deinde peſtilentia. Ac.
ceſſit ad eas clades, qui propter colorem igneum carbunculus dicitur,
bulcus odoris peſſimi, membra corporis admodum contrahens, & quod
latiùs ſerpens ingens crearet periculum, occupatisq; oculorum angu.
lis, viros ſimul & mulieres, quas occupâſſet, luminibus orbaret. Bellum
inſuper Maximino ab Armenis illatum, qui antea ſocij Romanorum
fuerant. Belli cauſa erat, Chriſtiana fides & religio. Quòd enim homi.
nes inducere atq; perſuadere illis voluit, vt quem Chriſto præſtabant,
idolis offerrent cultum, ex amicis hoſtes eos habuit. Quæ mala omnia
eodem tempore coacervata. tyranni audaciam furoremq; contra nu.
men conceptum ſatis coarguerunt. Et cùm per iactantiam glorioſè, eò
quòd Chriſtianos perſequeretur, atq; idolorum cultum propagare ſtude.
ret, ſibi polliceretur, non famem, non peſtem, non bellum imperij ſui di.
tionem inuaſurum eſſe: clades eæ confertim cumulatæ, quàm ineptam
iactantiam & audaciam eius repreſſerunt, tũ euerſionem interitumq;
eius iam iam affuturum, certò ſatis indicârunt. Et ipſe quidem, expe.
ditione bellicâ cum copijs ſuis contra hoſtes ſuſceptâ, quotidie viribus
amiſſis inferior abibat. In vrbibus autem & locis imperij ſui reliquis
peſtis fami implicata ſæuiſſimè graſſabatur. Tanta porrò annona erat &
rerum neceſſariarum penuria, vt medimnus vnus tritici bis mille quin
gentis Atticis compararetur. Permulti ſanè etiã in vrbibus cadebant.
Ruſticorum autem, qui in agro mortui ſunt, multitudo numerari non
poterat. Et ferè eos omnes ſæua conſumpſerat peſtis. Nonnulli res ſibi

chariſſi-

Niceph. Calliſt. lib. 7. hiſt. Eccl. cap. 28.

hariſsimas locupletioribus paruo panis fruſto diuendebant. Aliј, poſ-
ſsionibus ſuis apud creditores depoſitis, ad ſummam inopiam redige-
antur. Erant, qui fœni rejectamenta ruminantes & pernicioſas herbas
idјcientes, emoriebantur: Mulieres honeſto loco natæ, inopiâ rerum
mnium ad inuerecundam redactæ neceſsitatem, in foro obambulantes
ſtipem mendicarent, pudore quodam & mundiore veſtitu priſtinam
delitiarum affluentiam & libertatem tacitè quodammodo præ ſe feren-
tes. Quidam pallidi & ſummè macilenti, perinde atq; ſimulacra quæ-
dam, rerum omnium egeni, hinc & inde oberrantes atq; lapſantes, proni
in triuijs ipſis concidebant, ſubſidij omnis expertes: & ad hoc vnum
ægrè firmi vt fame ſe premi teſtarentur, miſerandaq; voce à prætereun-
tibus cibi fructum ſibi præberi ſuppliciter peterent. Locupletiores porrò
propter mendicantium multitudinem deſperantes cùm multa eis largiti
eſſent, tandem & ipſi in ſæuam famis indigentiam perueniebant & cùm
eadem quæ indigentes paterentur, non ſatis humaniter eam ſortem
ferebant. Plurimis ergo diebus nuda cadauera paſsim jacentia, miſer-
rimum adhuc viuentibus præbuêre ſpectaculum. Iam nonnulli etiam
canibus eſca erant: cuius rei gratia frequens canum cædes fiebat, quòd
metus eſſet, ne illi in rabiem acti humanæ carnis cibo aſſueſierent. Pe-
ſtilentia verò domos ipſas peragrans, omnes carpebat, atq; inprimis di-
tiores conficiebat. Et quos fames non enecauerat, eos contagioſa peſtis
lues tollebat. Itaq; ſuſpirijs omnia plena eſſe, domus, plateæ, fora, lu-
ctus vbiq; & væ, cum ſolitis illis vociferationibus & planctibus exau-
diebantur. Et duabus hiſce quaſi armaturis, fame & peſte, mors ipſa
depugnans, generationem & populum eius temporis ferè omnem ſuſtu-
lit. Eademq; die quamplurima afferebantur cadauera, & innumera
quotidie fiebant ſepulchra. Hæc autoramenta & præmia, edicta con-
tra nos propoſita glorioſi & arrogantis Maximini ſunt conſecuta. Quâ
tempeſtate multi noſtrorum hominum egregia veræ pietatis ſuæ edidêre
documenta. Humanitatem enim ſuam declarantes, cadauera, quæ
paſsim inſepulta jacebant (erant ea quàm plurima) cum curâ ſepelie-
bant: quos verò fames vexaſſet, eis congregatis panes alimentaq; alia
præbebant, pro facultatum ſcilicet copiâ. Vnde longè lateq; fama cele-
bris de nobis vulgata, quæ ex omnibus alijs hominibus veræ pietatis
cultusq; diuini laudem nobis tribuit, & Chriſtianorum inſpectorem
curatoremq; Chriſtum magnificè laudauit. Cladibus iſtis peractis, ſa-

lutis

lutis DEVS, tutor & propugnator noster, ostensâ satis & exhibitâ ira & indignatione suâ, per eas, quas cumulatè immiserat calamitates, propter petulantem temerariamq; ei illatam injuriam, susceptasq; aduersus nos inimicitias, prouidentiâ suâ lætiora nobis affulgere tempora fecit, & post densas tenebras lucem ineffabilem pacatæ tranquillitatis præbuit. Eo profectò tempore certò declaratum est, DEVM ipsum spectatorem & moderatorem esse rerum nostrarum, qui quidem flagello in afflictionibus, conuersionis castigationisq; suorum gratiâ, vtitur: coërcione, & quasi disciplinâ, pro eo, atq; decet & expedit, peractâ, perhumaniter & paternè eos respicit, qui spem salutis firmam in eo collocatam habent.

VI. Psal. 144. 5. Luculentam hanc historiam, si in documenta libet partiri, intelligemus multa, ô DEVS, quæ *magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur: & mirabilia tua narrabunt. Et virtutem terribilium tuorum dicent: & magnitudinem tuam narrabunt.* Nam discimus 1. Sicut ob impium in Christianos Maximini edictum fames inuasit, ita sæpè magnorum Principum crudelia decreta publicas totis prouincijs pœnas inducere. Priuata delicta priuatis, publica publicis pœnis puniuntur. Hinc Turonensis ille magnus Episcopus, cui nomen Iniurioso fuit (cùm nihil minùs egisset in vita, quæ virtutibus omninò fulgebat) magnæ famæ Pastor, qui Papæ Vigilij tempora fortunauit; cùm Galliæ rex Clotarius edixisset, vt omnes sui regni Ecclesiæ fructuum partem tertiam fisco persoluerent; & ceteri Episcopi, licet inuiti consensissent, viriliter vnus ipse resistens iniquo regis postulato subscribere noluit, atq; ita est cum rege locutus: *Si, quæ Dei sunt, tollere volueris, Præpotens Dominus celeriter regnum tuum adimet. Est enim periniquum, & minimè ferendum, vt pauperes, quos horreis tuis ipse alere debes, sua illi stipe tua implere cogantur granaria.* Hæc ita liberè effatus, nec regi valedicens, iracundus abscessit. Rex tremefactus, & sancti quoque Martini in Turonensi Episcopo virtutem reformidans misit, qui abeuntem muneribus placarent. Itaque venia petita, & lege, quam tulerat, abrogata, apud D. Martinum illius sedis quondam Episcopum sese commendari suppliciter postulauit. Sęculo nostro ne pares his desint, ipsi Clotharij fiunt Injuriosi.

Greg. Turon. de gestis Francor. lib. 3. cap. 12. & lib. 10. cap. 31.

2. Nemo debet offendi, aut scandalo turbari, quasi DEVS Mundi sui

…at, ideò multat: negligeret, ſi non plecteret. Quia cu-
…ſui curam depoſuiſſet, cui cibum non ſubminiſtrat. Neque injuriam
…facit, ſi aut eſcam ſubducit (cùm hoc & medici faciant in mor-
…bis, qui inedia curantur) aut, Magiſtratu delinquente, ſubditos
…fame enecat; vult enim vel ſubditos tali magiſtratu liberare, & è
…vitæ huius calamitatibus educere ad cæleſtem menſam; vel certè
…vult Principes tali populo priuare; qui tamē populus ſæpe etiam,
…ſi non particeps eſt flagitiorum ſui magiſtratus, ſaltem impatien-
…tia & maledicentia in Superiores, meretur caſtigari. 3. Diſci- Rom. 15. 5.
…mus quàm metuenda ſit ira Dei, qui etſi vocetur & ſit Devs *pa-*
…tientiæ, vnde & *diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis* Rom. 2. 4.
…multi contemnunt, ignorantes *quoniam benignitas* Dei *ad pœni-*
…tentiam illos *adducit*; tamen ſubinde non differt pœnam. Nam
…cùm adhuc paſſim in itineribus decreta Maximini eſſent, *& ad mul-*
…tas vrbes nondum perlata fuiſſent, qui omnia ſolo nutu & voluntate ſua
…facit & mutat Dominus, glorioſam Tyranni ſuperbiam veluti ſtran-
…gulans derepentè auxilium cælitus tulit. Statim enim ſolita pluuiæ,
…hiberno etiam tempore in nubibus ipſis vinctæ ſunt & retentæ. Vnde
…& 4. potentiam diuinam perſpicimus, vnà cum celeritate puni-
…endi; poteſt enim pœnam vel è cælo ac nubibus deuocare, vt 4. Reg. 1. 10.
…cùm imbres ſuſpendit, aut cùm, igne miſſo, duos quinquagena-
…rios, ac bis quinquaginta viros, velut in ictu oculi, conſumpſit:
…vel terram hiulcare vt deuoret impios, ſicut exemplum fecit in
Core, Dathan & Abiron, quos terra viuentes deglutiuit, *cum* Num. 16. 32.
tabernaculis ſuis, & vniuerſa ſubſtantia eorum. Erratis, impij, ſi Pſal. 105. 17.
vobis ſecuritatem, ſi ſeram vindictam promittitis. Expectat
multos quidem Devs ad pœnitentiam; multos in ipſo facinore,
ſcelere adhuc flagrantes elidit; ſicut per Phinees pugionem vo- Num. 25. 8.
luit perfodi virum Iſraëlitem, cum ſcorto Madianitide, in lupa-
nari; &, per Spiritus Angelicos, capite plecti Vdonem Epiſco-
pum Magdeburgenſem. Caue tibi, quiſquis hac nocte, flagitium
cogitas, forſitan hac nocte implebitur menſura tuorum pecca- Luc. 12. 17.
torum. Sicut & illius, qui frumentarij pretij captator dicebat:
Quid faciam? quia non habeo, quò congregem fructus meos. cui di-
xit Devs: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem*
paraſti, cuius erunt?

VII. 5. Etiam grauitatem diuinæ pœnæ expendere hîc licet. Nam siccitatem *fames mox consecuta, & deinde pestilentia*, eaque odore pessimo nares, oculos cæcitate, plurimos intolerabili dolore, ac tandem etiam morte afficiens. Quin & bellum coronidis loco Maximino est superadditum. *Quæ mala omnia eodem tempore coacervata, tyranni audaciam furoremq́, contra Numen, conceptū satis coarguerunt.* Sapienter Dauid, è tribus pœnis, pestem, tamquam minus malum, vel hinc videtur, elegisse. Non enim è peste fames, sed ex fame pestis, è bello & fames, & pestis oritur, de qua re tamen paulò pòst accuratiùs est differendum. E quibus pœnis aliàs vnam, aliàs alteram; aliàs geminam, aliàs triplicatam, tamquam tergeminam Furiam in Mundum immittit, prout mortalium culpa vel simplex, vel duplex, vel tergeminum flagellum promeretur. Multi crapula atque ebrietate deliquerunt, fame igitur & siti eos cruciat diuina æquitas. Et cur famem non mererentur, quorum auaritia optauit sterilitatem? Corpus multi illicitis obscœnisque voluptatibus immerserunt, vlcere igitur & peste delicias compensant. Rapuerunt alij, & spoliarunt pupillos, expilarunt viduas, subditos bonis suis euerterunt; meritò igitur & ipsi hostem experiuntur prædas agentem, incendentem villas, omnia populantem. Ac famem quidem, justis Dei judicijs merentur, qui famem optant, qui fame ad auaritiæ compendia abutuntur, dum frumentum recondunt, dum non sunt contenti agrorum lucro, sed ipsa cogunt granaria iniquissimæ vsuræ fieri instrumenta. *Fœcunda terra multiplicatum reddit, quod acceperit*, inquit S. Ambrosius. *Fidelis ager fœneratos solet restituere prouentus. De reditibus igitur vberis glebæ expectare debes tui mercedem laboris, de fertilitate pinguis soli justa sperare compendia. Cur ad fraudem conuertis naturæ industriam & indulgentiam? Cur inuides vsibus hominum publicos partus? Cur populis minuis abundantiam? cur affectas inopiam? cur optari facis à pauperibus sterilitatem? Cùm enim non sentiant beneficia fœcunditatis, te auctionante pretium, te condente frumentum, optant potiùs nihil nasci, quàm te, de fame publicâ negotiari. Ambis frumentorum indigentiam, alimentorum penuriam, vberes soli partus ingemiscis, fles publicam fertilitatem, horrea frugum plena deploras, exploras, quando sterilior*

S. Ambros. lib. 3. de officijs. cap. 6.

lior sit prouentus, quando exilior partus, votis tuis gaudes arrisisse aledictum, vt nihil vsquam nasceretur. Tunc messem tuam venisse taris, tunc tibi de omnium miseriâ congeris opes, & hanc tu industriã ocas, hanc diligentiam nominas, quæ calliditatis versutia, astutia audis est, & hoc, tu remedium vocas, quod est commentum nequitiæ? latrocinium hoc an fœnus appellem? Captantur tamquam latrociniy empora, quibus in viscera hominum durus insidiator obrepas. Augetur retium tamquam sorte cumulatum fœnoris, quo periculum capitis aceruatur. Tibi condita frugis multiplicatur vsura. Tu frumentum quasi fœnerator occultas, quasi venditor auctionaris. Quid imprecaris malè omnibus, quia maior futura sit fames, quasi nihil frugum supersit, quasi infœcundior annus sequatur? Lucrum tuum damnum publicũ est. Immò & priuatum. Inde enim fiunt pauperiores, vnde lucrum expectant isti. Luculenta duo exempla recenset Gregorius Turonensis. Vnum de Paulino quodam Nolano ciue, & Tarasia vxore eius, quam cùm iussisset maritus etiam vltimum, quod supererat, panis frustum pauperi dare, illaque illiberali prouidentia viro non paruisset, nauim cum tritico illi aduenientem tempestas abstulit. *Tunc vir* Dei *conuersus ad mulierem ait: Intellige, te nunc pauperi vnum panem furatam: & ideò hanc nauem esse mersam.* Alterum & in naui, & nauclero accidit. Decrepitus senex & egenus ad littus maris exierat, inque ipso portu à nautis eleemosynam emendicare cœpit. Durum est hoc hominum genus; & à mari discit feritatem. Tamquam è pumice aquam peteret, ita siccos omnes atque asperos reperit. Accessit igitur ad illum, qui ad clauum sedebat, & primus erat nautarum, huic importuniùs assistens, iterum, iterumque dicebat tacenti: *Da mihi aliquid.* Tandem igitur, ne nihil impetraret, hæc verba accepit: *Absiste, quæso, decrepite, & noli à nobis quærere quidquam: nihil enim hîc aliud, præter lapides habemus.* Quid aliud durus homo, nisi lapides loqueretur? Nec enim erat is, ad quos Christus dicebat: *Quis ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei?* Petierat pauper iste filius panem, & nauta ostendit ei, tamquam si canis esset, lapidem. Indignatione igitur iusta accensus mendicus in hæc verba sese effudit: *Quandoquidem, præter lapides, in hac naui nihil haberi, ais; vt hoc verum fiat, omnia vertantur*

Greg. Turon. lib de glor. Confess. cap. 107. & cap. 108.

Idem ibid. cap 108. & Sigebert. in Chron sub An Dom. 606. Baronius sub. An 605.

Matth. 7. 9.

tantur in lapides. Dictum, factum. Extemplo enim totum nauis onus, quod esui erat idoneum, in saxa conuersum est. *Ego enim,* ait S. Gregorius Turonensis, *ex his & dactylos vidi, & oliuas aspexi marmore duriores: Nam cùm in lapidis duritiam conuersa fuissent, numquã tamen colorem, quem habuissent, perdiderunt, eadem forma, eademq; species erat. Dominus autem nauis patientia motus, inquisitum senem nusquam potuit reperire; &, sicut ferunt, per multas ciuitates de ijs, quæ in saxa mutata fuerant, ad videndum direxit, vt scilicet exemplum esset omnibus, ne similia perpetrarent.* Qualia etiam exempla ego in pluribus locis vidi; vt in Bauaria, in templo S. Leonardi, non procul ab Aichensi ciuitate, panem pauperi negatum, in lapidem commutatum, atque inibi asseruatum. Nimirũ auari ipso sunt cacodæmone nonnumquã peiores. Satan aiebat:
Matth. 4. 3. *Dic, vt lapides isti panes fiant*: isti autem, ne sit, quod famelicos alat, è panibus lapides faciunt, suique cordis duritiam in cibos inducunt.

VIII. 6. Igitur docet memorata à nobis superiùs historia, alios
Luc. 16. 24. esurire, vt alios ad misericordiam commoueant. Epulo ille, qui Lazaro micas negauit de mensa cadentes, postea nec aquæ guttam habuit, quâ linguam suam refrigeraret. Qui autem esurientes implet bonis, & DEVM imitatur, & cum fœnore recipit, quæ in benedictione seminauit. Est enim DEVS erga liberales & ipse
Luc. 6. 38. liberalis. Hinc ait: *Date, & dabitur*; neque sinit famem pati eos,
Gen. 42. 1. qui in fame, alijs succurrerunt, exemplo Ioseph, qui tempore sterilitatis, omnibus aperuit horrea, non clausit, eaque liberalitate etiam fratres ac parentem pauit. Sic fame aliena ad lucrum suum
Greg. Turon. lib. 2. hist. Franc. c. 24. vsum Ecdicium memorat Gregorius Turonensis, & nos alibi ex instituto deprædicauimus. Etenim, tempore Sidonij Episcopi, magna Burgundiam fames oppressit. Diffugit populus, & vt famem vitaret, patriam reliquit. Soli ferè pauperes, quibus fugiendi potestas non erat, remanserunt. His, cùm nemo esset, qui succurreret, Ecdicius senatorij ordinis vir, Sidonij propinquus, magnam rem & exemplo dignam fecit. Siquidem fame immensum inualescente seruos cum equis & plaustris, per vicinas ciuitates vndique dimisit, vt fame tabescentes ad se aduehenent. Illi mandato obsecundantes, demum comportarunt, quotquot mi-

eros repererunt. Ibi ergo Ecdicius promiscui sexûs ampliùs quàm quatuor millia, toto sterilitatis tempore, pauit, & ab interitu famis exemit. Reddita demum frugum vbertate, vnumquemque incolumem pago aut ciuitati suæ restituit. Pro quo tam insigni facto, post discessum istorum, hæc vox, de cælo, illi audita est: *Ecdici, quia fecisti rem hanc, tibi, & semini tuo panis non deerit in sempiternum.* Liberalitas ergo in pauperes, tempore sterilitatis, vsura est, non jactura. Quare congregandi sunt tunc egentes, non eliminandi, ne & vnà Devs eliminetur.

Elegantissimè & penetrantissimè S. Ambrosius ait: *Sed & illi, qui peregrinos vrbe prohibent, nequaquam probandi, expellere eo tempore, quo deberent juuare, separare à commercijs, communis parentis fusos omnibus partus negare, inita iam consortia viuendi auertruncare, cum quibus fuerint communia jura, cum ijs nolle tempore necessitatis subsidia partiri. Feræ ac bestiæ communem putant omnibus victum, quem terra ministrant. Illæ etiam consortem sui generis adjuuant, homo impugnat, qui nihil à se alienum credere debet, quidquid humanum est. Quantò ille rectiùs, qui cùm prouectâ processisset ætate, & famem toleraret ciuitas, atq; vt in talibus solent, peterent vulgò, vt peregrini vrbe prohiberentur, præfecturæ vrbanæ curam cæteris maiorem sustinens, conuocauit honoratos, & locupletiores viros poposcit, vt in medium consulerent, dicens, quàm immane esset peregrinos ejci, quàm hominem ex homine exueret, qui cibum morienti negaret. Canes ante mensam impastos esse non patimur, & homines excludimus? Quàm inutile quoq; tot homines mundo perire, quos dira fames conficeret; quantos vrbi suæ perire, qui solerent adjumento esse, vel in conferendis subsidijs, vel in celebrandis commercijs: neminem fame alienâ juuari, protrahere vt plurimùm diem posse, nō inopiam repellere; immò tot cultoribus extinctis, tot agricolis occidentibus, occasura in perpetuum subsidia frumentaria. Hos igitur excludimus, qui victum nobis inferre consueuerunt. Hos nolumus in tempore necessitatis pascere, qui nos omni ætate pauerunt. Quanta sunt, quæ ab ipsis nobis hoc ipso tempore ministrantur? Non in solo pane viuit homo. Nostra illic familia, pleriq; nostri etiam illic parentes sunt. Reddamus quod accepimus. Sed veremur, ne cumulemus inopiam. Primùm omnium misericordia numquam destituitur, sed adjuuatur. Deinde subsidia annonæ, quæ his*

° IX. S. Ambros. lib. 3. de officijs, cap. 7.

his impartienda ſunt, collatione redimamus, reparemus auro Nun-quid his deficientibus non alij nobis redimendi cultores videntur? quan-tò vilius eſt paſcere, quam emere cultores? Vbi enim repares? Vbi in-uenias, quem reformes? Adde, ſi inuenias, quem ignarum & alien-vſus numero poßis ſubſtituere, non cultui. Quid plura? collato auro coacta frumenta ſunt: Ita nec abundantiam vrbis minuit, & peregrini alimoniam ſubminiſtrauit. Quanta hoc commendationis apud DEVM *fuit ſanctißimo ſeni? Quanta apud homines gloria? Hic magnus vere probatus, qui potuit Imperatori dicere, demonſtrans prouinciæ totius populos: Hos tibi omnes reſeruaui, hi viuunt beneficio tui ſenatûs, hos tua curia iam morti abſtulit. Quantò hoc vtiliùs quàm illud, quod proximè Romæ factum eſt, ejectos eſſe vrbe ampliſſimâ, qui iam plu-rimam illic tranſegerant ætatem flentes cum filijs abijſſe quibus velut ciuibus amoliendum exilium deplorarent: interruptas complurium neceßitudines, direptas affinitates. Et certè arriſerat anni fœcunditas: inuectitio vrbs ſolùm egebat frumento: potuiſſent juuari, ſi peterent ab Italis frumentum, quorum filij expellebantur. Nihil hoc turpius, ex-cludere quaſi alienum, & exigere quaſi ſuum. Quid illum eijcis, qui de ſuo paſcitur? Quid illum eijcis, qui te paſcit? Seruum retines, tru-dis parentem? Frumentum ſuſcipis, nec affectum impartis? Victum extorques, nec rependis gratiam? Quàm deforme hoc, quàm inutile? quomodo enim poteſt vtile eſſe, quod non decet?*

X. Libenter aliud his proceribus ingererem, ſi pati manum ſanantem poſſent. Alunt tot paraſitos, tot moriones, tot canes aut homines caninos ac Cynicè loquentes & agentes; pereundū ſibi eſſe dicerent, ſi tot pauperes alere deberent. Certè diues ille Epulo habuit complures canes, quos alere potuit; pauperi Lazaro micam panis dare, graue duxit. Et obſeruatè tenendum eſt, micas negatas inopi, cùm toti modij dentur inutilibus, otioſis, immò & pernicioſis hominibus. Authore Flauio Vopiſco, Phago vir adeò guloſus fuit & vorax, vt adhibitus menſæ Aureliani, aprum integrum, centum panes, veruecem & porcellum, vno die, comederit, biberitque horcam vini. Ibi nullius impenſæ pœnituit. Fruſtum, immò micas & reliquias panis dare mendico, eſt patrimonium profligare: immò non dare, eſt profligare humanitatem. *Conſideranda eſt igitur humanitas*, ait Lactantius, *ſi homines rectè*

Lactat. lib. 6. diuinar. inſtitut. cap. 11.

tè dici velimus. Id autem ipsum conseruare humanitatem, quid
ud est, quàm diligere hominem, qui homo sit, & idem, quod nos su-
us? discordia igitur, atque dissensio non est secundùm hominis rationem.
erumque est illud Ciceronis, quod ait, hominem naturæ obedientem
omini nocere non posse. ergo si nocere homini, contra naturam est: prod-
se igitur homini secundùm naturam sit, necesse est. Quod qui non facit,
ominis se appellatione dispoliat; quia humanitatis officium est, neces-
tati hominis, ac periculo subuenire. Quæro igitur ab ijs, qui flecti ac
nisereri non putant esse sapientis; si homo ab aliqua bestia comprehensus,
uxilium sibi armati hominis imploret; utrúmne succurrendum pu-
ent, an minimè? non sunt tam impudentes, vt negent, fieri oportere,
quod flagitat, quod exposcit humanitas. Item si aliquis circumueniatur
igni, ruina opprimatur, mergatur mari, flumine rapiatur; num putent
hominis esse, non auxiliari? non sunt ipsi homines, si putent. Nemo e-
nim potest eiusmodi periculis non esse subjectus. Immò verò, & hominis,
& fortis viri esse dicent, seruare periturum. Si ergo in eiusmodi casi-
bus, qui periculum vitæ homini afferunt, succurrere, humanitatis esse,
concedunt, quid causæ est, cur si homo esuriat, sitiat, algeat succurrẽdum
esse non putat? quæ cùm sint paria naturæ, cum illis casibus fortuitis,
& vnam eamdemque humanitatem desiderent; tamen illa discernunt;
quia non reipsa vera, sed vtilitate præsenti omnia metiuntur. Illos enim,
quos periculo surripiunt, sperant sibi gratiam relaturos. Egentes au-
tem, quia non sperant, perire arbitrantur, quidquid eiusmodi homini-
bus impartiant. Hinc est illa Plauti detestanda sententia.

Malè meretur, qui mendico dat, quod edat.
Nam & illud quod dat, perit:
Et illi producit vitam ad miseriam.

CAPVT X.

Pestísne grauius humani generis flagellum sit, an Fames?

SI quemadmodum Ethnicus Poëta fortasse pro persona I.
locutus est, idcirco nihil stipis dandum est mendico, ne
illi vita ad miseriam producatur; tunc vtique vita fa-
melica morte ipsa censebitur peior. Et reipsa peiorem censent,
qui

qui pro tali vita mortem optant, vt miseriam finiant. Tantò igitur famelici pauperes erunt misericordia digniores, quantò sunt miseriores, vt viuere velint, si habeant, vnde viuant. Hinc existit scitu digna quæstio, sitné fames mortalibus plus timenda, quàm mors, immò quàm pestis ipsa? Hanc quæstionem, de duobus grauissimis mortalium malis, parùm gratam minusque jucundam auribus putarem, nisi scirem, homines interdum ex tristibus etiam, horribilibus, acerbis, atrocibusque rebus voluptatem capessere. Id enim, nisi ita esset, neque historias de bellis, de cædibus & stragibus multorum, tanto studio legeremus; neq; tragœdias tam auidè spectaremus. Et quamuis de fame, deque peste audire, sit minùs jucundum, non tamen ea propter hac disputatione est abstinendum, cùm in plurimis rebus vtile jucundo sit anteponendum; & hinc non solùm humanæ calamitatis cognitio possit hauriri, sed etiam, intellecta diuinæ justitiæ seueritate, horror scelerum queat nasci; hominumque pectora ad misericordiam commoueri.

II. Atque sanè multa sunt, quæ maiorem nobis luis pestiferæ, quàm famis timorem videntur incutere. Plus est enim esse, quàm non esse; & *furor*, censetur, *ne moriare, mori*. Qua de caussa nemo est, qui non, vel solo nomine pestilentiæ audito, vehementer percellatur, omnibusque animi sensibus perhorrescat. Famem autem, si centies appelles, vix quisquam vel minimo motu metuque concutitur. Vnde facilè intelligi potest, plus in illa, quàm in hac mali inesse; proindeque multò illam, quàm hanc formidabiliorem censendam. Cur enim nomen illud tantopere exhorremus? Certè non tam propterea, quòd mortem, quàm quòd tempus mortis longè miserabilius, longéque metuendum magis hominibus plus cōsueuit afferre, quàm soleat fames. Quos enim fames conficit, sensim deficiunt & extabescunt, tandemque viribus exhausti omnibus, quasi sine sensu expirant. Pestis subitò, vel paucorum dierum, immò paucarum horarum interuallo, cum ingenti æstu, cruciatu, & eiulatu, quos inuenit, è medio tollit. Quid autem subita, & præpropera morte horribilius? quid miserabilius, quàm modò viuere, ac paulò post lethifera contagione extingui? modò in hominum cœtu sedere, mox inter cadaue-

Martial. li. 2. epigr. 80.

idauerum aceruos jacere ? modò esse in domicilio, paulò pòst
cœmeterio? Laudanda igitur atque æmulanda est pia quo-
umdam consuetudo, qui in omnibus pænè precibus suis à DEO
agitant supplices, hoc vt à ceruicibus suis malum auertat, seq; T.Liuius, l.6.
epentinæ atque inopinæ morti eripiat. Quod malum, vt ab
rbe Romana auerteret, non dubitauit olim M. Curtius super-
titiosam sese hostiam facere, & armatus in hiatum cum equo
esilire.

III.

Quid verò de ipso morbi huius genere dicam? cuius fœdi-
tatem oculi refugiunt, grauitatem acerbitatemque membra vix
sustinent? Caput plerumque primùm inuadit, velut hostis vr-
bem capturus, quam arce captâ, facilè occupat. Cerebrum per-
turbat, mentem ac rationem de sede sua statuque deturbat. In
membris alijs videas vel pustulas immundas, vel humores, mox
vlcera prominentia. Fauces arescunt; siccatur lingua; sitis obsi-
det guttur; incensa flagrant viscera; trahunt miseri, & vix tra-
hunt spiritum; vix etiam vocem exilem & eluctantem reddunt.
Quid multa? ita eos pestis miseris habet & affligit modis, vt
vmbræ, vt simulachra, non homines videantur. Nec verò tantam
in mortales tyrannidem fames exercet, quamuis etiam ipsa sat
magna in eos crudelitatis expromat exempla. Et hæc quidem
plerumque parcit opulentis, atque diuitibus, manus enim præci-
puè injicit egenis: illa vno etiam ordine ducit omnes indiscri-
minatim, nec vllam vel ætatem, vel condicionem habet eximiā:
inuadit æquè Principum ac populi lares; vt fames quidem lamiæ,
pestis autem Furiæ possit comparari. Numquam fames tot mil- Volateran. lib. 23. Anthrop.
lia simul interfecit, quot pestis, quæ quandoq; sub Leone Isauro
Imp. cùm Saraceni Asiani Zulemone Asiano Admirato Constan-
tinopolim triennali obsidione classe ingenti cinxissent, ad CCC.
millia è Constantinopolitanis interemit; teste Volaterano; quan-
doque non vnam, sed plures peruagata regiones, omnes pagos,
omnia oppida, ipsas vrbes exhausit, ac depopulata est. Memo-
rant historiæ anno à Christo nato 876. tantam vim pestilentiæ
in orbem terrarum incubuisse, tantumque hominum absumpsis-
se, vt vix tertia pars superstes euaserit. Himilco in Hasdrubalis
patris locum ad Siculum bellum id temporis, cùm iam Diony-

Sab. lib. 9. En. 3. post Iustinum.

sius Syracusis tyrannidem obtineret, missus, rebus ibi præclarè gestis vniuersum exercitum pestilentiâ amisit. Cuius acerbissimi casus affectu Carthaginem reuersus, manum sibi intulit. Numquam fames tam multos sustulit. Neque sanè tam inaudita fecit, quàm de peste legimus. Diodorus narrat, circa Olymp. C. pestilenti febre Carthaginem inuadente multos Carthaginensium morbo acriter correptos esse, ita vt de imperio suo periclitarentur. Siquidem & Libyes, & qui Sardonem inhabitabant, putantes, se occasionem iam aduersus Carthaginenses nactos, ab eis desciuerunt. Erant quoque perturbationes, & metus magni in populo: repentini quidam, cum omnium stupore excitati tumultus frequenter per vrbem, cùm minimè expectarent, fiebant. Multi arreptis armis, tamquam hostes profligaturi, excurrebant, & ferrum in se inuicem, tamquam in hostem quisq; suum stringentes, mutuis cadebant vulneribus.

Diodor. lib. 15.

IV. Neque subito dumtaxat effectu tristique morbo, sed etiam portento est metuenda, quia etsi è fame timeri pestis possit, haud tamen ita constat, quid è peste sit euenturum. Nam & hæc caussa famis esse potest, & indicium maximę cladis secuturæ. De fame, apud Nicephorum legitur: in grauissima peste, sub Martiano Imp. agros per annum integrum coli nequiuisse, ideoque nec fruges prouenisse. De hoste venturo narrat Bonfinius, ante Longobardorum in Italiam aduentum, multa Italiæ infausta & infelicia signa apparuisse, quæ futura mala portendebant. Inprimis ita pestis vsquequaque grassata est, vt nulla luctûs expers domus inueniretur. Euitandæ labis gratia, domicilia, facultates ac pecora deserebantur: cessabat agricultura, cæteræque artes ac studia omnia destituebantur. Parentes à liberis, ac liberi à parentibus destituti, nullum pietatis officium retinebant. His malis etsi vniuersa Italia ad Noricos vsque laborarit, præ cæteris tamen Liguria est absumpta. Et quamuis nihil aliud portendat hæc lues, ipsa tamen secum sat magnam malorum segetem affert. Sufficit in exemplum vel illa pestis; quam olim Scriptores grauissimi narrant Athenis exarsisse. Nam partes illorum, quorum corpora malum insederat, internæ ita flagrabant, adeoq; æstuabant, vt multi inexplebili siti cruciati, in puteos se præcipites egerint.

Nicephor. lib. 15. hist. cap. 10.

Bonfin. lib. 7. dec. 1.

gerint. Qui autem è morbo illo conualuerant, atque è lecto ſur-
exerant, membra affecta amittere cogebantur; quo fiebat, vt
alij ſine pedibus, alij ſine oculis manerent in vita: nonnullos au-
tem ſtatim omnium peræquè rerum capiebat obliuio, ita vt non
modò familiares ſuos ac neceſſarios, ſed ſeipſos etiam ignorarēt.
Neq; verò intra homines dumtaxat veneni huius vis ſe cōtinuit,
ſed in oues quoque ac pecudes diffudit, quæ illud è contactu
humanorum corporum haurientes, illico interibant: canes præ-
ſertim, qui propter contubernij & victus ſocietatem mali in-
gruentis ſenſum magis præbebant. Poſtremò, quod omnium tri-
ſtiſſimum, &, vt veteris Poëtæ verbo vtar, maximè *ærumnabile*
erat, illi, quos peſtis comprehenderat, omni ſalutis ac ſanitatis
ſpe abjecta, remedia omnia repudiare ſolebant: reliqui, tamquam
& ipſi certi mortis, quæuis pietatis officia negligere, leges con-
temnere, atque proijcere, animis obſequi, honeſtatem voluptate
corrūpere, opes aut hæreditate acquiſitas, aut labore induſtriaq;
partas profundere non ambigebant.

Si hæc non ſufficiunt mala viuentibus, per peſtes, creata,
etiam vltrà illæ graſſantur. Non ſolùm enim vitam nobis illæ,
ſed honorem etiam ſepulturæ ac funeris adimunt. Siquidem ho-
rum, quos ex humanis violenter eripit, corpora vel clam in hor-
tis, aut etiam cellis ſepeliuntur, vel in plateas ejecta, & noctu ferè
exportata, aut plauſtris impoſita, atque in communem ſcrobem
euehuntur, ſine comitatu, ſine pompa in foſſam conijciuntur.
Fames autem hoc honore non priuat, nemo enim horret fame
enectum. Multos certè audiuimus peſte ac dolore nimio ab
omni ſenſu alienatos, pro mortuis abjectos, & verò etiam elatos,
primùm inter cadauera ad ſe, ac poſtea etiam ad ſuos redijſſe.
Quod & tibicini temulento accidit, qui cùm præ ebrietate pro-
gredi non poſſet, in ipſa platea, ante cauponam, obdormiuit.
Quia igitur tum peſte extincti ante januas exponi ſolebant, vt
à veſpillonibus nocturnis aſportarentur: hunc vino obrutum,
cùm itidem defunctum arbitrarētur, ad cetera cadauera in plau-
ſtrum injecerunt, cumque reliquis corporibus ad cumulum ca-
dauerum euexerunt, non antè è ſomno & ebrietate excitatum,
quàm ſe ipſe, die poſtero, viuum inter mortuos reperiſſet, vi-

numque non minùs ac pestem detestatus esset. Quod illi sanè, fame atque inedia in insomniam venisset, numquam potuisset accidere. Fames porrò non solùm humanis plerumq; potest modis & auxilijs aspelli, cùm interea pestis plerumque omnia humana media eludat, & *mutet tacite medicina timore;* verùm etiam plerumque est hominibus, quàm alijs animantibus infestior fames; pestis autem

Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum,
Corrupitq́; lacus, infecit pabula tabo.

Quod malum Devs, etiam per Moysen Pharaoni minitatus
Exod. 9. 2. est. *Quòd si adhuc renuis, & retines eos; ecce manus mea erit super agros tuos: & super equos, & asinos, & camelos, & boues, & oues, pestis valde grauis.* Neque Israëlitæ famem, sed pestem timere
Exod. 5. 3. se indicârunt: *Dixeruntq́; : Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro: ne fortè accidat nobis pestis aut gladius.* Quas duas plagas,
Ezech. 38. 22. etiam alibi minatus dixit: *Et judicabo eum peste & sanguine*, hoc est, grauissimis morbi & belli pœnis vindicabo. Hæc pro fame, contra atram hanc luem dici possunt.

VI. Neque negandum est, inter grauissima humanæ gentis flagella pestem recenseri. Quid igitur? statuámne omninò & affirmem pestem esse fame terribiliorem ac truculentiorem? At si huius quoque crudelitatem atque sæuitiam considerauerimus, nihilo eam minùs, minùs autem? immò multò magis timendam ac fugiendam esse perspiciemus. Nam etsi ad nomen Famis non ita exhorrescimus, vt ad vocem Pestis, tamen illud videtur esse inter vtrumque malum discrimen, quòd pestem plus timeamus absentem, famem præsentem plus sentiamus. Enimuerò si de humana æstimatione loquamur, multi malunt non esse, quàm adeò miseri esse; hinc malunt mori, quàm diuturna fame cruciari. Et quidem, si tempora mortis libet inter se se conferre, quis sapiens non eligat summos dolores citiùs finire, quàm eos in longum protrahi? Quid autem est longa fames aliud quàm longus cruciatus? Itaque verè, qui fame consumuntur, sensim deficiunt, quia sentiunt, se deficere ac mori. Si ergo tantò miserabilior est ærumna, quantò diuturnior; tantò erit peius fame, quàm peste

confici,

confici, quantò lentiùs homines fame, quàm peste conficiuntur.
Ausim dicere, hoc solùm in peste bonum esse, quia, ne diu cru-
ciet, citò tollit. Quòd autem fames mortem diutiùs differat;
quàm lues, nihil hoc malum mitigat, sed auget, quia etiam ty-
ranni, vt diriùs torqueant, jubent alios ita pedetentim occidi,
vt sentiant se mori. Misera est subitanea mors, si sit improuisa,
fateor. At improuisa potest etiam esse in fame, dum quisque
sperat, quàm diu spirat, se adhuc diutiùs vitam protracturum.
Quòd si autem etiam in pestifero dolore, vix quisquam ita occu-
patur, vt non possit prouidere, se moriturum, aut vix euasurum;
tum profectò, si sibi prospiciat, felix est, si citò occumbat; quis-
quis enim citò moritur, citò desinit ægrotare. Neque miseros
dicemus idcircò milites, quia vno teli jactu, aut gladij plaga,
velut momento temporis, sed quia imparati, & conscientia quo-
que sauciata sæpe moriuntur. M. Curtius, vt pestem ab vrbe Tit. Liu. lib. 6
auerteret, equo insidens in hiatum insilijt? Adolescens fuit. fecit
id responso diaboli deceptus. fecit pro salute & incolumitate
totius patriæ ciuitatis. Multi viri, & senes, sine oraculo, ne fa-
mem priuati priuatam pati cogerentur, se in puteos, in amnes, in
plateas ex alto præcipitauerunt.

Iam si ipsum genus mali vtriusque inter se conferamus, ni- VII.
hil fames pesti cedet, nisi quòd, vt prolixiorem affert cruciatum,
ita etiam crudeliorem, sicut dixi. Quippe si de fœditate aspectus
sit sermo, longè inedia vultus facit horribiliores. Pestilentia tacti
rubent, quia æstuant; inedia exhausti pallent, & lurido genarum
atrore laruis ipsis infernalibus assimilantur; vt meritò sine for-
midine non aspiciantur. Pestilentia correpti sunt debiles; inedia
emaciati longè debiliores; adeò, vt tandē nec gradi, vel è terra se
erigere queant; aut si conentur incedere, ossa compulsent am-
bulando. Pestifera lues mentem perturbat? multi visi sunt, qui
fame ad rabiem adacti insanierunt. Pinguntur pestiferi rubore
subliuido, carbunculis & anthracibus deformantur? At fame-
lici viribus defecti mortem ipsam repræsentant. Nec minùs his,
quàm illis fauces arescunt, asperatur lingua, ipsoque edendi & bi-
bendi appetitu, cibi & potus eliditur appetitus ac ligatur, vt tan-
dem etiam maximè famelici, licet cibum habeant, sumere ampliùs
non

non possint; itáque miseri trahunt spiritum, vt gemere, non anhelare videantur. Pestis nullo discrimine pauperes diuitesque inuadit? Inuadit & fames: nam & Tantalus diues fuit, & multi alioqui opulenti, vel in bello, vel in carcere, vel in obsessa vrbe fame vexantur. Quòd si in magna annonæ caritate pecuniosos fames non aggreditur, tantò sunt miseriores, si vident inopes esurire, & ipsi saturi non succurrunt. Hæc eorum felicitas via illis est ad æternam calamitatem. Sensit nimium ille, qui sitiens di-
Luc. 16. 24. xit: *crucior in hac flamma*, quàm longè infortunatior fuerit sua saturitas esurie Lazari, ante fores, & inter canes iacentis. Multos pestis è medio tollit? tollit multos & fames. Populatur illa totas nationes? populatur & ista. Illa & homines sternit & pecudes? facit idem & ista. Minitatur DEVS & pestem & hostem præuaricatoribus? minitatur & famem. Immò plerumque tamquam tergeminum flagellum coniungit. Apud Prophetam ita loquitur:
Ierem. 14. 12. *Gladio, & fame, & peste consummam eos*: Item: *Qui habitauerit in*
Ierem 21. 9. *vrbe hac, morietur gladio, & fame, & peste.* Ac rursus: *Et mittam*
Ierem. 24. 10. *in eis gladium, & famem, & pestem; donec consumantur de terra, quam dedi eis, & patribus eorum.* Et apud alium Prophetam: *Gla-*
Ezech. 6. 11. *dio, fame, & peste ruituri sunt.* Apud quem paulò priùs in hunc
Ezech. 5. 16. modum irascitur. *Ego Dominus locutus sum: Quando misero sagittas famis pessimas in eos; quæ erunt mortiferæ, & quas mittam, vt disperdam vos: & famem congregabo super vos, & conteram in vobis baculum panis. Et immittam in vos famem, & bestias pessimas vsque ad internecionem: & pestilentia, & sanguis transibunt per te, & gladium inducam super te. Ego Dominus locutus sum.* Vbi non solùm famem enumerat inter pessima, sed propè etiam inter pessimorũ pessima, si bellum excipias, de quo paulò pòst dicemus,

VIII. Enimuerò sicut inter bona pestis potest computari, quòd corpus citò sternat, ne diutiùs affligat; ita & inter optimos eius effectus censendum est, quòd homines faciat de salute sua cogitantes, & ad pœnitentiam confugientes, & eos scilicet, qui iam à morte se vident non procul abesse, & illos, qui timent ne sibi quoque eueniat, quod alijs vident quotidie euenire. At fames, vt suprà docuimus, *malè suada* est. Quid enim non cogit morta-
Gen. 3. 6. lia pectora? Leuis erat fames, quæ Euam, quæ ipsum Adamum

ad

l grauissimum facinus pertraxit. Non erat rabies væsana, quæ
men Esau quò non impulit? *Coxit Iacob pulmentum: ad quem* Gen. 25. 29.
im venisset Esau de agro lassus, ait: Da mihi de coctione hac rufa,
uia oppidò lassus sum. Quam ob caussam vocatum est nomen eius
dom. Cui dixit Iacob: Vende mihi primogenita tua. Ille respondit:
n morior, quid mihi proderunt primogenita? Ait Iacob: Iura ergo
ibi. Iurauit ei Esau, & vendidit primogenita. Et sic accepto pane &
ntis edulio, comedit, & bibit, & abijt; parui pendens, quòd primoge-
ita vendidisset. Gula potiùs, quàm fames fuit, quando populus Num. 11. 31.
sraëliticus, in deserto petijt, pro manna cælesti cibo, aues esitare:
entus autem egrediens à Domino, arreptans trans mare coturnices
etulit, & demisit in castra itinere, quantum vno die confici potest, ex
mni parte castrorum per circuitum, volabantque in aëre duobus cubitis
ltitudine super terram. Surgens ergo populus, toto die illo & nocte,
c die altero, congregauit coturnicum, qui parùm, decem coros: & sic-
cauerunt eas per gyrum castrorum. Adhuc carnes erant in dentibus
eorum, nec defecerat huiuscemodi cibus: & ecce furor Domini conci-
tatus in populum, percußit eum plaga magna nimis. Vocatusque est ille
locus, Sepulchra concupiscentiæ: ibi enim sepelierũt populum, qui de-
siderauerat.

IX.

Multa alia delicta, ex fame, perpetrata suprà indicauimus, satis est nunc addere, quę, natura reluctante, inedia dictat & committit. Hæc enim Samaritanos, seu Samaritas à Benadabo rege, vt sacræ litteræ referunt, obsessos caput asininum vnum in cibatum octoginta nummis argenteis; hæc Cassilini incolas in Campania Hannibalis obsidione cinctos murem vnũ trecentis emere compulit. Hæc eosdem Samaritas adegit, vt quartam partem cabi stercoris columbarum quinque argenteis præstinarent. Hæc olim in Arabia mortuorum cadauera ex ipsis monumentis eruta, in alimenta cibosq; conuertit. Hæc Atreos facit, hæc Thyestéas mensas reuocat, hæc, inquam, liberos (ò soli ipsi intolerandum spectaculum!) parentibus deuorandos apponit. Testatur enim Valerius Maximus, quo tempore Pompeius Calaguritanos obsederat, fame parentes eò adactos fuisse, vt liberos suos, velut alias carnes sale conditas infumarent, vt se illis alere diutiùs possent ac sustentare. Cui authori si fidem non adhibemus; ex Iosepho 4. Reg. 6. 25.

supra similem de Ierosolymitanis historiam attulimus, & potest ex ipsis diuinis paginis reponi, in quibus, apud Regem mulier ita caussam suam agit: *Mulier ista dixit mihi: Da filium tuum, vt comedamus eum hodie, & filium meum comedemus cras. Coximus ergo filium meum, & comedimus. Dixiq; ei die altera: Da filium tuũ, vt comedamus eum. Quæ abscondit filium suum.* Quid mirum, si abscondit filium ad lanienam petendum? Tales enim parentes, quantum animo capere dolorem, quantum sentire cruciatum, existimemus, quos pusilla soboles velut auicula circumuolat, & hiante osculo clamat: Da mihi panem, ô dulcis pater; optima mater, Da mihi panem. Ecquid audis? panem da mihi: En fame enecor: Eia, da mihi, obsecro, panem. Instat, vrget, flagitat fletu: & interim in panario micula panis est nulla, qua charissimis capitibus succurrant. Immò nec est, quo suam inediam sanent. Fament, rabiunt, in cibum obuium cum insania feruntur; & more luporũ irruunt in ipsos liberos suos lacerandos, epulandos, atque eò, vnde nati sunt, reponendos.

4. Reg. 6. 25.

X.

S. Basil. homil. in illud: Destruam horrea mea.

Hanc vim naturæ illatam, doloresque ipsi facinori immissos, vix capere explicatiùs possumus, quàm ex oratione S. Basilij, qua seriò grauiterque auarum hortatus, ne velit alienarum calamitatum caupo ac institor effici, ijs pressis ac subductis, quibus aliena calamitas leuari posset; tandem, vt hominem saxeum emolliat, patrem proponit filios habentem promercales; nec tamen oblatione viscerum suorum pro alimoniæ pretio, vllatenus auarum flectat, præ auaritia supra cautes & saxa duratum. *Expressum dicerem, vt alia pleraq;*, ait Raynaudus, *eum S. Basilij locum à S. Ambrosio lib. de Nabuthe Israëlita c. 5. nisi quod S. Basilius ingeniosè dumtaxat, & oratoriè proposuit, hoc Ambrosius, tamquam rem à se visam referret. Sed potuit S. Ambrosius in exempli sibi comperti expositione & amplificatione, seu potiùs expensione, suppetias à S. Basilio de more quærere.* Itaque non abs re erit, si locum D. Ambrosij integrum afferamus, apud quem addita quædam differunt ab ijs, quæ D. Basilius habet; estque Ambrosij oratio, vt plenior, ita ærumnæ patrona, & sicut crudelitatis auari, ita & famis expressior imago, qua populus ipse, ad quem è sacro suggestu illam fudit, ad lachrymandum commotus est, vt ipse inibi testatur.

Theophil. Raynaud. de virtutib. & vitijs lib. 4. sect. 2. c. 20. num. 225.

D. Am-

S. Ambros. lib. de Nabuthe. c. 5.

D. Ambrosij verba sunt, etiam ad famis necessitatem accommodanda: *Vidi ego pauperem duci, dum cogeretur soluere, quod non habebat: Trahi ad carcerem, quia vinum deesset ad mensam potentis: deducere in auctionem filios suos, vt ad tempus pœnam differre posset, inuenturus fortè aliquem, qui in illa necessitate subueniret. Redit ad hospitium cum suis pauper, diruta spectans omnia, nihil sibi ad cibum relictum: Ingemiscens filiorum famem, dolens, quòd eos non potiùs ei, qui posset pascere, vendidisset. Redit ad consilium, vendendi sumit arbitrium. Compugnabant tamen inopiæ injuria & paternæ pietatis gratia. Fames vrgebat ad pretium, natura ad officium. Commori filijs magis paratus, quàm à filijs separari; sæpe gradum protulit, sæpe reuocauit. Vicit tamen in eo necessitas, non voluntas, & ipsa concessit pietas necessitati.* Hucusque facti narratio. XI.

S. Ephrem in Abrahæ encomio. S. Chrys. orat. de Abraham. & serm. 3. in 2. Cor. & lib. ad scandalum passos. cap. 10. & ipse S. Ambros lib. 1 de Abr. cap 8.

Addit his postea cogitationes ex affectu paterno inter se pugnantes, certamenque mentis, in durissimo liberorum suorum casu, mirificè fluctuantis; quo ferè etiam modo alij SS. Patres distractum curis agitatumque Abrahæ animum, filium suum Deo in sacrificium immolaturi, oratorum coloribus vndecumque adhibitis, descripserunt.

Consideremus nunc patriæ mentis procellas, ait, *exæstuantis, quem de filijs priùs traderet. Quem*, inquit, *vendam priorem? Scio enim quòd non satis est vnius pretium ad pastum reliquorum. Hoc solùm diues fœcunditas ad ærumnam. Quem offeram? Quem frumenti auctionator libenter aspiciet? Primogenitum offeram? Sed primus me Patrem vocauit. Hic est maior ex filijs, quem congruè honoro seniorem. Sed juniorem dabo? At istum teneriore amore complector. Illum erubesco, huius misereor. Illius gradum suspiro, huius ætatem. Ille iam sentit ærumnam, iste ignorat. Flectit me illius dolor, huius inscitia. Ad alia me conferam. Ille mihi plus blanditur, iste plus verecundatur. Ille parenti similior, hic vtilior. In illo imaginem meam vendo, in isto spem meam prodo. Me miserum! non inuenio quid faciam, non habeo quod eligam. Circumuallant me facies calamitatum, ærumnarum chorus. Ferina hæc rabies est, eligere quem tradas. Feræ ipsæ cùm pericula imminere proli, ac sibi sentiunt, solent eligere, quos liberent, non quos offerant. Quomodo igitur discernam affectum naturæ? Quomodo obliuiscar, quomodo exuam Patris mentem? Quomodo filij auctionem constituam? Quo sermone paciscar pretium? Quibus tradam* XII.

manibus in seruitutem filium? Quibus oculis aspiciam seruientem? Quibus oculis discedenti valedicam? Quibus factum excusem sermonibus? Fili, ego te pro meo cibo vendidi. Funestior ergo iam pauperis mensa, quam diuitis. Ille addicit alienos, ego meum vendo. Ille necessitatem imponit, ego affero voluntatẽ. Vt sit excusabilior caussa; adijciam: Fili, pro fratribus tuis seruies, vt illis quærantur alimenta. Et Ioseph à fratribus suis in seruitutem venumdatus est, postea & ipsos, & patrem pauit. Respondebit & ille: Sed non eum vendidit pater, sed fleuit amissum. Sed postea etiam ipsi in potestatem diuitis venerunt, & vix postea potuerunt liberari. Genus eius diuitijs Ægypti, multa ætate, seruiuit. Vende me postremò pater ea condicione, ne diuites emant. Hæc si fatear vera, quid faciam? Nullum vendam. Sed cùm vnum considero, omnes videbo fame pereuntes. Si vnum tradam, quibus oculis videbo ceteros de mea impietate suspectos, ne alios quoq; vendam? Quo pudore regrediar domum? Quo modo intrabo? Quo habitabo affectu? qui mihi ablegaui filium, quem morbus non absumpsit? non mors abstulit? Qua conscientia considerabo mensam meam, quam sicut nouellæ oliuarum in circuitu tot filij vestiebant? Lapidem ista moueant. Quare his recensitis, istum epilogum adjungit Ambrosius: *Hæc pauper, te præsente deplorat, & tibi, auaritia, aurem obstruit, nec mens tua facti miserabilis horrore mollitur. Totus populus ingemiscit, & solus diues non flecteris.* Hæc D. Ambrosius, quæ sæpiùs cogitantur, dicuntur, fiunt à famem passis, & tamen auaros non flectunt; non molliunt lapideos, non frangunt ferreos. Sed quis pater talia audiendo, vel spectando *Temperet à lachrymis*? An non mille mortes ille huiusmodi miseriæ in liberis videndæ atque experiundæ jure præoptet? Sed de hoc argumento plura se se offerunt à nobis discutienda.

CAPVVT XI.

Cur pestem non solùm præ bello, sed etiam præ fame in pœnam suam elegerit Dauid?

I. 2. Reg 24. 2.


Famem peste magis formidandam esse, etiam sapientissimi Regis calculo confirmatur. Iusserat Dauid populum numerari, & tamquam in populi sibi subjecti multitudine glorians superbè peccauit. Ad quod delictum

ctum etiam accessit, quòd numeratio illa non sit facta secundùm legem, in qua dicitur: *Quando tuleris summam filiorum Israël, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, & non erit plaga in eis, cùm fuerint recensiti.* In hæc delicta incidere regem permisit Devs, populo propter alia delicta iratus. Ait enim sacra historia: *Et addidit furor Domini irasci contra Israël, commouitq; Dauid in eis dicentem: Vade, numera Israël & Iudam.* Quo modo autem commouerit, id est, commoueri permiserit Dominus, vt Dauid vellet populum numerari, alibi clariùs his verbis indicatur: *Consurrexit autem satan contra Israël, & concitauit Dauid, vt numeraret Israël.* Ita, peccante & populo, & rege, populus cum rege, & rex in populo suo est punitus. *Dauid populum numerando peccauit,* ait S. Gregorius, *& populus pœnam suscepit, quia secundùm merita plebium disponuntur corda rectorum.* Incidunt in peccata etiam qui Devm alioqui timent, sed citò in viam reuertuntur, conscientia stimulante. *Itaq; percussit cor Dauid eum, postquam numeratus est populus: & dixit Dauid ad Dominum: Peccaui valde in hoc facto: sed precor, Domine, vt transferas iniquitatem serui tui, quia stultè egi nimis.* Agnouit culpam, doluit, accusauit se, pœnitentiam egit, veniam precatus est. Et veniam delicti dedit illi Devs, sed pœnam non remisit. *Surrexit itaq; Dauid manè, & sermo Domini factus est ad Gad Prophetam, & Videntem Dauid dicens: Vade & loquere ad Dauid: Hæc dicit Dominus: Trium tibi datur optio, elige vnũ quod volueris ex his, vt faciam tibi. Cumq; venisset Gad ad Dauid, nuntiauit ei dicens: Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua: aut tribus mensibus fugies aduersaries tuos, & illi te persequentur: aut certè tribus diebus erit pestilentia in terra tua. Nunc ergo delibera, & vide quem respondeam ei, qui me misit sermonem. Dixit autem Dauid ad Gad: Coarctor nimis: sed melius est, vt incidam in manus Domini (multa enim misericordia eius sunt) quàm in manus hominum. Immisitq; Dominus pestilentiam in Israël, de manè vsq; ad tempus constitutum, & mortui sunt ex populo, à Dan vsq; Bersabee, septuaginta millia virorum.*

Exod. 30. 12.
2. Reg. 24. 1.
1. Paralip. 21. 1.
S. Gregor. in cit. loc.
2. Reg. 24. 10.

II.

Eadem historia recensetur, in libro primo Paralipomenon, sed in pœna apparet non exigua diuersitas. Suprà enim dixerat Gad: *Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua*: hîc autem idem

1. Paralip. 21. 12. idem Propheta narratur, dixisse: *Elige, quod volueris: aut tribu*
annis famem. Si trium annorum fames erat eligenda, ergo no
septem: si septem annorum, ergo non trium tantùm? Sed facil
soluitur ex ipsa historia hic nodus. Quia in libro cit. Paralipo-
menon numerantur tantùm tres anni famis adhuc restantes &
futuri, in altero autem regum libro nominantur septem anni,
quia ibi illis simul comprehenduntur quatuor anni famis, quos
2. Reg 21. iam tunc patiebantur Israëlitæ atque exantlauerant, propter in-
iustam oppressionem Gabaonitarum. Quorum quatuor añorum
experientia & calamitate doctus Dauid, maluit eligere trium die-
rum pestilentiam, quàm adhuc per tres annos subditos videre fa-
me emaciatos, & audire, passim confectos. Tantum in fame,
præsertim diuturna, malorum contineri judicauit. Quamquam
& aliæ suppetunt caussæ, ob quas voluerit tertium genus duobus
reliquis flagellis anteponere. Quæ quia ad seueritatem diuinorũ
judiciorum, æquitatemque intelligendam multum habent mo-
menti, non sunt à nobis hoc loco, dissimulandæ.

III. Primò igitur, qua de caussa, iustus & potens Iudex electio-
nem Dauidi obtulit dicens: *Trium tibi datur optio, elige vnum, quod volueris ex his, vt faciam tibi*? Vel æquales hæ fuerunt inter se se pœnæ, vel inæquales. Si inæquales, cur diuina illa & exactissima æquitas, eidem delicto posuit pœnas inæquales, vt vnum idemq; peccatum magis minúsue plecteret? Si æquales, quid opus fuit electione? perinde enim erat, fame, an peste, an ense perirent
2. Reg. 24. 15. *septuaginta millia virorum.* Ad quam quæstionem respondetur, Deum iustum futurum fuisse, siue tres illæ pœnæ æquales fuerint, siue inæquales. Siquidem certum est, nullam tunc pœnam culpa ipsa futuram minorem, etsi vna pœna alterâ maior fuisset. Quia etsi reus certæ pœnæ exoluendæ obnoxius est, non tamen ita eidem inferendæ obstrictus est judex, vt gratiam facere reo, & aliquid de pœna, vel etiam illam omninò remittere non possit. Quæ potestas cùm sit etiam penes Principes, & quosdã inferiores magistratus, cur non sit etiam penes summum Iudicem, qui vtiq; Dauidi tam manè surgenti, & delictum adeò ardenter deprecanti potuit eam gratiam exhibere, vt eligeret pœnam mitiorem. Quòd si verò omnes tres pœnę fuerunt æquales, itidem iustissimè

illi

li optio potuit offerri, vt eligeret, quam putaret sibi fore tole-
abiliorem, vel magis debitam, vel etiam maius pœnitentiæ
xemplum exiturum. Sed vt rem distinctiùs declaremus, verosi-
nilius est, à parte rei, & in diuinis oculis tres illas pœnas magni-
udine fuisse & exitio ipso æquales, tempore & duratione, atque
etiam humana æstimatione inæquales. Famem enim septem, aut
trium annorum, juxta dicta trium annorum, hostes trium
mensium, pestem trium dierum proposuit Devs. Tempore me-
ritò inæquales esse debebant, vt magnitudine fierent æquales. Sic
enim quod vni aderat in intensione, alteri ab extensione accede-
bat, & *septuaginta millia virorum*, quæ trium annorum spatio per
famem consumpta fuissent, tribus mensibus potuissent ab hoste
deleri; tribus autem diebus à peste fuerunt sublata. Quibus om-
nibus modis cristæ Dauidi euulsæ sunt, quas erigebat, cùm scire
potentiam gloriamque suam vellet, quando subditos suos nu-
merauit. Quia *in multitudine populi dignitas regis, & in paucitate* Prou. 14. 28.
plebis ignominia est Principis. Hinc Dauid *dixit ad Ioab Principem* 2. Reg. 24. 2.
exercitus sui: Perambula omnes tribus Israël à Dan vsque Bersabee, &
numerate populum, vt sciam numerum eius. Cur scire voluit? vt
sciret potentiam suam. Imminuenda ergo erat multitudo, vt su-
perbia imminueretur. Et poterat rex facilè ex hac ipsa immi-
nutione intelligere; sicut trium dierum angustijs *septuaginta mil-*
lia virorum capitibus imminuta est illa multitudo, ita tantumdem
numerum, alijs tribus diebus, immò ijsdem, immò vno die &
hora à Deo è vita exturbari potuisse.

IV.

Tametsi autem clades æqualis esset reipsa, quæ inferri qui-
uisset, per hoc genus pœnarum, humana tamen æstimatione, ob
varias caussas, videbatur inæqualis. Quamobrem perdifficilis
Dauidi electio accidebat. Vnde dicebat; *Coarctor nimis*, ipsaque 2. Reg. 24. 14.
mali, quod euadere non possum, perplexitate affligor; &, vt alibi
dicitur: *Ex omni parte me angustiæ premunt.* Pestilentia res est sæua. 1. Paralip. 21.
Hostis truculentus. Fames diuturna. Omnia hæc mala, mala sunt 13.
magna, & formidanda. Multa in illis possunt in omnem partem
considerari. Plurium dierum deliberatione opus esset. Sed adest
Propheta, & vrget responsum, & seueræ denuntiationi clau-
sulam illam cum authoritate adijcit: *Nunc ergo delibera, & vide,* 2. Reg. 24. 13.
quem

quem reſpondeam ei, qui me miſit, ſermonem. Ita, velut circulo circumſcriptum, adegit reſpondere. Sed quia ad ſe, & ad DEVM per pœnitentiam redierat, reſponſionem non præcipitauit. Citò, ſed non temerè dixit: *Melius eſt, vt incidam in manus Domini (multa enim miſericordiæ eius ſunt) quàm in manus hominum.* Quid ita?

Hebr. 10. 31. An non *horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis*? An non

Dan. 13. 23. Suſanna contrarium rectè cenſuit, quando cenſuit, melius ſibi eſſe incidere in manus hominum, quàm DEI? Nimirum duplex eſt pœna, quæ homini, ob peccatum infertur, æterna, vel temporalis. Si peccaſſet Suſanna, ab accuſatione ſenum, & inde etiam à pœna libera, fuiſſet; ſed pœnam DEI æternam incurriſſet; inquam, quia incidere horrendum eſt, melius fuit illi pœnam DEI æternam euitare, & incidere in calumniam, & lapidationem temporalem. Quòd ſi autem temporalis, pro peccato, pœna vel à DEO, vel ab homine ſuſtinenda eſt, ſapientiſſimè facit, qui mauult in manus DEI, quàm hominum deuenire. DEVS enim, etiam cùm iraſcitur, miſericordiæ recordatur; *Multæ enim miſericordiæ eius ſunt*, ait: at homines minùs miſerentur, magiſque ſæuiunt. Et, eſto, DEVS æquè magna pœna puniat, ac homo, longè tamen affligit benigniore animo, & multò tolerabilius eſt pati à DEO, quem juſtum eſſe ſcimus: homines autem, præcipueque ſi hoſtes ſint, plectunt cum quadam acerbitate & atrocitate, quæ de ſe intolerabilior eſt, quàm pœna ipſa. Adde, quòd Dauid, cùm ſciret, DEVM eſſe immenſæ miſericordiæ, crediderit multò, quàm homines hoſtileſque animos exorabiliorem; ob quam cauſſam ſperauit, aliquid adhuc, de multa ab illo inferenda, remitti poſſe.

V. Quando igitur dixit: *Melius eſt, vt incidam in manus Domini*, hoc eſt, vt ſuſtineam pœnam à DEO immiſſam, *quàm in manus hominum*, & pœnas ab illis illatas, cur Gad intellexit, peſtem ab illo, & non famem aut bellum eligi, cùm hæc omnia eſſent à DEO? Ita ſanè, omnia ſunt à DEO, ſed bellum per manus hominum furit. Fames autem, etſi ſæpe veniat à ſterilitate, ſine hominum vaſtatione: non rarò tamen etiam hominum malitia procuratur, idque tribus modis. Nam primò malefici ipſi, per grandines, ſiccitates, tempeſtates, dæmonum artes, vel ſegetes in herbis,

rbis, vel messes in campis aut horreis destruunt & occidunt.
ec quisquam satis potest esse cautus, contra has Canidias, si eis
evs frenum laxet. Secundò sæpe metunt hostes, quod non se-
inarunt; aut, quod metere non possunt, vngulis equorum pro-
lcant, vel voracibus flammis dant absumendum. Quo pacto
tensus à Philistæis Samson dixit: *Ab hac die non erit culpa in me* Iudic. 15. 3.
*ntra Philisthaos: faciam enim vobis mala. Perrexitq́ue, & cepit tre-
ntas vulpes, caudasq́ue earum junxit ad caudas, & faces ligauit in me-
o: quas igne succendens, dimisit, vt huc illucq́ue discurrerent. Quæ sta-
m perrexerunt in segetes Philisthinorum. Quibus succensis, & compor-
ta iam fruges, & adhuc stantes in stipula, concremata sunt, in tan-
um, vt vineas quoque & olineta flamma consumeret.* Ad eumdem
aodum, *Absalom misit ad Ioab, vt mitteret eum ad regem, qui noluit* 2. Reg. 14. 9.
*enire ad eum. Cumq́ue secundò misisset, & ille noluisset venire ad eũ,
ixit seruis suis: Scitis agrum Ioab juxta agrum meum, habentem
nessem hordei: ite igitur, & succendite eum igni. Succenderunt ergo
erui Absalom segetem igni.* Ita se se & hostes gerunt. Nam Pha- Polycæn. li. 5. & Frontin. lib. 3. cap. 4.
aris tyrannus, in eo bello, quo Sicanos Agrigentini oppugna-
bant, cùm eos excindere nulla ratione possent, multo frumento
comportato, finem belli fecit. Ad hæc frumentum, quod in ca-
stris habebat, eis reliquit, ea condicione, vt eius loco reciperet,
quod pòst meteretur. Gratis animis receperunt Sicani. Phalaris
effecit, vt, qui frumento præerant, pecunijs corrupti, tecta ædi-
ficiorum dissiparent, quo faciliùs frumentum computresceret.
Quod verò metebatur, ipse ex pacto accepit. Itaq; cùm omnem
à regione fructum dedissent Phalaridi, eum verò, qui in vrbe te-
nebatur, corruptum inuenirent, necessitate compulsi, ob fru-
menti inopiam, ei se dediderunt. Qua bellica arte etiam Beli-
sarium vsum tradit Procopius. Ille enim cùm magnam vim fru-
menti Rauennæ, quam oppugnabat, in publicis horreis adhuc re-
condi cognouisset, ex incolis quempiam pecunia corrupit, vt
horrea cum frumento clam concremaret. Igitur hostium etiam
manu fames paratur. Tertiò homines in ipsa fame multipli-
cant & augent famem, per auaritiam, dum etiam, qui frumento
abundant, tamen non succurrunt indigentibus, sed illud recon-
dunt, & in maius pretium reseruant. His tribus modis Dauid
in

in manus hominum incidere potuisset, si famem elegisset. Omnibus modis potuisset fames crescere sine modo. Nam venefici, cùm per se sint maleficijs auctorati, & tantum conentur, quantum possunt nocere, insuper etiam à cacodæmone, sine cessatione, ad nocendum instigantur. Hostes autem existimant, quantò plus hostibus damni creant, tantò sibi maius nomen gloriamque comparari. Denique auari, quia insatiabiles sunt, quò magis vident famem crescere, eò magis crescere & lucra sua arbitrantur. Ita bellum & fames sunt *generatio, quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus suis, vt comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus. Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes: Affer, Affer.* Has duas filias, verè sanguisugas, magis abominatus est Dauid, quàm ipsam pestem, sine hominum additamento, vel à sidere, vel ab aëre descendentem, vel, sicut euenit, ab Angelo percutiente prouenientem. Ob has caussas satis videtur, quid petierit è tribus Dauid, scilicet pestem; & non bellum, per quod clarum est, eum in manus hominum venturum fuisse; immò nec famem, in qua ipsas manus hominum non euasisset. Licet aliqui putent, à solo eum bello tantopere abhorruisse, & persecutionem ab hostibus tolerandam excepisse; de alijs autem duabus plagis nullam eum elegisse, sed in manu ac dispositione libera Dei reliquisse, vt ipse vel famem vel pestem decerneret; Deum autem pro misericordia sua, pestem decreuisse. Sed hoc responsum non satisfecisset Prophetæ Gad, qui absolutum ac determinatum responsum petierat, inquiens: *Nunc ergo delibera, & vide, quem respondeam ei, qui me misit, sermonem.* Putant alij, Dauidem, per alia verba, quæ in Scriptura non sunt expressa, pestem elegisse. Sed hoc non est necesse, cùm Gad videns arcanam Dauidis cogitationem, eo ipso intellexerit, pestem à Dauide eligi, quia audijt eum dicere: *Melius esse incidere in manus Domini, quàm in manus hominum.* Siquidem, vt dictum est, etiam per famem, in manus hominũ incidisset. Ad pestem autem propagandam, homine nullo opus fuit; Angelus enim Domini, vel aëre pestifero, vel alia re venenata corporibus humanis admota solus potuit interimere, quos Deus, ob eorum peccata, vel alias iustas caussas, voluit interemptos.

Prou. 30. 14.

2. Reg. 24. 13.

Elegit

Elegit ergo peſtem Dauid. 1. Quia ex parte Dei, hoc pacto
iſericordiam ſperauit. 2. Quia ex parte hominum timuit ac-
eſſurum multum crudelitatis. 3. Quia ſic etiam ſe ipſum pœnæ
fferebat; vt qui peccaſſet, etiam in ſe ipſo puniretur. Si famem,
bellum elegiſſet, murmuraſſet vtique populus, dixiſſetque:

Quidquid committunt reges, plectuntur Achiui. VI.

famem enim non tam reges, quàm populi patiuntur. Reges ab-
undant frumento, diſtenta habent horrea; granaria plena ſer-
uant, cellariaque in multos annos. Vel ſi vaſtentur agri in illorum
regnis, tamen illis ſuppetunt pecuniæ, & modi, aliunde alimenta
aduehendi, ſicut olim Iacob, in fame, frumentum ex Ægypto ac- Gen. 42. 1.
cerſiuit. At populo & fruges deſunt, & pecuniæ. Itaque plebe
famente, & ad vltimum vſque exitium emaciata, reliqui
Principes, alijque nummati domini, poſſunt conuiuia inſtituere,
dapibus ſatiari, delicijs faginari, vino inebriari; & ſæpe, in ipſa
fame extrema, neſciunt, quid ſit fames, quam non ſentiunt. Vnde
meritò populus illud malum tantò impatientiùs tolerat, quia vi-
det magis reos, minùs pati; dum dicit quiſque apud ſe, *Quanti* Luc. 15. 17.
peccatores *abundant panibus, ego autem hic fame pereo?* Quid ſi
autem Dauid hoſtium perſecutionem elegiſſet? itidem locum
querendi reliquiſſet populo: ipſe enim cum viris fortiſſimis vel
intra vrbes & loca munitiora ſe recipere, vel ſe ſe ſaltem prœli-
ando defendere potuiſſet, & non in prima acie ſtare. Tunc enim,
eo poſt initia latente, ſoli à fronte pugnantes cecidiſſent; ipſe,
amiſſa victoria, cum reliquis fuga ſe ſe ſeruaſſet. Elegit igitur
peſtem, à qua dominante neminem vel locus, vel dignitas, vel
ſceptrum & corona defendit. Hac regnante, communis omniū
ſors eſt, Horat. lib. 1. Carm. 4.

Miſta ſenum ac juuenum deflentur funera: nullum
Sæua caput Proſerpina fugit. VII.

4. Elegit hanc plagam Dauid, quia tametſi vnus annus
diræ peſtis grauior eſt, quàm vnus annus famis, aut hoſtis; atta-
men ſicut peſtis excedit hoſtes, & hoſtes excedunt famem magni-
tudine pœnæ atque atrocitate, ita, vt pœnæ inter ſe ſe æquaren-
tur, tempora pœnæ inæqualiter inter ſe ſe fuerunt à juſtiſſimo
judice Deo aſſignata. Itaque tempora famis maiora, quàm
tempora

P

tempora belli; & tempora belli maiora, quàm tempora pesti erant constituenda. Hinc septem aut tres anni famis, tres menses belli, & tres dies pestis sunt nominati; vt quidquid eligeret Dauid, secundùm mensuram Dei, æquale malum eligeret, ratione pœnæ ipsius; licet ratione humanæ æstimationis eligeret pœnam citiùs desituram. Magni enim fit, apud homines, duratio & diuturnitas suppliciorum: *neq; est melius morte in malis rebus*, ait Comicus, & alius Poëta:

Plaut. in Rud

Ouid, lib. 3. de Pont. el. 5.

Mitiùs ille perit, subita qui mergitur vnda,
Quàm sua qui liquidis brachia lassat aquis.

Hinc etiam superiore cap. diximus pestem fame esse tolerabiliorem, quia citiùs hominem dolore liberat, fames autem diutiùs cruciat; tandemque & ipsa necat, postquam diu cruciauit.

VIII.

5. Hoc etiam titulo pestis præ fame eligi potuit, & præ bello; quia triplex duplici, duplex simplici malo magis est metuendum. Cùm ergo pestis non secum trahat famem, aut bellū; ex bello autem fames, ex fame pestis oriatur, rectè humana æstimatione, à sapientissimo rege magis fames, quàm pestis; & bellum, quàm fames & pestis, fuit formidatum. Si enim famem elegisset, è qua pestis erat nascitura, duplex malum; & triplex, si bellum elegisset, visus fuisset elegisse. Nimis enim prô dolor, experti sumus sæpe, quantum vel vnus, vel multò magis duo exercitus, aut plures absumant frumenti, & aliorum alimentorum in prouincia, quam depopulantur. Atque hinc inopia, hinc fames. In fame autem, hominibus non humanos cibos edentibus, sed furfure, vrticis, herbis, immò & bestijs noxijs, & arido corio vescentibus, neq; à cadauerum fœtore abstinentibus, quid necesse est sequi, nisi pestem? Exemplum huius rei Beda his verbis refert. *Attila adeò intolerabilis reip. remansit hostis, vt totam penè Europam, excisis inuasisq; ciuitatibus atq; castellis corroderet. Quin & ijsdem temporibus fames Constantinopolim inuasit, nec mora, pestis secuta est. Sed & plurimi eiusdem vrbis muri, cum quinquaginta septem turribus corruerunt, multis quoq; ciuitatibus collapsis, fames & aërum pestifer odor plurima hominum millia iumentorumq; deleuit.* Qui ergo bellum inuitat, tergeminum malum inuitat. Prætérquam, quòd in bello, agri, prata, domus, pagi, integræ ciuitates,

Ven. Beda. lib. 1. hist. Anglic. c. 13.

cum

um hominibus & jumentis deleantur. Quamobrem, cùm gra-
issimè olim Deus populo suo voluit minitari, hostes illi est mi- Isa. 5. 5.
atus. *Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ: auferam*
pem eius, & erit in direptionem: diruam maceriam eius, & erit in
onculcationem, &c. Propterea captiuus ductus est populus meus, quia
non habuit scientiam, & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius
iti exaruit. Propterea dilatauit infernus animam suam, & aperuit os
suum absque vllo termino; & descendent fortes eius, & populus eius, &
sublimes gloriosique eius ad eum, &c. *Et eleuabit signum in nationibus*
procul, & sibilabit ad eum de finibus terræ: & ecce festinus velociter
veniet. Non est deficiens, neque laborans in eo, non dormitabit, neque
dormiet, neque soluetur cingulum renum eius, nec rumpetur corrigia
calceamenti eius. Sagittæ eius acutæ, & omnes arcus eius extenti. Vn-
gulæ equorum eius, vt silex, & rotæ eius quasi impetus tempestatis. IX.
Hostes itaque & sæuiores sunt peste; & plures sæpe, immò
nonnumquam vna hora (dum vrbibus captis omnes dant inter-
necioni, aut in prœlio totos interimunt exercitus) imparatos
mactant, & ad Tartara mittunt. Quàm multi enim milites vno
vulnere sagittæ, hastæ, plumbeæ glandis intereunt? quàm multi
ruina murorũ, aut pyrij pulueris inflammatione, vel opprimun-
tur, vel in sublime feruntur, & se antè mortuos esse, quàm mori, S. Hieronym.
experiuntur? Quòd si ergo S. Hieronymus obseruauit, *etiam* lib. 13. in Isa.
sanctos viros morte terreri, propter incertum iudicij, & ignorationem
sententiæ Dei, quam sedem habituri sint; quantò magis metuenda
erit mors, & mors subita, quæ pœnitentiæ tempus incîdit, ijs, qui
non sanctè viuunt, qui pleni furtis, rapinis, ebrietatibus, cædibus
injustis, adulterijs & fornicatione, nihil minùs quàm de salute
sua possunt cogitare? Id, ob quod maximè pestilentia formida-
tur, est, quòd tam citò hominem expediat; & frequenter corre-
ptos à mente abalienet, vt non possint ampliùs rebus suis consu-
lere, peccata confiteri, & sacri viatici participes esse. Et tamen
rarissimè tam atra pestis aërem tenet, vt homines eodem mo-
mento è medio tollat, quo aggressa est. Tantò igitur, etiam
hoc nomine, perniciosius est bellum peste, quia plerumque minus
spatij ad pœnitentiam agendam hominibus concedit. Nihil
enim frequentiùs est armis bellicis, quàm vt simul tangant, & occi-

occidant. Quare etiam hac ipsa de caussa minus malum est peste, quàm hoste plecti. Enimuerò longa experientia docuit, homines, tempore pestis, longè, quàm in bellis, fieri meliores; dum, in communi omnium periculo, quisque sibi cauet, seque ad moriendum accingit, lue grassante; at in militia, ipsa viuendi licentia homines mortis immemores reddit; quos tamen maximè de vita non securos, & de morte solicitos esse deceret. *Mori planè timeat*, ait S. Cyprianus, *sed qui ex aqua & spiritu non renatus, gehenna ignibus mancipatur: mori timeat, qui non Christi cruce & passione censetur: mori timeat, qui ad secundam mortem de hac morte transibit: mori timeat, quem de sæculo recedentem perennibus pœnis æterna flamma torquebit: mori timeat, cui hoc mora longiore confertur, vt cruciatus eius & gemitus interim differatur. Mortalitas ista vt Iudæis & gentibus, & Christi hostibus pestis est, ita Dei seruis salutaris excessus est.* Quin & verè pœnitentes, quia agnoscunt, se vita indignos, se se libenter, tamquam victimam, morti offerunt. Qua de caussa etiam Dauid non elegit bellum, è quo euadere potuisset; non famem, quam quiuisset euitare; sed pestem, cui ipse obnoxius esset. Quin tum, quando vidit Angelum cædentē populum, dixit ad Dominum. *Ego sum, qui peccaui, ego iniquè egi: isti, qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei.* Hic est finis plagarum Domini, pœnitentia nostra; vt reges ipsi Principésque luant, quod peccauerunt; non vt populum dumtaxat, pro se sinant vel in bello mactari, vel in pace famere, vel in peste mori; vel soli soluant, quod debent; vel simul diluant, si simul peccauerunt.

S. Cyprian. de mortalitat. serm. 4.

2. Reg. 24. 17.

CAPVT XII.

Quid? & quàm magnum? & quàm multiplex sit malum morbus?

I. Vlta sunt, quæ vitam humanam miseram faciunt, innndationes, incendia, deprædationes, sterilitates, persecutiones, & mille clades; sed nihil ita propè sentimus, vt ea, quæ corpus affligunt, qualia sunt fames, vulnera, membrorum truncationes, & morborum cruciatus. Nam,

Lactant. lib. de opificio Dei. cap. 16.

am, *sicut in fidibus*, ait Lactantius, *cùm aliquid aut interceptum, t relaxatum est, omnis canendi ratio turbatur, & soluitur: ita si corpore pars aliqua membrorum duxerit vitium, destrui vniuersa, rruptisq; omnibus atq; turbatis, occidere sensum, eamq; mortem vo-* ri, necesse est. si enim totæ Res publicæ extinguuntur per mor- os populares pestésque, à quibus interdum tanta fit strages ho- inum, vt vix vnus, immò nullus etiam inueniatur in loco inco- mis, vel reliquus incola; quantò magis hominis vnius corpus morbis sternetur? Neque opus est malè affici corpus vniuer- um: solum caput doleat, iam cuncta langueant cetera membra. immò capite sano, & vegetis membris reliquis omnibus, si vel extremum pedem podagra mordeat, mox incipiet totus homo claudicare, immò non sine lamentis decumbere. Quid ita? nempe, vt Plotinus ait: *Morbus nobis molestus est, quia nihil in nobis habet domesticum, sed est penitus alienus: propterea manifestior incidit; quia maximè diuersus nobis occurrit. Quæ verò nostra, nosq; ipsi sunt, vel absq; manifesto sensu nobis insunt.*

Plotin Enn. 5. lib. 8. c 11.

II. Socrates interrogatus, quid morbus esset? respondit: *Perturbatio corporis.* Apud Gellium, *Cæcilius Sabinus, in libro, quem de edicto ædilium Curulium composuit, Labeonem refert, quid esset morbus, hisce verbis definiisse: Morbus est habitus cuiusq; corporis contra naturam, qui vsum eius facit deteriorem. Sed morbum aliàs in toto corpore accidere dicit, aliàs in parte corporis. totius corporis morbum esse, veluti phthisis, aut febris; partis autem, veluti cæcitas, aut pedis debilitas.* quemadmodum enim alij, qui rapiuntur solo pede, vel manu ad catastam, in publico loco, ac libero aëre, alligantur; alij autem omnibus membris vinciuntur, & manicis pedicisque, quin & ferreo circulo lumbis colloque injectis vndique constricti, toto corpore in carceres compinguntur; ita nonnullis satis est vna parte malè affici; alij autem vbique sentiunt debilitatem & dolorem, vt quasi arcta custodia circumdati videantur. Quod de se dicebat Iob ad Dominum: *Numquid mare ego sum, aut cetus, quia circumdedisti me carcere?* Quo carcere? toto cumulo morborum. Numquam Iob tam tumidus erat, quàm mare; numquã ita fremebat, numquam ita æstuabat ira, numquam ita impatientia agebatur, aut remugiebat; neque ita immanis & sæuus erat,

Stob serm. 98

Gell. lib. 4. Noct. Attic. cap. 2.

Iob. 7. 12.

erat, vt cetus; & tamen, sicut mare tunc, quando Mundi Creator dixit: *Congregentur aquæ in locum vnum, & appareat arida,* & quando *aquarum congregationem appellauit maria*, visus est, conjecisse mare in carcerem, atque illi pedes & brachia constrinxisse, ne liberè vagaretur, & obuia quæque vastaret; ita Iobum DEVS, in teterrimum malorum atque cruciatuum carcerem, velut mare fremens atque superbum, detrusit; &, vt ne alijs noceret, in eum statum conjecit, dolorum vinculo manibus pedibusque ligatis, in quo nocentes & vltimo supplicio damnati detinentur. Si enim carcer definitur, *vndecumq; exire prohibemur*; rectè morbi carceribus comparantur. Siquidem DEVS nos in morbum, morbus in lectum conijcit. Enimuerò dolores aliaque morborum symptomata, in diuinis litteris solent funes & vincula nominari. *Circumdederunt me dolores* (D. Hieronymus legit *funes*) *mortis*. Et iterum: *dolores* (funes) *inferni circumdederunt me: præoccupauerunt me laquei mortis*. Vnde & Iob queritur, se morbis velut compedibus vinctum: *Posuisti in neruo pedem meum*. Et S. Ioannes quoque de Probatica piscina, quasi de carcere & domo vinctorum loquitur: *Qui prior descendisset in piscinam, sanus fiebat, à quacumq; detinebatur* (quasi comprehensus & alligatus) *infirmitate*. Immò Christus ipse mulieri, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, nec omnino poterat sursum aspicere, ait: *Mulier, dimissa es* (quasi è carcere & vinculis) *ab infirmitate tua*. Et rursus. *Hanc filiam Abrahæ, quam alligauit* (velut vinculis) *satanas, non oportuit solui à vinculo isto?* Etsi autem *carcerem ad continendos homines, non ad puniendos haberi* jura decernunt; tamen morbi, & carceres sunt grauissimi, & pœnæ sanè luculentæ. Quare nemo est, si sensum æstimes, qui morbos non cupiat effugere, ijsque velut acerbissimis vinculis liberari.

Gen. 1. 9. — Seruius lib. 1. & 5. AEneid. — Psal. 17. 5. — Psal. 114. 3. — Iob. 13. 27. — Ioan. 5. 4. — Luc. 13. 11. 16. — Vlpian. L. Aut damnū. 8. §. solent. D. de pœn.

III. Quemadmodum autem vel vna catena teneri est molestum, ita multis vinculis circumdari longè molestissimum. Pari pacto satis graue foret, si ab vno genere morborum humana natura infestaretur, nunc à tot oppugnari cateruis pestium, multò est grauissimum. Nihil est in homine, quod non possit ægrotare. A capite vsque ad calcem eum consideremus, & videbimus, verè dici:

A planta

A planta pedis vsq; ad verticem, non est in eo sanitas. In capite ce- Isa. 1. 6.
phalalgia anteriores eius membranas cruciat; quòd si dolor sit
diuturnus & inueteratus ægreque cedens, cephalæa vocatur; sin
autem sit dolor recurrens identidem ac statis temporibus, alte-
ramque dumtaxat partem inuadat, hemicrania est. Cerebrum
velut vertigo, grauat è vino crapula, alienat à mente insania;
versat è bile aut calida expiratione, in febrium vigore, delirium,
& inflammata phrenitis; itemque amens furor; fugat lycanthro-
pia; ligat obliuio & lethargus seu veternus, & inexpugnabilis propè
dormiendi necessitas; præcipitat caducus, seu comitialis, & sacer
morbus, quem Herculeum & sonticum nominant. Summum
in homine alopecia deuenustat, seu capillorum defluuium, alope-
cia dictum, quia illud malum vulpi est peculiare; vel quia, vt
Callimachi scholiastes annotat, vulpis lotium effeta dicitur in
annum reddere loca aspersa. Miser aspectus est ophiasis, seu areæ,
è qua capillitium defluxit.

Quod solum capitis decus est, cecidere capilli.

Sin autem crines alantur, & in siluam sinantur excrescere,
pedicularis morbus, seu, phthiriasis comatos inuadit; vt habeant,
vnde effodiantur. Aurium tinnitus, grauitas, surditas, vermicu-
latio accusatur; sicut & oculorum suggillatio, seu sanguinis in-
tra tunicas collectio, suffusioque, quę alia est à Scotomate, in quo
nubeculæ, muscæ, atque alia id genus oculis obuersantur, cuius
sedes est in cerebro & conturbatis spiritibus. Infestat & oculos
delachrymatio, qualis fuit Horatio, glaucoma, lippitudo, qua la-
borabat Lia; denique ipsa cæcitas, quam deplorauit Tobias. Quin Gen. 29 17.
è palpebrarum margine tuberculum erumpit hordeolum dictũ, Tob. 5. 10.
ac permolestum; aut grando superiori fermè palpebræ innascens.
Naribus insidet polypus, seu caro excrescens; itemque ozęna, quę
est putridum vlcus in naribus cum graueolente muco in crustu-
lam coacto. Inde etiam scaturit profluuium cruoris. Genas &
faciem totam lentigo, seu macula subrussa, aut pulla incessit. Ni-
hil dicam de bucconibus, labeonibus, seu chilonibus & labrosis,
nihil de mentonibus, nihil de broncis, qui dentes habent promi-
nulos, & inde os productum: vitia isthæc sunt, non morbi, & ad
formam spectant, non ad valetudinem. Dentes verò ipsos, quis
nescit

nescit magnorum dolorum esse caussam? Et tamen, etsi vel euellantur, vel spontè excidant, quantam in edentulis pariunt absentia sua, edendi difficultatem? quod senes experti nôrunt testari. Ita siue amittantur, siue habeantur, immò & si acquirantur, caussa sunt dolorum. Nam infantes, cùm dentiunt, ab ipso illo pruritu gingiuarum, & prima dentium eruptione malè afficiuntur, & odontalgia, siue dētibus laborant antè, quàm dentes habeant. Vt taceam de dentium stupore. De balbis, blæsis, Ancyloglostis, immò omnino mutis & elinguibus nihil dicam: vitia itidem sunt, non morbi, tamen mala quædam sunt. Et verò saltem morbus linguæ est, si inflammetur, siccetur, duretur. Iam fauces angina non secus quàm laqueus præfocans enecat, inhibetque inflammatione spiritum, quem, dum continet, respirationem impedit. Quod & tonsillæ, seu durus faucium tumor efficit; nec non & catarrhus, cùm ad os & fauces è capite humor destillat; vnde, quando in asperam arteriam decumbit humorū fluxus, raucitas oritur, & difficultas spirandi. Quin & tussis, quemadmodum & grauedo, seu defluxus nares obruens, vocemque obtundens, tussim cum sonitu aurium mouet. Hæc gutturi interiùs sunt infesta. Collo exterius nocet, si sit obstipum, rigeatque, & in alterum humerum caput recliue relinquat; nec magnum illi decus addit struma, instar crumenæ dependula, & glandulis duris, velut nummis plena. Manus quoque sua ligantur chiragra, digitos arthritis, seu morbus articularis tumore dolorifico obsidet, qui si in genua defluat, gonagra, si in pedes podagra appellatur. Vngues digitorum reduuia, seu cutis circa radices vnguium resolutio atque fissura labefactat. Taceo gibbos dorso impositos. Taceo mancos, mutilos, contractos. Ad interiora venio, ibi cordolium, ibi pulmonum corruptiones, & tabem, ibi asthma, & suspirium, seu vehementiorē spirandi difficultatem; ibi orthopnœam, item sanguinis reiectionem; ibi pleuritim acutè pungentem, & telum gladij instar transuerberans; ibi macilentam atrophiam, ibi cachexiam, cardialgiam, stomachique rosionem, nauseam, & inane vomendi desiderium, item singultus, ructus, vomitus; ibi picam, bulimum, appetitum caninum; ibi diarrhœas in intestinis, verminationes, tormina; ibi vol-

uulum,

uulum, seu ileum, seu iliacam passionem, colicum dolorem; lienteriam, hepatis incēdia, lumbaginem; nephritim in renibus; stranguriam, dysuriam, ischuriam, in vesica; ibi rupturas, calculos, hydropem, diabetem, hęmorrhoides, & mille hypochondrias, vnde ater vapor exiliens mentem petit; ibi sexcenta alia mala inuenio sedem habere. Quin &, quæ totum hominem sternunt, enumerantur species, paralysis, apoplexia, torpor, spasmus seu neruorum distentio, gangrænæ; quin & quartana, tertiana, quotidiana seu diaria, continua, & omnis generis febres, in misera carne nostra stabulantur. Quam etiam foris deformat tremor, ictericus seu regius morbus & aurigo; item lentigo, impetigo, psora, scabies, scalpurigo, elephantiasis, vitiligo, papulæ: & quid non? Plerique enim interim morbi colorem externum mutant. Sed ne pedes nihil nisi fatigationem habere videantur, illos non solùm podagra vrit, sed etiam erysipelas seu sacer ignis depascitur. Ac ne in imo desit, quod cruciet, pernio morbus est, qui pedis præcipuè calcem nimio frigore infestat. Talis est homo, qui superbit: *à planta pedis, vsque ad verticem non est in eo sanitas.* Isa. 1. 6.

IV. Perstrinxi, non enumeraui omnes morborum classes, tot sunt, vt numerum superent. Et cum tempore semper noui, & noui erumpunt. Galeni do verba. *Sed num etiam plura dicam, quo stupidos istos inducam, vt si nihil aliud, illud saltem intelligant, non posse quemquam nec inuenire, nec demonstratione asserere morborum numerum, qui non ex ijs, quæ particulis insunt, tum quæ caussa actionis sint, tum, quæ temerè accidunt nôrit.* Clariùs Antistes Hipponensis: *Iam verò, inquit, de ipso corpore tot existunt morborum mala, vt nec libris medicorum cuncta comprehensa sint. In quorum pluribus ac penè omnibus etiam ipsa adiumenta & medicamenta tormenta sunt, vt homines à pœnarum exitio, pœnali eruantur auxilio.* (S. Augustin. lib. 22. de ciuit. cap. 22.)

Alio loco ostendit, omnem hanc vitam esse nihil, nisi continuum morbum. *Epulæ enim, ait, terræ huius medicamenta quotidiana sunt, ægritudini cuidam nostræ, cum qua nascimur, necessaria sunt. Ægritudinem istam sentit quisque, cùm hora reficiendi transierit. Vis videre quanta ægritudo sit ista, vt tamquam acuta febris septem diebus necet? Ne te sanum putes. Sanitas immortalitas erit: nam hæc longa ægritudo est: quia quotidianis medicamentis fulcis morbum tuum.* (S. Augustin. serm. 74. de temp.)

Sanus tibi esse videris? Detrahe medicamenta, & vide, quid potes. Nam ex quo nascimur, necesse est, vt moriamur. Morbus hic necesse est, vt ad mortem perducat. Certè medici, quando ægros inspiciunt, hoc dicunt, verbi gratia, Hydropicus est iste, moritur. Hic morbus non potest curari. Elephantiosus est, nec morbus iste curari potest. Phthisicus est, quis hoc curat? Necesse est, vt pereat, necesse est, vt moriatur. Ecce iam dixit medicus, Phthisicus est, non potest, nisi moriatur. Et tamen aliquando & hydropicus non inde moritur, & elephantiosus non inde moritur, & phthisicus non inde moritur, & tamen necesse est, vt quisquis natus fuerit, inde moriatur. Moritur, inde non potest aliter. Hoc & medicus, & imperitus pronuntiat; sed etsi tardiùs moritur, numquid ideò non moritur?

V. Innumeri igitur sunt corporis morbi; immò si famem morbis apponamus, continui sunt morbi, qui non rarò ad tantam acerbitatem acuuntur, vt non solùm ad mortem certam ducant, sed etiam vt mors ipsa tolerabilior, immò optabilior mortalibus videatur. Posset ex his fortasse etiam Paulus videri fuisse, quia dixit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* (Rom. 7. 24.) Quippe Hebræis mors, per metonymiam & catachresin sæpe morbum, pestem, luem, & afflictionem quamlibet grauem significat. (Exod. 10. 17.) Vnde eo sensu Pharao quondam dicebat: *Rogate Dominum, vt auferat à me mortem istam: mortem*, id est, plagam locustarum depascentium herbas & gramina. Et alibi legimus: *mors*, id est, amaricies colocynthidarum, *in olla est*. Itaque Paulus corpus mortis accipit, pro corpore multis morbis, & ærumnis obnoxio, ex quo, ardenti desiderio, cupit ad cælestem vitam & Christum suum euolare. Quamquam si mentem illius penitùs inspiciamus, non tam ille corporis dolores fugit, quàm alia, quæ ex ijs nascuntur impedimenta, ne cum Christo suo ita esset, sicut esse concupiscebat. (Hugo de S. Victor. lib. de spir. & anim. cap. 62.) *Audi, ô anima*, ait Hugo Victorinus, *qualis sis, onerata es peccatis, irretita vitijs, capta illecebris, affixa membris, confixa curis, distenta negotijs, contracta timoribus, afflicta doloribus, erroribus vaga, suspicationibus inquieta, solicitudinibus inquieta, aduena in terra inimicorum, coinquinata cum morbis, deputata cum ijs, qui in inferno sunt.* Hinc quis non vellet liberari? Hinc Pauli, & animæ sponsum suum Christum amantis votum est, vt idem au-

 Idem cap. 60.

Quando veniam, & apparebo ante faciem Domini, ad vi-
thor ait:
dendum eum in bonitate electorum suorum, ad lætandum in lætitia
gentis suæ, vt laudetur cum hæreditate sua? Quando videbo ciuitatem
illam, de qua dictum est, Plateæ tuæ Ierusalem sternentur auro mundo,
& in te cantabitur canticum lætitiæ, & per omnes vicos tuos ab vni-
uersis dicetur Alleluia? O ciuitas sancta, ciuitas speciosa, de longinquo
te saluto, ad te clamo, te requiro; desidero enim videre te, & requiescere
in te: sed non sinor carne retentus. O ciuitas desiderabilis; muri tui la-
pis vnus, custos tuus ipse DEVS, *ciues tui semper læti; semper enim gra-*
tulantur in visione DEI. Hæc sunt, quæ trahebant Apostolum, vt Rom. 7. 24.
exclamaret: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hui⁹?*
Quamuis & corpus mortis huius, plenum tot afflictionibus, sti-
mulos addebat, vt ad felicem illam habitationem anhelaret.
Quam ob caussam etiam Dauid gemebundus dicebat: *Heu mihi,* Psal. 119. 5.
quia incolatus meus prolongatus est! Quid isti non facerent spe ve-
niendi ad beatas sedes; cùm alij ob solos morborum dolores,
mori malint, quàm diutiùs ægrotare, sibique violentas manus Eccl. 38. 9.
inferant? Nec enim sine caussa monet sapiens: *Fili, in infirmitate*
ne despicias te ipsum; & Hippocrates in suis præceptionibus ju-
bet, vt medicus curet, ne ægrotus mente turbetur, cùm plurimi
propter doloris excessum desperantes, se ipsos vita exuant. Et
nos ipsi vidimus, qui in dentium cruciatu, ex impatientia, parieti
caput illiderent, & animam ipsam mallent elidere, quàm tam
enormes ampliùs dolores sustinere. Quamquam ita stupidi su-
mus, vt etiam extra morbum non videamus, quàm multa nos
incommoda exagitent, quàm malè nobis conueniat hoc corpus:
nunc de capite, nunc de ventre, aut de pectore, aut de faucibus
querimur. Aliàs nerui nos, aliàs pedes vexant: nunc dejectio,
nunc destillatio: aliquando superest, aliquando deest san-
guis: hinc atque illinc tentamur, & expellimur:
ait Sapiens mundi.



CAPVT XIII.

Hominum de Morbis cogitationes, & querelæ.

I. Rom. 7. 24. Elle captos carcere liberari, mirum non est, omnes enim amant libertatem. Quocirca & Pauli vox fuit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* At seipsum in carcere strangulare, aut jugulo vel pectori cultrum immergere, insania est. Qua insania etiam furunt, qui, ne morbus eos in lecto, velut vinculis, teneat, se ipsos interimunt. Nimirum sæpe tanta est morborum dolorumque vis ad hominis virtutem frangendam, animumque deijciendum, vt eum ad extrema adigat, nec rarò mentis impotem reddat. *Dolor*, ait (Cic. lib. 5. Tuscul.) Tullius, *esse videtur acerrimus virtuti aduersarius; is ardentes faces intentat; is fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam se debilitaturum minatur.* Itaque tametsi Paulus verissimè affirmârit: (2. Cor. 12. 10.) *Cùm infirmor, tunc potens sum* (quia corporis infirmitate, interiores animi vires efficiuntur potentiores, atq; ex imbecillitate hominis exterioris, interior fit vegetior, nouis viribus ex hoste nostro domestico, carne nimirum debilitata domitaque resumptis, vt etiam censuit Plato, qui judicauit, nimis bene valentes minùs idoneos esse ad philosophandum) attamen homo ex infirmitate longè aptior promptiorque redditur, ad ea vitia, quæ corporis viribus non indigent: nimirum quæ non ex audacia, aut nimio feruore concupiscentiæ oriuntur, sed potiùs ex imbecillitate, & pusillanimitate, quales sunt, impatientia, oblocutio, desperatio, & quæ ex altero extremo fortitudini & constantiæ contraria sunt.

II. Et vel hinc nonnulli obseruant, morbos corporis ac dolores viris grauibus atque seuerioribus molestissimos esse, quia vident, ob illos sese, ex viris & senibus fieri pueros, puerilia sectantes, & sæpe, puerorum more, ingemiscentes, sæpe plorantes, sæpe diem, in qua nati sunt, & parentes ipsos, è quibus nati sunt, detestantes. Hinc apud Philostratum, *Ion Sophista dicebat, rem morosam esse ægrotationem. Nam ægrotis & vxor molesta est, & medicum incusant, & lectulum molestè gerunt. Ex amicis autem, & qui accedit, grauis est, & qui discedit, molestus.* Nempe corpore ægroto, facilè ægrotat

ægrotat & animus. Ægrotus autem animus & lætis, & tristibus offenditur, & facit ea, quæ facere virum non decet. Seneca, vt febrem surrepentem fugeret, in Nomentanum suum fugit. *Iam* Seneca. ep. 104.
manum mihi iniecerat, inquit, *protinus itaq; parari vehiculum jussi, Paulina me retinente. Medicus initia esse dicebat, motis venis, sed incertis, & naturalem turbantibus modum. Exire perseueraui.* Ac infrà: *Medicina ægro, non regio, quærenda est. Fregit aliquis crus, aut extorsit articulum? non vehiculum nauemq; conscendit, sed aduocat medicum, vt fracta pars jungatur, vel luxata in locum reponatur. Quid ergo animum, tot locis fractum & extortum, credis locorum mutatione posse sanari? Minus est istud malum, quàm vt gestatione curetur.* Ac paulò suprà. *Quid per se prodesse peregrinatio cuiquam potuit? Non voluptates illa temperauit, non cupiditates refrenauit, non iras repressit, non indomitos amoris impetus fregit, nulla denique animo mala eduxit, non judicium dedit, non excussit errorem: sed vt puerum ignota mirantem, ad breue tempus rerum aliqua nouitate detinuit.*

III.

Quid mirum, si hos dolor, & vel corporis, vel animi ægritudo pueris similes fecit, cùm idipsũ S. Augustinus dicat Apostolo S. Augustin. in Psal. 130.
contigisse? qui *ne extolleretur*, ait S. Augustinus, *tamquam juuenis, colaphizabatur tamquam puer*: quia superbiæ remedium 2. Cor. 12. 7.
oportuit ex puerili humilitate desumi. Quæ enim fuit illa *colaphizatio? quis stimulus carnis?* S. Augustinus existimat, fuisse vehementissimum corporis dolorem. D. Hieronymus censet, S Hieronym. in ep. ad Galatas.
fuisse grauissimum capitis dolorem, de quo accipiendũ sit, quod idem Apostolus scribit ad Galatas: *Tentationem vestram, quæ erat* Gal. 4. 14.
in carne mea, non spreuistis, neq; respuistis. Tentabantur enim Galatæ, vt contemnerent eum sublimia promittentem, quem languoribus corporis subiectum videbant, & animo quidem fortem ac patientem, foris tamen, indicia doloris promentem; qui enim Rom. 7. 24.
colaphizabatur tamquam puer, etiam subinde, secundùm inferiorem hominem videbatur ingemiscere vt puer, & clamare, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Secundùm communem enim existimationem felix non est, qui ęger est. Hinc Pythagoras tria docebat à dijs petenda: formam, diuitias, bo- Erasm. lib. 8. Apoph.
nam valetudinem, eò quòd homo cetera ipse sibi præstare posset.

2. Cor. 11. 30 Quòd si viros graues, immò sanctos, & *in infirmitatibus suis* glo-
2. Cor. 12. 9. riantes, vel inuitos morbi faciunt ingemiscere, & præ doloris
magnitudine exclamare; quid credibile est, contingere delicatis,
& non sanctis, immò nihil pati assuetis?

IV. Refert Diodorus, quasdam Lybiæ vrbes, leonum vi à deser-
Diodor. Sic. tis locis ad eas aduentantium, desertas fuisse. Meminit Plinius
lib. 3. cap. 3. ex M. Varrone in annalib. & alijs, à cuniculis in Hispania suffos-
Plin. l. 8. c. 29. sum oppidum; à talpis in Thessalia; à ranis ciuitatem in Gallia
euacuatam incolis; à locustis in Africa; ex Gyario Cycladum
insula incolas à muribus fugatos; in Italia Amyclas à serpenti-
bus deletas; & citra Cynamolgos Æthiopas latè desertam regio-
nem esse redditam à scorpionibus & solpugis, gente sublata;
itemque à scorpionibus abactos Trerienses. Attariotæ quoque,
ranis è nubibus in terram pro guttis aquæ delapsis, coacti sunt
Diodor. Sic. patriam deserere. Nerui Scythiæ populi, vna ante Darij expedi-
loc. cit. tionem æstate, coacti fuerunt solum vertere, propter serpentes
Herodot. l. 4. ex terra ortos, & ex supernis ingruentes. Oppidanos à Mynute
Ioniæ oppido, culicum vis expulit; eademque calamitas Atarne-
tis, qui infra Pergamum sunt, exitio fuit. Possunt animalia non
solùm ferocia & magna, sed etiam exigua & contemptibilia ho-
mines è domibus, vrbibus, patria expellere, contra quæ tamen
Plin. lib. 11. loricæ & arma valent (vti legimus, in Africa, & Cyrenaica re-
cap. 29. gione gentes à gregibus locustarum infestatas vsque ad belli in-
ductionem in illarum greges propellendos) quantò potentiores
esse putemus morbos dirissimos, & intra hominem sæuientes;
contra quos nulla scuta, aut galeæ, aut loricæ nos possunt pro-
tegere? Multos certè legimus, audiuimus, & nonnullos etiam
vidimus, qui, ne morbum diutiùs sentirent, è vita sponte exie-
runt; quasi eos non ranæ, non cicadæ, non culices, sed infesti
leones pepulissent, & solum mutare coegissent. Omissis plurimis
exemplis, mundi sapientem dabo, Senecam illum, qui ad Luci-
Senec. ep. 78. lium ita scribit: *Vexari te distillationibus crebris ac febriculis, quæ
longas distillationes, & in consuetudinem adductas sequuntur, eò mole-
stius mihi est, quia expertus sum hoc genus valetudinis: quod inter ini-
tia contempsi. Poterat adhuc adolescentia iniurias ferre, & se aduer-
sus morbos contumaciter gerere: deinde succubui, & eò perductus sum,*

vt

t ipse distillarem. Ad summam maciem deductus, sæpe impetum cepi abrumpendæ vitæ: patris me indulgentißimi senectus retinuit. Cogitaui enim, non quàm fortiter ego mori possem, sed quàm ille fortiter desiderare me posset. Quasi fortiter moriatur, qui se ipsum occidit, ne distillet, aut liquescat, & consumatur. Ægroto non se perimere, sed viuere, est fortiter facere. Queruntur & alij de morbis, sed moderatiùs, quorum insigne exemplar Carolus Malapertius Montensis Belga sequentibus versiculis nobis reliquit.

V. Carolus Malapert. Montensis Belga, in libris Miscellaneor.

Conquerar, an sileam, & corde eluctantia ab imo
Indeploratus verba, malumq́ premam?
Da veniam, Natura parens, miserumq́ dolorem
Effundi in gemitus, & sua verba sine.
Tertia iam viridi lactescit meßis in herbâ,
Postq́ hiemis surgit tædia, veris honor:
Dum me morbus habet, Medicorum incognitus arti,
Suspensum vitæ, sollicitumq́ meæ.
Sæpè mihi læso manat de pectore sanguis,
Atq́ animam tantùm non vomo purpuream:
Siue tamen læso manare è pectore credam,
Seu magis hoc flumen pulmo cruentus agit;
Seu caput è summo mittit, leuiusq́ periclum est;
Sunt etenim Medicis hæc tria visa tribus.
Nempe etiam ex alijs, dixi, si consulo quartum,
Inueniet quartam sanguinis ille viam.
Nil moror; abscedant placita in diuersa sophistæ,
Hîc vbi de Vacuo quæritur, & Nihilo:
Ast vbi non tenuis de vitâ & sanguine res est,
Aut nihil, aut vnum dicite, tot Medici.
Languentem Lotharis primùm, mox Gallia vidit,
Nunc rigida tento Pharmaca Sarmatiæ.
Est qui me iubeat cælum tentare paternum:
Esse suis, inquit, patria amica solet.
Heu miserum! incumbunt morbi mortalibus ægris,
Aurea quot cælo lumina vesper agit;
Nec numerus constat, nec vis: morimurq́ priusquam
Nosse luem detur nomine, quâ morimur.

Forsitan

Forsitan & tepidum lacerant à morte cadauer,
Et nimium serò dicitur, ecce malum.
Est prope, vt inuideam sanis sua corpora brutis,
Nosq; pari natos condicione velim.
Circumfert medicam canis ad sua vulnera linguam,
Cerua nec intonso supplicat icta deo.
Restituit pullis sua lumina Thracia pellex;
Non fuerat misero tam bona mater Ity.
Turpe ministerium, multis tamen vtile morbis,
Ni docuisset Itys, quis docuisset Arabs?
Piscis equus certo venam sibi diuidit ictu,
Ipsum etiam doctus temporis articulum.
At medici, in dubio est, possintne humore minuto,
Chirurgoq; manus sæpius arsq; tremant.
Nuper ego incertâ sum cuspide ter quater ictus,
Cùm plena haud timido sanguine vena foret.
Vixq; aliqua exsiliit de vulnere gutta maligno,
An non hoc nostro est ludere de corio?
Excutit & rostrum, & veteres Iouis armiger annos,
Et pellem serpens exuit, & senium:
Vnica, Panchais quæ viuit odoribus ales,
Surgit ab extincto mox rediuiua rogo.
At melior Iuuenum fugit irreuocabilis ætas;
Et Pelia frustra est vita recocta seni.
Incertiq; semel cùm lux breuis occidit æui,
Ad superos duro clausa adamante via est.
Nestora Graiorum cunctis è millibus vnum
Sæcla hominum narrant trina fuisse super.
Credite, sic memorant vates: at fabula non est,
Ætatem coruum vincere Nestoream.
Tanti erat, infausti superesset vt ominis ales,
Et nobis cras cras diceret, vsq; senex.
At me quis tacitâ castigat voce querentem,
Inuitumq; aliò non meus ardor agit?
Sentio non solito clarescere lumine mentem
Hicq; animum monitis ad meliora trahi.

Desine,

Desine, mortalis, diuinæ particulam auræ
Spe nimium fragilis incinerare boni.
Suspice quæ cælo maneat te vita perennem,
Nec quære in terris longius exsilium.
Parce, DEVS, lapso, culpamq; ignosce fatenti;
Non consulta satis verba dolentis erant.
Tædia spe deinceps celiq;, æuiq; futuri
Solabor vitæ qualiacumq; meæ.
Et mea iam seu vasa vocant, seu ducere cogor
Longius exsilium, non queror, & sileo.

CAPVT XIV.

Magnam animorum medicinam esse, si quis morborum, ac præcipuè etiam vulnerum caussas nôrit.

SIcut caussarum ignoratio, in hominibus gignit admirationem, ita hæc desiderium sciendi accendit, & non rarò magnarum mater est querelarum; quæ sedantur, si cognoscatur, à quibus principijs mala nostra originem ducant. Siquidem, vt Philosophus scripsit, *caussæ omnes principia sunt*: cognitis autem rerum caussis, humanæ mentis curiositas conquiescit. Et, vt Poëta canit: I.

Aristot lib. 5. Metaphys. cap. 10.

Horat. lib. 1. epist. 1.

Nil admirari, prope res est vna, Numici,
Solaq; quæ possit facere & seruare beatum.

Magnam igitur medicinam & querelis, & admirationi mortaliũ afferet, si in principia morborum inquiramus, eaque detegamus. Porrò *morbi humani*, vt Photinus docet, *caussas habent à mutationibus quibusdam, vel intrinsecus, vel extrinsecus.* Necesse est ergo, vt & illas indagemus, quæ extra nos sunt, & quæ intra nos ipsos latent. His vel ex parte cognitis, non solùm muliebriter gemere, verùm etiam admirari desinemus. Aio, his vel ex parte cognitis; quia, vt rectè sanctus ille Ecclesiæ Doctor dixit, *quæ sint judicia circa humanum genus bonitatis Dei, quis poterit explicare sufficienter?*

Photin. Enn. 2. lib. 9. ca. 14.

S. Augustin. lib. 22. de ciuit. cap. 21.

II. Aliquo modo tamen atque ex parte caussas attingere nostrarum miseriarum, est laudare diuinam æquitatem pariter, &

veteres communesque querelas compescere. Intraturus quidam in templum, vidit plurimos ante fores jacere mendicos, audiuitque eos, diuersa facundia, condicionis suæ miseriam deplorantes. Inter illos alij pedis, alij cruris, alij manus aut brachiorum jacturam, alij varias corporis plagas, declamatoria voce lamentabantur. Interrogauit, vnde tot vulnera ac vulnerati essent, in pacifica ciuitate? Vbi intellexit eos è castris, immò ex acie illuc importatos, *Iam non miror*, dixit; *consuetum est, vt in militia ab hoste eiuscemodi honoraria reportentur.* Quoniam autem & vulnerati inter ægrotos non immeritò computantur, neque putandum est, si

Luc. 21. 18. sine diuina prouidentia ne capillus quidem de capite nostro pe-rit, Devm permittere, vt sine justissima caussa pedem amittamus, crus frangamus, oculum perdamus, caput lædamus; aut alius nobis plagam imponat: priùs quàm ad singulas caussas accedamus, obiter videndum est, cur hominum custos mutilationes, cædes, prædationes, aliaque talia fieri permittat; & quidem non tantùm in meritos, sed etiam in innocentes.

III.

Ioan. 16. 1. Cùm Christus Apostolis multas persecutionum procellas subeundas vellet prædicere, dixit: *Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini. Absq; synagogis facient vos. Sed venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur, obsequium se præstare Deo.* Similis erat Christus parenti filium suum in militiam dimittenti, neq; ignoranti, dulce esse bellum inexpertis. Is enim paternè præmonet euntem, alia reperturum, quàm sibi imaginetur; vigilandum, frigus, æstum, famem, sitim sustinendam, denique non tantùm imbres aquarum, sed telorum, & plumbearum glandium nimbos etiam excipiendos; vulnera expectanda, sanguinem profundendum; mortem ipsam contemnendam. Hæc talia illi prædicit prouidus parens, nec illico, vbi asperum quid est sensurus, ad maternum sinum, deserta statione, domum cogitet reuerti. Sic & Christus gnarus, tela præuisa minùs ferire; discipulos suos compellans admonet exilij, ejectionis, mortis. *Hæc locutus sum vobis*, ait, *vt non scandalizemini.* Expectabitis, vt homines vobis obuiam prodeant, hospitiumque vltro offerant, quemadmodum audistis,

Gen. 18. 3 & 19. 2. Abrahamum, aut Lotum Angelis obtulisse; at contrarium eueniet, *absq; synagogis facient vos*, vt etiam inde excludamini, quò

omnes

omnes admittuntur. Sperabitis, vt vos, tamquam legatos Dei, honorificè tractent: at cõtumelijs afficient, colaphos infringent; at flagellabunt, & sauciabunt vos; & morte pessima multabunt. *Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini.* An non recordamini, hunc, ab initio Mundi hominibus & Deo morem fuisse, vt illi bonos malè tractarent, Devs autem sanctos suos de ipsis malis coronaret? Sic innocentem Abel, inuidus Cain; pium Iacob, crudus Esau; virgineum Ioseph crudeles fratres; sæui Ægyptij mansuetum Moysen & Israëlitas; Saul Dauidem; Iezabel Eliam afflixit; & hodie quoque improbissimi quique vitæ probatæ homines persequuntur. Vt enim aquis ignes, & ignibus aquæ aduersantur, ita inter probos improbosque dissidium facit morum dissimilitudo. Quæ ipsa commendat innocentes. Si enim impijs similes essent, desinerent esse innocentes. Non splendet virtus, si non exerceatur. Quare vel ipsi Diabolo aliquid in Iob permittendum fuit, vt patientia eius orbi terrarum ostenderetur. Itaque *hac locutus sum vobis*, ait Christus, *vt non scandalizemini.* Nam, vt virtus vestra, velut aurum in igne probetur, tamquam oues à lupis lacerabimini. Ego ipse per spinas vos, non per rosas ad cælum ducam.

IV. Quòd si ergo scandalizari nemo debet, cùm videt affligi innocentes, quantò minùs nos offendi decet, si Devs reos castigat? Ita est, non licet, cùm aliquem videmus in aduersa incidisse, illico cogitare, aut judicare, multoque minùs dicere, eum scelere aliquo insigni id commeruisse, aut improbitatem illius à diuina æquitate castigatam esse, quemadmodũ Melitenses temerè & censuerunt, & dixerunt, cùm viderent viperam de manu Pauli pendentem; verùm multò indignius est, vt de Deo malè cogitemus, quasi, aut iniquus sit, aut in rebus humanis curandis negligens & improuidus. Iusti, in dubijs rebus aiunt: *Iustus es, Domine, & rectum judicium tuum.* Tametsi ergo neminem improbitatis condemnent, cùm vident mala mortalibus accidere; justitiam tamen nihilominus diuinam numquam accusant, neque se sinunt casu repentino scandalizari. Ita enim secum rationantur. Si homo iste deliquit, quod Deo notum est, cur non puniatur? Si innocens est, cur non exerceatur? Dux belli, quorum fidem ac virtutem

Act. 28, 4.

Psal. 118, 137.

virtutem maximi æstimat, eos solet in maximis discriminibus
Apoc. 3. 19. hosti opponere. Sic & DEVS, *quos amat, arguit & castigat*, æquè bonus vtique in amicos, quibus præbet merendi occasionem, atque erga inimicos justus, quos pœnis emendat. Negari non potest, tristia sunt, quæ aduersa sunt, sed solari nos debet & tristium vtilitas, & justitia judiciumque DEI tristia immittentis. *Manife-*
S. Augustini epist. 137. *stum est quidem*, inquit S. Augustinus, *quia ista in Ecclesia non accidunt, sine graui tristitia sanctorum fidelium; veruntamen consoletur nos, qui cuncta prædixit, atq; vt abundantia iniquitatis non refrigescamus, sed in finem perseueremus, vt salui esse possemus, admonuit.* An non admonuit, cùm dixit: *Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini?* Quòd si scandalizari nos noluit, cùm videmus pessima quæque perpeti innocentes, quantò minùs offendi nos par est, cùm reos plectit? Bonos defendit, cùm malos castigat; immò ex malis vult facere bonos.

V. At non videmus crimen, ob quod iste sanitatem amisit; ille pedem, alius oculum, alius omnino vitam perdidit? Satis est, si videt DEVS. Non cadet, qui judicio crediderit diuino, quod tamen ipsum haud rarò erumpit in apricum, ad nostram fidem eru-
Ioseph. Balardin. lib. 3 cap. 47. & post eum Matth. Rader part. 1. Viridarij. 28. Ianuarij. diendam. *Henricus in dioptra exemplorum narrat, cuidam viro nobili fuisse multis annis seruum inprimis fidum & gnauum, adeoq; ad omnia imperata promptissimum. Vsu venit, vt dominus per siluam equo vehens vidulum argenti triginta pondo, seruo ponè sequente, nec aduertente, perderet. Vbi ad flumen ventum, herus folliculum pecuniarum desiderat, quærit è seruo inueneritne amissam bulgam? negantem illico irâ inflammatus, ac propè in rabiem actus, stricto ferro persequitur, pede truncat, semniceq; relicto, viam, qua incesserat, argento quærendo relegit. Seruus dolore pedis recisi propè exanimatus siluam eiulatu complet. Exciuit lamentabilis vox anachoretam haud procul inde degentem: reperit is humi jacentem, pedeq; pessimè mulctatum. commiseratione commotus compellat, & quam potuit verborum medelam adhibet. Enimuerò propiùs eum à morte abesse ratus hortatur ad salutarem peccatorum expiationem, monetq; hero vt suo ignoscat, Deum quoq; perinde clementem in se experturum. Parati ad omnia confessionem excipit, causamq; facti totâ intelligit; vnde maiori affectu infelicem prosecutus in cellam suam deportauit, maximaq; curâ inser-*

uire

ire & mederi quibus potuit officijs institit. Interim animo secum
ertractans miserandum innocentis hominis casum, quasi offendebatur
n Deo, qui insontem seruum tam atroci calamitate, tantísq; ærumnis
remi opprimiq; passus esset. Hæc indigna de æquissimo sapientissimoq;
Numine, iniquè cogitanti adstat internuntius Dei, voceq; huiusmodi
ffatur. Quid moueris indignarísq; super justo & abdito prouidentiæ
iuinæ judicio? an ignoras psalmos? Deum justum judicem, & rectum
udicium eius? Haud nescio, inquit Anachoreta, sæpeq; & legi, & ad-
huc credidi: sed hodie sortem innocentis & vltimi seruuli miseratus
non potui assequi, quâ ratione tanta supplicia propter noxas non adeò
graues dependat. Caue, inquit Angelus, tam impiè sentias loquareq; de
sapientissima æquissimaq; sententia Dei: Nam omnes viæ ipsius justæ
& sanctæ Scriptum probè nosti: Iudicia Dei abyssus multa. Proinde
neueris huic pedem amputatum, vt justas pœnas daret, quòd hoc ipso
iam olim pede juuenis suam ipsius matrem vnà vectus ex curru indignis
modis deturbarit, nec vmquam de hoc scelere, vti par erat, doluerit.
Iustus inde Deus ob hoc illum facinus præsenti pœnâ afflixit, vt mortuo
olim posset parcere. Herum porrò scias illius, amissâ illâ pecunia ad plu-
rima & maxima flagitia in suam & aliorum perniciem & exitium
sempiternum abusurum fuisse. Abstulit verò verissimus Deus occasio-
nem hanc ab illo in terris, ne cæli faceret jacturam. Contrà is, qui in
sacculum argenti amissi incidit, tenuis erat fortunæ; sed integræ vitæ
numerosæq; familiæ, qui argentum repertum quamprimùm ad curio-
nem suum detulit pro concione proclamandum, vt si quis suum profi-
teretur, ei redderetur. Parochus diuinitus de repertoris inopiâ doctus,
cùm nemo vindex adesset, partem ex illâ inuentori transcripsit, reli-
quam in reliquos inopes parœciæ suæ partitus est. Hîc religiosus ille siluæ
cultor suam agnoscere temeritatem, seq; æternis dignum supplicijs fa-
teri, pacem veniamq; flagitare. Cui Angelus: Iam tibi summa Dei
clementia ignouit, prosequere constanti fortiq; animo cœptum pietatis
iter, & sempiternis quondam gaudiorum præmijs potiêre. VI.

Adeste hîc primùm, qui perdidisse vos lucrum, amisisse marsupium, jacturam fortunarum fecisse muliebriter ploratis. Non infortunium, non casus, non furis ea rapacitas fuit, sed diuinum judicium, sed prouidentia miserentis Dei, gladiumque furioso subducentis. Illâ pecuniâ valetudinem suffocassetis; illâ crapulæ

 & ebrie-

& ebrietati vos addixissetis; illâ superbas vestes statui vestro minimè conuenientes comparassetis; illâ emissetis adulteria; corrupissetis judicia; illâ in sacrilegam & Simoniacam nundinationem incidissetis; illâ oppressissetis pupillos, vexassetis viduas, judices & tribunalia excæcassetis. Quid si illa fuit aliena? quid si inopi & extremè egenti debita? quid si vos ipsi ea, ob insatiabilem vestram cupiditatem indigni? Inter quotidianos sermones recitatur, quod narrabo, fuisse nempe Euclionem, qui cùm auro suo à furibus metueret, fallereque vellet insidiantes; non in arca illud, non domi, sed in deuia silua, atque super excelsa arbore condidit; eum nimirum locum tutissimum ratus, quem censuit alijs inaccessum. Erat fortè in eadem vicinia pauperrimus homo, quem res angusta domi, & creditorum molestissima importunitas ad restim adegerat. Mori quippe maluit, quàm toties ab interpellantibus vexari. Igitur laqueum parat, suspendio locum quærit; quem quidem voluit esse ab hominum oculis remotissimum. Quò aliò iret, quàm in siluam? Bono genio duce in illam ipsam arborem incidit, in quam auarus Euclio aurũ conjecerat. Conscendit, laqueum promit, & iam iam vltronea morte animam sibi elisurus, sacculum reperit auro prægnantem. Aurum vbi vidit, non placuit illi ampliùs mori. Itaque felicissima commutatione, sacculum cum auro tollit, eiusque in locum restim reponit; reditque domum opulentus, vnde paulò priùs exierat, præ inopia se interempturus. At prorsus diuerso euentu Euclio dum thesauro suo visendo animum oblectaturus in eamdem siluam redit, arboreque conscensa, aurum quærit; non aurum, sed laqueum reperit. Hoc vnum illi compendium fuit ad mortem. Non ampliùs habuisset, quo restim emeret, nisi gratis inuenisset: Thesauro igitur spoliatus, quia jacturam ferre non poterat, mortem statuit sibi inferre. Illo ipso, quem inibi inuenerat, laqueo se arbori innexuit, pependitque diuinæ in cupidos vindictæ monimentum; quotquot enim eum viderant, & de auaritia nouerant, dixerunt, suspendium dudum meruisse. Hoc memori mente recondant, quicumque aurum injustum recondunt; nouit enim probè diuina prouidentia illud, suo tempore, in laqueum commutare.

Sic

Sic Iudæ accidit, quem à Deo permissum, vt se suspenderet, VII.
emo scandalizatur. Cum pecunia vitam dedit, qui veram vitam
ro pecunia vendidit, ante ipsum Simonem Simoniacus factus,
Magistri sui venditione. Quid doletis, miseri, si vobis milites abs-
ulerunt, quod è templis & aris, quod Sacerdotibus & Monaste-
ijs antè ipsi rapuistis? Antiquè dictum est: *Malè parta, malè*
dilabuntur. Nulli fures diu manent opulenti. Dum Philippæum
:lepunt, talentum amittunt; nec rarò, qui ærarium suum de Ec-
clesijs auxerunt, tota perdiderunt regna. Nemo scandalizetur,
si videat diuites mendicare, qui, vt diuites essent, priùs ipsi mul-
tos mendicos fecêre. Sic cum eis agitur lege talionis. Quæ in a-
lios perpetrarunt, patiuntur. Quid conqueruntur de re, cuius
exemplum fuerunt? Equum quidam è pascuis abegit, freno
ephippioque carentem: frenauit, ephippio texit, mox iterum
vnà cum freno ephippioque amisit. Quotidiana sunt hæc hodie
apud milites. Nam ante paucos annos in vicinia nostra, nostis
militem vix è pago cum equo exijsse, cui extra pagum alij duo
commilitones & equum & vitam eripuerunt. Hoc lucrum fuit
raptoris. Infinita sunt, quæ sine diuino vtique judicio non con-
tingunt. Quàm longum catalogum contexuit Devs eorum ma-
lorum, quæ se immissurum minatus est legis transgressoribus?
Quòd si audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt custodias, & facias Deuter. 28. 15. & seqq.
omnia mandata eius, & ceremonias, quas ego præcipio tibi hodie, ve-
nient super te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te. Maledictus
eris in ciuitate, maledictus in agro. Maledictum horreum tuum, &
maledictæ reliquiæ tuæ. Maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ
tuæ, armenta boum tuorum, & greges ouium tuarum. Et quæ longo
ordine sequuntur. Hæc omnia locutus est nobis Devs, vt
non scandalizemur, si auferat bona ad vitam necessaria: aufert
enim vel vt summus omnium rerum Dominus; vel vt det benè
meritis, aufert ab indignis, vt quondam ab Ægyptijs, per Israëli-
tas ex Ægypto discedentes; vel ne fiamus cælo indigni. Benefi-
cium hoc est, non furtum. Quod facit cum bonis nostris, facit &
cum membris nostris.

VIII. Nam aufert subinde, aut crudelissimè auferri sinit iam hoc,
iam illud membrum, mutilatque hominem, aut etiam penitus
deartuat,

deartuat, quemadmodum ſuprà dicto ſeruo accidit. Reſpondendum eſt iſtis (atque ad hoc reſponſum tota hoſpitalia, omnes
Matth. 18. 8. ægros, languidos, mancos, cæcos, claudos cito, & adeſſe iubeo) inprimis cum Chriſto: *Bonum eſt tibi ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quàm duas manus, vel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum.* Item: *Bonum tibi eſt, cum vno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis.* Tametſi
Ioan. 9. 1. ergo non ſemper in pœnam hæc talia accidunt, accidunt tamen ad patientiæ coronã. Viderunt aliquando cum IESV *hominem cæcum à natiuitate, & interrogauerunt eum diſcipuli eius: Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus naſceretur? Reſpondit* IESVS: *Neq; hic peccauit, neq; parentes eius: ſed vt manifeſtentur opera* DEI *in illo.* Vitium eſt enim hominum, in aliorum calamitatibus, DEI judicium citare, & peccati pœnam cenſere, quod & amici Iob fecerunt. Sed ſæpe errant; vt & Apoſtoli ex ignorantia interrogauerant, an hic peccârit, vt cæcus naſceretur? non poterat peccare antè, quàm naſceretur, quare neque mereri potuit, vt cæcus naſceretur. Propter peccata autem parentum ſanè non
2. Reg. 12. raro filij puniuntur temporali calamitate, ſicut propter
Gen. 19. adulterium Dauidis infans mortuus eſt, & propter flagitia Sodo-
Num. 16. mitarum, etiam filij infantes arſerunt; item propter peccatum Dathan & Abiron, terra etiam filios eorum deuorauit, cùm
S. Auguſt. l. 6. qq. vet. teſtã. c. 8 S. Greg. lib 15. moral. cap. 31. enim filij ſint pars quędam parentum, in illis iſti plectuntur, teſte Auguſtino & Gregorio. In hoc ergo non errarunt Apoſtoli, quòd putârint parentes aliquando in filijs ſuis puniri, aut filios propter ſua peccata plecti. At in eo errarunt, ſicut multi homines, quòd putârint, non infligi has pœnas, niſi propter peccata. Itaque nemo temerè judicandus eſt, quaſi peccatis meruiſſet ſuã calamitatem, in quam incidit. Sæpe nec ipſe, nec parentes peccauerunt, *ſed vt manifeſtentur opera* DEI *in illo*, hoc eſt, vt patientia eius, ſicut in Iob, hominibus ante oculos ponatur; eſt enim patientia opus DEI: Aut, vt etiam potentia DEI miraculo aliquo pateſiat, quò diuinitas Chriſti declaretur; quale miraculum à ſæculo non auditum fuit, cæci nati, ſcilicet illuminatio.

IX. Neque hîc eſt ſcandali cauſſa. Si quis enim quærat, cur hic cæcus natus ſit, non ob peccatum, ſed vt manifeſtaretur glo-

ria

ia DEI in ipso, qua justitia id fieri possit, vt tanta pœna alicui in- Vide Tolet. in cap. 9. Io.
ligatur nō propter peccatum? Respondeo 1. nullam cæco inju-
riam factam; etsi enim ei non contigerit cæcitas, vel ob propriũ,
vel ob alienum peccatum, non tamen contigit sine illo peccato,
ob quod justè DEVS multò maiora mala illi immittere potuisset.
Docet enim fides, ob peccatum originale, justè pœnas quascumq;
temporales exigere ab omnibus posse DEVM; & ob id ipsum de
facto multos infantes morte affici, alijsque malis, tradit Augusti- S. Augustin. lib. 22. Ciuit. cap. 22.
nus. Quòd igitur non puniat omnes, nec pluribus malis obij-
ciat, misericordiæ est beneficium, non justitiæ debitum. Vt autem
aliquid à DEO justè fiat, satis est, si sine injustitia, etsi non propter
justitiam fiat. Adde 2. quòd etiam si nullum in tali peccatum
esset, tamen in arbitrio DEI sit, cæcitatem, vel alium corporis
defectũ immittere sine vlla injustitia. Nihil enim illi aufert, con-
tra jus ipsius, sed solùm hoc vel illud non vult illi donare, sicut
ei cetera donauit. omnia enim, quæ habemus bona, DEI sunt
dona gratis & liberaliter donata. Quare si cui non dat visum, pe-
dem, manum, longam vitam, non aufert debita, sed non donat,
quæ donare potuit. Quæ non est injustitia, sed terminus diuinæ
liberalitatis & donationis. Quare nemo cum DEO potest expo-
stulare, si ei sanitatem negat, aut vitam longiorem non donat;
sicut nec seruus potest expostulare cum domino, si ei agrum non
donat, si non donat hortum, aut domum.

X.

Sed in arcana diuinæ justitiæ penitiùs intremus. Nonne Eremicola DEI tribunal temerè judicauit, quando *animo secum pertractans miserandum innocentis hominis casum quasi offendebatur in DEO, qui insontem seruum tam atroci calamitate tantisq; ærumnis premi, opprimiq; passus esset?* Nonne ab Angelo eius temeritas est castigata? Nonne justitia Numinis demonstrata? quando dixit: *Noueris huic pedem amputatum, vt iustas pœnas daret, quòd hoc ipso iam olim pede juuenis suam ipsius matrē vnà vectus ex curru indignis modis deturbârit; nec vmquam de hoc scelere, vti par erat, doluerit.* Itaque non solùm DEVS est Dominus membrorum nostrorum, sed etiam judex. Per quæ quis peccat, per ea & pœnas illum lue-re par est. Multi membro aliquo, aut membri vsu priuantur, & caussam nesciunt, cur ita superi permiserint; scirent, si delictorũ

Ioan. 18. 10. suorum recordarentur. Auriculam Malcho dexteram Petrus amputauit? fortasse eam sæpius præbuit detractoribus, turpiloquijs, adulantibus, certè injustè mādanti, vt Christo capiēdo interesset. Alius queritur, sibi vtrumque oculum ex incauto ignis insultu effluxisse? fortasse illis ipsis oculis sæpius aspexit, quod videre nefas fuit, & dici poterat:

Ouid. lib. 2. Metam. fab. 9.

Aspicit hunc oculis ijsdem, quibus abdita nuper
Viderat Aglaurus flaua secreta Mineruæ.

Alius digitis truncatus est? fortasse nimis longos habuit. Manus ambas alius amisit? fortasse eas, quibus non debebat, iniecit, aut ad illicita extendit. Alius genua poplitesque habet plumbo trajectos? fortasse Deo numquam adorato submisit. Crurifragium passus est alius? quid si id meruit exotici generis ocreis in terras nostras aliunde importatis? Talum quispiam inuertit? aut pedum digitos frigus illi deussit? quid si in choreis nimius fuit, aut
Prou 6. 12. molli calcatu lasciuiuit, juxta illud: *Homo apostata, vir inutilis,*
Rom. 6. 19. & v. 13. *graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur?* Hæc omnia membra accepit homo, vt *seruirent justitiæ in sanctificationem*: quòd si igitur exhibeat *membra sua arma iniquitatis peccato,* an non dignus est ea amittere? Immò an non illi vtilius est ijs
Matth. 18. 8. carere, quàm furere? Illi ergo dicit Seruator: *Bonum est tibi ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quàm duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.*

XI.
Deuter. 25. 11. Fuit hæc justissima lex olim: *Si habuerint inter se jurgium viri duo, & vnus contra alterum rixari cœperit, volensq; vxor alterius eruere virum suum de manu fortioris, miseritq; manum, & apprehenderit verenda eius: abscides manum illius, nec flecteris super eam vlla misericordia.* Quod in manu jussit fieri, in pede quoque factum accipe. Frisingæ in cathedralis Ecclesiæ superiore Choro, ad dexterum latus altaris S. Sigismundi, vidi pedem humanum, carne adhuc integra & incorrupta, quamuis subnigra, cum digitis & vnguibus, tabellæ ligneæ affixum, parietique appensum. Eo viso, interrogaui, quid esset istuc? Responsum est mihi à viris magnis, morem esse perantiquum, vt quotannis, feria tertia Pentecostes, ad S. Sigismundi aram peregrinationes instituantur. Et verò etiam longis illuc vijs veniri. Mœmingam pagum esse

octo, vel decem milliaribus inde distantem, Isaræ adsitum. Ex eo quoque pago plenis agminibus peregrinos ascendere solitos. Cùm ergo aliquando eiuscemodi supplicatio procederet, Frisingam profectura, vicinum in via viderunt nonnulli ex arbore spectantem transeuntes. Ibi quispiam, vt fieri solet, ex eo interrogauit, An non & ipse cum cruce peregrinantes comitari, atque Frisingam tendere vellet? Ad quam ille quæstionem Sardonicè ridens, non sine impio sarcasmo respondit, *Nolle se vel pedem Frisingæ habere.* Dixit, & linguæ peccatum illico pes luit. Nam cum dicto, pes alter, haud secus atque si securi amputatus fuisset, de arbore cecidit. Neque hoc prodigio miraculum est terminatum. Iacebat illius ipsius rustici canis sub arbore, qui quasi ex imperio lapsum desuper pedem, mordicus apprehendit, & cum eo, ante supplicantes, Frisingam vsque cucurrit. Subsecuti postea peregrinantes, & canem, & pedem ante altare S. Sigismundi repererunt, agnoueruntque. Nec potest miraculum negari, fidem ei facit alterum miraculum, vsque in hanc diem, per tot annos continuatum. Ne enim eius memoria aboleretur, caro, contra indolem suam, incorrupta perseuerat, docetque spectantes, ne Sanctorum honores, aut antiquos piosque Ecclesiæ mores irrideant; neque aliud appensa tabella loquitur, quàm

Discite justitiam moniti, & non temnere diuos. XII.

Tabellæ autem ad apicem descripta verba sunt: Diser Fueß ist vor vilen vnerdencklichen Jahren von Mämingen hieher durch einen Hundt wunderbarlicher weiß gebracht worden. Als nun ein gantze Nachbaurschafft von Mämingen hieher gehn S. Sigmundt den dritten Pfingstfeyrtag (wie gebräuchig) walfarten gangen/ haben sie vnder wegen einen Nachbauren/ so auff einem Baum gewesen/ angetroffen/ den befragt/ ob er nit auch mit dem Creutz nacher Freising mit jhnen gehen wolle; habe er das Gespött darauß getriben/vorgebendt/er wolle nit/Reuerender/daß jhme einen Fueß zu Freising wäre; Zu deme seye sein Fueß einer von dem Baum herab gefallen/ vnnd von deß Bauren aignem Hundt in dem Maul nacher Freising getragen worden/ vnd da die Nachbauren in die Kyrchen kommen/ seye der Hundt mit dem Fueß vor dem Altar gelegen. Hæc tabella multos mouit, vt

Diuos non temnerent, plurisque facerent sacras peregrinationes; nonnullos etiam, vt pedibus irent in sententiam Catholicorum. Vnius ergo pedis jactura, saluti fuit multis; fortasse etiam illi ipsi, qui pedem amisit, vt pietatem inueniret.

CAPVT XV.

Primam morborum caussam, esse ipsam hominis naturam.

I. Ed vulneribus, tamquam extraordinarijs morbis, omissis, paulò altiùs & vniuersim morborum caussas expendamus, quarum prima est hominis Natura. Constamus enim ex elementis, æternam inter se pugnam conserentibus. Hinc natura mortales sumus, &

Ouid. lib. 1. Metam. — *Frigida dum calidis pugnant, humentia siccis,*

2. Reg. 14. 14. — *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur in terram.* Itaque seu calor in nobis exæstuet, seu exuperet frigus, seu humiditate nimia intumescamus, seu exarescamus nimia siccitate, semper malè valemus; nec fieri potest, vt vlla arte justum sanitatis temperamentum non tandem deficiat, si de arte humana loquamur, ac naturali. Natura enim non est supra naturam. Acutè Chrysippus *tractat, consideratq́; dignumq́; esse id quæri putat,* εἰ αἱ τῶν ἀνθρώπων νόσοι κατὰ φύσιν γίνονται *id est, naturáne ipsa rerum, vel prouidentia, quæ compagem hanc mundi, & genus hominum fecit, morbos quoq; & debilitates & ægritudines corporum, quas patiuntur homines, fecerit? existimat autem, non fuisse hoc principale naturæ consilium, vt faceret homines morbis obnoxios: numquam enim hoc conuenisse naturæ authori, parentiq; rerum omnium bonarum, sed quum multa, inquit, atq; magna gigneret, pareretq;, aptissima, & vtilissima: alia quoq; simul agnata sunt incommoda, ijs ipsis, quæ faciebat, cohærentia: eaq; non per naturam sed per sequelas quasdam necessarias facta dicit. Quod ipse appellat* κατὰ παρακολούθησιν. *sic, inquit, quum corpora hominum natura fingeret, ratio subtilior & vtilitas ipsa operis postulauit, vt tenuissimis, minutisq; ossiculis caput compingeret. sed hanc vtilitatem rei maioris alia quædam incommoditas extrinsecus consecuta est; vt fieret caput tenuiter munitum, & ictibus, offensionibusq; paruis fragile. Proinde morbi quoq; & ægritudines partæ sunt, dum salus paritur.*

Chrysipp. l. 4. περὶ προνοίας apud Gell. lib. 6. cap. 1. Noct. Attic.

ritur. Paulò hæc clariùs scribit Lactantius, dum ait: *Queruntur,* Lactant. lib. de opificio Dei. cap. 4.
hominem morbis & immatura morti esse subjectum. Indignantur vide-
licet, non Deos se esse natos. Minimè, inquiunt; sed ex hoc ostendimus,
hominem nulla prouidentia esse factum, quòd aliter fieri debuit. Quid
si ostendero, idipsum magna ratione prouisum esse, vt morbis vexari
posset, & vita sæpe in medio cursus sui spatio rumperetur? Cùm enim
Deus animal, quod fecerat, sua sponte ad mortem transire cognouisset,
vt mortem ipsam, quæ est dissolutio naturæ, capere posset; dedit ei fragi-
litatem, quæ morti aditum ad dissoluendum animal inueniret. Nam si
eius roboris fieret, vt ad eum morbus & ægritudo adire non posset; ne
mors quidem posset; quoniam mors sequela morborum est. Hæc ille.

Chrysippus autem loco citato. *Nihil est prorsus istis, inquit,* II.
imperitius, nihil insipidius, qui opinantur bona esse potuisse, si non es- Gell. lib. 6. cap. 1.
sent itidem mala: nam quum bona malis contraria sint; vtraq; neces-
sarium est opposita inter sese, & quasi mutuò aduersoq; fulta nisu con-
sistere. nullum adeò contrarium esse sine contrario altero quo enim pa-
cto justitiæ sensus esse posset, nisi essent iniuriæ? aut quid aliud iustitia est,
quàm iniustitiæ priuatio, seu oppositio? quia iniustitia potiùs iustitiæ pri-
natio est appellanda. Quid item fortitudo intelligi posset, nisi ex ignauiæ
oppositione? quid continentia nisi ex intemperantia? quo item modo
prudentia esset, nisi foret contrà imprudentia? proinde, inquit, homines
stulti, cur non hoc etiam desiderant, vt veritas sit, & non sit mendaciũ?
namq; inde sunt bona & mala felicitas, & infortunitas, dolor & vo-
luptas. Alterum enim ex altero, sicuti Plato ait, verticibus inter se
contrarijs deligatum est. sustuleris vnum; abstuleris vtrumq;. Ita
ferè etiam argumentatur Christianus Cicero. *Immatura mors* Lactant. loc. cit.
quo modo abesset ab eo, cui esset constituta natura? Nempe nullum ho-
minem mori volunt nisi cùm centesimum ætatis compleuerit annum?
Quomodo illis, in tanta repugnantia rerum ratio poterit constare? Vt
enim ante annos centum mori quisq; non possit; aliquid illi roboris, quod
sit immortale, tribuendum est. Quo concesso, necesse est, condicionem
mortis excludi. Id autem ipsum cuiusmodi potest esse, quod hominem
contra morbos, & ictus extraneos solidum, atq; inexpugnabilem fa-
ciat? Cùm enim constet ex ossibus, & neruis, & visceribus, & sanguine;
quid horum potest esse tam firmum, vt fragilitatem repellat ac mortẽ?
Vt igitur homo non dissolubilis sit ante illud tempus, quod illi putant

oportuisse constitui; ex qua ei materia corpus attribuent? Fragilia sunt omnia, quæ videri, ac tangi possunt Superest vt aliquid ex cælo petant; quoniam in terra nihil est, quod non sit infirmum. Cùm ergo homo sic formandus esset à Deo, vt mortalis esset aliquando; res ipsa exigebat, vt terreno & fragili corpore fingeretur. Necesse est igitur, vt mortem recipiat, quando libet; quoniam corporalis est: corpus enim quodlibet solubile atq; mortale est. Stultißimi ergo sunt, qui de morte immatura queruntur; quoniam naturæ condicio locum illi facit. Ita consequens erit, vt morbis quoq; subiectus sit. neq; enim patitur natura, vt abesse poßit infirmitas ab eo corpore, quod idcircò non solidum, firmumq; natum est, vt aliquando soluendum sit. Sed putamus fieri posse, quemadmodum volunt, vt homo non in ea condicione nascatur, quæ morbo mortíue subiectus sit, nisi peracto ætatis suæ spatio, ad vltimā processerit senectutem. Non igitur vident, si ita sit constitutum quid sequatur; hominem vtiq; certo tempore mori nullo modo posse: sed si prohiberi ab altero victu potest, mori poterit. res igitur exigit, vt homini, qui ante certum diem mori non potest, ciborum alimentis, quia subtrahi possunt, opus non sit: si opus cibo non erit, iam non homo ille sed Deus fiat. Ergo (vt superiùs dixi) qui de fragilitate hominis queruntur, id potißimum queruntur, quòd non immortales & sempiterni sint nati. Homo, nisi senex, mori non debet. Nempe ideò non debet, quia Deus non est. Atqui mortalitas non potest cum immortalitate coniungi: si enim mortalis est in senectute, immortalis in adolescentia esse non potest; nec est ab eo condicio mortis aliena, qui quandoq; moriturus est; nec vlla immortalitas est, cui sit terminus constitutus. Ita fit, vt & immortalitas exclusa in perpetuum, & ad tempus recepta mortalitas, hominem constituat in ea condicione, vt sit in qualibet ætate mortalis. Quadrat igitur neceßitas vndiq;, nec debuisse aliter fieri, nec fas fuisse.

III, Duas sedes condidit DEVS, cùm Mundum fabricaret, cælū & terram. Cælo tamquam domicilio nobiliori incolas dedit corruptionis expertes: in terra posuit homines, qui sunt ex terra, quique genus suum, sicut & cetera animalia, per generationem propagarent. Vt ergo locus successoribus fieret, necesse erat tolli antecessores, ne terrarum angustiæ nimium implerentur. Hinc naturæ prouidentia exigit, vt omnia, quę sub cælo generantur, vicissim subsint corruptioni. Quod non necesse est in Angelis, qui

quia

quia non generantur, etiam non corrumpuntur, nec multipli-
cantur, ſed immortales perſeuerant. Hoc eſt, quòd legamus: *Do-* Prou. 3. 19.
minus ſapientia fundauit terram, ſtabiliuit cælos prudentia. Ita
enim ſunt ſtabiliti, vt neque morbus, nec mors illuc intrare poſ-
ſit. Terra autem ita fundata eſt, vt, qui in ea degunt, non in ea,
ſed in cælo ſperent immortalitatem. Monuit hoc Eccleſiaſtes,
cùm dixit: *Omnia tempus habent, & ſuis ſpatijs tranſeunt vniuerſa* Eccleſ. 3. 1.
ſub cælo. Tempus naſcendi, & tempus moriendi. Tempus plantandi, &
tempus euellendi, quod plantatum eſt. Tempus occidendi, & tempus ſa-
nandi. Si quis profunditatem ſenſus verborum iſtorum introſpexerit,
ait Nyſſenus, *inueniet in ijs eſſe comprehenſum multum Philoſo-*
phiæ tam contemplatiuæ, quàm eius, quæ conſulit ea, quæ ſunt vtilia. S Gregor.
Quænam autem illa? *Cùm ſint res omnes in fluxu, & noſtra excur-* Nyſſen hom.
rant negotia, nequit in his ſtatui felicitas, non debet illa reformidari 6. in Eccleſ.
haud ſemper duratura miſeria, inquit Hugo Victorinus, *neq; mur-* Hugo de Vict.
murare aduerſus diuinam prouidentiam vllum oportet qui ſtata ſingu- in c. 3. Eccleſ.
lis ſpatia definiuit, & in naturalibus, & in humanis, tum proſperis, tum Iob. 2. 20.
aduerſis, quod Iob vidit, & ſapienter approbauit, non minùs mala ſuſci-
piens de manu Dei, quando is illa eſſe voluit, quàm bona. Fatuus eſt,
qui quærit æternitatem in tempore, aut beatitudinem, quæ con-
ſtans eſt, ac ſempiterna, in perpetuò fluentibus rebus, vt qui meſ- S. Bernard.
ſem in hieme, aut piſcem in aëre quærit. *Tempus hoc,* ait Bernar- ſerm. in id.
dus, *animabus, non corporibus eſt aſsignatum, dies ſalutis vtiq;, non* Ecce nos reli-
voluptatis. quim⁹ omnia

IV.

Itaque tempus ipſum, cuius durationi ſubſunt vniuerſa ſub cælo, propter varias durationes, quas ea menſura dimetitur, nos admonet noſtræ vanitatis. Philoſophicè enim tempus duratio eſt cum fluxu continuato. Vt ergo cæli motus durando perit; & pereundo durat; ita noſtra vita, inſtar aquæ dilabitur, nec aliter manet niſi tranſeundo, ſicut cæli motus, à quo vita noſtra pendet. Hinc ſemper cælum mouetur, ne nos ipſos immobiles exiſtimemus; ſed alios velut ſtellas, oriri, alios occidere cogitemus. Et Venetus ſcribit, ſeptem eſſe fontes ſupermundanos, pertinentes ad primam cauſſam, totidemque cæleſtes, nempe Planetas, quibus DEVS res naturales moderatur. Qui ipſi Planetæ oſtendunt, vitam noſtram vagam incertamque eſſe. Et experimur vim illo-

(Venet. Problem. ſcript. Tom. 5. ſect. 1. problem. 129.)

rum,

rum, quemadmodum & illarum rerum, quarum vim numerus septenarius patefacit. *M. Varro in primo librorum, qui inscribuntur, Hebdomades, vel de imaginibus septenarij numeri, quem Graci* ἑβδόμαδα *appellant, virtutes potestatesq́ varias dicit, is namq́ numerus,* inquit, *septemtriones maiores, minoresq́ facit in cælo, item vergilias; quas* πλειάδας *vocant, facit etiam stellas, quas alij erraticas, P. Nigidius errores appellat. circulos quoq́, ait, in cælo circum longitudinem axis septem esse; è quibus duos minimos, qui axem extimum tangunt,* πόλυς *appellari dicit; sed eos in sphæra, quæ* κρικωτή, *vocatur, propter breuitatem non inesse. atqui neq́ ipse Zodiacus septenario numero caret: nam in septimo signo fit solstitium à bruma; in septimo bruma à solstitio, in septimo æquinoctium ab æquinoctio dies deinde illos, quibus halcyones hieme anni, in qua nidulantur, eos quoq́ septem esse dicit. præterea scribit, lunæ circulum confici integris quater septenis diebus: nam duodetricesimo, luna, inquit, ex quo vestigio profecta est, eodem redit: auctoremq́ opinionis huius Aristidem esse Samium, in quare non id solùm animaduerti debere dicit, quòd quater septenis, id est, octo & viginti diebus, conficeret iter luna suum; sed quòd is numerus septenarius, si ab vno profectus, dum ad semetipsum progreditur, omnes, per quos progressus est, numeros comprehendat, ipsumq́ se addat, facit octo & viginti: quot dies sunt circuli lunaris: ad homines quoq́ nascendos vim numeri istius porrigi pertinereq́, ait, nam quum in vterum, inquit, mulieris genitale semen datum est, primis septem diebus conglobatur, coagulaturq́, fitq́ ad capiendam figuram idoneum. Pòst deinde quarta hebdomade quod eius virile fœtus futurum est, caput & spina, quæ est in dorso, informatur. Septima autem ferè hebdomade, id est, nono & quadragesimo die totus, inquit, homo in vtero absoluitur. illam quoq́ vim numeri huius obseruatam refert, quòd ante mensem septimum, neq́ masculus, neq́ femina, salubriter, ac secundùm naturam nasci potest, & quòd hi, qui iustißimè in vtero sunt, post ducentos octoginta dies, postquam sunt concepti, quadragesima denique hebdomade ita nascuntur, pericula quoq́ vitæ, fortunarumq́ hominum, quæ climacteras Chaldæi appellant, grauißima queq́ fieri affirmat septenarijs, præter hoc, modum esse dicit summum adolescendi humani corporis septem pedes. quod esse magis verum arbitramur, quàm quod Herodotus homo fabulator in primo historiarum inuentum esse*

A. Gell. lib. 3. Noct. Attic. cap. 10.

septuaginta tres.

sub

sub terra scripsit Orestis corpus cubita longitudinis habens septem, quae faciunt pedes duodecim, & quadrantem: nisi si (vt Homerus opinatus est) vastiora prolixioraq; fuerint corpora hominum antiquorum, & nunc quasi iam mundo senescente rerum atque hominum decrementa sunt. Dentes quoq; & in primis septem mensibus, & septenos ex vtraq; parte gigni ait, & cadere annis septenis, & genuinos adnasci annis fere bis septenis: venas etiam in hominibus, vel potiùs arterias, medicos musicos dicere, ait, numero moueri septenario: quod ipsi appellant τὴν διὰ τεσσάρων συμφωνίαν; quae fit in collatione quaternarij numeri discrimina etiam periculorum in morbis, maiore vi fieri putant in diebus, qui conficiuntur ex numero septenarij, eosq; dies omnium maximè, ita vt medici appellant κριτικοὺς ἢ κρισίμους, cuiquā videri primam hebdomadam, & secundam, & tertiam. Nec non id etiam est ad vim facultatemq; eius numeri augendas, quòd, quibus inedia mori consilium est, septimo demum die mortem oppetunt.

Hanc numeri septenarij vim obseruauit Varro, seruauit V.
semper natura, & à cælo haustam etiam animalibus impressit; immò ipsum cælum, ipsa sidera, ipsos planetas in animalibus effigiauit, vt haberemus vbique mutationis nostræ monimenta. Sicut enim Mathematici ac Poëtæ stellas in animalium imagines distribuerunt; ita ante eos cælum suis nominibus figurisque bestias decorauit. Hinc sunt in terra stelliones, in aqua stellæ & pisces, qui quia suis vndique radijs diuiduntur, Asteres; quique Lunæ, ob semicirculi similitudinem appellantur. Quin & hominum nonnulli Lunatici sunt; nonnullorum morbi ad Lunæ incrementum crescunt, & decrescunt, vt de menstruis feminarum fluxibus nihil dicam. Quid hæc omnia aliud sunt, quàm quidam nostræ fragilitatis præcones, qui & de cælo clamant, & de elementis, eius nos naturæ esse, cui vndique vanitatis suæ vilitatisq; vel caussæ ostenduntur, vel argumenta, siue ea, quæ supra se, vel iuxta se sunt, intueatur? Nam cælum motu, stellæ ortu & interitu, Planetæ effectu, nostram nobis mobilitatem mortalitatemq; ingerunt. Ita enim & homo continuò mouetur, & *numquam* Iob. 14. 2.
in eodem statu permanet. Ita, instar solis, deliquia patitur, obscuratur, occidit. Ita sicut luna mutatur, neque menstrua tantùm, sed etiam diaria patitur decrementa. Quare, qui à cæli influxu pende-

pendemus, à cælo docemur, naturam quoque nostram esse fluxam.

VI. Sed terra quoque idem facit, in qua firmissima quæque & robustissima subeunt corruptionem. Quid ferro fortius? se nescit, & rubigine eroditur. Quid validius saxis? vetustate exeduntur, & mollissimis aquæ guttis excauantur.

Ouid. lib. 3. de arte.

Quid magis est durum saxo? quid mollius vnda?
Dura tamen molli saxa cauantur aqua.

Lucret. lib. 4.

Nam leuiter quamuis, quod crebro tunditur ictus,
Vincitur in longo spatio tamen atq; labascit.
Nonnè vides etiam guttas in saxa cadentes
Humoris longo in spatio pertundere saxa?

Et rursum Naso:

Ouid. lib. 4. de Ponto.

Gutta cauat lapidem; consumitur annulus vsu,
Et teritur pressa vomer aduncus humo.

Quid rupe solidius, quid vastius monte? Et tamen aliquando solidissimæ rupes, Caucasijque montes ingenti terræ motu concutiuntur, immania saxa dissipantur, & suis sedibus excussa aliò transferuntur. Quid inde potest colligere, qui rectè vult ratiocinari? An non debet cum Iob dicere? *Mons cadens defluit: & saxum transfertur de loco. Lapides excauant aquæ: & alluuione paulatim terra consumitur: & hominem ergo similiter perdes.* (Iob. 14. 18.) Videmus exundantibus aquis, aut væsanientibus ventis, amplissimis spatijs extensa nemora & siluas, arces municitissimas & ædificia æternitatem promittentia, radicitus conuulsa, quid aliud instruimur, quàm & nos casuros? Quoties per hortos imus, per prata expatiamur, per gramina incedimus, violas, rosas, lilia, amaranthos intuemur, nonnè natura nobis dicit? *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs, qui quasi flos egreditur & conteritur.* (Iob. 14. 1.) Vernat hodie, ridet hodie, jucundissimo decore blanditur oculis hodie, cras calcatur, lachrymatur, falce mortis demetitur, *cras in clibanum mittitur.* (Luc. 12. 28.) Ausonij certè fuit ista cogitatio, quam his versibus expressit.

Mirabar celerem, fugitiua ætate rapinam,
Et dum nascuntur, consenuisse rosas.

Tot species tantosq́; ortus, variosq́; nouatus
Vna dies aperit, conficit vna dies.
Conquerimur, Natura, breuis quòd gratia florum est,
Ostentata oculis, illico dona rapis.

Et, nescio cuius Poëtæ, monitio fuit:

Collige, virgo, rosas, dum flos nouus, & noua pubes,
Sed memor esto æuum sic properare tuum.

De ceteris animalibus quid dicam? quoties mactantur, reluctantur, & clamant. Quid clamant? nisi eiusdem nos naturæ esse, itidemque mortem, per cædes, per vulnera, aut morbum subituros. Et hac ipsa de caussa *fecit quoq; Dominus* DEVS *Adæ, &* Gen. 3.20. *vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos,* vt in exuuijs mortuorum animalium mortis non obliuiscerentur, sed recordarentur, se reuersuros in terram, de qua sumpti erant.

In huius rei signum tot tamque varia morborum genera VII. bestias infestant. *Pestis accedit lanigero maximè pecori. Scabies* Ioan. Euseb. *equis mortifera. Tussis sues, equos & oues angit. Angina morbus* Nierenbergius lib. 7. *juuencas necat & sues. Alopecia morbus vulpium. Asthma in equis* Nat. hist, *incurabile. comitiali morbo infestantur capræ, oues, equi, cati, alce.* cap. 47. *Vicula (alij viuulæ) equos occidunt. Tres acutissimi morbi equis, & alijs, quibus solidæ sunt vngulæ, accidunt, vesica, conuersio intestinorum, quæ ileos vocatur, & cardiacus, juxta Hieroclem. Oues & capræ numquam sanæ sunt, semperq́; febri obnoxia. Elephantiasis morbus boum, & equorum. febri tentantur equi, leones, boues, oues, & capræ semper, mulus rarò. Patuit ceruos numquam febrescere, scribit Solinus. Ficus & frenes morbi equorum, quorum hic duas inter horas alij quando eos occidit. Hernia ex calcitratu equos occidit: ignis sacer oues. Mulis pestis, cuius multæ species à Vegetio numerantur, bobus, equis, & asinis exitialis. Cristiasis morbus equorum, latinè hordeatio. Coriago pestis bubuli generis & equorum. Dracunculus vermis equos vexat, item dysuria. Hyosciamo poto sues insaniunt. Potomageton herba crocodilis contraria. Rhododaphnes flores, & folia mulis, asinis, capris, canibus & quadrupedum plurimis; salina capris, & ouibus; scrophularia suillo generi, mandragoræ mala vrsis venena sunt. Adamantis herba leonibus est aduersa. Aconitum lycoctonon omne animal occidit, alij addunt, omne animal, quod cæcum nascitur. Apocynum canes, &* omnes

omnes quadrupedes necat in cibo datum. Allium mustelæ, & panthere aduersum. Herba, quam nostri anserinum pedem vocant, suibus venenosa est. Squillæ contactu lupus torpet. Vulpes aiunt, si ederint amygdalas amaras, nec superbiberint, mori. Fimum gallinæ à boue inter pabula sumptum, bouem necare dicitur. Cicuta herba ab asinis depasta in Tusciâ, grauissimum illis soporem inducit, adeò vt mortui videantur. Conyzam edentes capræ moriuntur. Crocodilus terrestris crocum timet, vnde quidam eum dictum existimant. Chamæleon albus canes, sues, mures; helleborus niger equos, boues, sues occidit. Tot sunt reliquis animalibus pluresque & morbi, & morborum caussæ. Nam omnes enumerare nimis prolixum foret; &, vel medicorum confessione, aliquid tentare, quod nullius adhuc diligentioris industria aut experientia est cõsecuta, presumptio videtur.

VIII. Inter tot morbidos degentem hominem quid mirum est, &
Eccles 3.1. ipsum esse morbis subiectum? Exigit hoc natura loci, originis,
Hebr. 13 14. societatis. Natura loci, quia *suis spatijs transeunt vniuersa sub cœlo.* Solusné homo vult manere, contra effatum illud: *Non habemus hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus?* Ipsam
Iob 30.19. originem suam si aspiciat homo, quid videt, nisi vnde dicat: *Com-*
Iob 7.5. *paratus sum luto, & assimilatus sum fauillæ, & cineri.* aut: *Induta est caro mea putredine, & sordibus pulueris cutis mea aruit?* Quid faciam? ex me homine Angelum? sed istud, hoc loco, non fa-
Psal. 38 6. ciam, quia *vniuersa vanitas, omnis homo viuens, & sub cœlo omnis*
Rom. 8. 20. *creatura vanitati subiecta est. Nam corpus, quod corrumpitur, ag-*
Sap. 9. 15. *grauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogi-*
Rom. 8. 20 *tantem.* Quia igitur in hac terra *omnis creatura vanitati subiecta est*, in alia terra sperare debet incorruptibilitatem, *quoniam ipsa liberabitur à seruitute corruptionis.* Itaque contra seipsum instituit querelam, quisquis murmurat de naturæ suæ debita corruptione. Neque ceterorum animalium societas, & subsidium aliò respicit, quàm vt nos velut conducat, ad miserias nostras corruptionesq; agnoscendas. Quorsum enim Creatoris nostri prouidentia tot condidit jumenta, armenta, greges, nisi ad fragilitatis nostræ sustentandæ subsidium? Alia enim animalia terram nobis colunt, alia onera nostra portant, alia corpus protegunt, alia nos alunt. Rursus alia seruiunt delicijs nostris, alia sunt in custodiâ,

alia in exemplum, alia in familiaritatem, alia in admirationem, plurima, & quidem alioqui venenata, in morborum nostrorum medicinam. Quid ex his omnibus aliud discimus, quàm naturæ nostræ imbecillitatem? Qui aliud vult esse, homo non vult esse. At cur homini aliam naturam non dedit DEVS? Non dedisset illam homini, si aliam naturam dedisset. Hanc autem sapientissimè dedit. Si enim homo, tot ærumnis, tot casibus, tot morbis, morti denique ipsi expositus adhuc superbit, & leges diuinas contemnit, quid facturus erat, si neque vulnerari, neque ægrotare potuisset? Videmus quosdam arte magica, & nescio quibus amuletis se inuulnerabiles arbitrantes, quid illi ea confidentia non audent? alij, quantò magis sunt conscij suæ fragilitatis, tantò sunt cautiores. Certè nemo est, qui morbis indignetur, quin etiam naturæ suæ indignetur.

Fragilitatem nostram hanc ne nesciremus, voluit nos DEVS vitam cum lachrymis inchoare, & identidem flere, dum adhuc nec serpere quidem possumus. Vt autem viuere incipimus cum ploratu, ita etiam desinimus. Vel enim ipsi ploramus morituri; vel mortuos nos plorant amici. Ante mortem enim vel senescimus, vel ægrescimus. Vtrumque plorabile est. Et morbos pleriq; deplorant. Senium multi, si non omnes, optant. Sed vt Ausonius cecinit: Auson. in Eclogis, seu Eidyll. 7.

ipsa senectus
Expectata diu, votisq; optata malignis,
Obijcit innumeris corpus lacerabile morbis.

Rara enim sunt exempla viridis senectutis; quia labentibus tunc corporis animique viribus

Multa senem circumueniunt incommoda. Horat. de arte Poët.

Sicut enim in amphora videmus grauissimam turbidissimamque fæcem subsidere, ita tunc languet corpus, quod prope est à fine. Senec. ep. 109.

Nec morbus est tantùm senectus, sed etiam incurabilis morbus. Quare non inanis est consolatio illa Nysseni. *Forsitan angit te, quòd ad senectutem* (Pulcheria) *non peruenit? Quid verò, dic mihi pulchri cernis in senectute? an pulchrum prurire, ac fricari oculos? corrugari genas? ex ore defluere dentes, & lingua balbutiem ingenerari? manibus subtremiscere? ad terram incuruari? titubare atq; subclau-* S. Gregor. Nyssen. orat. in funere Pulcheriæ. Vide Corn. Cels. lib. 2. cap. 6. seq. &

Hippocratem sect. 4 Aphorism. de incommodis senectutis.

subclaudicare pedibus? ducibus inniti? desipere corde, ac delirare? voce absurda atq; inepta pronuntiare? Scilicet ea ætate, quasi paulatim moriatur homo, mortisque moriendo admoneatur, ita omnia sensim in ipso deficiunt. Mutatur facies, &, quæ serena erat, triste quid per se fert. Deficit lumen oculorum, si non omninò cæcatur. Palpebræ stillant lachrymas. Cerebrum catarrhis abundat. Vnde narium fluxus, phlegmata, tusses, excreationes. Quò respexit Iuuenalis:

Et iam laue caput madidiq; infantia nasi.
Perdidit ille oculos, & luscis inuidet ambos.

Gen. 27. 1. Reg. 3. 2.

Isaac certè & Heli præ senio caligauerunt adeò, vt oculis lumen ipsum non cernerent. Quod istis contigit in senectute, alijs iuuenibus euenit, qui videntes non vident, natura jubente, se defecturos; aut si vident, frustra naturam suam detestantur. Tales enim eos esse oportet, si volunt esse; quia naturam defectibus obnoxiam acceperunt.

CAPVT XVI.

Alteram morborum caussam, esse naturam non solùm elementorum, sed etiam locorum.

I.



T, quæ de natura hominis tradidimus, altiùs penetremus, obseruandum nobis est, eam vel secundùm se, vel secundùm sua principia spectari posse. Ad naturam hominis, secundùm se pertinet integritas, symmetria, concordia, & æquabilitas elementorum. Elementorum autem, seu principiorum est, agere & pati, & admittere qualitatum varietatem. Galenum audiamus. *Elementum est*, inquit, *ex quo primo & simplicissimo, cuncta sunt facta, in quod primum & simplicissimum cuncta resoluuntur. Athenæus autem in tertio volumine sic ait: Elementa medicinæ, vt quidam tradiderunt, sunt calidum, humidum, frigidum, siccum. Ex quibus primis apparentibus & simplicissimis, & minimis homo constituitur, & in qua vltima tandem apparentia & simplicissima, & minima resoluetur.* Quando scilicet symmetria illa concordiaque vel qualitatum & temperamenti, vel elementorum, hominis naturæ debita, domestico aliquo dis-

Galen. in Definitionib. medicis.

sidio

sidio desinet consentire, vna alteráue, aut qualitate, aut, si mauis, elemento nimium quantum excedente, alterumque extinguente. *Secundùm naturam igitur est sanitas*, ait Galenus: *Præter naturam morbus: vt natura crassus, pinguis, aduncus. Hoc enim modo affecti, non secundùm naturam se habent. Transcendunt enim symmetriam & æqualitatem, impediunturq́; , quò minùs suo fungantur officio, Hoc autem non natura est tale, quod neq; secundùm naturam est, neq; præter naturam, neq; natura est; quemadmodum qui vitiligine laborant, quosq; acrochordones exercent, & id genus vitiorum. Hæc enim secundùm naturam non sunt. Sunt enim extra naturale, neq; tamen præter naturam. Non enim naturales operationes offendunt. Sed neq; à natura sunt, non enim ab initio*, hoc est, quà homini, *sed ab ortu* (& vitio parentum, vel qualitatum) *insunt. Relinquitur ergo, ea non esse à natura.* Gal. loc. cit.

Subiungit his author, quænam magis, quæ minùs naturam hominis destruant, aut vitia vitam impediant, vel tollant. *Hæc autem*, inquit, *vitæ officio necessaria sunt, cerebrum, cor, jecur, pulmo, venter, quorum si pars aliqua morbo obsessa sit, necessariò statim, vel paulò pòst, animal interit. Ad bene viuendum sunt apta, oculi, pedes, manus, & aliæ corporis partes. Harum enim aliquâ affectâ viuit animal quidem, non verò satis commodè.* Exinde progreditur Galenus ad has morbi definitiones. *Morbus est intemperantia primorum elementorum, quæ secundùm naturam in nobis sunt. Vel: Morbus est intemperies humorum, ex quibus corpora nostra constituuntur. Aliter sic: Morbus est naturalium potentiarum impedimentum, vel: Morbus est mutatio corporis à dispositione & statu naturali, in eum, qui præter naturam est. Vel: Morbus est intemperies primarũ qualitatum, in qua exuperat vel calidum, vel frigidum, vel humidum, vel siccũ. Morbosæ autem dispositiones corporum ex contrarijs temperatura partibus prodeunt, quemadmodum optima temperatura constituuntur ex symmetria instrumentariarum partium, & bona temperie similarium.* Manifestum est igitur, morbos homini esse naturales, non quia homo, sed quia animal est, ex elementis compactum. Quæ elementa tunc faciliùs insolescunt, & exorbitant, si à loco, vel potiùs infectione loci ac elementorum seducantur. Quod elegantissimè Lucretius Poëta Philosophicus sequenti carmine explicauit, II.

III. Tit. Lucret. carm. lib 6. de rer. nat.

Nunc, ratio quæ sit morbis, aut vnde repentè
Mortiferam poßit cladem conflare coorta
Morbida vis hominum generi, pecudumq; cateruis,
Expediam. Primùm multarum semina rerum
Esse suprà docui, quæ sint vitalia nobis:
Et contrà, quæ sint morbo, mortiq;, necesse est
Multa volare, ea cùm casu sunt fortè coorta,
Et perturbarunt cælum: fit morbidus aer.
Atq; ea vis omnis morborum, pestilitasq;,
Aut extrinsecus, vt nubes, nebulæq; supernè
Per cælum veniunt: aut ipsa sæpe coorta
De terra surgunt, vbi putrorem humida nacta est,
Intempestiuis pluuijsq; & solibus icta
Nonnè vides etiam cæli nouitate & aquarum
Tentari, procul à patria quicumq; domoq;
Adueniunt? ideò quia longè discrepat aer.
Nam quid Britannum cælum differre putamus,
Et quod in Ægypto est, quà mundi claudicat axis?
Quidúe quod in Ponto est differre à Gadibus atq;
Vsq; ad nigra virûm, percoctaq; sæcla calore?
Quæ cùm quatuor inter se diuersa videmus
Quatuor à ventis & cæli partibus esse,
Tum color & facies hominum distare videntur
Largiter, & morbi generatim sæcla tenere.
Est elephas morbus, qui propter flumina Nili
Gignitur Ægypto in media, neq; præterea vsquam
Attide tentantur greßus, oculiq; in Achæis
Finibus; inde alijs alius locus est inimicus
Partibus ac membris: varius concinnat id aer.
Proinde vbi se cælum, quod nobis fortè alienum est,
Commouet, atq; aer inimicus serpere cœpit:
Vt nebula, ac nubes paulatim repit, & omne,
Quà graditur, conturbat, & immutare coactat.
Fit quoq;, vt, in nostrum cum vênit deniq; cælum,
Corrumpat, reddatq; sui simile, atq; alienum.
Hæc igitur subitò clades noua, pestilitasq;,

Aut in aquas cadit, aut fruges persidit in ipsas,
Aut alios hominum pastus, pecudumq́ cibatus:
Aut etiam suspensa manet vis aêre in ipso,
Et quum spirantes mistas hinc ducimus auras,
Illa quoq; in corpus pariter sorbere necesse est,
Consimili ratione venit bubus quoq; sæpe
Pestilitas, etiam pecubus balantibus agror.
Nec refert vtrùm nos in loca deueniamus
Nobis aduersa, & cæli mutemus amictum;
An cælum nobis vltro natura cruentum
Deferat, aut aliquid, quo non consueuimus vti,
Quod nos aduentu poßit tentare recenti.
Hæc ratio quondam morborum, & mortifer æstus,
Finibus in Cecropis funestos reddidit agros:
Vastauitq́ vias, exhausit ciuibus vrbem.
Nam penitus veniens, Ægypti è finibus ortus,
Aëra permensus multum, camposq́ natantes,
Incubuit tandem populo Pandionis: omnes
Inde cateruatim morbo, mortiq́ dabantur.
Principio caput incensum feruore gerebant,
Et duplices oculos suffusa luce rubentes.
Sudabant etiam fauces intrinsecus atro
Sanguine, & vlceribus vocis via septa coibat:
Atq; animi interpres manabat lingua cruore,
Debilitata malis, motu grauis, aspera tactu.
Inde, vbi per fauces pectus complerat, & ipsum
Morbida vis in cor mœstum confluxerat ægris:
Omnia tum verò vitaï claustra lababant.
Spiritus ore foras tetrum voluebat odorem,
Rancida quo perolent projecta cadauera ritu:
Atq; animi prorsum vires totius, & omne
Languebat corpus lethi iam limine in ipso.
Intolerabilibusq́ malis erat anxius angor
Adsiduè comes, & gemitu commista querela.
Singultusq́ frequens noctem persæpe, diemq́
Concipere aßiduè neruos, & membra coactans

Dissoluebat eos defessos antè, fatigans.
Nec nimio cuiquam posses ardore tueri
Corporis in summo summam feruescere partem,
Sed potiùs tepidum manibus proponere tactum:
Et simul vlceribus quasi inustis omne rubere
Corpus, vt est, per membra sacer cùm diditur ignis.
Intima pars homini verò flagrabat ad ossa:
[Flagrabat stomacho flamma, vt fornacibus intus.]
Nil adeò posset quidquam leue tenueq; membris
Vertere in vtilitatem: ad ventum, ad frigora semper,
In fluuios partim gelidos ardentia morbo
Membra dabant, nudum jacientes corpus in vndas;
Multi præcipites lymphis putealibus, altè
Inciderunt ipso venientes ore patente.
Insedabiliter sitis arida corpora mersans
Æquabat multum paruis humoribus imbrem.
Nec requies erat vlla mali: defessa jacebant
Corpora: mussabat tacito medicina timore.
Quippe patentia cùm totas ardentia noctes
Lumina versarent oculorum expertia somno.
Multaq; præterea mortis tum signa dabantur.
Perturbata animi mens in mœrore, metuq;
Triste supercilium, furiosus vultus, & acer:
Sollicitæ porrò, plenæq; sonoribus aures:
Creber spiritus, aut ingens, raroq; coortus:
Sudorisq; madens per collum splendidus humor:
Tenuia sputa, minuta, croci contacta colore,
Salsaq; per fauces raucas vix edita tussi.
In manibus verò trahier nerui, & tremere artus,
A pedibusq; minutatim succedere frigus
Non dubitabat: item ad supremum deniq; tempus
Compressæ nares: nasi primoris acumen
Tenue, cauati oculi, caua tempora, frigida pellis,
Duraq; inhorrebat rictum: frons tenta minebat.
Nec nimio rigida pòst strati morte jacebant:
Octauoq; ferè candenti lumine solis,

Aut etiam nona reddebant lampade vitam.
Quorum si quis (vt est) vitarat funera lethi,
Vlceribus tetris, & nigra proluuie alui:
Posteriùs tamen hunc tabes, lethumq; manebat:
Aut etiam multus capitis cum sæpe dolore
Corruptus sanguis plenis ex naribus ibat.
Huc hominis totæ vires, corpusq; fluebat.
Profluuium porrò qui tatri sanguinis arte
Exierat, tamen in neruos huic morbus, & artus
Ibat, & in partes genitales corporis ipsas.
Et grauiter partim metuentes limina lethi,
Viuebant ferro priuati parte virili:
Et manibus sine nonnulli, pedibusq; manebant
In vita tamen, & perdebant lumina partim:
Vsq; adeò mortis metus his incesserat acer.
Atq; etiam quosdam cepêre obliuia rerum
Cunctarum, neq; se possent cognoscere vt ipsi.
Multaq; humi cùm inhumata jacerent corpora suprà
Corporibus: tamen alituum genus atq; ferarum
Aut procul absiliebat, vt acrem exiret odorem:
Aut ibi gustârat, languebat morte propinqua.
Nec tamen omnino temerè illis solibus vlla
Comparebat auis, nec tristia sæcla ferarum
Exibant siluis: languebant pleraq; morbo,
Et moriebantur: cum primis fida canum vis
Strata vijs animam ponebat in omnibus ægram:
Extorquebat enim vitam vis morbida membris.
Incomitata rapi certabant funera vasta:
Nec ratio remedi communis certa dabatur.
Nam quod alîs dederat vitales aëris auras
Voluere in ore licere, & cœli templa tueri:
Hoc alijs erat exitio, lethumq; parabat.
Illud in his rebus miserandum & magnopere vnum
Ærumnabile erat, quòd vbi se quisq; videbat
Implicitum morbo, morti damnatus vt esset:
Deficiens animo, mœsto cum corde jacebat,

Funera respectans, animam & mittebat ibidem:
Idq; vel in primis cumulabat funere funus.
Quippe etenim nullo cessabant tempore apisci
Ex alijs alios auidi contagia morbi.
Nam quicumq; suos fugitabant visere ad ægros,
Vitaï nimium cupidi, mortisq; timentes:
Pœnibat paulò pòst turpi morte, malaq;
Desertos, opis expertes, incuria mactans
Lanigeras tamquam pecudes, & bucera sæcla.
Qui fuerant autem præstò, contagibus ibant,
Atq; labore, pudor, quem tum cogebat obire,
Blandaq; lassorum vox mista voce querela.
Optimus hoc lethi genus ergò quisq; subibat.
Inq; alijs alium populum sepelire suorum
Certantes, lachrymis lassi luctuq; redibant:
Inde bonam partem in lectum mœrore dabantur:
Nec poterat quisquam reperiri, quem neq; morbus,
Nec mors, nec luctus, tentaret tempore tali.
Præterea iam pastor, & armentarius omnis,
Et robustus item curui moderator aratri,
Languebant: penitusq; casis contrusa iacebant
Corpora, paupertate & morbo dedita morti.
Exanimis pueris super exanimata parentum
Corpora nonnumquam posses, retroq; videre
Matribus & patribus natos super edere vitam.
Nec minimum partim ex agris ægroris in vrbem
Confluxit, languens quem contulit agricolarum
Copia, conueniens ex omni morbida parte.
Omnia complebant loca, tectaq; : quo magè eos tam
Confertos ita aceruatim mors accumulabat.
Multa siti prostrata viam per, proq; voluta
Corpora silanos ad aquarum strata iacebant,
Interclusa anima nimia ab dulcedine aquai.
Multaq; per populi passim loca prompta, viasq;
Languida semianimo tum corpore membra videres,
Horrida pædore, & pannis cooperta perire

Corporis

Corporis inluuie: pellis super oßibus vna,
Vlceribus tatris propè iam, sordiq; sepulta.
Omnia deniq; sancta Deûm delubra replerat
Corporibus mors exanimis: onerataq; paßim
Cuncta cadaueribus cælestum templa manebant.
Hospitibus loca quæ complerant aedituentes.
Nec iam relligio Diûum, nec Numina magni
Pendebantur enim: præsens dolor exsuperabat:
Nec mos ille sepulturæ remanebat in vrbe,
Quo priùs hic populus semper consuerat humari.
Perturbatus enim totus trepidabat, & vnus-
Quisq; suum pro re consortem mœstus humabat:
Multaq; vis subita, & paupertas horrida suasit;
Namq; suos consanguineos aliena rogorum
Insuper exstructa ingenti clamore locabant,
Subdebantq; faces, multo cum sanguine sæpe,
Rixantes potiùs, quàm corpora desererentur.

IV. Sic morbos mortesque depinxit Poëta, caussamque eorum indagauit; dum elementorum corruptioni, hominum ceterorumque animalium ascripsit corruptionem; quam, ex principijs suis, ei deberi etiam DEVS significauit, quando dixit: *Puluis es, & in puluerem reuerteris*; de terra sumptus, terræ reddendus; & hinc corrumpendus, vnde oriundus. Etsi enim naturæ tuæ, hoc est, hominis integritati & morbus, & mors repugnet; non repugnat tamen naturæ elementorum, ex quibus es conflatus, quorum natura est, vt inter se repugnent, luctentur, vincant & vincantur, naturamque tuam destruant, dum vnumquodque vult conseruare suam. Atque hoc ipsum conuenit naturæ hominis, prout est corpus, & hinc fragile; cuius integritas etsi per morbos & mortem soluatur, magna tamen DEI prouidentia, fragile factum est, vt vel hinc homo rationis sapientiæque suæ exercendæ, ostendendæque haberet occasionem. *Reprehenderunt igitur* (Epicurei) *ea, in quibus vel maximè diuinitatem suam prouidentia mirabiliter expreßit; vt illa, quæ retuli, de morbis & immatura morte; cùm debuerint cogitare, his assumptis, quæ necessariò sequerentur. Sequuntur autem illa, quæ dixi, si morbum non reciperent,*

Gen. 3. 19.

Lactant. lib. de opificio Dei. cap. 4.

perent, neq; tectis, neq; vestibus indigerent. quid enim ventos, aut imbres, aut frigora metuerent; quorum vis in eo est, vt morbos afferant Idcirco enim accepit sapientiam. vt aduersus nocentia fragilitatem suam muniat. Sequitur necessariò, vt quoniam retinendæ rationis caussa morbos capit; etiam mortem semper accipiat; quia is, ad quem morbus non venit, firmus sit, necesse est; infirmitas autem habet in se mortis condicionem; firmitas verò, vbi fuerit, nec senectus locum potest habere, nec mors, quæ sequitur senectutem. Præterea, si mors certa constituta esset ætati, fieret homo insolentißimus, & humanitate omni careret. Nam ferè jura omnia humanitatis, quibus inter nos cohæremus, ex metu & conscientia fragilitatis oriuntur. Deniq; imbecilliora, & timidiora quæq; animalia congregantur; vt quoniam viribus tueri se nequeunt, multitudine tueantur: fortiora verò solitudines appetunt, quoniam robore viribusq; confidunt. Homo quoq;, si eodem modo haberet ad propulsanda pericula suppetens robur; nec vllius alterius auxilio indigeret: quæ societas esset? quæ reuerentia inter se? quis ordo? quæ ratio? quæ humanitas? aut quid esset deteriùs homine? quid efferatius? quid immanius? Sed quoniam imbecillis est, nec per se potest sine homine viuere; societatem appetit, vt vita communis & ornatior fiat, & tutior. Vides igitur omnem hominis rationem in eo vel maximè statu, quòd nudus fragilisq; nascitur, quòd morbis afficitur, quòd immatura morte multatur. Quæ si homini detrahantur; rationem quoque ac sapientiam detrahi, necesse est.

CAPVT XVII.

Tertiam morborum caussam, esse peccatum Adami, ob id, à DEO immortalitate gratuita priuati.

I. SAtis fuisset ægroto consolando, scire, hanc esse sortem naturæ, qua contenta sunt, aut esse debent etiam cetera animalia; & tamen DEVS adeò erga hominem fuit liberalis, vt quando eum ab initio condidit, eum etiam supra ipsam naturam euexerit: donauit enim eum justitia originali, & à morte eum, cui ex natura sua debebatur, exemit, suppeditato mirabili & contra morbos, & contra interitum remedio. Nam primum hominem, non solùm in loco saluberrimo & amœnissimo

ſimo Paradiſi voluit degere, verùm etiam *produxit de humo omne* Gen. 2. 9.
lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue: lignum etiam vitæ in
medio Paradiſi. Eam arborem vitæ nonnulli volunt, ab extrin-
ſeco, & ſupernaturali quodam Dei munere habuiſſe vim præ-
ſeruandi hominem ab interitu; alij veroſimilius docent, id ex vi
propriæ naturæ eidem diuinitus inditæ medicam illam arborem
præſtare potuiſſe. Et ſanè ſunt, qui aſſerant cum D. Chryſoſtomo S. Chryſ. hom. 18. in Geneſ.
& alijs, arbori illi vim inditam ad hominem perpetuò à morte
naturali conſeruandum; cùm idcircò Adamus fuerit de Paradiſo
ejectus, *ne fortè mitteret manum ſuam, & ſumeret etiam de ligno* Gen. 3. 22.
vitæ, & comederet, & viueret in æternum. Si enim fructus ille ha-
buit naturalem facultatem refouendi calorem naturalem, & hu-
midum radicale reſtaurandi, in ea perfectione, quæ reperiri ſo-
let, in ſtatu hominis perfecti, neceſſariò dandum videtur, ſemper
Adami corpus refloreſcere, & adeò in æternum viuere potuiſſe,
quotieſcumque ex ea arbore manducauiſſet. Nec huic ſententiæ,
quo ad rem, aduerſatur B. Thomas & alij, qui tradunt, arbori S. Thom. 1. p. q. 97. art. 4.
vitæ vim datam à Deo, tantùm ad valde longum tempus vitæ hu- Scot in 2. ſent. diſt. 19. q. 1.
manæ conſeruandæ. Quod eo ſenſu accipiendum eſt, quia Deus
non poſuit hominem in Paradiſo terreſtri, vt ibi æternùm ma-
neret; ſed potiùs, vt aliquando ipſum, ſine obitu (id eſt, eo mo-
do, quo exoptare videbatur Apoſtolus illis verbis: *Nolumus ex-* 2. Cor. c. 5. 4.
poliari, ſed ſuperueſtiri) de terreſtri ad cæleſtem Paradiſum, eum
transferret, in quo ampliùs ad immortalitatem conſeruandam,
non egeret edere de ligno vitæ. Quare fructus illius ligni, vim
habuit conſeruandi hominem, donec Deo placeret ipſum ad
Beatorum vitam in cælum transferre; ita tamen, vt ſi eidem Deo
placuiſſet, Adamum in Paradiſo terreſtri perpetuò degere, po-
tuiſſet ibidem eſu dictæ arboris, in æternum ab omni ſenio, &
naturali carnis defectu incolumis præſeruari. Ea autem vis non
in Adamo tãtùm, ſed etiam in omnibus Adami poſteris valuiſſet,
donec & illos, ſucceſſione quadam, ad cæleſtem vitam, ſine vllo
morbo & morte, Dominus tranſtuliſſet, niſi hanc tantam felici-
tatem peccatum euertiſſet; quæ ne euerteretur, tam diſertè
præmonuit Deus, præcepitque: *Ex omni ligno Paradiſi comede:* Gen. 2. 16.
de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. In quacumq; enim
die comederis ex eo, morte morieris.

Cui

II. Cui ergo culpa attribuenda est, quòd morbi nos afficiant, dolores angant, mortes interimant? An non illi, qui ea scien-
Sap. 1. 11. volensque capiti suo accersiuit? *Custodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodest, & à detractione parcite linguæ, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit: os autem, quod mentitur, occidit animam. Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ, neq; acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum. Quoniam Deus mortē non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Creauit enim vt essent omnia: & sanabiles fecit nationes orbis terrarum: & non est in illis medicamentum exterminij, nec inferorum regnum in terra. Iustitia enim*
Rom. 5. 12. *perpetua est, & immortalis. Impij autem manibus & verbis accersierunt illam.* Quod etiam D. Paulus affirmat, ita scribens: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatū mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccaue-*
Sapient 2, 23. *runt.* Itaque DEVS *creauit hominem inexterminabilem*, hoc est, vt immortalis & incorruptibilis esset, si vellet DEO obedire, & innocentia sua persistere. *Inuidia autem diaboli* (peccatum intrauit, & per peccatum) *mors introiuit in orbem terrarum.* Dum enim præuaricationem suggessit tentator, Euam allexit, Adamumque in consensum traxit, meritò justus Iudex reos morte puniuit. Corrigendus ergo est Seneca, & cum eo Philosophi, ex quorum communi sententia, *Mors homini natura est, non pœna*: immò pœna est, quod natura fuisset, nisi diuina bonitate ei, per arborem vitæ prouisum fuisset. Malè itaque Cicero naturam, quòd in homines crudelis esset, eosque morbis addiceret, accusauit. Si diuina sciuisset, aut historias sacras legisset, sciuisset, mortem per peccatum in hunc mundum intrauisse, caussamque homini ipsi, non naturæ ascripsisset. Quod eruditè animaduertit
S. Augustin. lib. 5. contr. Iulianum. cap. 12. 15. S. Augustinus, qui scribit: *In libro tertio de Republica Tullius hominem dicit, non vt à matre, sed tamquam à nouerca natura editum in vitam, corpore & nudo, & fragili, & infirmo; animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines: in quo tamen inesset tamquam obrutus quidam ignis ingenij & mentis.* Huic Ciceronis querelæ, subdit Augustinus: *Neq; hoc iste auctor dixit, malè viuentium moribus effectum, sed naturam potiùs accusauit. Rem vidit, caussam nesciuit; latebat enim eum, cur esset graue*

jugum

jugum super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ; cùm enim sacris litteris eruditus non esset, ignorabat originale peccatum.

III. Malè autem etiam Pythagoras, & ex eo Origenes peccata, quæ anima antè, quàm corpori coniungeretur, in cælo commisisset, mortis & ærumnarum hominis caussam esse censuerunt. Quare mox loc. cit. D. Augustinus de Hortensio, & alijs paulò altiùs ascendentibus subjecit: *Qui nos ob aliqua scelera suscepta in vita superiore, pœnarum luendarum caussa malos esse dixerunt, aliquid vidisse videntur; vt verum sit illud, quod est apud Aristotelem: simili nos affectos esse supplicio, atq; eos, qui quondam, cùm in prædonū Hetruscorum manus incidissent; crudelitate excogitata necabantur; quorum corpora viua cum mortuis, aduersa aduersis accommodata, quàm aptissimè colligabantur: sic nostros animos cum corporibus copulatos, vt viuos cum mortuis esse conjunctos.* Aliud nos fides, aliud sacræ historiæ docent, nimirum primi parentis nostri delictum caussam esse & mortis, & omnium ærumnarum, quas posteri Adæ patiuntur. Vnde intelligitur, quàm magnum & detestabile malum sit peccatum. Nam illud hominem non solùm è Paradisi possessione ejecit, sed etiam è felicissimo illo optabilissimoque statu incorruptibilitatis præcipitatum, arborisque vitæ beneficio donoq; priuatum, tot morbis, tot calamitatibus, tot doloribus, mortique & præsenti, & futuræ subjecit. Vnicum Adami peccatum, vnica inobedientia, vnicus vetiti pomi esus in caussa fuit, vt tot hominum milliones, frigora, æstus, famem, paupertatem, calamitatem, corporis morbos, animi ægritudines, neces acerbissimas pati cogerentur: vt tam multi paruuli, alio nullo, quàm originali peccato inquinati, præter adultorum innumeram multitudinem, damnarentur: vt ipse Dei Filius ad illud expiandum ex immortali mortalis fieri, immanes cruciatus pati, ac denique mori debuerit. Vnde meritò quisque apud se illa ratiocinatione vti potest: *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Atque Luc. 23. 31. hinc rursus, quoties illum voluptas ad peccatum solicitat, dicere: Nonnè hanc ærumnabilem vitam sentio satis, & doleo, & detestor? Nonnè satis est, in eam, propter delictum patris mei Adæ, incidisse? An etiam iam vltro me conijciam in æternas calamitates?

tates? Ego tantillo pretio mortem, & æternùm pœnitere non emo.

IV. Ex quibus origo nostrorum morborum ceterorumque malorum docet nos non solùm à peccatis attentiùs cauere, sed etiam diuinam bonitatem agnoscere, & laudare, non accusare, vt quæ nouerit, etiam de malis bona procurare. Nam ex ipsis peccati malis discimus peccata fugere, & ad illam vitam aspirare, in qua mala nulla aderunt, nulla aberunt bona. Itaque *quia spei nostræ gaudium, propter* DEI *laudem non est tacendum, & de intimis ardentis sancti amoris medullis dictum est: Domine dilexi decorem domus tuæ:* (ait S. Augustinus) *de donis eius, quæ in hac ærumnosissima vita bonis malisq; largitur, ipso adjuuante conijciamus, vt possumus, quantum sit illud, quod nondum experti vtiq; dignè eloqui non valemus. Omitto enim, quando fecit hominem rectum: omitto vitam illam duorum conjugum in Paradisi fœcunditate felicem, quando tam breuis fuit, vt ad nascentium sensum nec ipsa peruenerit: in hac, quam nouimus, in qua adhuc sumus, cuius tentationes, immò quam totam tentationem, quàm diu in ea sumus, quamtumlibet proficiamus, perpeti non desinimus, quæ sint judicia circa genus humanum bonitatis Dei, quis poterit explicare?*

S. Augustin. lib. 22. de ciuit, cap. 21.

V. *Nam, quod ad primam originem pertinet, omnium mortalium progeniem fuisse damnatam, hæc ipsa vita, si vita dicenda est, tot, & tantis malis plena, testatur. Quid enim aliud indicat horrenda quædam profunditas ignorantiæ, ex qua omnis error existit, qui omnes filios Adam, tenebroso quodam sinu suscipit, vt homo ab illo liberari, sine labore, dolore, timore non possit? Quid amor ipse tot rerum vanarum atq; noxiarum, & ex hoc mordaces curæ, perturbationes, mœrores, insana gaudia, discordiæ, lites, bella, insidiæ, iracundiæ, inimicitiæ, fallacia, adulatio, furtum, rapina, perfidia, superbia, ambitio, inuidentia, homicidia, parricidia, crudelitas, sæuitia, nequitia, luxuria, petulantia, impudentia, impudicitia, fornicationes, adulteria, incesta, & contra naturam vtriusq; sexus tot stupra, atq; immunditiæ, quas turpe etiam est dicere, sacrilegia, hæreses, blasphemiæ, periuria, oppressiones innocentium, calumniæ, circumuentiones, præuaricationes, falsa testimonia, iniqua judicia, violentiæ, latrocinia, & quidquid talium malorum in mentem non venit, & tamen de vita ista hominum non recedit? Verùm hæc hominum sunt malorum, ab illa tamen erroris, & peruersi*

Idem lib. 22. de ciuit. c. 22.

amoris radice venientia, cum qua omnis filius Adam nascitur. Nam quis ignorat, cum quanta ignorantia veritatis, quæ etiam in infantibus manifesta est, & cum quanta abundantia vanæ cupiditatis, quæ in pueris incipit apparere, homo veniat in hanc vitam, ita vt si dimittatur viuere vt velit, & facere quidquid velit, in hæc facinora & flagitia, quæ commemoraui, & quæ commemorare non potui, vel cuncta, vel multa perueniat?

VI. *Sed diuina gubernatione, non omninò deserente damnatos, & Deo non continente in ira sua miserationes suas, in ipsis sensibus generis humani prohibitio & eruditio, contra istas, cum quibus nascimur, tenebras vigilant, & contra hos impetus opponuntur, plenæ tamen interim laborum, & dolorum. Quid enim sibi volunt multimodæ formidines, quæ cohibendis paruulorum vanitatibus adhibentur? quid pædagogi, quid Magistri, quid ferulæ, quid lora, quid virgæ, quid disciplina illa, qua Scriptura sancta dicit dilecti filij latera esse tundenda, ne crescat indomitus, domariq; iam durus, aut vix possit, aut fortasse nec possit? Quid igitur his pœnis omnibus, nisi vt debelletur imperitia, & praua cupiditas refrenetur, cum quibus malis in hoc sæculo viuimus? quid est enim, quod cum labore meminimus, sine labore obliuiscimur; cum labore discimus, sine labore nescimus? cum labore strenui, sine labore inertes sumus? Nonnè hinc apparet, in quid velut pondere suo procliuis, & prona sit vitiosa natura, & quanta ope vt hinc liberetur, indigeat? Desidia, segnicies, pigritia, negligentia, vitia sunt, vtiq; quibus labor fugitur, cùm labor ipse etiam, qui est vtilis, pœna sit. Sed prater pueriles pœnas, sine quibus disci non potest, quod maiores volunt, qui vix aliquid vtiliter volunt, quot & quantis pœnis genus agitetur humanum, quæ non ad malitiam, nequitiamq; iniquorum, sed ad conditionem pertinent, miseriamq; communem, quis vllo sermone digerit, quis vlla cogitatione comprehendit: quantus est metus, quanta calamitas ab orbitatibus, atq; luctu, à damnis & damnationibus, à deceptionibus & mendacijs hominum, a suspicionibus falsis, ab omnibus violentis facinoribus, & sceleribus alienis: quandoquidem ab eis & deprædatio, & captiuitas, & vincula, & carceres, & exilia & cruciatus, & amputatio membrorum, & priuatio sensuum, & oppressio vigoris ad obscœnam libidinem opprimentis explendam, & alia multa horrenda sæpe contingunt.* His ignorantiæ animique malis & pœnis, immò & acerbis

acerbis malorum pœnarumque remedijs, ob peccatum primi parentis nostri castigamur, & , juxta cum ignarissimis, de tenebris in tenebras imus, peccata peccatis, scelera sceleribus plectentes; ad vanitatem toti Argi & oculei, ad veram vitam, & felicitatem numquam morituram, talpis cæciores. Quod Boëtius his versiculis eleganter deplorauit.

VII. Boët. lib. 3. de cons. metr. 8.

Eheu, quàm miseros tramite deuio
Abducit ignorantia!
Non aurum in viridi quæritis arbore,
Nec vite gemmas carpitis.
Non altis laqueos montibus abditis,
Vt pisce ditetis dapes.
Nec vobis capreas si libeat sequi,
Tyrrhena captatis vada.
Ipsos quin etiam fluctibus abditos
Norunt recessus æquoris.
Quæ gemmis niueis vna feracior,
Vel quæ rubentis purpuræ;
Nec non quæ tenero pisce, vel asperis
Præstent echinis littora.
Sed quonam lateat, quod cupiunt bonum,
Nescire cæci sustinent.
Et quod stelliferum trans abijt polum,
Tellure demersi petunt.

VIII. Non est leuius omnino nescire, quod liceat, quàm facere aliquid, quod scias non licere, ait Ethnicus Philosophus. Ab hac ergo ignorantia, quæ ipsa est pœna grauissima, & discendi labor, & metus, & flagitia, & violenta facinora, & deprædationes, & membrorum amputationes, & omnis generis miseriæ oriuntur. Nempe hic est fructus, qui prouenit ex arbore scientiæ boni & mali; hæc fides illius, qui promisit: *In quocumq; die comederitis ex eo* (ligno) *aperientur oculi vestri: & eritis sicut dij, scientes bonũ & malum.*

Gen. 3. 5.

IX. Neque hîc finis est calamitatis. Nam, vt cum S. Augustino loqui pergamus. *Quid ab innumeris casibus, qui forinsecus corpori formidantur, æstibus, & frigoribus, tempestatibus, imbribus, alluuionibus,*

S. Augustin. lib 22. de ciuit. cap. 22.

ibus, coruscatione, tonitru, grandine, fulmine, motibus, hiatibusq; terrarum, oppreßionibus turmarum ab offensione, & pauore, vel etiā malitia jumentorum, à tot venenis fruticum, aquarum, aurarum, bestiarum ac ferarum, vel tantummodo molestis, vel etiam mortiferis morsibus, à rabie, quæ contingit ex rabido cane, vt etiam blanda & amica suo domino bestia, nonnumquam vehementiùs & amariùs, quàm leones draconesq;, metuatur faciatq; hominem, quem fortè attaminauerit, contagione pestifera ita rabiosum, vt à parentibus, coniuge, filijs, peius omni bestia formidetur? Quæ mala patiuntur nauigantes? Quæ terrena itinera gradientes? Quis ambulat vbicumq; non inopinatis subiacens casibus? De foro quidam rediens domum, sanis pedibus suis cecidit, pedem fregit, & ex illo vulnere finiuit hanc vitam. Quid videtur sedente securius? De sella, in qua sedebat, cecidit Heli sacerdos, & & mortuus est. Agricolæ, immò verò omnes homines, quot, & quantos à cælo & terra, vel perniciosis animalibus casus metuunt agrorum fructibus? Solent tamen de frumentis tandem collectis & reconditis esse securi. Sed quibusdam, quod nouimus, prouentum optimum frumentorum fluuius improuisus, fugientibus hominibus, de horreis eiecit atq; abstulit. Contra milleformes dæmonum incursus, quis innocentia sua fidit, quandoquidem, ne quis fideret, etiam paruulos baptizatos, quibus certè nihil est innocentius, aliquando hi vexant, vt in eis maximè, Deo sinente, ista monstretur huius vitæ flenda calamitas, & alterius desideranda felicitas? Ac paulò infrà: Ab huius tam miseræ quasi quibusdam inferis vitæ, non liberat nisi gratia Saluatoris Christi Dei ac Domini nostri. Hoc enim nomen est ipse IEsus, interpretatur quippe Saluator, maximè, ne post hanc miserior ac sempiterna suscipiat non vita, sed mors. Nam ista, quamuis sint per sancta ac sanctos curationum magna solatia, tamen ideò non semper etiam ipsa beneficia tribuuntur parentibus, ne propter hoc religio quæratur, quæ propter aliam magis vitam, vbi mala non erunt, omninò vlla, quærenda est. Et ad hoc meliores quosq; in his malis adjuuat gratia, vt quantò fideliore, tantò fortiore corde tolerentur, ad quam rem etiam philosophiam prodesse dicunt docti huius sæculi, quam dij quibusdam paucis, vt ait Tullius, veram dederunt. Hoc hominibus, inquit, ab his aut datum est donum maius, aut potuit vllum dari? vsq; adeò, & ipsi, contra quos agimus, quoquo modo compulsi sunt in habenda, non quacumq;, sed

vera philosophia diuinam gratiam confiteri. Porrò si paucis diuinitus datum est veræ philosophia contra miserias huius vitæ vnicum auxilium. satis & hinc apparet, humanum genus ad luendas miseriarum pœnas esse damnatum. Sicut autem hoc, vt fatentur, nullum diuinius maius est donum, sic à nullo Deo dari credendum est, nisi ab illo, quem & ipsi, qui multos Deos colunt, nullum dicunt esse maiorem.

X. Hanc Christi gratiam cetera animalia rationis expertia accipere non possunt, neq; capacia sunt, vt ad istam Philosophiam exsurgant. Quare neque culpam admittere potuerunt, cur ergo pœnam tolerant, cur ægrotant, cur moriuntur? Variæ huius rei sunt caussæ. Nam quod nobis pœna est, illis natura est. Intereunt, quia mortalia nascuntur. Nec conueniebat, vt ad eorum vitam conseruandam *arbor* aliqua *vitæ* conderetur, quia alia ad hominis esum, alia ad vestitum, alia ad alium vsum condita sunt. Et certè, si alia caussa nulla foret, sufficiebat, si in statu innocentiæ ipsa mortalitate sua hominem admonuissent, diuina gratia, non humana natura eum esse immortalem. Iam verò, post Adami lapsum, multò magis necessarium est, vt morte sua nobis quoque condicionis nostræ imaginem ante oculos collocent. Satan, cùm Iobum vellet vexare, boues illi & asinas, per Sabæos incurrentes, oues per fulmina, camelos per Chaldæos abstulit: Quidni & DEVS homines item per pecorum sublationem plecteret? Qui tua punit, te punit. Sciscitata est aliquando B. Birgitta, cur etiam alia animalia, Adami culpa non attaminata, nec peccati capacia, tamen morerentur, & pœnam Adami sustinerent? Cui Christus ita respondit: *Quæris, cur animalia patiantur infirmitates? Hoc ideò est, quia in eis, sicut in cæteris, omnia sunt inordinata. Nam ego sum omnium naturarum conditor, & dedi vnicuiq; naturæ temperamentum suum, & ordinem, in quo vnumquodq; moueretur, & viueret. Verùm postquam homo, propter quem omnia facta sunt, dilectori suo, id est, mihi, Deo suo se opposuit, cœperunt & omnia alia inordinationem suam suscipere, & omnia quæcumq; ei reuereri deberent, cœperunt se ei opponere, & aduersari. Propterea ex huius inordinationis vitio sicut homini, sic & animalibus, plurima contingunt molesta, & aduersa. Cæterùm animalia etiam quandoq; patiuntur propter intemperantiam naturæ suæ: quandoq; propter mitigatio-*

Iob. 1. 14.

Ioan. Euseb. Nieremberg. lib. 7. hist. nat. cap. 49.

ationem feritatis suæ, & purgationem ipsius naturæ: quandoq; propter
eccata hominum, & cùm illa plagantur, vt subtrahantur, quæ diligit
omo, attendat ipse homo, quanta pœna dignus sit, qui maiore vtitur
atione. Etenim nisi exigerent peccata hominum, non ita singulariter
nimalia, quæ ad manum hominis sunt, affligerentur. Sed nec ipsa sine
nagna justitia patiuntur. Nam, aut erit eis ad celeriorem vitæ finem,
ut ad minorem miseriæ laborem, & naturæ fortis consumptionem;
aut propter mutationem temporum, aut ex incuria hominis labore
proueniente. Timeat ergo homo præ cæteris me Deum suum, & tantò
mitior sit circa creaturas meas, & animalia, quibus & propter me earũ
Creatorem misereri debet. Ideò enim ego Devs *præcepi homini de Sab-*
bato, quia cura est mihi de omni creatura mea. Adijciam, quod de
dolore partus subdit oraculum. *Ad secundam quæstionem, cur om-*
nia nascantur cum dolore, respondeo: homo quando contempsit delecta-
tionem pulcherrimam, statim incurrit vitam laboriosam, & quia in-
ordinatio cœpit in homine, & per hominem; Iustitia mea est, vt etiam
alijs creaturis, quæ sunt propter hominem, aliqua amaritudo sit pro-
pter temperamentum delectamenti sui, & fomentum nutrimenti sui.
Ergo nascitur homo cum dolore, & progreditur cum labore, vt ad
quietem veram festinare studeat: moritur verò nudus, & pauper,
vt refrenet inordinatum modum suum, & timeat futuram discus-
sionem. Animalia ideò etiam pariunt cum dolore, vt excessum
temperet amaritudo, & participes sint hominis in labore, & dolore;
propterea homo, quantò nobilior est animalibus, tantò feruentiùs
diligat me Dominum Creatorem suum.

CAPVT XVIII

Quartam morborum caussam, esse cacodæmonem.


ESt homo exitij sui morborumq; & mortis caussa, immò I.
etiam aliquo modo, vt & cetera animalia moriantur.
Sed, vt caussa esset, diabolus, pessimus consultor fecit.
Hinc *primogenita mors* haud immeritò appellatur. Quemadmo- Iob. 18. 13.
dum enim ipse est suæ mortis inuentor, ita postquam Devs *cre-* Sap. 2, 23.
auit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ
fecit illum, inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Itaque

sicut

Coloss. 1. 18. Apoc. 1. 5. sicut Christum Paulus *Primogenitum ex mortuis*, & Ioannes *Primogenitum mortuorum vocat*, non solùm quòd fuerit primus ad vitam immortalem resurgentium, & ante alios quasi regenitus beata ista resurrectionis natiuitate; sed etiam quòd fuerit exemplar, Princeps & principium istius resurrectionis: ita satan fuit & sibi, & alijs Princeps, principium & inuentor mortis. Hinc
Apoc. 9. 11. jure nominatur *Rex locustarum, Angelus abyssi, cui nomen Hebraicè Abaddon, Græcè autem Apollyon, Latinè habens nomen Exterminans.* Numquam Eua tam audax fuisset, vt ad vetitum fructum manus extéderet, nisi callida arte eam aggressus esset versipellis serpens.
Gen. 3. 1. Primò insidiosè interrogauit, deinde perfrictè mentitus est, denique vana scientiarum spe illam pellexit. *Cur*, inquiebat, *præcepit vobis* DEVS, *vt non comederetis de omni ligno Paradisi?* Et cùm timorem mortis intentatæ audijsset obstare inobedientiæ, proteruè dixit. *Nequaquam morte moriemini:* & illecebras adijciens: *Scit enim* DEVS, *quòd in quocumq; die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri: & eritis sicut dij scientes bonum & malum.* Hinc fundi nostri calamitas: hæc morborum & mortis est origo. Inuidia diaboli, qui ferre non poterat, vt ab hominibus vacuæ Angelorum sedes replerentur, consueto calumniatoribus more, morbum suum DEO attribuit, quasi hominibus scientiam deorũ inuideret. Huic ergo omnis mali authori gratias agant, qui impatienter ferunt, humanum genus in tantas calamitates incidisse.

II. Nec satis fuit huic exterminatori, quasi vno ictu omne genus nostrum sauciasse, idem postea in hunc vsque diem tentare continuauit. Quin etiam ipse DEVS dæmonis, tamquam carnificis ministerio & tortoris opera vtitur non solùm ad malos varijs modis puniendos, sed etiam ad ipsos justos probandos & exercendos. Etsi enim etiam boni Angeli siue ad justos, siue ad impios affligendos à Deo adhibeantur, vt, cùm vtique Angelus sanctus femur Iacob percussit, & neruus *statim emarcuit*; attamen frequentius est, & communi prouidentiæ lege sancitum, vt boni Angeli non nisi temporalis supplicij impiorum ministri sint & executores; mali autem & temporalis & sempiterni. Hoc autem est inter bonos & malos discrimen, quòd boni quidquid agunt

Tostat. 1. Paralip. 21. q. 30.

Gen. 32. 25.

irca homines, sine odio, & ira, & malitia agant; mali autem
um appetitu vindictæ & libidine puniendi, morbos, mortésque
oferant. Cuius doctrinæ author est S. Dionysius scribens: *Nihil* S. Dionys. de diu. nom. c. 4.
ıalitiæ sanctos Angelos contrahere ex eo, quòd peccatores puniant. Et
).Augustinus ait: *Sancti Angeli sine ira puniunt, quos accipiunt* S. Augustin. lib. 9. de ciuit. cap. 5. Theodoret. in Psal. 77.
terna lege puniendos. Idem sentit Theodoretus super illud, *immißio*.
ıes per Angelos malos, hos enim supplicij ministros neque naturæ,
ıeque electionis malitiam habuisse dicit, sed non aliter *malos*
rocatos, ac *malam* diem supplicij diem appellamus. Quod etiam
rult cum Basilio Apollinaris in illud: *Et Angelus Domini perse-* Apollinar. in Psal. 34. 6.
quens eos. Nam sanctus vtique Angelus erat, de quo dicitur: *Et* Gen. 3. 24.
collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gla-
dium atq; versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ. Sancti An- Gen. 19.
geli, qui subuerterunt Sodomam, qui ceciderunt Assyrios, qui 4. Reg. 19. 2. Machab. 3.
flagellarunt Heliodorum, qui impuros illos Babylonicos senes, Dan. 13.
apud Danielem, & denique Herodem percusserunt. Itaque ve- Act. 12.
rosimile est, vbicumque *Angelus Domini*, in diuinis litteris, poni-
tur, bonum Angelum intelligi: licet D. Hieronymus in illa: *An-* S Hieronym. in Psal. 34.
gelus Domini persequens eos, existimet de Angelo malo sermonem
esse, quem putat dici *Angelum Domini, quia Dominus illum crea-*
uit, & Dominus illum habet in potestate.

III.

Bonis ergo & malis Angelis hominum mala ascribi possunt,
quia vtrisque DEVS vtitur tamquam ministris; sed malis præci-
puè mala nostra adscribenda sunt, non solùm, quia maleuolè pu-
niunt, verùm etiam quia prima origo fuerunt, vt peccatum in or-
bem terrarum, & per peccatum mors atque morbi mortis ante-
ambulones intrarent. Accedit, quòd non modò DEVS eorum
operâ ac ministerio sæpe peccatores corripiat, vt per *extermina-* Exod. 12.
torem, in Ægypto, & per *spiritum*, qui decepit Achab; & per 3. Reg. 22.
spiritum malum, qui inuasit Saul, & per Satanam, cui peccatores 1. Tim. 1.
cruciandos tradidit Apostolus; immò, quòd etiam per eos solos 1. Cor. 5.
æternis supplicijs affligat damnatos; sed quòd justorum quoque
persecutiones & exercitium peculiariter dæmoni demandet.
Nam, vt D. Chrysostomus obseruauit, non videtur DEVS id mu- D. Chrysost. tom. 3. hom. de Alcésione.
nus demandare sanctis Angelis, qui res humanas ex officio pro-
curant, & nostris bonis gaudent, & quodammodo de nostris sup-
plicijs

plicijs dolent, eaque, velut fidi custodes conantur auerruncare.
Sicut enim, diaboli odio & malitia, multi ægrotant, & crucian-
tur, ita sancti Angeli ex beneuolentia, benignitate, & ardentissi-
ma charitate, amoreque nostræ incolumitatis, & bonæ valetu-
dinis, nisi aliud exigat diuina voluntas & gloria, ad quam ma-
ximè attendunt, sunt curatores & procuratores; & velut vnius
Ecclesiæ partes, altera fortior, semperque valens, alterius infir-
mitati & miseriæ corporis & animi miserata subuenit, ac teste
S. Augustin. cap. 56. Enchirid. Augustino, pars, quæ in *sanctis Angelis beata persistit, sua parti pere-*
grinanti, sicut oportet, opitulatur, quia vtraque vna erit consortio æter-
nitatis, & nunc vna est vinculo charitatis. Hinc sunt, qui illa
Iob. 33. 24. verba, quæ in libro Iob legimus: *Libera eum, vt non descen-*
dat in coruptionem, accipiant de Angelo, pro ægroto deprecan-
te, atque ægroti sui miserto. Constat sanctum *Raphaëlem*
Archangelum, vnum è septem illis primis principibus, qui ante Devm
astant, descendisse, vt vel Tobiæ priuati hominis, senis, ac mori-
bundi depelleret cæcitatem. Neque sine peculiari caussa, post fa-
ctam medicinam, & restitutam sanitatem, *se medicinam* Dei, suo
Tob. 12. 14. nomine atque officio professus est, quando dixit: *Misit me Domi-*
nus, vt curarem te, & Saram à dæmonio liberarem. Id autem ipsum,
quod *Raphaël*, id est, *medicina* Dei, peculiari suo nomine signifi-
cauit, vtique credibile est etiam multos alios Angelos reipsa præ-
stitisse, quando clientes suos, adhibita inuisibili sui patrocinij &
custodię medicina, morbis periculisque grauissimis liberauerunt.
S. Augustin. lib. soliloq. cap 27. *Magna*, inquit S. Augustinus, *cura, & vigilanti studio adsunt nobis,*
omnibus horis, & locis succurrentes, & prouidentes necessitabus nostris,
& sollicitudine currentes inter nos & te, Domine. Tantum ergo abest,
vt vel corpori, vel vlla in re nobis velint nocere boni Angeli,
nisi maius inde nobis emolumentum, aut Dei gloria proueniat;
etiam ex officio, & beneuolentia atque amore, mala à nobis
abarcent, eosque prohibent, qui nobis aut verbera, aut vulnera,
aut grauiora damna machinantur.

IV. Certè boni Angeli non fuêre, qui tyrannos ad dirissima
quæque martyribus tormenta inferenda incitauerunt. Quis fuit,
qui tot malis morbisque Iobum cooperuit? Clara est Scriptura:
Iob. 2. 7. *Egressus igitur Satan à facie Domini percussit Iob vlcere pessimo, à*

planta

plantà pedis vsq; ad verticem eius. Et quòd peculiari quadam ratione dæmon sit dolorum morborumque minister, innuit Apostolus. Siquidem *Angelum satanæ, qui illum colaphizabat, stimulum carnis,* dolorem vehementissimum corporis fuisse censet D.Augustinus. Quem dolorem, vt suprà indicauimus, D.Hieronymus censet fuisse grauissimum capitis cruciatum. Perspicuè morbi diuturni caussa fuisse fertur inuidus ille, & in totum genus humanum sæuus spiritus, de quo Lucas hæc habet: *Et ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo: & erat inclinata, nec omninò poterat sursum respicere.* Caussam huius mali aperuit Seruator, cùm hypocritas Sabbati violationem obijcientes refutaret, dicens: *Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit satanas, ecce decem & octo annis, non oportuit solui à vinculo isto die Sabbati?* Itaque rectè pronuntiauit S.Pater, quando scripsit: *Dolores corporum plerumq; immittuntur ab Angelis satanæ.* Cui, vt est mille artifex, non sufficit, curuare membra hominis, procurare vlcera, & inferre morbos manifestos; sed etiam pestes ab humana Philosophia reconditas, occultiore quadam arte, inijcit, quarum caussas atque rationes nemo potest assequi. Etsi enim subinde quędam ignotis naturę viribus accidunt penitus admiranda, qua de caussa Synesius & Plotinus naturam Magam appellauerunt; quippe quòd interdum in apostematum sinibus & concauitatibus, res similes lapidibus, testis, lignis, carbonibus nasci, authores sunt Galenus & Celsus: tamen frequentiùs id ipsum, si non semper, dęmonum viribus pręstigijsque contingit. Hinc dęmoniacos hos morbos vocat Arabs ille Alsaharauius.

2. Cor. 12. 7.

S.Hieronym. ad Galat. 4.

Luc. 13. 11.

S.Augustin. in Psal. 130.

Galen. l. 2. ad Glauc. & l. 14. method. Cels. l. 7. c. 6. Alsaharau. cap. 34. suæ pract.

V.

Eiuscemodi ægrotorum exempla ratione melancholiæ recenset Petrus Forestus in suis medicinalibus obseruationibus; & alia multò admiratione digniora, accumulat Ioãnes Langius. Inter quæ illud, quod Anno 1538. in quodam Eichstettensis ditionis pago contigit, quod nisi oculati & fide digni testes interfuissent, omnem fidem superare videretur. Agricola quidam erat, nomen illi fuit Vlricus Neusesser. Hunc siue venefica anus, siue ipse Stygius Alastor ita miserè fascinauit, vt tametsi nullum vllius morbi vestigium in eius corpore appareret, tamen imma-

Petr. Forest. lib. 10. obs. 19. Ioan. Lang. epistola medici. 38. lib. 1.

nibus tormentis cruciatus nullam interdiu, nullam internocti quietem caperet. In his tam monstrosis doloribus, vsque ad finem vitæ fuit. Postquam defunctus est, medici consuluerunt aperiendum, vt fons mali inueniretur. Conuenêre chirurgi, cultrum admouerunt. Cor erat sanum, pulmones integri, renes illæsi, intestina omnia suo loco imperturbata. Tandem & ventriculum aggressi sunt, eo dissecto, lignum teres & oblongum, quatuor è calybe cultros, & quædam alia asperiora ferramenta spitami longitudine maiora repererunt. Nimirum & hoc, & plerique morbi per maleficium illati, sunt prodigiosi. Omnium autē prodigiosissimum est, quando per os, vel imum guttur eijcit æger spinas, ossa, ligna, saxa, fragmenta vitrorum, acus, cultros, & alia ferramenta, glomos pilorum, pannos, setas, cornu laternarum, atque alia talia, quæ comestione in corpus immitti non potuêre. *Contigit hoc anno Pisis*, ait Cæsalpinus de inuestig. dæmon. *hac vidisse multis spectantibus. Quadam à demonibus obsessa sæpius, modò inter adjurandum, modò postea ejecit corpora, & magnitudine, & forma per se ineptissima, vt deuorarentur, clauos ferreos prælongos, ossa, lapides glomos laneos, carbones, aliaq; multa, in culcitra autem, ea regione, qua thorax incumbebat, præcipuè qua cor, globuli multi reperti sunt ex plumis affabrè efformati, diuersis figuris; sed plurimi instar rosarum perpetuis plumarum tenuissimarum ordinibus, nunc filo impliciti, nunc solo glutine: alia genera reperta sunt in ceruicali, quà caput residebat.*

VI. Beniuen. lib. de admirand. morb. caussis. Nic. Remius lib. 3. demonolat. cap. 1.

Similia plura exempla referuntur à Beniuenio de muliere Florentina, à Nicolao Remigio; & de puella Leuuenstettensi in historia Germanica, hac de re excusa An. 1562. Sed vetera mitto, audiui multos oculatos eiuscemodi morborum testes; ipse Brunouij Anno 1618. vidi, in præcipua domo, locum & hominem non minimæ authoritatis, cui certis diu temporibus tantus caput occupabat dolor, vt omnes eum existimarent moriturum. Frustra fuêre omnes medici, frustra omnes medicinæ. Tandem, vt fit, ventum est ad diuina, factæ preces, vota, peccatorum confessio, & ecce, dum in prandio dominus domûs mensæ accumbit, rumpitur superius triclinij tabulatum, supra ipsam mensam,

Ne ergo rudera in cibos, & super edentes caderent, jussit herus
fractos asseres remoueri. Quod dum fit, reperiunt ibi mortui
hominis caluam, quam vbi in cœmeterium retulerunt, sensit-se
illico dominus cruciatu liberatum. Nec postea vsque ad mor-
tem aliquid incommodi in capite passus est. Suspectus erat prior
inquilinus, qui ægrè domo cessit. Alia magni nominis matrona
multis cum marito annis pacificè habitauerat, semper improlis,
marito tamen omnia diuina humanaque remedia adhibente, vt
hæredem adipisceretur. Sed in cassum omnia. Ita sterilis è vita
excessit. Iussa est exenterari, tum in vtero patefacto, ô superi,
quæ non fæces, & retrimenta inuenta sunt? ibi magni pilorum
glomi & lanarum, ibi resecti vngues; ibi vngulæ caprarum; ibi
ossorum fragmenta; ibi putamina nucum, & quid non vilissi-
marum rerum, abdita jacuerunt: vt prorsus negari non posset,
non nisi magica arte illuc illata fuisse, ad fœtum impediendum.
Quare meritò viduus postea & secundam vxorem, è qua senex
admodum liberos suscepit, attentè contra huiuscemodi veneficia VII.
muniri custodirique, & in sagas diligenter inquiri jussit.

Quid ni per sua mancipia talia occultis artibus machina-
retur? cùm ipsos Dei seruos, aperto marte, aggrediatur? & vel
ferro trucidet, si non potest tollere veneno? Philippus Alegambe,
in Indice Martyrum Societatis Iesv, hoc habet. *Christophorus de*
Mendoza, nobilißimo inter Hispanos genere natus in Peruuio, in Pa-
raquaria Cangnanos Prouinciæ Tapensis populos Christianæ fidei præ-
ceptis imbuebat; vbi à Veneficorum agmine (quod enim per se non po-
test Orcus, per suos facit) à quibus iam fuerat dudum designatus ad
cadem, tamquam suarum machinationum explicator, exceptus, pri-
mùm sagittis eminus, mox cominus gladijs appetitus, altera aure re-
cisa, labro superiore cum dentibus reuulso, mox etiam mento detracto,
tum aure altera, naribusq; præcisis, lingua ab radice, & continente du-
ctu toto thorace, ventre, virilibus conuulsis atq; abstractis, confectus est,
Christum illis ad vsq; extremum spiritum prædicans. Hanc vim
manifestam inferri posse à veneficis ope dæmonis non est cre-
ditu difficile, cùm quilibet homo viribus naturę id facere possit,
vt ostendunt quotidiana homicidia latrociniaque. Vtrùm autem
illa,

Phil Alegābe in Indice martyr. num. CCLVII. ex P. Petri Friolæ socij ipsius literis datis ad P. Iosephum Oregium 5. Oct. 1636. & P. Francisco Diaz. Procuratore Paraquariæ, qui id Romæ narrauit An. 1639.

illa, quæ suprà recensuimus, occulta dæmonum arte procurari possint, video à nonnullis dubitari, ab alijs etiam negari.

Martin. Delr. lib. 3. disquis. p.1.q.3. sect. 5.

VIII. Auicenna, Galenus, & post eos Pomponatius ac Leuinus Lemnius, etsi dæmones esse malignos non inficientur, atque ea propter, ex maleuolentia vtique velle eiuscemodi mala hominibus inferre credant, posse tamen negant morbos vllos hominibus inijcere; eò quòd illis opus non sit ad ista mala procreanda, quæ omnia ex naturalibus caussis nasci posse arbitrantur. Quod etsi illis daretur, tamen non rectè concluderent: Possunt omnes morbi à naturalibus caussis prouenire, ergo non possunt prouenire à dæmonibus: quemadmodum si quis diceret: Potuerunt septem Saræ viri ab hominibus occidi; ergo non potuerunt occidi à dæmonio: deceptus est ergo Tobias, quando dixit: *Audio, quia tradita est septem viris, & mortui sunt: sed & hoc audiui, quia dæmonium occidit illos.* Sed aliter ratiocinatus est Tobias dicens: *Timeo ergo, ne fortè & mihi hæc eueniant.* Neque ab Angelo Raphaele refutatus est.

Tob. 5. 14.

Tertull. in Apologet. S. Hieron. in c. 4. Matth. S. Chrys. hom. 54. in cap. 17. Matth. S. Thom. 1. p q. 115. a. 5. Burchard. lib. 19. Decretal. c. de re magica. Pet. Leloy. li. 1. de spectr. c. vlt. Grillan. q. 6.

Quare aliter docent Tertullianus, Hieronymus, Chrysostomus, & cum S. Thoma Theologi omnes: quibus consentiunt Iuristæ, vt Burchardus, & Grillandus; nec non & Medici Condronchus, Cæsalpinus (qui suam sententiam etiam Hippocrati tribuit, quem Auicenna & Galenus ad se trahere conantur) Fernelius, Valesius, itemque Arabius. Pro quibus, si superiùs à nobis enumerata exempla fidem non merentur, certiora habentur in diuinis litteris; vt illud ipsum de Saræ septem viris, & de Iob vlcere pessimo, per Stygiũ calumniatorem percusso; & de Saule atra bile vexato, de quo clarè affirmatur: *exagitabat eum spiritus nequam.* Et in nouo testamento, vnum legitur aurium & linguæ vsu priuasse, ac simul *epilepticum* reddidisse, qui *lunaticus* vocatur, non quasi dæmoniacus non esset, sed quòd à dęmone ita obsideretur, vt plenilunij tempore, arte dæmonis, comitiali morbo grauissimè affligeretur; quia tunc cerebrum humoribus plenum aptius erat exagitari. Itaque licet aliqui sint lunatici & non dæmoniaci, alij tamen non sine dæmone ad lunæ incrementa vexantur. Alium diabolus illo genere manię afflixit, quam lycanthropiam vocant, cuius est, non posse contineri domi, sed in deserta loca excurrere, &

Iob. 1. 1. Reg. 16. 14. Marc. 9. 17. Luc 9. 36. Matth. 17. 14.

Luc 8. 27.

circa

circa sepulchra oberrare. De muliere curuata, quam conuul- Luc. 13: 11.
sione spinæ dorsi alligauit, suprà mentio est facta. Vt adeò, qui
negant, morbos nonnullos à dæmonibus prouenire, inter Eth-
nicos & Atheos sint annumerandi. Iosephus sanè Iudæus Salo- Ioseph. lib. 8
monem hos dæmoniacos morbos curandi artem à Deo edoctum antiq c. 2.
his verbis memorat: *Præstitit Deus etiam Salomoni, vt contra*
dæmones artem, ad vtilitatem hominum, & eorum curas edisceret.

Ob hanc malitiam & potentiam nocendi tam varia nomi- IX.
na sortitus est diabolus. Dicitur enim 1. *Angelus percutiens*, & Exod. 12. 23.
interficiens Ægyptios, qui Hebraicè *Mashhith*, id est, *Percussor*,
vel *homicida*, vel *corrumpens*, aut *perdens*, Græcè *Olothreutes*, id
est, *perniciem afferens* vocatur. 2. Nominatur *Angelus crudelis*. Prou. 17 11.
3. *Angelus exterminator*. 4. Appellatur πνεῦμα ἀσθενείας, *spiritus* Iudith 8. 25.
infirmitatis, quia dæmones in sacris litteris nomen habent ab effe- 1. Cor. 10. 10.
ctu, vnde dicitur *spiritus infirmitatis*, qui facit infirmos; *spiritus* Luc. 13. 11.
auaritiæ, qui impellit in auaritiam; *fornicationis*, qui incitat ad
fornicandum. 5. Nuncupatur *Rex abyssi*, Hebraicè *Abaddon*, Apocal. 9. 11.
Græcè autem Apollyon, Latinè habens nomen Exterminans. 6. De-
nique dæmones nomine *mortiferorum* intelliguntur, quibus vita Iob. 33. 22.
impiorum dicitur appropinquare. Permittuntur enim à Deo
isti spiritus, vt in vindictam scelerum impijs, aut in meritum co-
ronę pijs morbos immittant. Quod vel Ethnici ipsi agnouerunt,
qui certos quosdam morbos dijs suis, hoc est, diabolis attribue-
runt, vt de *Ceritis*, qui dicti sunt *Cerericti* δημητριόληπτοι, de lym-
phatis, de Panicis similibusque constat. Hinc Phœbades, hinc Lucian. in
Mænades, hinc furiata mente Corybantes: hinc fanaticos & Philopseu. &
varijs linguis in morbo loquentes δαιμονῶντας, vel ab Hecate, aut Hippocrates
ab Heroibus infestatos appellabant. Qua de caussa etiam Leuinus de sacr. morb.
Lemnius tandem dat manum, & fatetur, dæmones huiusmodi Leuin. Lemn.
morborum caussas esse. Quòd si igitur possunt morbos ciêre, nec lib. 2. de oc-
dubium est, velle, quis neget eos id facere, si permittantur? cul. nat. mi-
rac. cap. 3.

Restat, vt indagemus modum, quo id faciunt. Varij sunt X.
modi, sicut & morbi. Aliquos Franc. Valesius indicauit. 1. Id Franc. Vale-
facit dæmon tăquam caussa externa, nam extrinsecus adueniens sius c. 28. sacrę
corpus inhabitat, & malus inquilinus domum turbat, omnia Philosoph.
susque deque vertendo, sine alia materia, vel interna agente

caussa,

caussa, dum impedit, vel lædit sensationes, vel spiritus animales detinet, aut subtrahit. 2. Si morbi ex materia pendeant, mouet internas caussas, vt enim melancholiam exeitet, bilem atrã commouet, ac fuligines in cerebrum & sensuum internorum cellulas propellit; moxque per caussas exurentes, vel detentionem istius humoris, ne expurgetur, bilem auget. Vnde tristitiæ, & desperationes oriuntur. 3. Vt epilepsiam, paralysim, & similes noxas procuret, cõgregat succum crassiorem, quo ventriculum cerebri obturet, vel neruorum radices obstruat. 4. Cæcitatem, vel surditatem creat, per noxia excrementa ad aures, vel oculos coacervata. 5. Odium, amorem, aliasque animi perturbationes inducit, dum mouet internas rerum imagines, vt in imaginatione firmiùs inhærescant. 6. Potest è rebus venenosissimis, id, quod est maximè virulentum, educere, & eo inficere spiritus vitales, animales, aut sanguinem ipsum ac ceteros humores. 7. Eos morbos, qui ab internis caussis non pendent, sed ab externo tantùm nocumento, vel noxio afflatu, plerumque per se operatur; vt quando instrumenta maleficij, vnctiones, signa, res defossæ &c: ad ipsum veneficium vim naturalem nullam habent. Tunc enim sunt pro signis dumtaxat, ad quæ ex pacto dæmon operatur. 8. Nec dubium est, posse eum per res externas homini vim inferre, premendo, cædendo, sauciando. 9. Quædam, quæ naturaliter quoque, medicis testibus, possunt in corporibus humanis, ex prauis humoribus coalescere, possunt etiam arte dæmonis generari, per eosdem humores ab illo constipatos: vt sunt tophi, lapilli, capilli, oscilla, conchylia, spinæ, glomi pilorum. Facilè enim potest vlcera, & in vlceribus eadem creare, quæ vi naturæ morbi aliàs collegissent. 10. Acus, cultri, claui, forfices atque alia talia metallica artificiosè conformata, quæ nulla naturali vi ex putrefactione possunt, vel tam breui tempore, vel tam artificiosa dispositione in corpore humano conuenire; & tamen videntur subinde è corpore excerni, aut exsecari; varijs modis videntur. Aliquando, per illusionem sensuum, humores qui eijciuntur: aliquando ipse aër condensatus apparet esse acus, culter &c. aliquando celeritate dæmonis veri cultri, & similia, quæ in corpore numquam fuerunt, videntur euomi: aliquando, vt Binsfeldius

Galen. lib. 1. ad Glauc. Celsus lib. 5. cap. 6. Leuin. Lemn. lib. 3. de occult. nat. mirac. cap. 40.

feldius aduertit, dæmon hominem profundo somno demergit,
& sensum doloris eximit, mox membrum dextrè incîdit, vt cul-
trum, testam, & similia inserere possit; vbi inseruit, eádem rursus
subtilitate, more chirurgi, vulnus adeò consolidat, vt nulla cica-
trix, vel vestigium relinquatur. Aliquando res tales solidas in-
star pulueris comminuit, atque in corpus illatas, rursum vnit,
idque adeò velociter, vt humanis oculis integræ emitti, & immit-
ti videantur. Sed quis vult omnes modos ruspari, quibus mille
artifex vtitur ad nocendum mortalibus, vel illudendum?

CAPVT XIX.

Quintam morborum aliorumq; humanorum malorum caussam esse sagas, veneficos, aliósque cacodæmonis ministros.



Vemadmodum DEVS non solùm ipse prouidet consu- I.
litque hominum saluti, verùm etiam Angelos Aposto-
losque mittit, qui nos doceant, dirigant, custodiant, in
vita & virtute conseruent: ita simius DEI diabolus & ipse *tam-* 1. Petr. 5. 8.
quam leo rugiens circuit quærens, quem deuoret, & insuper alios le-
gatos sociosque legit, per quos noceat. Sicut enim, quando so-
lus sibi non videtur sufficere ad hominem diuexandum, *vadit, &* Matth. 12. 45.
assumit septem alios spiritus secum nequiores se: sic etiam, quia
sæpe non satiat malitiæ suæ sitim ijs damnis, quæ ex Orco procu-
rat, homines ipsos in homines immittit; & non rarò plus potest
per istos, quàm per semetipsum: non quasi homines sint diabolis
potentiores, quorum ope & viribus vtuntur; sed quia horum
maior est ad nocendum libertas, dæmonum autem libido sæ-
uiendi plerumque ligata impeditur, ne tanta damna inferat,
quantâ malitiâ incitantur ad ea inferenda. *Hi spiritus*, inquit
D. Cyprianus, *sub statuis atq; imaginibus consecratis delitescunt, hi* S. Cyprian. de idol. vanit.
*afflatu suo vatum pectora inspirant, extorum fibras animant, auium
volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt, falsa veris semper
inuoluunt: nam & falluntur, & fallunt: vitam turbant, somnos in-
quietant, irrepentes etiam in corporibus occultè mentes terrent,
membra distorquent, valetudinem frangunt, morbos lacessunt, vt ad*

cultum sui cogant. Nec aliud illis studium est, quàm à Deo homines auocare, & ad superstitionem sui ab intellectu veræ religionis auertere; cùm sint ipsi pœnales, quærere sibi ad pœnam comites, quos ad crimen suum fecerint errore participes. Homines itaque in suam seruitutem trahunt, & tyrannidi suę subijciunt sæpe incogniti, vt postquam eos in hamo habent, tum demum se detegant, & iam captos impellant ad obsequium sibi, honorem, reuerentiam, adorationem, obedientiamque exhibendam. Quod diuersis modis impetrant. 1. Aliquos paupertate pressos, pauculis nummis, emunt. Egi cum aliquo in carcere, ac postea etiam flammis adjudicato, qui è balneo exiens, & vehementer sitiens, se dæmoni deuouit, ob sex cruciferos, sibi ab eo, in cereuisiæ potū, suppeditatos. 2. Aliquos Alastor impatientia tristes, vel odio, vindicandæque injuriæ cupiditate incensos irretit. Dum enim modum artemque nocendi quærunt, hunc magistrum facilè inueniunt. 3. Aliquos in luxuriam pronos, Venereq; lymphatos, vel ope promissa, vel specie mentita illicit. Scelere peracto, mox ostendit, quàm turpis sub eleganti larua puella, vel amasius latitârit. 4. Multos per socios sociasque & nimiam curiositatem, sua sub signa vocat. Sic Orci satellites conscribuntur, vt plurimi ad plures eant, præsertimque illi, qui ita malè radices egerunt religionis, vt parui faciant, illam pro pecunia, pro vindicta, pro voluptatula, aut sociorum caussa perdere.

II. Non tamen contentus est priuata deuotione superbus spiritus; publica insuper vult sibi homines professione promissioneque obstringi. Conuocatis in concionem, epulas, choreas maleficis, tyro, vel nouitia sistitur, cogiturque Christum, & sacrosanctam Trinitatem, DEI Matrem, omnesque Diuos cælites, fidem, Ecclesiam, sanctissima Sacramenta abnegare; tum nouo sacrilegoque ritu baptizatur, jubeturque homagium magistello præstare. Mox sponsum, & annulum, & impressum in corpus characterem, accipit, nefando congressu initiatur, accipitque vnguenta & pulueres, quibus jumentis & hominibus damnum det. Qua de caussa refert Constantius Cæsar, Chaldæos, Magos, sagos, & ceteros impostores, incantatores & veneficos, ob facinorum magnitudinem à vulgo dictos maleficos, nempe ab insigni & de-

Sprengerus lib. 1. mallei maleficor. part. 2. q. 1. cap. 2.

In l. nemo aruspicem 5. & l. etsi excepta 7. de ma-

& detestabili maleficio, seu scelere. Eádem appellatione mulieres & viros omnes, qui se dæmonum ministerijs dedunt, eorumque iussu, ope, & circumuentione mala, neces, morbos, imbres, tempestates, aliaque talia perniciosa inferunt, contineri, palàm est. *Horum omnium ratio est illa*, inquit S. Cyprianus, *quæ fallit, & decipit, & præstigijs cæcantib' veritatem, stultum & prodigum vulgus inducit. Spiritus insinceri, & vagi, qui, postquam terrenis vitijs immersi sunt, & à vigore cælesti terreno contagio recesserunt, non desinunt perditi perdere, & deprauati errorem prauitatis infundere.* Non contenti sunt ergo mali spiritus, vt ministros suos in præceps agant & perdant, sed per illos etiam, quà possunt, conantur alios perdere.

lef. & mathē. l 9. Cod. Iustin. tit. 18.

S.Cyprian. de Idol. vanit.

III.

Nocent autem venefici aliquando vero veneno; aliquando acu in infantis cerebrū impressa; sæpissimè autem irrita & inani arte, in qua vis nulla, sed tantùm quædam vmbra veritatis. Nam ad signa quædam inefficacia ex se, dæmon operatur ea, quæ magi destinauerunt: vt quando malefici sagittarij, die sacrosancto feriæ sextæ passionis Dominicæ, in crucifixum tela, aut glandes plumbeas è sclopis mittunt eo pacto, vt quoties crucifixum attigerint, toties ineuitabili nece possint aliquem traijcere, diabolo telum, vel globum deferente. Septem modis maleficos generatim nocere posse tradit Ioannes Nider, sed quis est, qui possit omnes nocendi modos enumerare? Hunc amore, illum odio ad insaniam adigunt. Alium impediunt, ne possit prolem generare; alium prole generata per abortum, vel morbum, priuant. Quoties infantes nondum baptizatos occidunt? quoties maleficæ obstetrices vix natam sobolem dæmonibus consecrant? Sūnt qui ipsos infantes vorent. Sunt, qui putent, lacertam sub limine ostij positam, hominum & bestiarum fœturam impedire, eaque sublata restituere. Denique, quam vim habeant morbos mortesque procurandi, & multa, & admiranda ostendunt exempla, quorum aliqua huc exscribere iuuabit, ad horum detestationem cæcis mentibus inijciendam. Nec enim sufficiunt, quæ superiore capite attulimus ad dæmonis malitiam declarandam.

Sprenger. loc. cit. c. 16.

IV.

Vt autem de maleficio ligaminis longè frequentissimo nihil di-

Vide Henriq. lib. 2. de matrim. cap 8. c. laudabilem. de frige & malef.

hil dicam, de quo non solùm Theologi multa tradunt, sed etiam Ecclesiæ praxis testatur, quæ sic affectos post triennij experientiam irritam, & adjuncta septem testium juratorum manu, separare consueuit. Quin veteres Rabbini tradiderunt, à Chamo tali damno Noëmum fuisse multatum; quo ne concipiatur fœtus, malefici laborant. Postquam verò iam conceptus est, antè, quàm nascatur, iam insidias habet; nec insidias tantùm, sed non rarò per procuratam abortionem destruitur. *In oppido Boltingen*, inquit Ioan. Nider, *Lausanensis diœcesis, quidam dictus Stadelin, grandis maleficus, captus per præfatum Petrum Iudicem loci, qui fatebatur, se in certa domo, vbi vir & vxor simul manebant, per sua maleficia successiuè in vtero vxoris præfatæ septem circiter infantes occidisse, ita vt semper abortum faceret in femina annis multis. Simile fecit in eadem domo omnibus pecoribus fœtosis, quorum nullum viuum partum edidit in eisdē annis, prout rei euentus probauit. Cumq́; antedictus nequam quæstionaretur, an in his, & qualiter reus esset, facinus aperuit, dicens: Subter limen ostij domus se lacertam posuisse, &, si amoueretur, fœcunditatem inhabitantibus restituendam praedixit. Cùm autem serpens ille quæreretur sub limine, nec inueniretur, quia in puluerem fortaßis redactus erat, pulueres seu terram desubter positam asportabant, & in eodē anno vxori, & omnibus jumentis domus fœcunditas restituta est. Præfato autem torto, non sponte fatebatur, & demum per prædictum judicem ignibus traditus est.* Vbi homo tutus est, si patitur insidias in vtero matris? Quanta cacodæmonum malitia est, si ipsi naturæ præscriptos terminos inuident, & interrumpunt? si inde infantes expellunt, vbi primæ originis possessionem eis DEVS tradidit, & antè eos occidunt, quàm corpus perfectum accipiant, quo eos viuere oporteret?

Ioan. Nider lib. vlt. Formic. cap. 3.

V. Neque immaturo dumtaxat partu promoto, caussa sunt abortionis, sed subinde etiam in contrarium cùm tempus est pariendi, partum impediunt, ne prodeat, sed in vtero detinent, cum ingenti matris cruciatu. Quod genus vexandi apud Madaurensem Philosophum legitur. *Eadem amatoris sui vxorem, quòd in eam dicaculè probrum dixerat, iam in sarcinam prægnationis, obsepto vtero, & repugnato fœtu, perpetua prægnatione damnauit. Vt cuncti numerant, octo annorum misella illa onere, velut elephantum paritu-*

Apul. de asin. aur.

paritura, distenditur. Quin vt partum antecedere, comitari, & subsequi pericula sciamus; postquam in lucem prodijt infans, sæpe in matre plectitur, priuatione exsiccationeque lactis. Nam & homines, & iumenta hoc damno afficiunt. Biebrana Laudunensis saga solis minis vbera vicinæ mulieris sic exsiccauit, vt ad obitum vsque sagæ, quamuis multos peperit, lacte semper caruerit. Aliæ herbis, verbis, vel solo attactu lacte priuant homines & iumenta. Sprengeri verba sunt: *Quædam,* ait, *nocturnis temporibus & sacratioribus, vtiq; ex inductione diaboli, ob offensam diuinæ maiestatis maiorem, in quocumq; angulo domus suæ se collocant, vrceum inter crura habentes, & dum cultrum, vel aliquod instrumentum in parietem, vel columnam infigunt, & manus ad mulgendum apponunt, tunc suum diabolum, qui semper eis ad omnia cooperatur, inuocant, & quod de tali vacca, ex tali domo quæ sanior, & quæ magis lacte abundat, mulgere affectat, proponit, tunc subitò diabolus ex mamellis illius vaccæ lac recipit, & ad locum, vbi malefica residet, &, quasi de illo instrumento fluat, reponit.* Sic multa damna opere vno inferuntur. Fit furtum, vexatur dominus; fœtus spoliatur alimento, affliguntur parentes; Virgil. Ecclog. 3.

Et succus pecori, & lac subducitur agnis.

VI.

Quin inter ipsos coniuges vel odia, vel spurij amores faciunt, vt sese mutuò coniugijs inutiles reddant, atque ita prætextum habeant diuertendi. *Nôrunt mecum,* inquit Martinus Delrio, *multi, Comitis filium, qui ante annos ferme nouemdecim, Luxenburgi in vrina lacertulas satis magnas eijciebat, quod etsi plerique vxoris eius adulteræ (quam & occidi per sicarium ille postea jussit) veneficio tribuerent, potuit tamen naturaliter contingere, ex humorum corruptione, & renum vitio. Mulier illa Caluinæ sectæ erat addicta, & Ministro familiarior, quàm oportebat, ideò nec à moribus, nec ab instituto aliena fuit vulgi suspicio.* Mart. Delri. lib. 3. disq. Magic. p. 1. q. 14. sect. 6.

VII.

Quis ob hæc talia veneficos non damnet, veneficia non execretur? Omnino & artes pariter, & artifices sunt execrandi. Et tamen si vspiam est locus inter sacrum & saxum standi, hîc est: quia & offendere magos, est crabrones irritare. *Honesta quædam persona,* ait Sprengerus, *& vni ex familiaribus archiducis matrimonio copulata, in præsentia Notarij & c. secundùm formam iuris deposuit,* Sprengerus part. 2. mallei. q. 1. cap. 12.

deposuit. Cùm tempore virginitatis suæ, cuidam ex ciuibus famularetur, accidit, vt vxor illius graui dolore capitis langueret: pro cuius curatione, cùm quædam mulier accessisset, & suis carminibus & certis praxibus mitigare dolorem haberet, Ego (inquit) eius practicam diligenter obseruabam, perspexiq; , quòd contra naturam aqua fusa in scutellam quamdam, ipsa aqua in ollam aliam ascendisset, cum alijs cæremonijs, quæ recitare opus non est, considerans q; , quòd ex illis dolor capitis in domina non mitigaretur, aliqualiter indignata, hæc verba ad maleficam protuli: Vos non facitis nisi superstitiosa, & hoc propter commodum vestrum. Tunc malefica statim subjunxit: An sim superstitiosa, vel non, tertia die tu senties, quod rei probauit euentus. Nam tertia die manè, me sedente, & fusum apprehendente, tantus dolor subitò corpus meum inuasit, primò in interioribus, vt non esset pars corporis, in qua non punctiones horribiles sentirem: Secundò, non aliter mihi videbatur, nisi quòd continuè igniti carbones capiti meo superfunderētur: tertiò in cute corporis, à vertice vsq; ad plantam pedis, non fuisset spatium acus, vbi non fuisset pustula sanie repleta. Sicq; in his doloribus eiulando, & tantummodo mortem optando vsq; ad diem quartum restiti. Tandem maritus dominæ meæ, vt stabulum quoddam intrarem injunxit. At ego paulatim incedendo, eo præcedente, dum ante ostium stabuli eramus: Ecce, inquit ad me, pecia panni albi super ostium stabuli. At ego: Video. Tunc ille: quantum potes remoue, quia fortè meliùs habebis. Tunc ego quantum potui, vno brachio me ad ostium tenente, cum altero peciam apprehēdi. Aperias, inquit dominus, & considera diligenter ibi reposita. Tunc ibi peciam solui, plura ibi inclusa reperi, præcipuè autem grana quædam alba, ad modum, quo pustulæ corpori inerant meo, semina quoq; & legumina, quorum similia nec edere poteram, aut intueri; cum ossibus serpentum, & aliorum animalium intuita sum. Et sic stupefacta dum inquirerem à domino, quidnam agendum foret? vt in ignem cuncta proijcerem, injunxit. Projeci: & ecce subitò non post horæ spatium, aut quartale, sed in momento, vt res illæ in ignem fuerant projectæ, omnem sanitatem pristinam recuperaui.

VIII. Idem subdit. Mulier quædam maritata, & honesta accessit, & juxta juris formam vt suprà deposuit. Retro domum, inquit, habeo viridarium, est & ibi contiguus hortus vicinæ meæ. Vnde cùm

quadam

quadam die transitum fieri ex horto vicinæ ad viridarium meum non absq; damno perspexissem, stans in ostio viridarij, & apud me ipsam conquerendo, & querulando, tam de transitu, quàm de damno: vicina subitò superuenit, & an suspectam haberem, inquisiuit. At ego territa, propter malam eius famā nihil aliud, nisi hec verba protuli: Gressus in graminibus damna demonstrant. Tunc illa indignata, quia ad eius fortè beneplacitum, me litigiosis verbis cum ea implicare nolebam, abscessit cum murmure, & verba, quæ protulit, licet audirem, intelligere non potui. Post paucos verò dies, ingens mihi infirmitas incidit, cum doloribus ventris, & acutissimis torsionibus à latere sinistro versus dextrum, & vice versa, quasi duo gladij essent pectori infixi, & sic die noctuq; clamoribus vicinos omnes alios inquietaui, & confluentibus hinc inde pro consolatione, accidit vt lutifigulus præfatam vicinam, & maleficam adulterino flagitio habens in amasiam, simili modo visitationis gratiâ accederet, & infirmitati meæ compatiens post verba consolatoria abscessit. Sequenti tamen die festinè redijt, & inter alia consolatoria subjunxit: Experimentum capiam, an ex maleficio vobis hæc infirmitas contigerit, quod si sic repertum fuerit, sanitatem vobis recuperabo. Accepto ergo plumbo liquefacto, & me in lecto recumbente, plumbum in scutellam aqua plenam super corpus meum appodiando infundit, & vbi quædam imago, & figura diuersarum rerum ex plumbo congelato apparuissent, ecce, inquit, ex maleficio vobis hæc contigit infirmitas, & super limen ostij domûs vna pars instrumentorū maleficij cōtinetur: accedamus ergo, & illis amotis meliùs sentietis. Sicq; maritus meus cum eo pariter ad tollendum maleficium accedunt, & lutifigulus limen eleuans marito injunxit, vt manum in foueam, quæ apparuerat, mitteret, & quæcumq; inueniret, extraheret: quod & fecit, nam primò imaginem quamdam ceream, in longitudine vnius palmæ, vndiq; perforatam, habentem duas acus ex aduerso per latera ad modum, quo ipsa pūctiones à sinistro latere vsq; ad dextrum, & è conuerso persenserat, extraxit: demum pecias panniculorum diuersas, & plurima, tam grana, quàm semina, & ossa cōtinentes, sicq; illis in ignem conjectis, ego cōualui sed non ex toto, nam licet torturæ, & punctiones cessassent, appetitusq; comedendi rediysset, ex integro tamen pristinæ sanitati vsq; in præsens minimè sum restituta. Vnde hoc, quærebam, quòd pristina sanitas non redibat? Respondit: sunt & alia instrumenta alibi abscondita, quæ in-

uenire

uenire nõ valeo. Et qualiter prima instrumẽta reposita agnouisset, dum inq̃rerẽ, respõdit, ex amore, quo amic⁹ amico reuelare solet, hæc cognoui.

IX. Rarissimum est, vt fæminæ, licet alioqui satis loquaces, sese in hoc crimine manifestent, callidissimè hoc crimen nôrunt occultare. Sed amantes, quid non possunt à se mutuò extorquere? & socius socio quid non reuelat? Itaque & hæc Canidia figulo, quem non odit, artes suas Colchicas prodidit, quas proditas ille destruxit, hoc solo in opere mala familiaritate bene vsus. Porrò modus ille nocendi, per imagines, & antiquus est, & prô dolor, nondum antiquatus. Etsi enim Buchananus neget hoc genus, apud vetustiores inueniri, tamen perspicuè de Medea saga Ouidius canit:

Buchanan. l. 6. hist. Scot.

Ouid. epist. Hypsipeles.

Deuouet absentes; simulacraq; cerea fingit,
Et miserum tenues in iecur vrget acus.

Tacit. lib. 2. Annal.

& Tacitus de scelere Pisonis, & morte Germanici scribit: *Reperiebantur solo & parietibus erutæ humanorum corporum reliquiæ, carmina & deuotiones, & nomen Germanici plumbeis tabulis insculptum, semiusti cineres, & tabe obliti, aliaq; maleficia, queis creditur animas numinibus infernis sacrari.* Ex quo intelliges, quid sint *laminæ ignorabiliter litteratæ*, scilicet verbis peregrinis inscriptæ; itemque morem nostrarum sagarum, antiquis sceleribus respondentem. Hæ enim cùm lædere volunt, solent non tantùm effigies eiuscemodi in nomine Beelzebub baptizare, verùm etiam, nomen illis indere eius, quem cruciare vel necare constituerunt. Traijciunt autem eiuscemodi imagines clauis, vel acubus, non quòd illæ acus, aut claui vim habeant nocendi, per se, sed quia sic voluntatem suam ex pacto cum dæmone inito manifestant; qui inde eorum malitiæ obsequens, si DEVS permittit, cetera peragit, quæ ad hominem aliquem vlcere pessimo percutiendum requiruntur. Sic, teste Zacharia Vicecomite: *Romæ accidit, vt quidam fullo maleficiatus veniret ad me, ad petendum auxilium, cuius domum ego vnà cum eius familiaribus ingressus cùm subuertissem, inueni, in quodam tincturæ vase fæce pleno, figuram ceream clauo ferreo à capite vsq; ad anum transfixam, brachia, crura, ac totum denique corpus clauis refertum: qui claui ipsum maleficatum in cunctis partibus affligebant eo modo, quo in figura cerea collocati erant.* Hos magos

Apul. lib. 3. de asino.

Zachar. Vicecom. part. 1. complementi artis exorcisticæ, doctrina 5.

gos *sagittarios* appellari, atque de illis canonem Innocentij IV. intelligendum esse, rectè obseruat Couarruuias, contra ceteros Canonum interpretes, qui ex historiarum inscitiâ, eum canonem ad omnes homicidas extenderunt.

X. Neque odium dumtaxat, & vindictæ cupiditas eiuscemodi magicas pestes parit, sola inuidia & æmulatione extimulati socij socijs, & sorores sororibus talia mala leguntur procurauisse. Apud Delrium, qui hoc argumentum accuratissimè tractauit, nobisque maximè succurrit, exemplum extat, quod superat omnem admirationem, narratum à Cornelio Gemma de casu Catharinæ Gualteri, puellæ Louaniensis annorum 15. cuius curationi ipse præfuit Anno 1571. quæ cùm obtrusum à gentili & coætanea, itidem iuuencula, sed fortè eumdem procum amante, aut aliud quiddam ambiente, libamenti frustulũ comedisset degulassetq; in morbi symptomata incidit planè prodigiosa, quorum ipse Cornelius Gemma spectator quotidianus vidit, illam eijcientem tot ac talia, & tanta, vt ipse crediturus non fuerit oculis alienis. Octauo morbi mense, magno nisu, per posticum ejecit anguillam viuam & perfectam, crassitudine pollicari, longitudine sesquipedali: *cui & squama, & oculi, & cauda vniuersa, vt anguillis solet. Triduò antè, quàm foras eruperit, auditum narrat, bis terúe in vtero sonum, non ipsi puellæ modò, sed astantibus quoq; velut argutum & tenuem ab angue productum: & cùm egereret, manifestè puella retulit se sensisse, quòd primùm exserto capite se retraheret per posticum, inde cum impetu exiliret. Pòst anguilla, quam mortuam exenteratamq; suspenderant, loco sublimi ab animalibus tuto, repentè euanuit. Puella interim cœpit euomere ingentem humoris aquosi copiam, humano lotio non absimilem, saporis absurdi. Durauit ea vomitio plus 14. dies, singulis profectò exonerans super libras 24. vel, vt vulgò nominant, gheltas tres: præterea vrinam interea quotidie reddebat bis terúe copiosam. Nullus in ventre tumor, nulla in toto corpore inflatio exteriùs apparebat: & ipsa puella potus ac cibi paucissimi, vix vnum cyathum vini, aut cereuisiæ liquorisúe alterius potitabat. Eò venit hæc aqua excreta abundantia, vt spatio duarum septimanarum facilè amas duas implere potuerit. Post hanc aquæ copiam, cœperunt & pili confertim exire per vomitum alui, copiosissimi numero, digiti longitudine, sed lon-*

lib. 3. disq. p. 1. q. 4. sect. 5.

Cornel. Gẽma post calcem. lib. 2. Cosmocrit.

giores alij, alij breuiores, eiusmodi sanè, quales annosis canibus euelluntur: auctaq; est indies ea pilorum quantitas, vt facilè pilas quàm plures iustæ magnitudinis implere potuerit: ejecit hos omnes magno fastidio, & vomitus difficultate. Interiectis deinde nonnullis, successêre aliqui vomitus, qui floccos ingentes pilorum eijcerent cum materia purulenta instar saniei, interdum simili stercori columbino, aut anserino, in qua colluuie, & frusta lignorum, & membranarum tenuia rudimenta, sed lignorum partes adeò viua, vt ex caudicibus obsoletis diffractis inæqualiter comminutæ portiones viderentur, vnguis amplitudine alia crassitie intus fungosa, foris obducta, vetustiore cortice nigra. Paulò pòst cœpit alius vomitus niger vt carbo, dixisses atramentum verum, vel sepiæ succum, immò carbones veros minutissimè tritos, atq; permistos, singulis diebus prodeuntes ad quantitatem librarum 2. aut 3. sæpissimè cum pilis tam copiosis, vt nuci iuglandi includi non possent, omnibus albis, prolixis, & durioribus: quæ cùm per triduum ita durassent, ejecit semel & puri sanguinis, tamquam è vena dissecta, libras duas, nulli rei alterius generis permistas. A vomitu sanguinis rursum est secutus ater, ac si antimonio trito tinctus fuisset humor, omninò liquidus, in dies singulos ferè ad libras 5. aut 6. atq; hoc portentum septimana integra, constanti horarum lege ac spacio, perdurauit. Cessauit aliquamdiu diuinis, humanisq; remedijs adhibitis, interea pilos adhuc, sed grauiores, gradatimq; atriores excernebat, immò & breuiores indies, vt cùm priùs ex flatu ruffescerent, paulatim liuidi nigri, tandem aterrimi, ac velut dissecti in frusta minutissima per vomitum redderentur. Quandoq; cum his, & virulentus humor & crassus, quandoq; simillimus limo. Circa Septembris medium membranæ frusta maiora, tamquam ventriculi partes euomuit: habebant hæc speciem tunicæ crassioris, carnosæ, lentæ, fractuq; contumacis: quibus profectò, vt fœtus chorocidi, etiam venarum ductus inarati ramosa propagine spectabantur, interdum medij palmi longitudine. Has aliæ sunt e vestigio subsecutæ tenuiores multò, sed penitus nigræ, venarum dumtaxat vestigia referentes membranæ allantoeidi non dissimiles. Postremò & venerunt tertij generis tunicæ, vasorum prorsus expertes, aliarum omnium tenuissimæ, vt locum amnij retinerent sed erat his alia multò substantiæ atq; figuræ ratio: quàm in agninis fœtuum inuolucris. Nam huic tenuitati aderat mira soliditas, figurarum ratio quouis miraculo maior.

Fragren-

Fragmenta illius varia, sed tria præ ceteris rara duorum palmorum amplitudinem superabant, intertexta strijs profundis sine epigraphis. quæ sese à vertice ad basim secantes mutuò, cancellos in rhombi speciem efformabant. non habeo, cui meliùs cõferam, quàm cum senecta viperæ: quamquam nihil hactenus à me conspectum fuit, cui posset meritò comparari. Sed hoc in eo præcipuè admirandum, quòd secundùm longitudinis ductum, velut canalis quidam profundior appareret, insculptus fibris transuersis & raris prorsus, ut in aspera pulmonis arteria. Erat hæc regio penitus caua & circularis, in unius membranæ fastigio paulatim angustior, anguini capitis vestigium repræsentans, cum apophysi mastoeidi, seu processu mammillari: in alterius fine sensim latescens, nescio quid ventricosum, & inæquale etiam bifurcato vertici non absimile, præ se ferret. Vniuersæ partes inuicem coaptatæ totius anguillæ longitudinem, atq; crassitiem satis luculenter expresserant. Illud autẽ tuberculum papillare viam fuisse respirationis existimo, fortè per quam & solidis, & humidis ad sui nutricationem necessarijs vescebatur. Postquam hasce membranas ejecit, secuti sunt lapides ferè innumeri, quos vesperi semper, ac stata horarum periodo, magnis cum tempestatibus, animiq; deliquijs eructabat. Forma fuit eiusmodi, quæ passim in vetustis ædificiorum ruinis solet occurrere, lapides solidi, angulosi, inæquales, tum specie, tum magnitudine, quæ subinde ad nucis juglandis quantitatem accessit, non absq; suffocationis discrimine manifesto. Videbantur quandoq; obtecti calce, & coagmentati variè, ut ab illis, qui parietibus detrahuntur, distingui non possent. Semel, me præsente, quemdam eiecit lapidem angulosum, vix cum duplicis castaneæ mole librandum. Saxum illud magna spiritus contentione projecit, ut & vomentem viderim manifestè, & in lebetem sonitum cadentis audierim, magno horrore cùm animi mei, tum turba undiq; circumfusa. E vestigio quoq; magnam ligni portionem pollicis longitudine pariter, & crassitudine, sed minore difficultate secreuit. Erat hoc satis porosum staminibus rectis insigne, cui & commissura quadam insignior, velut per medium totius longitudinis excurrebat. Interea tamen & pili per vices: sed minores, ordine pauciores ac nigriores. Accessit aliud, quod omnem excederet fidem. os enim triangulare solidum foris, intus cauum ac spongiosum reddidit, tale ut planè constaret esse fragmentum cruris bubuli. & puella parens diceret, se tale vidisse pridie in suis carnibus jurulentis.

tis. Nec mora, sequenti die, articuli ossei, tali, digitorum acies, rotulæ, variæ speciei & magnitudinis prodierunt. Interdum tamen & pili, & lapides intermixti, atq; omnium postremò vitri atq; æris portiuncula. En ex vnico libamenti frustulo, & quidem à socia, gentili, coætanea juuencula accepto, quot quantæque natæ sunt miseriæ & calamitates? Hoc inuidia, hoc simulatione amicitiæ tectum odium potuit. Eat nunc aliquis, fidat socieno suo, aut puellæ; accipiat ab ea munera; comedat melle tinctas placentas, hamum vnà vorabit, morbos mortesque glutiet, si non cautè circumspiciat, quàm fida, aut captiosa se se implicet societate. Non pauciores nocendi caussas inuenit humani generis inimicus, quàm modos nocendi nôrit.

XI. Ex Dione Xiphilin. in Domitiano & Commodo.

Absque vindicta, inuidiaque sola malitia ac nocendi voluntate, Commodo Imperatore, refert Xiphilinus, quosdam extitisse, qui acubus veneno oblitis, quos collibitum esset, pungebant ita, vt læsorum multi sine doloris sensu morerentur. Quin vt omnis suspicio offensionis abesset, nec innocentissimis infantibus pepercerunt. *Præterito anno*, inquit quidam Francofurtensis Iurisconsultus: *Comes quidam superioris Germaniæ octo veneficas, quæ CXL. interfecerant infantes, Vulcano tradidit. Anno LIII. captæ sunt Berlinæ duæ feminæ veneficæ, quæ glaciem ad perdendas fruges perficere conatæ sunt. Eæq; mulieres rapuerunt furto alterius vicinæ mulieris infantulum, & ipsum dissectum coxerunt. Factum est diuinitus, vt mater quærens infantem, interueniret, ibiq; ollam & imposita amissi infantis membra videret. Captis itaq; mulieribus, & in tortura examinatis, dixerunt: Si processisset coctio, tunc futura fuisset ingens glacies, ita vt omnes fruges perderentur.*

Godelen. li. 1. de Lamijs cap. 7.

Sprenger. p. 2. Mallei.

Ad hæc talia confirmanda, testatur Sprengerus, in Episcopatu Basiliensi & Argentinensi, duas obstetrices concrematas, quarum vna quadraginta, altera innumerabiles pueros recens natos necauisset, inditis clam in eorum capita grandibus aciculis.

Quid pueri meruêre? ætas innoxia; diri est
Dæmonis, innocuis velle nocere, scelus.

Et tamen sæpissimè, his vt insidientur, & necent, homines instigat dæmon, ob plures caussas. 1. Quia infantes sunt ad resistendum imbecilliores, & ad omnia pericula incauti. 2. Quia in-

fantes

fantes non possunt sagarum insidias deprehendere. 3. Quòd si videant, à quibus premantur, vel exsugantur, tamen nequeunt eiuscemodi lamias prodere, vel accusare. 4. Quia sic in liberis se se vindicant de parentibus iracundæ striges. 5. Quia vt ad infanticidia incitentur, diabolus eis persuadet, ex occisis infantibus multas posse haberi vtilitates, quarum vna est, vt eos effossos coquant, & deuorent. 6. Quia ex corpusculis occisorum infantum conficiunt vnguentum, quo vtuntur, quando furcis volant per aërem equitare. 7. Quia inde pulueres capiunt, quos necandis, aut cruciandis mortalibus, per plateas, & domos disseminant. 8. Quia credunt, si certo numero corda infantium exsciderint, & comederint, se patientiam indolentiamque omnium tormentorum consecuturas, adeò vt non possint perduci ad criminum confessionem. 9. Quia sic videt dæmon impediri omnia bona opera, quæ facturi essent infantes, si ad maturam ætatem peruenirent; quod præsertim timet, quando parentes sunt probi, quos putat filios suos bene educaturos. 10. Quia hoc pacto ipsas striges scit DEVM grauiter, per homicidia offensuras: quem, vt tantò atrociùs lædant, adigit eas, vt infantes baptismo priuent, nec corpora tantùm, sed etiam animas eorum perditum eant. Quod scelus augetur, si vel proprios liberos necent, & dæmoni offerant; quod hodie crebriùs fit, quàm fecerint olim Cananæi & cultores Moloch. Contra quos lex illa data est: *Homo de filijs* Leuit. 20.2.
Israël, & de aduenis, qui habitant in Israël, si quis dederit de semine suo idolo Moloch, morte moriatur: populus terræ lapidabit eum. Quo- Psal. 105. 37.
niam autem & hodie sunt, de quibus dici potest: *Et immolauerunt filios suos, & filias suas dæmonijs: & effuderunt sanguinem innocentem: sanguinem filiorum suorum; & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan &c:* Idcircò & nostri magistratus ad hoc facinus impediendum, vel plectendum deberent esse attenti, ac diligenter inquirere, præsertim in obstetrices, cuius vitæ sint, atque in eas, quæ non sine graui suspicione opportunè importunè, ad prægnantes, & ad puerperas conantur penetrare, vt vel recens natis malum parent, vel nascituris, quibus nondum visis, & sanè innocentibus parcere deberent. XII.

Verùm, qui ex patre diabolo sunt, patrem imitantur, nul-

lum vel sexus, vel ætatis, vel condicionis discrimen verentur. Qui plus nocet, excellit. Numerus facinorum, est decus facinorosorum. Quamobrem scribit Theuetus, in Africæ oppido Guzola, Elzanam quemdam spatio duorum añorum, malis artibus, plus quàm octingentos homines interfecisse. Cardanus autem memorat, circa An. Domini 1536. *Salaßiæ circiter quadraginta viros ac fœminas coniurâsse, inter quos carnifex erat, vt cùm pestis antea sæuisset, tunc verò iam mitesceret, vnguentum conficerent, quo tangentes portarum coronidas inficerent; puluerem quoq; confecisse, quem super veste clam spargerent; latuit aliquamdiu hac res, & sublati multi. Sed cùm cuiusdam nomine Neri fratrem, atq; vnicum filium sustulissent: vixq; alij quàm Domini domuum, aut filij perirent: simulq; animaduertissent androgynam se in domos insinuantem, atque eos maximè perire, quorum domus ingrederetur, deprehensa coniuratione omnes exquisitißimis tormentis necati sunt: faßi etiam, in pompa celebri diui cuiusdam decreuisse subsellijs perunctis vniuersos ciues occidere, paratasq; ad hunc vsum supra viginti ollas, tentarunt & idem alij Geneuæ pòst, dederuntq; pœnas.*

Ant. Theuet. l. 7. Cosmog. cap. 13.

Cardan. l. 15. de varietate rer. cap. 80.

XIII.

Vidit & nostra ætas eiuscemodi tragœdias, & eò res processit, vt ex Germania propemodum Thessalia facta videretur. Sed vt palàm constet, quousque diabolica, apud homines, malitia excrescat, & libido nocendi, recenset Villamontius scelerum omnium scelestissimum quiddam, cui simile fando, vix quisquam audiuit. Venetijs maleficus fuit, qui ad triremes accedere solebat, ibi, quasi miseratione tactus, stationes damnatorum & catenis alligatorum obiens consolabatur singulos, & cùm eorum labores, & diuturnam teterrimæ seruitutis pœnam, ac lamenta, milleq; audiuisset querelas; quasi misericors ac liberalis redemptor, quiritantibus promittebat liberationem, ea lege & condicione, vt illi vicissim redimenti suas animas venderent, dato chirographo, proprio sanguine notato, quo se se & dæmoni, & venefico addicerent. Pacto inito, pro singulorum anima decem aureos numerabat. Sacrilega venditio, crudelis emptio, sed rei emptæ longè immanissima possessio. Veneficus enim, ne mancipia à se empta, pactum rescindere, & condicionem possent retractare, quàm primùm ea in suam redegit potestatem, certo

Villamont. lib. 1. Itinerarij. cap. 33.

contacta



contacta veneno repentè interemit, vt & corpora pariter, &
animæ pessum irent. Quid dirius potest tota Acherontis curia
in humanam perniciem excogitare? Ait autem Villamontius, se
supplicio, quod de tam pestilente homine sumptum est, interfu-
isse. Nemo enim supplicio dignior est, quàm hoc hominum ge-
nus, quod quicumque magistratus finit viuere, reus est ipse om-
nium morborum, maleficiorum, homicidiorum, quæ in maledi-
ctis istis Orci ministris perpetrantur. *Maleficos non patieris viuere,* Exod. 22. 18.
ait ad Iudices supremus Iudex. Imp. Constantinus A. & Iulianus
Cæsar ad Taurum Præfectum Prætorio: *Etsi,* aiunt *homines magi,* L. etsi. Cod.
in quacumque sint parte terrarum, humani generis inimici credendi de malef.
*sunt, quoniam tamen, qui in comitatu nostro sunt, ipsam pulsant quo-
dammodo maiestatem, si quis magis, vel magicis carminibus assuetus,
qui maleficus vulgi consuetudine nuncupatur, aut aruspex aut ario-
lus, aut certè augur, vel mathematicus, aut enarrandis somnijs occul-
tans aliquam artem diuinandi, aut certè aliquid simile horum exer-
cens in comitatu meo, vel Cæsaris fuerit deprehensus, præsidio dignita-
tis exutus, cruciatus, & tormenta non fugiat. Si verò conuictus fue-
rit, & ad proprium facinus detegentibus repugnauerit pernegando, sit
equuleo deditus, vngulisque sulcantibus latera, perferat pœnas proprio
dignas facinore.*

CAPVT XX.

Sextam morborum, vulnerum, & extraordinariarum mortium caussam, esse etiam alios homines, qui venefici non sunt.

I.


QVid veneficos miramur, Orco mancipatos, morbos
mortesque serere? sub jugo sunt diaboli, vt sic agant,
aguntur. Damna enim, quæ etiam solus creare potest
cacodæmon, mauult plerumque inferre per suos ministros, non
tantùm, quia quædam per homines potest perficere, quæ vel non
posset, vel tam commodè non posset per semetipsum, vt dixi; sed
etiam, quia sic existimat, se maiorem DEO iniuriam impingere,
quando creaturis, præsertim baptismo tinctis & chrismate deli-
butis vtitur in ignominiam Creatoris. Multi à consortio & fa-
miliaritate monstri Acherontici abhorrent, qui non abhorrent
à con-

à consortio & familiaritate maleficorum. Itaque, quò ipse non potest accedere diabolus, ministros suos mittit, cum his loquuntur, edunt, bibunt, ab his, de quibus tam dira non suspicantur, esculenta, poculenta, & in illis venena, sine metu accipiunt; quin & hæreses, & paullatim ipsum atheismum. Vidimus multos superstitionibus & magicis artibus à socijs & commilitonibus suis astrictos, qui cum ipso, si apparuisset, dæmone fœdus num-

Exod. 7. 11. Act. 17. 8. quam pepigissent. Nec cum Moyse, nec cum Paulo Apostolo palàm congredi ausus est; ad illum Iannem & Mambrem, ad hunc Elymam misit, vt vtrique resisteret. Et sæpe etiam ipsi venefici cohorrescunt quædam agere, à quibus natura refugit; vt amicos inficere, prolem suam necare, ac similia, sed quia mancipia sunt Ditis, ad ea perpetranda verbis, minis, verberibus adiguntur. Quid igitur mirum est, si hominibus nocent, cùm ei pareant etiam alij, qui magi non sunt, vel tacitè, & sine comminatione, venena, tela, vulnera, funera suggerenti? Sic & morbi, & morborum caussæ multiplicantur; sic plures, dum veneno, aut ferro alios perdunt, peccato ipsi quoque perduntur. Satis enim est dæmoni, quocumque titulo animas ad interitum trahat. More Principis, habet in aula sua alios seruos, qui sunt intimi, & primæ admissionis; alios autem itidem suos, qui etsi non sint à cubiculis, sufficit esse à stabulis.

Nemo sibi, si non magus est, promittat Olympum,
Curritur ad Manes vndique, mille vijs.

II. Quare non opus est Medicis, non poculo Circeo, non Psyllis, aut Marsis; neque aduocanda est Dipsas anus, aut Canidia Neapolitana vnguentaria, aut Locusta citanda, quæ boletos inficiat; sine his Agrippina Claudium maritum nouit suffocare. O quot viri vxores, aut vxores maritos, aut serui dominos, immò filij parentes, hoc magistro instigante, in morbum conijciunt, qui magi non sunt? Et tamen nôrunt, quid noceat; mille sunt historiæ, exempla quotidiana. Multi enim, quod palàm, & ferro facere non audent, offis, & medicatis haustibus

1. Reg 20. 33. consequuntur. Quamquam, vt verum sit illud diuerbium. *Homo homini lupus*, non requiruntur herbæ Ponticæ, non Moeris: ira Lycaones facit; inuidia Sauli lanceam porrexit, qua peteret

Daui-

Dauidem; superbia & ebrietas Alexandrum armauit in amicos. Quid de latrocinijs, quid de bellis dicam? Quot inde saucio pede, manu, capite veniunt? si tamen veniunt. Tota valetudinaria impleta vidimus turmis vulneratorum, post vicini hostis conflictum. Quis hoc fecit? homo homini fecit. Neque in acie dumtaxat ista fiunt, sed in nuptijs, inter choreas, inter conuiuia, non iam Lapitharum, aut Thracum, sed Quiritium scyphis pugnatur; immò in ipsis curijs homines laniantur. Ibi tribus & viginti vulneribus confixus est Cæsar. Alij ne in cubilibus quidem, aut ædium suarum penetralibus securi sunt, immò in ipso *æstiuo cœnaculo* Eglon rex Moab ab Aod percussus est. Ioab ad aram frustra confugit. Non fuere venefici, qui hæc fecerunt; immò plerique amicitiam vel coluerunt, vel simulârunt, apud eos, quibus plagæ, aut cicatrices, velut quædam lemmata fuerunt humanæ fragilitatis. Artifices olim hodieque operibus suis inscribebant, *Apelles aut Phidias faciebat*: ad eumdem modum Crates, postquam Nicodromus citharœdus eius dictis lacessitus illi pugnum in os impegit, eumque suggillauit, fronti suæ imposuit tabellam, in qua scriptum erat: *Nicodromus faciebat*. Possent multi vultu pallidi, fronte laceri, oculis liuidi, brachijs aut cruribus læsi, idem inscribere: *Amicus faciebat*. Nam vna sæpe hora eosdem videt ex animo amicos, & iuratos hostes. Quare sicut antea illi omnia jucunda optabat, ita postea morbos centum imprecatus, sexcentas plagas machinatus est.

Iudic. 3. 22.
3 Reg. 2. 34.
Laërt. l. 6. c 5.

III.

Sed vincit culpam impetus animi, & præceps furor facilius veniam meretur. Illos præterire non possum, qui in studij, mensæ, ludorum, potationum socios, amicos, fratres, sæuiunt meditatò, seque mutuò per legatos, per litteras, sciente & consentiente, vel dissimulante magistratu, solennibus formulis, ad duella inuitant, prouocantque; in quibus aliud nihil quæritur, nisi vt is, cum quo dulces capiebantur cibi, vulneribus concisus deformetur, aut lethali ictu confossus, ex arena illico mittatur ad gehennam. Itaque non loquor de pugnis aut duellis licitis, in quibus, vt sanguini & exercitui parcatur, inter duos, qui committuntur ex legitimæ authoritatis pacto, victoria consistit. Qui mos fuit olim apud Palæsthinos, vt constat ex Goliæ prouocatione,

1. Reg. 17 50. tione, quem Dauid funda dejecit, singulari cum eo certamine congressus. Sic, Dubrauio teste, quando Radislaus Gurimensis Princeps Missibogij filius, per injuriam inuasit Bohemiæ fines, coactusque à suis tandem optimus rex Wenceslaus militem collegit, cùm iam dimicaturæ essent acies: *Si aliter, exclamat VVenceslaus, nisi prælio res componi nequit, cur non potiùs, sine insontium sanguine, ipsi inter nos singulari certamine decernimus? nulla sit mora, loricam super cilicinam vestem indutus, paruoq́ ensiculo succinctus VVenceslaus in arenam prodit: at Radislaus cataphractus hastatusq́, cum ingẽti machæra se infert. VVenceslaus signo crucis frontem pingens subitò angelos vidit, atq́ tunc vocem, velut ab homine promptam, audit: Ne feri: & repentè Radislaus humi procumbens, veniam audaciæ poposcit, seq́ potestati victoris permisit. Alleuans prostratum VVenceslaus monuit, data venia, & dignitate ei restituta, vt contumaciam in obsequium debitum verteret; ne pòst grauiùs ab irato Numine plecteretur.* Quid, quòd ipsa misericordiæ, & Christi Mater, An. 1326. author fuit celebris illius duelli Cambronensis, in quo perfidus Iudæus, qui sacram eius imaginem impiè vulnerauerat, à sene paralytico juuenis ipse fustibus egregiè contusus est, & superatus? Hæc ego laudibus celebranda censeo duella: nec plagæ, quæ pœnæ meritæ sunt, debent deplorari.

Dubrau. li. 5. Histor. Bohem.

Robertus Hauportius in duobus hac de re lib. eon scriptis.

IV. Illa, illa forti stilo, & censoria virgula digna sunt duella, quæ priuata authoritate, aut nulla publica vtilitate, vel ad impositorum criminum purgationem, & loco jurisiurandi, vel ex inueterata inimicitia, vel amore extemporalis vindictæ reponendæ, vel ad audaciæ (nec enim fortitudinis) famam gloriamque captandam, contra rationem, & omne jus instituuntur, ducibus belli, & magistratu, non minùs injustè, quàm indoctè consentientibus. Etsi enim, apud Francos Carolus Magnus hoc statuerit, in caussis criminalibus, (quod postea quoque ad ciuiles extensum) & apud Moschos, & Danos vsitatum fuerit, vt ex Olao Magno & Saxone scimus; attamen multi, post Pont. Innocentij III. rescriptum, tradunt, quàm plurimos, quorum caussa justissima erat, in monomachia succubuisse. Vt proinde vanum sit, & temerarium, ne dicam impium judicium innocentiæ, quod ita de armis sumitur. Quare & Susius, & Anton. Bernard. Mirandula-

l. metio. tit. 54. l. vlt. lib. 2. & l. 5. leg. Francic. tit. 4. Olaus. l. 1. c. 20. Saxo. li. 5. Innocent. III. c. 2 de purgatione vulgari. Et Rotharij

randulanus, alijque rectè docent, eiuscemodi monomachias juri naturæ repugnare. Quòd si juri naturæ repugnant, rectè Canones dicunt, omnem consuetudinem in contrarium inualidam esse: nulla siquidem legi naturali consuetudo potest præscribere. Duella etiam jure diuino & sacris litteris prohibita esse, nonnulli probant ex omnibus locis, quibus DEVM tentare, & occidere prohibemur. Clara saltem est probatio juris Ecclesiastici & diuini positiui. Quippe & olim hoc canones prohibuêre, & perspicuis verbis Concilium Tridentinum, cuius decretum huc apponere operæ pretium est. Ita loquitur:

1. regis leg. Longobard. tit. de monomachia. Ioã. Bapt. Susius lib. de iniustitia duelli. Mirandul. li. contr. Posseu. de expugnatione sing. certã. c. 2 de Cleric. pugn. in duello.

V. Conc. Trid. sess. 25. c. 19.

Detestabilis duellorum vsus, fabricante diabolo, introductus, vt cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur. Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumq; alio nomine, Domini temporales; qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint; eo ipso sint excommunicati; ac jurisdictione, & dominio ciuitatis, castri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, priuati intelligantur: &, si feudalia sint, directis dominis statim acquirantur. Qui verò pugnam commiserint, & qui eorum Patrini vocantur, excommunicationis, & omniũ bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & vt homicidæ juxta sacros canones, puniri debeant, & si in ipso cõflictu decesserint; perpetuò careant Ecclesiasticâ sepulturâ. Illi etiam, qui consilium in caussâ duelli, tam in jure, quàm facto dederint; aut aliâ quacumq; ratione ad id quemquam persuaserint, nec non spectatores, excommunicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur: non obstante quocumq; priuilegio, seu prauâ consuetudine, etiam immemorabili.

VI.

Duellicum hoc pugnandi genus, suo etiam calculo, & quidem sub excommunicationis pœna, damnauit An. 1508. Iulius II. mense Aprili, verùm quoad Romanæ Sedis subditos dũtaxat. Gregorius XIII voluit eam prohibitionem ad omnes pertinere, sicut & Concilium Tridentinum eam extenderat: & quod Concilium statuit de solenni siue publico duello, id ipse, ob easdem caussas, Anno 1582. etiam ad priuatas & non solennes duellationes hunc in modum produxit. *Crescente hominum malitia, facinorosi*

Bulla, quæ incipit ad tollend. detestabilem.

cinorosi non desunt, qui quod publicè prohibitum est, priuatim exsequi non dubitent, dum sic pœnas prædictas eludere se posse arbitrantur. Nos ad hæc euertenda pleniùs euidentiúsq́; prouidendum esse rati, considerantesq́; duellum priuatum non minùs cruentum, & animæ & corpori noxium esse, quàm quod publicè perpetratur: auctoritate Apostolicâ statuimus. (1.) Illos, qui ex condicto, statuto tempore, & in loco conuento monomachiam commiserint, etsi nulli Patrini sociiúe vocati sint ad id, nec loci securitas habita, nullaúe prouocatoriæ litteræ, aut denuntiationis chartulæ præcesserint, censuris & pœnis omnibus à dicto Concilio propositis teneri, perinde ac si publico & consulto abusu singulare certamen iniuissent. (2.) Volentes etiam locorum dominos, si certamen ex condicto huiusmodi permiserint, aut quantum in se fuerit, non prohibuerint. (3.) Omnesq́; illud fieri mandantes, instigantes, consilium vel fauorem dantes, equos, arma, pecuniam, commeatum, & alia subsidia scienter subministrantes,, aut (4.) ex composito spectatores, vel socios quouis modo se præbentes, eisdem censuris & pœnis subjacere, etiamsi illi, qui ad locum destinatum pugnaturi accesserint, impediti pugnam non commiserint, si per ipsos non steterit, quò minus illa committatur.

VII. Damnatæ huius monomachiæ multæ grauesque sunt rationes. Quia aut fiunt, purgationis caussa, aut ob vindictam, aut ob gloriam & spectaculum. Si ob spectaculum & animi caussa, aut ad ostendendum robur & animositatem, vt quondam in amphitheatro, vbi tot gladiatorum paria produxerunt Romani; aut vt fecerunt Ioab & Abner, quando *dixit Abner ad Ioab: Surgant pueri, & ludant coram nobis. Et respondit Ioab: Surgant. Surrexerunt ergo, & transierunt numero duodecim de Beniamin ex parte Isboseth filij Saul, & duodecim de pueris Dauid. Apprehensóq; vnusquisque capite comparis sui, defixit gladium in latus contrarij, & ceciderunt simul, vocatumq́; est nomen loci illius: Ager robustorum in Gabaon;* si, inquam, ob alios oblectandos hoc fiat, crudele est spectaculum & amens consilium, velle occidere & occidi, vt alij recreentur. At magna est gloria, mortem non formidare, & *agrum robustorum* locum certaminis appellari? apud eos fortasse, qui audaces putant esse fortes. At qui rectè sentiunt, ita ratiocinantur, vt existiment, quemadmodum pro sola gloria hu-

2. Reg. 2, 14

mana non est fas bellum suscipere, ita neque licitum esse duellum permittere. Maior vtique est gloria, si exercitus exercitum, populus populum vincat; at si alia nulla sit caussa, nisi gloria, injustum est bellum. Pari ergo ratione injustum erit gerere ob solum nominis honorem, duellum. Scio, quid hîc aliqui dicant, ad eos excusandos, qui videntur prouocati honorem suum posse defendere. Sed alius est longeque melior modus, si contra hostes pugnando ostendant, quis sit magis magnanimus. Plerumque videbis eos, qui, vt pro fortibus habeantur, & ab alijs tamquam timidi non contemnantur, in talem arenam, animo etiam reluctante descendunt, quando in acie classicum canitur, pallere, trepidare, post principia latere, aut etiam morbum simulare, vt habeant causam manendi extra teli jactum. Tunc, tunc ostendant, se esse viros, si volunt esse aliqui. Certè qui præsunt, permittere duella non debent, ac tot animas amittere spectaculi gratiâ, in quo etsi etiam innocentior pars subinde vincatur, tamen obseruatum est ab Abulensi, plerumque plus pati prouocantes, magisque peccare. Hinc Abner, qui primus dixit: *Surgant pueri, & ludant coram nobis*, victus est ab eo, quem prouocauerat, quia tamen *Ioab* non erat prorsus immunis à culpa, aliqui ceciderunt de parte eius; sed plures de parte Abner. Nam mortui sunt ex parte Abner 360. ex parte autem Ioab solùm 20.

Si criminis purgandi caussa duella ineantur (quod olim magis fuit in vsu) non tantùm id à Christiana pietate ac religione abhorret, verùm etiam manifestè Christo aduersatur dicenti: *Non tentabis Dominum* DEVM *tuum*. Tu quis es, vt à DEO miraculum, aut extraordinarium innocentiæ tuæ, vel alienę signum petere audeas? Esto sis innocens: hac ipsa temeritate fis nocens; vt vel idcircò te Iudex tuus meritò sinat vinci. quia *omnis actio vacare debet temeritate, & nihil est à grauitate sapientis, errore, leuitate, temeritate disiunctius*. Est autem error, leuitas, & temeritas, putare, nullum vulnerari posse innocentem, aut ita sub protectione DEI, velut sub Orci galea, latere inconsultò se morti exponentem. Apud Romanos ignominiæ caussa militibus audacioribus, qui nec animi, nec consilij satis haberent, vena soluebatur: quæ non tam pœna, quàm medicina fuit: vt superflua

VIII.

Matth 4. 7. Deut. 6.

Cic. lib 1. de officijs. Idem lib. 4. Acad.

Alexand. ab Alex. l. 2. c 13.

perflua sanguinis parte detracta, se magis intra gyrum rationis continerent. Pertundenda esset etiam his duellatoribus vena: extra rationem quippe est, ostendere te audacem, vt probes esse innocentem.

IX. Denique, si, quod nunc prô dolor frequentissimè fit, ad vulnera & funera se se mutuò prouocant, qui paulò priùs combibebant, & colludebant, & fratres, ac amici erant, quis tali amicitiæ fidat? quis eiusce modi amicum æstimet, cuius amicitia verbo vnico potest amitti, immò negatione vnius haustus, quo iam satur alteri nequit respondere? Quòd si offensio judicium meretur, sunt legitimi judices, apud quos caussam agant. Cur ipsi simul volunt esse judices & rei? cur jurisdictionem alienam inuadunt, & vsurpant? immò cur antagonistam, si tantopere deliquit, non relinquunt carnifici puniendum? Nefas est alterius vitæ clam insidiari: an palàm licebit, vt & qui suadent & incitant, & qui ad locum duelli comitantur, & qui spectant, vnà excommunicationem incurrant? Nec est dubium, dæmone instigatore, tales monomachias iniri. Gaudet enim hominum vulneribus, vlceribus, truncatione, cædibus, morbis & mortibus; sed præcipuè peccatis & exitijs animarum. Augustus Cæsar, eos, qui leuem ob caussam, periculis se exponerent, non tantùm pro insanis habebat, sed etiam dicebat, similes esse aureo hamo piscantibus: qui plus damni, amisso semel hamo, acciperent, quàm multarum capturarum lucro posset reparari. Quid isti duellatores lucrantur? nomen audaciæ & temeritatis, & spem vindictæ. Quid autem damni patiuntur? Ex periculo metum, ex ictu vulnus, ex vulnere mortem, ex morte certam animarum suarum perditionem. Nihil enim est certius, quàm tales, cum tam malo exemplo & scandalo spectatorum, cum voluntate occidendi alterum, cum clara excommunicatione, repentè, atque inter certandum morientes, æternùm damnari. Quare vel infernum esse non credunt, vel cælum non sperant, vel cæli gaudia, & inferorum supplicia nihili faciunt, meritoque pro abjectissimis & desperatissimis haberi possunt, quicumque duella indicunt, suscipiunt, ineunt. In quibus humani quoq; generis jactura est, vnde & alia inconuenientia oriuntur. Nam & noua inter pugnantiũ

Fulgos. lib. 7. cap. 2.

amicos,



amicos, & astantium fauores odia, damna, & homicidia gliscunt, & cædes cædem ferit. Quarum omnium calamitatum, etiam inter Christianos existentium, non solùm dæmon, non solùm jurati dæmonis ministri venefici, sed etiam alij homines, & vel ij maximè, qui vrbani & aulici haberi volunt, sunt authores. Ergo ad illos redeat querela, penes quos est culpa; qui ne timidi vocentur, malunt homicidæ esse, suum honorem pluris, quàm Dei legem facientes. Verè non timidi, quia audaces, vt qui Deum audent offendere, & cum Curtio, non iam in voraginem terræ, sed barathrum gehennæ insilire.

CAPVT XXI.

Septimam morborum, vulnerum, mortiumq; caussam esse ipsos homines pericula sua amantes, & adeuntes, è quibus tamen, diuina ope, sæpe mirabiliter eripiuntur, aut iustissimè perire sinuntur.



QVisquis duello se committit, periculo committit. Ipse igitur etiam sibi caussa est pereundi, si perit. Sunt quidem & aliunde pericula, quia nascuntur noxiæ herbæ, occurrunt venenati serpentes, insurgunt immanes belluæ, quæ ante Adami lapsum homini nocere non audebant, (sicut nec Danieli leones, nec Paulo vipera) postquam autem Deo inobediens fuit, nec illæ ampliùs homini paruerunt; sed his omnibus accedunt, quæ homo sibi ipse facit. Periculis itaque omnia sunt plena. Neque ideò in jus vocandus est, qui ea esse permittit, Mundi Gubernator. Ad Trophonium Deum, in Boeotia, juxta flumen Orchomenon, duo sunt fontes, quorum alter memoriam, alter obliuionem adfert; ita magnis mundi malis magna plerumque bona sunt vicina. Possunt pericula inter mundi mala censeri, sed sunt ferè bonarum virtutum caussa. Pericula plectunt temeritatem; faciunt cautos; exercent prudentiam; fortitudinem reddunt illustriorem. Atque in primis Numinis potentiam protectionemque mirificè manifestant. Temeritatis pœnam esse, Ecclesiastes docet: *Qui amat periculum, in illo peribit.* Timotheum, vt cautum faceret Apostolus, dixit: *Hoc autem*

I.

Plin. lib. 31. hist. nat. c. 2.

Eccles. 3. 27.

2. Timoth. 3. 4. *autem scito, quòd in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa.*
Periculis se cinctum, qui nouit, consilium in pectus conuocat.
Eccli. 9. 20. Qua de caussa dicitur: *Communionem mortis scito: quoniam in medio laqueorum ingredieris, & super dolentium arma ambulabis. Secundùm virtutem tuam caue te à proximo tuo.* Fortes periculis eminentiores fieri, Iason, Theseus, Hercules, apud Poëtas; Ioseph, Samson, Dauid, in sacris historijs docuerunt; & Paulus ostendit, qui *ter naufragium fecit, nocte & die in profundo maris fuit, in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus.* Hæc sunt, quæ faciunt exercitatos & illustres.
2. Cor. 11. 26.

II. Non ambienda sunt pericula, sed virtute vincenda, si vitari non possunt virtute. In glacie prouidentiùs ponuntur pedes. Procellæ clauum exigunt attentiorem. Nescirent Greci Vlyssem, Æneam Latini, si illi casus & pericula nescijssent. Sed nihil in periculis clarius ostenditur, quàm vis diuinæ potentiæ & protectionis. Formido multos tenet: grandia facerent, nisi grandia timerent. Vident, quæ immineant, non vident, quæ obtendant. Non trepidarent, si Angelum se habere custodem, si DEVM opitulatorem crederent. *Ipsi in nobismet ipsis responsum mortis habuimus,* ait insignis athleta, *vt non simus fidentes in nobis, sed in DEO, qui suscitat mortuos: qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit: in quem speramus, quoniam & adhuc eripiet.* Eripit sua mala nescientes, eripit mala amantes; quantò magis erepturus est, mala deprecantes, aut virtutis amore sustinentes? Longa dies sit, necesse est, qua omnia enumerari possint, in quibus vix nati homines vsque ad obitum periclitantur. Quot morbi infantibus sunt in promptu? quot insidiæ cunas obsident? quibus non discriminibus pueri sese obijciunt? Tantò citiùs succumbit, quantò imbecillior est ætas. Viros robur iuuat; regit prudentia, erudit experientia, & tamen quot discriminibus cinguntur? per quot ambulant pericula? quibus nec vires obstare, nec occurrere prudentia, nec experientiæ effugium monstrare potest. Solus DEVS manum porrigit, solus Genius bonus ab exitio retrahit, & (quod magis mireris) etiam exitium spontè adeuntes ab exitio sæpissimè
2. Cor. 1. 9.

simè retardat. Quod etsi non faceret, tamen immeritò accusaretur. *Qui enim*, inquit ille, *periculorum quasi inevitabilium difficultatem in hoc mundo culpat, Deum cum malo duce comparat, qui militis delectatur discrimine, aut exercitum in præcipitio collocat.* Accedit, quòd homines multa pericula vel sibi ipsi creent, vel spontè adeant. Potéstne accusare patrem filius, quem canis catena alligatus momordit ad se vltrò accedentem? Pueriliter infantes, qui se læserunt, cultrum volunt verberari, quasi ille, & non illi cultro malè vsi peccauissent. Hic claudicat, quia lapis pedem læsit: si rei veritatem vult inspicere, non lapis pedem, sed ipse lapide pedem læsit. Nec scopulus nauem frangit, sed imperitus nauclerus, qui nauem in scopulum adegit. Alius ex alto lapsus, brachium aut caput rupit: non rupisset, si non ascendisset. Arbor fragilis erat, non se credidisset eius ramo, qui oculis, quos frustra non habet, eius fragilitatem considerasset. Sunt mala pericula, vel mali caussa, sed non tanta mala, vt quemquam debeant à virtute absterrere; habent enim multa subsidia adjuncta. Vt igitur pueris, quando terrentur laruarum personis, damus eas in manus, & versatas ostendimus inanes, vt discant non timere: ita conuenit, adhibita ratione, res specie terrificas excutere, vt cùm viderimus, non esse, quod apparent, contemnamus. Quòd si autem quæsita & amata pericula nos faciant perire, culpam nobis ipsis, non Deo tribuamus. Sunt enim plurimi, qui pericula amant.

Thriuer. in Apo. 50.

III.

E multis millibus exemplum pono Maximilianum Secundum, trigesimum nonum Germaniæ Imperatorem, cuius vel ardua, vel audacia facta, in compendium contulit Germanicus Scriptor Sebastianus Francus; qui postquam multa de eo præclarè gesta memorasset, adiecit, coronidis loco, adeò eum corporis sui periculorumque fuisse contemptorem, vt heroum nullus quidquam aggredi, immò cogitare potuerit, quod ille non sit ausus facere. Recenset itaque sequentia, quæ etsi fidem humanam videantur excedere, virtutem tamen illius, vel temeritatem quoque non superauerunt. Fuit enim longè diuersæ sententiæ ab Alcibiade, qui è Sicilia Athenas accitus, vt diceret caussam capitis, aiebat, Eum esse fatuum, qui vocatus in jus quærat elabi,

Sebastian. Franc. in chron. Germ. pag. 265. in Maxim.

Plutarch. in Alcibiadis vita & Ælian. li. 13. var. hist.

cùm liceat vitare, ne eat. Maximilianus eo ingenio fuit, vt pericula mallet experiri, quàm amoliri.

IV. Vt igitur in Maximiliano perspicuum esset, plus posse ceruorum exercitum, duce leone, quàm exercitum leonum, duce ceruo; apud Salinas, in Burgundia, quingentis leuis armaturæ militibus, Gallorum sex millia, & quidem cataphractorum cecidit. Nempe Domini exercituum hæc est potentia, vt paruis magnos, & paucis multos possit sternere, si in eius Nomine pugna ineatur. Sic humilia exaltantur, & excelsa humiliantur. Vicit gigantem Dauid; Madian victus est à Gedeone *in trecentis viris*. Vnus angelus, vna nocte, *percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinq; millia*. *Quia*, vt dixit Ionathas, *non est Domino difficile saluare, vel in multis, vel in paucis*. Quod si & illi crederent, qui cuiuis rumori credunt fingenti, magnas, ad exercitum hostilem copias accessisse, non toties frustra trepidarent. Animo fortiore fuit Maximilianus, qui, teste Pirkaimero, nouem totis annis, contra varias gentes belligerans, numquam castra è campis in hiberna duxit; quocumque *venit*, *vidit* & *vicit*, & adeò ipsum etiam Philippum Palatinum, cum liberis, supplicem atq; ad genua sibi procumbentem triumphauit. Nimirum & fortitudinis est, vulnera, & mortem contemnere, pro patria; & fiduciæ magnæ in DEVM argumentum, cùm aliquid audendum est, pericula non æstimare, sed dicere: *In Deo meo transgrediar murum.*

Iudic. 7.

4. Reg. 19. 35.

1. Reg. 14. 6.

Pirkaimer in laude Germaniæ, & Ducum Saxoniæ.

Psal. 17. 30.

V. Et hæc quidem vir fecit: Iuuenis nihil inausum reliquit. Apud Brabantos, in venatione, occurrentem sibi, intra duorum collium angustias, ceruum, iamque vel insilire in aduersum Imperatorem, vel transilire parantem, stricto gladio confossum in terram retrorsum coniecit. In Sueuia, vrsam solus cum catulis suis, Arcade certior, interemit. Grauius periculum adijt in damarum venatione non solùm tunc, cum niue conglobatâ infra calceos, pedem firmare non posset, sed etiam aliàs vestigium ferro pertinaciter retinente, donec ab altero eriperetur. Notum est illud in Tyroli, vbi è sublimi scopulo redeundi spes non erat, & vnde nec dama quidem redire potuisset, cùm humano schemate eum Angelus reduxit. Monachij sexennem Leonem intuitus, & Samsonis recordatus, imitatione rictum illi diduxit nuda

Ouid. lib. 2. Metam.

manu, atque lingua illi extracta, obedientem habuit, agni instar.
Taceo aprorum fulmineorum cædem alijs quoque communem:
& illud facinus, quo manibus pedibusque reptans, per horrida
tesqua aprum secutus, eoque potitus est. In superiore Austria,
adultior factus vrsum frendentem solus strauit. In Brabantia ar-
cu tento descendens ex equo, atque calcaribus inter saliceta hæ-
rens pronus in terram lapsus, se ipsum laxato arcus jaculo perdi-
disset, nisi subito consilio faciem auertens ictum exijsset, quod
sæpiùs factum est. Aliàs feram incitatissimo equo secutus, ex im-
prouiso ad abruptam voraginem delatus, formidando, sed in-
noxio saltu, in vallem iuit: alioq; tempore equum ita à præcipijs
profundissimi torrentis cohibuit, vt retrò lapsus sessorem seruâ-
rit incolumem. Iaculaturus etiam alio tempore propè seipsum
prædam fecisset: nam arcu dissiliente, & pileus illi excussus est,
& famulus ponè stans grauiter sauciatus. Apro irruente aliquan-
do, & equo illius pedem arctiùs intra angustias premente, tan-
tum temporis non habuit, vt penitus in terram descenderet, sed,
pede altero adhuc intra stapedem hærente, vno vestigio consi-
stens aprum confodit; vti & rursus alium, quem per decliue se-
cutus nudo ense, ita festinauit, vt cadens in proprium pęnè mu-
cronem incubuerit: aliaque item vice à cane prædæ auido, quem
sanè ligatum tenuerat, ad præcipitium raptus, nisi funem ex-
templo arbori illigasset, saxo salijsset. Sic, inter discrimina, mundi
gaudia peraguntur; & homines seu ludendo, seu venando, inter
ipsas delicias suas volentes periclitantur; toties plagis, aut exitio
debiti, quoties ferè indulgent generosæ voluptati; & tamen sæ-
pissimè seruantur, nescij à quo seruentur.

Hæc venanti acciderant Maximiliano, plura alia discrimina VI.
obuenêre peregrinanti. In Brisgoia molendinum quoddam cu-
riosiùs intuens, rostrato, vt tunc gestare moris fuit, calceo de-
prehensus, circumuolutâ rotâ ad lapidem vsque attractus, cru-
rifragium subiturus erat, ni ea vi pedem retraxisset, vt medium
optimi corij calceum dirumperet. Miretur alius vires Maximi-
liani, ego miror bonitatem DEI. Videtur enim ad hunc, vel pro- Prou. 3. 26.
pter hunc à Salomone dictum: *Dominus erit in latere tuo, & cu-
stodiet pedem tuum, ne capiaris.* Quàm seria mente tunc dicere
potuit,

Psal. 17. 9. potuit, *factus est Dominus protector meus!* Sicut &, quando in
Flandria, ruptâ, sub pedibus, glacie à flumine haustus fuisset, nisi
corporis agilitate mira, retrorsum se, saltu ingenti, in ripam li-
brasset, famulo in aquas cadente; quem tamen ipse quoque manu
sua extraxit. Hæc pleraque iuueni euenêre minùs prospectè,
vel ob ætatem, curioso; qui vt ipse Achatem suum, ne suffoca-
Psal. 26. 1. retur, liberauit, ita & ipse quoque canere debuit: *Dominus pro-
tector vitæ meæ.*

VII. Vir factus, in Sueuia, altissimam conscendit turrim, vt
inde prospectum latè campis peteret. In summa turri cùm esset,
summum adijt periculum, tres enim gradus vetustate, imbribus
& putredine vitiati, eo superstante, rupti, in 30. cubitorum pro-
funda eum conjecissent; nisi Devs supposuisset manum, eumq;
mirabiliter nec sine prodigio retinuisset. Vlmæ in summa turri,
prominens extra subjectum murum ostenditur margo, cui tan-
tùm vno eoque medio dumtaxat pede insistens, cum formidine
& horrore spectantium, liberum sesquipede aërem mensus est.
Paulò tamen infeliciùs ad Oenum, per trabem ex ædificio pro-
currentem, instar alatæ volucris ambulans, ligno repentè fra-
cto, mortalem ruinam fecisset, nisi in ipso casu columnam ponè
assurgentem apprehendisset. Domûs igitur columna, Imperij co-
lumnam seruauit. Inibi etiam nocturno itinere cum equo, in
lubrica glacie cecidit, & ephippio, in plurimas diffracto partes
ipse sessor incolumis euasit. In Hollandiam nauigans, malo vehe-
mentia ventorum abscisso, atque in mare prolapso, formidabili
tempestate sæuiente, tam propè à morte, quàm à fluctibus ab-
fuit. Quod & alia vice factum est; Quin & tertiò glacie nauem
frangente, cuius rimas nautæ exutis vestibus obturauerunt.
Nec aquis tantùm expositus, sed ignibus etiam fuit. Tormentum
bellicum, in Austria, pyrio puluere ipse impleuerat, admotaq;
lucerna, num benè id fecisset, exploraturus, puluerem per im-
prudentiam incendit tanta vi erumpentem, vt candelabrum
illi è manu excuteret. Intra Tyrolenses montes equitans, aliàs
à tribus niuium ingenti mole è monte delabentium conglobatis
orbibus, aliàs, à saxo, haud exigua montis parte, pænè obru-
tus obtritusque est. Hoc periculum non longè abfuisse, indicio
sit,

sit, quòd lapis cadens pileum de capite eius abstulerit, ipso illæso. Trajecti irruentes in se leones, ad quos vltro intrauit, in fugam conjecit. Aliquando, per jugum montis præalti equitans, territo equo, propè in subjectam vallem præcipitatus, ipse nescijt, cuius manu fuerit sustentatus. Nondum finij. eiusmodi 72. casus illi acciderunt, quos idem Author summatim recenset, ego breuitatis studio, lectorem ad illum remitto. Mihi enumerati sufficiunt, ad ostendenda pericula, quibus vel ipse se objecit Imperator, vel quæ se Imperatori objecerunt.

VIII.

Ex his omnibus illud doceri potest, culpam non Numini, sed Imperatori fuisse dandam, si quid incommodi illi accidisset. *Qui amat periculum, in illo peribit*, vel dignus certè est perire. Eccles. 3. 27.

Nemo se tutè
Periculis offerre tam crebrò potest,
Quem sæpe transit casus, aliquando inuenit.

Senec in Hercule furente.

Et citiùs inuenitur periculum, cùm contemnitur. Itaque vitanda, non amanda sunt pericula, quando nulla vel fidei Christianæ profitendæ, vel patriæ defendendæ, vel alterius emolumenti necessitas id suadet. Quamquam multi, sine his caussis, se se discrimini sæpe objiciunt, quos curiositas ducit, aut allicit voluptas, vel certè exigua inuitat vtilitas. Sed quæ summa DEI bonitas est, ita sinit nonnumquam etiam istos homines periclitari, vt eis quoque ipsis velit auxiliari, ostendit enim & potentiam, & prouidentiam suam, qua mortales tuetur, & allicit ad opem diuinam, in necessitatibus implorandam. Quod tamen in Sanctis potissimùm facit, qui amore illius, mille se periculis ipsos obijciunt. Iam incipiebat mergi Petrus, super aquas ambulans, *clamauit dicens: Domine, saluum me fac. Et continuò* IESVS *extendens manum, apprehendit eum.* Bono zelo, & non, nisi potestate obtenta, se conjecerat in mare Apostolus, sed cùm animo titubaret, & cui se discrimini credidisset, humanis rationibus examinare inciperet, cœpit mergi. Inde excitatus ad sacram ancoram, ad Saluatorem IESVM confugit, & erectus est. Hac spe etiam se sustentauit Paulus, & ad Corinthios scripsit: *Non enim volumus vos ignorare, fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniam supra modum grauati sumus supra virtutem, ita vt taderet*

Matth. 14. 30.

2. Cor. 1. 8.

nos

nos etiam viuere. Sed ipsi, in nobismetipsis responsum mortis habuimus vt non simus fidentes in nobis, sed in DEO, qui suscitat mortuos: qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit: in quem speramus, quoniam & adhuc eripiet, adjuuantibus & vobis in oratione pro nobis. Hac fi-
1. Cor. 15, 30. ducia & spe insuper retributionis armatus alibi dixit: *Vt quid nos periclitamur omni hora? quotidie morior*, seu mortis periculis, pro Euangelio & Gentium conuersione, me expono. Qualibus
2. Cor. 11, 25. periculis? suprà iam attigi, & ipse recensuit. *Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui: in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, &c.* Et ex his omnibus eripuit eum Dominus. Magna hinc fiducia Sanctis accedit, vt non timeant, si vel mille aduersus eos castra consurgant. Quid ni pugnet pro eis DEVS, si ipsi pro DEO pugnant?

IX. Quæ fiducia tantò fit auctior, quantò quisque dignior est, vt ei succurratur. Si enim non meritis, si non Christi, sed mundi caussa, si caussa curiositatis, vel oblectationis, pericula adeuntibus adest DEVS tam frequenter, vt in periculis protegat, cur non adesset seruis suis? Mirati sunt autem dudum plures, in valde ancipiti casu, DEVM mortalibus, omnia alia, quàm DEI negotia agentibus adesse. Sed animaduerterunt nonnulli Scriptores, præcipuè Reges, Principes, magnosque viros, in præsentissimis periculis, & insidijs, DEVM custodem habere singularem. Quod etsi exemplo Maximiliani II. Imperatoris, paulò priùs docuimus, libet tamen etiam pauca alia addere. De Tito Vespasiani filio, euidenti se se periculo exponente, cùm, ante obsidionem vrbis Hierosolymitanæ, situm ciuitatis exploraret, refert Iosephus, eum in insidias Iudæorum incidisse, additque: *Quo quidem tempore maximè intelligi potuit, & belli momenta, & Imperatorum pericula DEVM curare. Tot enim aduersus Titum missilibus jactis, cùm neque galea, neque thorace septus esset (non bellator enim, sed explorator accesserat) nullum in eius corpus delatum est; sed tamquam, ne eum ferirent, ex industria mitterentur, omnia præteruolabant; gladio verò semper è lateribus instantes dirimens, multosque ante ora subuertens, super cadentes agebat equum. Illorumque autem clamor erat, propter*

Ioseph. de bello Iudaico lib. 6. c. 2.

*audaciam Cæsaris, vt eum aggrederentur, cohortatio, fugaq́; & dis-
cessio repentina, quocumq́; diuerterat cursum.* Poterat Titus teme-
rarius videri, & fortasse erat, cùm tam propè ad vrbem & hostem
accessisset, sed apparuit nihilominus diuina in eo tutela, quia ef-
ficiebat opus, quod à Christo prædictum est, & Diuinâ iustitiâ
ad occupandam vrbem Hierosolymitanam, & subigendos pu-
niendosque Iudæos, decretum. Quare non est mirandum, si
quando via impiorum prosperetur; si etiam in Catholicis plecten-
dis, hæretici, aut alij ipsi pœna digni, per tela, per ignes, per mille
rerum discrimina transeunt impunè. Flagellum sunt Dei, suo
tempore demum in flammas proijciendum.

Edita est An. 1599. Latinè conscripta conspiratio, & euen- X.
tus eius, quæ Anno CIↃ.IↃC. 5. Augusti in caput Iacobi VI. re-
gis Scotiæ instituta est Perthi, nec sine clara protectione diuina
accidit. Ex venatione rex incautus atque inermis ab Alexandro
fratre Comitis Gauriæ, præfecti regij, Perthi, eò, cum paucissimis
familiaribus, meris persuasionibus attractus, in fratrum & con-
iuratorum insidias præparatas, in quodam cubiculo, solus in-
cidit. Iam captus tenebatur; iam vndique telis & sicarijs cinctus
mortem ante oculos videbat. Sed longa iam dudum experientia
testatur, plerumque exulceratæ conscientiæ & malè feriatos ho-
mines, cùm graue aliquod facinus meditantur, ac præsertim,
quando ad magnorum virorum necem conducuntur, metu per-
turbari, pusillanimes fieri, stupidosque & vecordes reddi. Quem-
admodum, qui in sua functione manent, suosque dominos fide-
liter defendunt, ijs, præter vires etiam fortitudo, præsens ani-
mus, & robur, bona conscientia & caussa animum & robur con-
firmante, accedit. Itaque cùm Iacobum regem cubili solo clau-
sum sicarij circumstarent; vnius atque alterius impetum, partim
maiestate sua & eloquentia fregit; partim contra aliorum vin-
cula intentata, se viribus, & nixu lacertorum, itemque clamando,
se liberum natum, liberum etiam moriturum, defendit. Andreas
autem Hunderiortus, qui regem interficere debebat, cùm fra-
trem Comitis Alexandrum stricto pugione regi necem minari
videret, tremebundus, timore ita est concussus, vt condemna-
to, quàm deputato ad tale facinus patrandum similior videri

possent. Quæ res occasionem præbuit, vt pauci familiares non tam armis, quàm præsenti animo, & bona conscientia armati instructique iuuarent. Nam illa exigua mora interposita, qua Iacobus clamauit: se liberum natum, liberum etiam moriturum: quatuor è familiaribus illius, vnus post alium, diuersis è locis in auxilium venerant, & octo, vel plures conjuratos, ab armis instructissimos, vel interfecerunt, vel abegerunt malè multatos, rege incolumi conseruato. Sublatis itaque interfectisque capitibus conjuratorum, ceterisque remotis & fugatis, diuulgato regis periculo, numerus aulicorum auctus est. Rex autem ab insidijs & proditione in tutum constitutus, præsens auxilium Numinis agnoscens, in medio aulicorum; in genua supplex procubuit, Deoque pro liberatione tam prodigiosa, etiam insperata victoria, prolixè gratias egit. Et quia à tanto malo incolumis seruatus fuit, non dubitauit, frustra id Devm non fecisse, sed se ad maiora opera seruasse.

XI. Iustinian. lib. 6. de reb. Ven.

Refert Iustinianus de rebus Venetis, Cremonæ, apud Gabrinum Fundulum eius vrbis Abduanæque glareæ dominum, vno tempore Ioannem XXII. Pontificem Maximum, Sigismundum Cæsarem, & Mocenicum Legatum absentem delectum Principem Venetum, simul conuenisse. Vbi inde discesserunt, Gabrinus sæpe postea seipsum parum mentis compotem appellauit, quòd tres summos Principes orbis, Romanum Pontificem, Germanum Imperatorem, & Venetum Ducem, cùm eos in potestate habuisset, & intercipere potuisset, tamen liberos dimisisset.

Gen. 19. 11.

Nimirum, quemadmodum olim Devs, vt Lotum, eiusque familiam intaminatos seruaret, Sodomitas cæcitate percussit, ne limen domus ingressumque inuenirent; ita hodieq; multos alijs nocere cupientes excæcat, ne noceant, aut videant, vbi nocere possint. Vtinam & nos non cæci essemus, qui quotidie ab innumeris periculis, immò singulis horis defendimur, & tamen non agnoscimus diuinam protectionem, neque cum Iacobo Scotiæ rege in genua procumbimus, vt Seruatori nostro Deo, Angelo custodi, Diuisque tutelaribus gratias laudesque persoluamus. Potuissemus, sicut Sisara, & Holofernes, somnum cum morte jungere; potuissemus de lecto, de scalis cadere, & bra-

chium,

chium, aut crura frangere; potuissemus araneam in offa ac jentaculo, rubetam in prandio, napelum in merenda aut cœna sumere; potuissemus à combibonibus, à militibus, à latronibus ferro, claua, poculis & cantharo sauciari; potuissemus, rupto ponte, vel glacie, aquis mergi; denique accidere nobis potuit, quidquid vmquam audiuimus alijs accidisse. Omnes morbi, omnes insidiæ, omnes nos casus, qui alios inuoluerunt, nos quoque comprehendere potuissent. Non comprehenderunt. diuina fuit protectio, Angeli custodia. Accepimus beneficium, non sensimus; debitum, non beneficium esse arbitrati sumus. Hinc illę Conditoris nostri sunt querelæ: *Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* Item: *Decem mundati sunt, & nouem vbi sunt?* Aliter Dauid egit, qui seipsum ita est allocutus: *Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius.* Aliter Paulus docuit, dicens: *In omnibus gratias agite.* itemque: *Gratias semper agentes, pro omnibus, in nomine Domini* IESV *Christi* DEO *& Patri.* Aliter S. Augustinus scripsit: *Recolam ad mentem meam omnia bona, Domine, quæ fecisti mihi à juuentute mea, in omni vita mea.* Aliter etiam S. Hieronymus, qui ait: *Christianorum propria virtus est, etiam in his, quæ aduersa putantur, referre gratias Creatori. Qui sibi sanctiores videntur, solent* DEO *referre gratias, quòd de periculis vel miserijs liberati sunt. Sed juxta Apostolum hæc virtus est maxima, vt in ipsis periculis atque miserijs* DEO *gratiæ referantur, & semper dicamus: Benedictus* DEVS, *minora me scio sustinere, quàm mereor, hæc ad mea peccata parua sunt, nihil mihi dignum redditur.* Aliter quoque S. Ambrosius, qui certa quoque tempora describit, quibus DEO gratiæ sint agendæ. *Qui est vtilis Christianus, semper debet Domino suo laudes dicere, & in eius gloriam omnia procurare, sicut ait Apostolus: Siue manducatis, siue bibitis siue aliud quid facitis, omnia in gloriam* DEI. *Ergo cùm in diluculo surgimus, debemus priusquam procedamus è cubiculo gratias agere Saluatori, & ante omnes actus sæculi, actus habere pietatis, qui nos quiescentes & dormientes in lectulis custodiuit. Vt enim ego securiùs dormiam, ille peruigilat: sed & cùm vespera diem claudit, ipsi debemus per psalterium laudem dicere, & gloriam eius modulata suauitate concinere. Hoc enim non solùm docemur ratione, sed etiam admonemur exemplis. Nonnè enim videmus*

Isa. 1. 2.
Luc 17. 17.
Psal. 102. 2.
1. Thessal. 5. 18.
Ephes. 5. 20.
S. Augustin. lib. Soliloq. cap. 18
S. Hieronym. in epist. ad Ephes. 5. 20.
S. Ambros. serm. 43.

videmus minutissimas aues, cùm diem aurora producit, in quibusdam nidorum cubiculis varia dulcedine personare, vt Creatorem suum, quia loquela non possunt, suauitate demulceant? aues propter vilissimas escas, gratias agunt, tu pretiosissimis epulis pasceris, & ingratus es? imitare ergo frater aues manè & vesperi Creatori gratias referendo. Et, si es deuotior, imitare lusciniam, quæ & nocturna spatia peruigili cantilena decurrit. Ad quid tot gratiarum actiones? nisi quia non possumus gratias agere sufficientes, cùm singulis horis, imò momentis beneficijs diuinis cumulemur, & periculis innumeris eripiamur, aut ab ijs præseruemur.

XII. Per mare rubrum & Israëlitæ, & Ægyptij transire voluerunt: hi mersi & fluctibus cooperti sunt, illi illæsi & sicco vestigio transierunt. Nimirum alio pacto impij & mali, alio Dei serui in periculis versantur. Sicut enim Israëlitæ à Deo jussi in viam illam intrârunt; ita Ægyptij spontè, & animo persequendi, semitis illis institerunt. Hinc illi intra ipsos fluctus incolumes seruati sunt, Pharao autem cum exercitu, & omnes Ægyptij perierunt. Ad eumdem modum quotidie contingit hominibus periclitari. Alij, vt Dei legibus & mandatis pareant, vt fugiant malas societates, vt se non inebrient, vt injusta non approbent, vt fidem orthodoxam non negent, de fortuna, de sanitate, de vita periclitantur; quare se minis, insidijs, tyrannis exponunt, & cum Apostolis (Actor. 5. 40.) *cæsi* eunt *gaudentes*, & Deo gratias agentes, *quoniam digni habiti sunt, pro nomine* Iesv *contumeliam pati*. Hi, sanguine quoque effuso, velut per mare rubrum, euadunt ad littus & portum æternę beatitatis. Qui verò secuti Pharaonē temerè & maleuolè intrant in medios fluctus, seque omni periculo spontè & vltro exponunt, an non digni sunt, vt & vulnera & mille damna patiantur? Tan- (Osee. 13. 9.) toque magis illis dici potest: *Perditio tua, Israël; tantummodo in me auxilium tuum*; quia etiam temerè pericula adeuntes toties seruat; quid mirum est, si auxilium non agnoscentes, si toties ad scopulum recurrentes, si etiam, ne cadant, retinere volentem (Eccles. 3. 27.) blasphemantes tandem sinat ire, & perire? *Qui amat periculum, in illo peribit.* Canem quidam molitor habebat, qui feruentiore sole æstuans, vt se refrigeraret, ex alta ripa in concitum flumen salire amabat. Facilis descensus erat, sed difficile gradum reuocare.

care. Cùm ergò aquis innatando fessus esset, latrare incipiebat. Accurrit molitor, & in terram pronus porrecta manu eum aliquoties extraxit, ne rapido alvei impetu superatus atque abreptus in Molendini rotas incurreret, ac laceratus in profundum iret. Aliquando eòdem delapsum vidit, denuoque humi prostratus manum extendit ad eum extrahendum; sed canis, quia diutiùs se se refrigerare, & in aquis ludere cupiebat, manum molitoris momordit, ne extraheretur. Indignatus igitur molitor ingratæ bestiæ, illinc discessit; neque postea, eo multùm latrante, rediuit ad ripam. Præualente igitur aqua, & lassatis viribus, in rotas abductus, miserè perijt, molitore nihil ampliùs mordacem bestiam curante. Quoties hoc hominibus contingit? Spontè de saxo saliunt. Spontè in fluctus se spargunt. Sponte ad cauponas eunt, vbi post pocula lites, rixæ, cædes reperiuntur. Sponte eunt, vt se noxio nimioque potu refrigerent; sponte lupanaria adeunt, vbi riualibus se sauciandos exponunt. Aliquoties inde à parentibus, magistris, bonis socijs, quin & Confessarijs extrahuntur. Inciderunt aliquoties in dolores capitis, in stomachi cruditates, in febres; & inde quoque arte medica extrahuntur. Sed toties itur in antiquam siluam, vt tandem consuetudine potandi, rixandi, scortandi contracta, non sinant se ampliùs extrahi; immò vt extrahere, monendo, adhortando, rogando, obseruando, increpando volentes mordeant, dictis pessimis differant, ac demum etiam calumnijs, imprecationibus, blasphemijs lacerent. Quid ni tales à mortalibus & immortalibus pariter deserantur? Quem isti tandem accusabunt? diabolos? homines? DEVM? nequaquam. Ipsi sibi sunt suorum morborum, ipsi suorum vulnerum, ipsi suorum exitiorum caussa.

Quod insigniter expressit Musæus Poëta, in fabula illa, aut XIII.
fortasse historia Leandri & Erûs, quam heroico descripsit carmine. Hellespontiacum mare, septem tantùm stadijs, teste Plinio, Europam ab Asia diuidens, Seston in Europa Erûs patriam, & Abydon in Asia, ex qua fuit Leander, aduersas vrbes habet. Cùm itaque Leander Abydenus Sestiam puellam Ero, siue Hero miserè deperiret, non dubitauit, se mari committere, & nocte per Hellespontum ad eam in Sestum transnatare. Quod vbi aliquo-

ties non infeliciter cecidisset, iam audacior factus etiam mari tumido & impacato ausus est se credere, sed vi ventorum fluctuumque victus, ac tandem obrutus perijt. Vides canem in aquas, & pericula insilientem? vides aliquoties extractum è tot fluctibus? sed non fuit illi satis periculosum mare: etiam ventos & procellas in suum interitum prouocauit. Tandem igitur magnus natator perijt. Quia *qui amat periculum, in illo peribit.* Nec virorum tantùm ea est audacia, sicut Erûs amore Leander, ita Phyllis amore Demophoontis insaniuit, vt spreto omni periculo, in aquis vellet perire. Ita enim ait;

Ecclesi. 3. 27.

Ouid. ep. 2. Phyllid. ad Demophoont.

In freta procurro, vix me retinentibus vndis,
Mobile quà primas porrigit aequor aquas.
Quò magis accedunt, minùs, & minùs vtilis asto,
Linquor, & ancillis excipienda cado.
Est sinus adductos modicè falcatus in arcus,
Vltima praeruptâ cornua mole rigent.
Hinc mihi suppositas immittere corpus in vndas
Mens fuit, & quoniam fallere pergis, erit.
Ad tua me fluctus projectam littora portent,
Occurramq́, oculis intumulata tuis.

Vides iterum canem in aquis perire cupientem? Leandrum & Phyllidem in pericula sua ire quis coëgit? amor voluptatis; alios adigit amor potandi, vt proinde suos morbos, suasque mortes sibimet debeant ipsis ascribere. Sed hoc genus argumenti, per suas species est discutiendum.

CAPVT XXII.

Octauam morborum caussam, esse homines, non iam alijs, sed sibimet ipsis, per sua vitia, morbum accersentes.

I. Hippocrat. lib. 1. de morb.

Erè Hippocrates scripsit: *Quaecumque necessitatem habent, vt fiant in morbis ac vulneribus mala supra mala, ea vbi fiunt, in medicum culpam reijcimus, & necessitatem talia fieri cogentem, non agnoscimus.* Homines enim si sentiant sibi morbos supra morbos accedere, naturam, medicum, DEVM ipsum accu-

accusant, neque in proprium sinum inspiciunt, vt morborum
suorum veram originem deprehendant. Naturam accusant fra-
gilem, quam ipsi faciunt fragiliorem. De medicorum queruntur
imperitia, & suæ intemperantiæ obliuiscuntur. DEVM immi-
tem arbitrantur, qui eos sinat malè valere, cùm ipsi sibi sint
crudeles, & morbos mortesque vltrò accersant. Neque enim tan- Hippocr. lib.
tùm periculis, sed etiam caussis morborum se se propinant. *Mor-* de flatib.
borum omnium, inquit Hippocrates, *vnus & idem modus est: locus*
verò ipse eorum differentiam facit. Quare videmus quidem morbos
inter se nihil simile habere, propter diuersitatem scilicet locorum, cùm
sit tamen vna morborum & species, & caussa quoq; eadem. Nempe
eadem prauorum humorum disturbatio & pugna, aut sanguinis
corruptio in diuersis corporis partibus, quarum temperies dissi-
milaris est, apta etiam atque potens est efficere morbos diuersos.
Sic, si generatim loquamur, turbatio inordinatioque mentis, &
prauus appetitus in diuersis hominibus, quorum alij aliter affi-
ciuntur, potest, soletque diuersos iisdem creare morbos, quibus
minùs indignarentur, si cogitare vellent, à sua culpa vitijsque
proficisci.

II. Pigro, cui supplicij loco labor est, quies sua non solùm dul-
cis videtur, verùm etiam salutaris. Sedendo, otiando, stertendo
pinguescit, sicut glis montanus. Quid igitur? Num idcircò
morbos vitat? immò nutrit. *Malè mihi esse malo, quàm molliter,* Senec. ep. 35.
ait Seneca. *Si mollis es, paulatim effeminatur animus, atq; in simi-*
litudinem otij sui, & pigritiæ, in qua iacet, soluitur. Subscribit Isido- Isidor. lib. 2.
rus, cuius hæc sunt: *Per torporem vires & ingenium defluunt.* Alius soliloquior.
est desidiæ affectus, alius effectus. *Torpor & ignauia dicunt: si le-* S. Augustin. lib. de con-
ctioni, continuato studio, semper insistis, oculorum caliginem incurris. flictu vitior. & virt. 9.
Si indesinenter lachrymas fundis, ipsos etiam oculos amittis. Si prote-
latis vigilijs psalmorum censum persoluis, insaniam capitis acquiris. Si
quotidiano labore te conficis, ad opus spirituale quando consurgis? Hic
est ignauiæ affectus. Effectus autem quis? *Ignauia nemo immor-*
talis factus est, ait alio quidem intellectu Sallustius, sed etiam no- Sallust. in Iugurtha.
stro verissimè. Quia, teste Demetrio, *in otio inconcusso iacere non* Senec. ep. 68.
est tranquillitas, malacia est, qui & vitam desidiosam *mare mortuum* ad Lucilium.
vocat. Vt ergo aquæ stagnantes, quæ non commouentur, citiùs

putrescunt; ita nemo faciliùs ægrotat, quàm qui minimè laborat. Ambulans, currens, sudans, multos noxios dissipat humores qui in varias corporum pestes colliguntur. Frigora, æstus, imbres, niues, tempestates rident, qui aratro assueuerunt. Delicatos, quæuis asperior aura afflans deijcit. Cui ergo ascribendum est, si caput statim dolet pigro? si pondere venter pęnè rumpitur? si aqualiculus *pingui tentus omaso* non sinit respirare ambulantem? Si stomachus crudo cibo oneratur? Si lacerti languent frigore? Si pedes vix possunt tolli ad gradiendum? Etiam fax immota torpet, quæ ignem agitata restituit. Antiquum verbum est: *Emollit otiũ vires, sicut rubigo ferrum.* Quod Mantuanus quoque his versibus monuit:

Horat. lib. 2. serm. sat. 5.

Bapt Mantuan. lib. 1. Parthen.

Calcar erit segni; pigros rubigine sensus
Otia corrodunt, sopitaq; pectora torpor
Noxius obliquat. Ferrum si transit in vsus,
Assiduo splendore micat, vultuq; nitenti,
Audet ad argenti decus aspirare superbum.
At si longa quies ierit, fuscatur, & atram
Vertitur in scabiem, celeriq; absumitur æuo.

Multi sessitando ægroti facti, ad sanitatem redierunt, postquam cursu, pila, venatione, aut alio vtili labore corpus cœperunt exercere. Pigritia igitur, quia culpabilis & pœna digna est, seipsam morbis plectit, quibus careret, si laborare voluisset.

III. Quid ira valetudini noceat, vel ipse color indicat vultibus horum inductus. Animo calente, facies quoque calet,

Senec. in Thyeste.

Cùm spirat ira sanguinem, nescit tegi,

Senec. li. 1. de ira, cap. 1.

sed fronte tota, quod spirat, profitetur. *Nescias*, ait Seneca, *vtrùm magis detestabile vitium sit, an deforme. Cetera licet abscondere, & in abdito alere: ira se profert, & in faciem exit: quantoq; maior est, hoc efferuescit manifestiùs.* Ac paulò suprà: *Vt autem scias, non esse sanos, quos ira possedit, ipsum illorum habitum intuere. Nam, vt furentium certa indicia sunt, audax, & minax vultus, tristis frons, torua facies, citatus gradus, inquietæ manus, color versus, crebra, & vehementiùs acta suspiria: ita irascentium eadem signa sunt. flagrant & micant oculi, multus ore toto rubor, exæstuante ab imis præcordijs sanguine; labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent, ac subi-*

*guntur capilli, spiritus coactus ac stridens, articulorum seipsos torquen-
tium sonus, gemitus mugitusq́; & parum explanatis vocibus sermo
præruptus, & complosæ sæpius manus, & pulsata humus pedibus, & to-
tum concitum corpus, magnasq́; minas agens, fœda visu & horrenda
facies deprauantium se, atq; intumescentium.* Nec Philosophus tan-
tùm, sed etiam Poëta id deplorauit, dum ita cecinit: Ouid. lib. de arte.

Ora tument ira, nigrescunt sanguine venæ,
Lumina Gorgoneo sæuiùs angue micant.

Quis tales non judicet furere, & longè veriùs ægrotare? *Ægros
scimus neruos esse*, ait idem Philosophus, *vbi inuitis nobis mouentur.* Senec. l. 2. de ira cap. 35.
*senex, aut infirmi corporis est, qui cùm ambulare vult, currit. animi
motus eos putemus sanissimos, validissimosq́;, qui nostro arbitrio ibunt,
non suo ferentur. Nihil tamen æquè profuit, quam primùm intueri de-
formitatem rei, deinde periculum. Non est vllius affectûs facies turba-
tior. pulcherrima ora fœdauit, toruos vultus ex tranquillissimis red-
didit. Liquit decor omnis iratos: & siue amictus illius compositus sit ad
legem, attrahet vestem, omnemq́; curam sui effundet. Si capillorum na-
tura vel arte jacentium non informis est habitus; cum animo inhorre-
scunt, tumescunt venæ, concutitur crebro spiritu pectus, rabida vocis
eruptio colla distendit tunc artus trepidi, inquietæ manus, totius corpo-
ris fluctuatio. Qualem intrà putas esse animum, cuius extrà imago
tam fœda est? quanto illi intra pectus terribilior vultus, acrior spiritus
est, intensior impetus, rupturus se nisi eruperit? Quales sunt hostium
vel ferarum cæde madentium, aut ad cædem euntium aspectus; qualia
Poëtæ inferna monstra finxêre, succincta serpentibus, & igneo flatu;
quales ad bella excitanda, discordiamq́; in populos diuidendam, pacemq́;
lacerandam, tæterrimæ inferûm exeunt Furiæ: talem nobis iram figu-
remus flammâ lumina ardentia, sibilo mugituq́;, & gemitu & stridore,
& si qua his inuisior vox est perstrepentem, tela manu vtráq; quatien-
tem. neq; enim illi tegere se, cura est toruam cruentamq́;. & cicatrico-
sam, & verberibus suis liuidam, incessibus vesanis, offusam multa cali-
gine, incursitantem, vastantem, fugantemq; & omnium odio laboran-
tem, sui maximè: si aliter nocere non possit, terras, maria, cælum ruere
cupientem, infestam pariter, inuisamq́;, vel si videtur, sit qualis apud
vates nostros est:*

Sanguineum quatiens dextra Bellona flagellum,

Aut ſciſsâ gaudens vadit Diſcordia pallâ.

Aut ſi qua magis dira facies excogitari diri affectus poteſt. Quibuſdam,
vt ait Sextius, iratis profuit aſpexiſſe ſpeculum. perturbauit illos tan-
ta mutatio ſui: velut in rem præſentem adducti non agnouerunt ſe, &
quantulum ex vera deformitate imago illa ſpeculo repercuſſa reddebat?
animus ſi oſtendi, & ſi in vlla materia perlucere poſſet, intuentes nos
confunderet, ater, maculoſusq́; æſtuans, & diſtortus, & tumidus. Nunc
quoq; tanta deformitas eius eſt per oſſa carnesq́; & tot impedimenta ef-
fluentis: quid ſi nudus oſtenderetur? ſpeculo equidem neminem deter-
ritum ab ira credo. quid ergo? qui ad ſpeculum venerat, vt ſe mutaret,
iam mutauerat. Iratis quidem nulla eſt formoſior effigies, quàm atrox
& horrida, qualesq́; eſſe, etiam videri volunt. Magis illud videndum
eſt, quàm multis ira per ſe nocuerit. Alij nimio feruore rupêre venas,
& ſanguinem ſupra vires elatus clamor egeſſit, & luminum ſuffudit
aciem in oculos vehementiùs humor egeſtus, & in morbos ægri recidêre.
nulla celerior ad inſaniam via eſt. multi itaq; continuauerunt iræ fu-
rorem; nec quam expulerant mentem, vmquam receperunt. Aiacem
in mortem egit furor, in furorem ira. Sed quid è fabulis exem-
1. Reg. 16. 14. pla petimus? Saulem odio inuidiaq́ue flagrantem quoties ſpiri-
tus malus inuaſit, & miſeris modis exagitauit?

IV. Vidimus ſæpe homines iratos, effuſa bile, etiam in poda-
gram incidentes, & quòd irâ hoc malum accerſiuiſſent, ſibi ipſis
ob iram iraſci. Vidimus homines ita per choleram immutatos,
vt omnium membrorum contractionem paterentur. Queruntur
de podagra, cur iraſcuntur? ſedabunt podagram, ſi ſedent iram.
Lamenta iterant, quòd ſe mouere non poſſint; poterunt ſe mo-
uere, ſi ira non moueantur. Pari modo alij odio contabeſcunt,
alij inuidia rumpuntur; non inuideant, nihil eos rumpet; odia
abijciant, & tabem abijcient. Hæc autem, quàm diu ſeruabunt,
Valer. Max. ſeruabunt cauſſam morbi & doloris. *Ira quoq; & odium*, ait Va-
lib. 9. cap. 3. lerius, *in pectoribus humanis magnos fluctus excitant: procurſu cele-*
rior illa, nocendi cupidine hoc pertinacius. Vterq; conſternationis ple-
nus affectus, ac numquam ſine tormento ſui violentus: quia dolorem,
cùm inferre vult, patitur, amara ſolicitudine, ne non contingat vltio,
anxius. Quàm multi ſunt, quos ira, odium, & vindictæ appeti-
tus non ſinit dormire, aut quietem capere? Denique ira, odium,

vindi-

vindicta, ipsa quoque vindicta, & quæcumque hominem in perniciem hominis instigant, priùs eum sauciant, à quo exeunt, quàm quem petunt. *Inuidus* certè *se ipsum*, vt Democritus dixit, *tamquam hostem offendit*. Hinc & liuidus vocatur, quia ipso liuore prodit se percussum antè, quàm percutiat. Nec sine caussa, in fabulis Apollo dicitur inuido & auaro copiam fecisse petendi, quod vellent, sed id, quod petijssent, ratum non habiturus, nisi, quod sibi alter petijsset, alteri duplum præstaretur. Cùm autem auarus nullo pacto induci potuisset, quidquam vt sibi peteret, inuidus erui vnum oculum sibi petijt, vt auarus ambos amitteret. Quis hunc inuidum excæcauit? nonnè inuidia? quis excæcauit auarum? nonnè auaritia? Vt autem hîc oculos, ita sæpe alibi auarus perdidit sanitatem, immò vitam. Nam vt vitam, aut sanitatem conseruaret, noluit pecuniam expendere pro medicina. Quid pro medicina? ne pro esca quidem. Vix enim vmquam dominus satis comedit auarus. Vnde, si in morbum incidit, cui potest inualetudinem attribuere, nisi suæ parcitati? sicut rex Achab suę cupiditati, qui negatâ sibi vineâ Naboth *proijciens se in lectulũ suũ*, 3. Reg. 21. 4.
auertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem. Auaritia illum strauit. Tam miser est auarus, vt, si quod cupit, non habet, ægrotet. Sed superbi quoque par est condicio. Mirabilis erat rex Antiochus, & cælum digito contingere sibi videbatur, speque totas iam ciuitates deuorauerat. omnia in contrarium euenerunt. *Et factum est, vt audiuit rex sermones istos, expauit, & com-* 1. Machab. 6.
motus est valde: & decidit in lectum, & incidit in languorem præ tristi- 8.
tia, quia non factum est ei, sicut cogitabat. Et erat illic per dies multos, quia renouata est in eo tristitia magna, & arbitratus est se mori. Et vocauit omnes amicos suos, & dixit illis: Recessit somnus ab oculis meis, & côncidi, & corrui corde præ solicitudine: & dixi in corde meo: In quantam tribulationem deueni, & in quos fluctus tristitiæ, in qua nunc sum; qui iucundus eram, & dilectus in potestate mea!

V.

Sed ante omnes mirabilis est luxuriosus. Hic enim dum voluptatem quærit, dolorem inuenit. Siquidem luxuria pestis blanda non animam dumtaxat inquinat, sed corpus quoque ipsum corrumpit. Qua de caussa Claudianus Stiliconem laudans, dixit:

Nec te jucundâ fronte fefellit
Luxuries, predulce malum, quæ dedita semper
Corporis arbitriis, hebetat caligine sensus,
Membraq́ Circæis effeminat acriùs herbis.
Blanda quidem vultu, sed qua non tetrior vlla
Interiùs fucata genas, & amicta dolosis
Illecebris toruos auro circumligat hydros.
Illa voluptatum multos intexuit hamis.

Quàm magnus adolescentum numerus, dum castè viuit, etiam in vultu seruat puritatem? Serena frons, vigent oculi, florent genæ. Quàm primùm autem se sinit æstu libidinis rapi ad mortem animæ, etiam vultu mutatur. Nec enim dumtaxat *libidinosa intemperansq́ adolescentia effœtum corpus tradit senectuti*, sed florem adolescentiæ etiam perdit, rosas è genis, è fronte lilia aufert, &, heu, quos, quamque tetros flores, quàm fœdas gemmas eorum loco reponit? & quàm diris pestibus mactat partes, quæ peccauerunt? Non procul à se distant Venus & Venenum. Quid mirum est, si se maculat, qui veneno inhiat? An non ex hoc vitio oritur morbus perniciosissimus, & maximè vulgaris, *quem alij Gallicum, alij Neapolitanum vocant*? *Est autem Indicus*, ait L. Viues, *illinc enim est in hunc orbem inuectus, cum quo in illa Hispaniensi India infantes nascuntur: sed de hoc nihil inuenitur scriptum à veteribus*. Quid autem mirum, si infectio parentum, transit in liberos, & eorum parentum, qui sine vestibus, sicut incedunt, ita viuunt more bestiarum? Quosdam audiui dicere, se in Italia numquam magis ab hoc flagitio absterritos, quàm quando medicos comitati sunt ad Valetudinaria, in quibus magno numero, ingenti cruciatu Venerea lue laborantes secabantur, mutilabantur, curabantur. Nam apud quosdam ita inueteratum erat malum, vt non possent curari, nisi mutilatione. Quem isti tales, ob morbos suos, accusare debuerunt? nisi petulantiam & intemperantiam suam? Ab hoc morbo maximè sibi cauere debent, qui sunt maximè intemperantes. Quinam sunt illi? Nescio. Varroni, teste Nonio, adolescentiari est luxuriari. Sed non manet hoc vitium in adolescentibus, senibus quoq; adhæret, sicut & naturale supplicium, scabies Indica, quam viri docti Huttenus & Manar-

Cic. lib. de senectut.

L. Viues in li. 22. S. Aug. cap. 22.

Hutten. lib.

Manardus testantur, cœpisse in Valentia Hispaniæ Tarraconensis, quo tempore Carolus Francorum rex expeditionem Italicam parabat, cùm elephantiosus quidam nobilis miles ad nobile scortum accederet. Nam quicumque deinde ad mulierem ingressi sunt, eo malo infecti fuêre, elephantiasi in illud degenerante. Qui hoc morbo plectitur, in eum non incommodè jactari potest illud scomma Sophar: *Ossa eius implebuntur vitijs adolescentiæ suæ.*

de Guafaca & Manard. lib. 7. epist. Medic.

Iob 20. 11.

VI.

Alij potatoribus affirmant hoc vitium esse familiare. *Luxuriosa res vinum*, ait Salomon. Consentit Apostolus, Ephesijs scribens: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Expertus est id Nöe, expertus filius prodigus, & coniungi hæc vitia indicauit ipse DEVS, qui parentibus contumacem filium accusaturis hanc formulam præscripsit coram magistratu & senioribus recitandam: *Filius noster iste proteruus & contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat, & luxuriæ atque conuiuijs.* Raró enim, qui ebriosus est, castus est. Itaque quid mirum, si morbi, qui impuris adhærent, adhæreant & ebriosis? Quamquam & his sui sunt, longeque plures morbi. Quod Poëta non tacuit, ita loquens:

Prou. 20. 1.
Ephes. 5. 20.
Gen 9. 21.
Luc. 15. 13.
Deuter. 21. 20.

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore,
Vno namq; modo vina Venusq; nocent.
Vt Venus eneruat vires, sic copia Bacchi
Attenuat gressus debilitatq; pedes.

Itaque intemperantia in Venere, in vino, in cibo morbos creat. De impuris sat dictum, si medicinam admittunt. Sed vlterior radix attingenda. Modica est oris lacuna, sed eam vt impleat non sufficit terra: nec enim siluæ dumtaxat plagis circumdantur, maria retibus, aër pennis occupatur, atque vt omnia elementa ganeæ seruiant, prædæ vndique petitæ, transeunt antè per ignem, quàm per guttur; ita abundantia luxuriat, luxuries morbis viam sternit. Quot perdices, quot phasiani jugulantur, quot gari, quot mulsi vino immoriuntur, vt gulæ proceres ad mortem ducant, nec gustum tantummodo sapore, sed oculos quoq; colore, dum oblectant, decipiant? Itaque

VII.

De gulonibus paullò plura sunt adijcienda, de quibus S. Spiri-

Eccli. 37. 32. Spiritus hæc monet. *Noli auidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam: in multis enim escis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vsq; ad choleram. Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, adijciet vitam.* Non loquor iam de insidijs, aut cibis veneno infectis. Sine veneno escæ sunt virulentæ, si sunt nimiæ. Quemadmodum enim nautæ nimium onerantes nauim, deinde in exhaurienda sentina laborant: ita qui corpus onerant cibis, deinde clysteribus opus habent, vt illud inaniant. Sunt autem cibi quidam ex se noxij & graues; quidam etsi graues non sunt, noxij tamen fiunt nimietate. Magnum gulæ mancipium est, qui ab ijs, quæ experitur sibi inutilia esse, immò perniciosa, non potest abstinere. Vt enim omittam cucumeres, melopepones, boletos, quos *voluptarium venenum* Philosophus vocat, & similes terræ filios stomacho parum amicos, caseo quàm multi se se farciunt, à quo tamen degulato sciunt, in se calculos generari? Quam ob rem meritò recens Poëta, vt atro lapillo damnaret caseum tortoris calculi parentem, in Parodia, ad Catulli Phaselum ita lusit:

Senec. ep. 95.

Carol. Malapertius in libr. Miscellan.

Lapillus ille, qui tibi manum asperat,
Ait fuisse caseus Batauicus;
Neq; helluonis vllius stim impigri
Nequisse prouocare, siue res foret
Mero gerenda Gallico, aut Iberico.
Et hoc negat patentis Amsterodami
Forum negare: Cycladas Zelandicas,
Britanniam vltimam, horridosq; VVestfalos,
Brabantiamq;, Frisonumq; pascua;
Vbi iste, pòst lapillus, anteà fuit
Opima vacca: namq; Frisonum in solo
Groninga pinguis, Amasiq; lympide,
Tibi hæc fuisse, & esse cognitissima,
Ait lapillus; vltimâ ex origine
Tuo fatetur ambulasse margine,
Tuo imbuisse plantulas in æquore:
Et inde mulctra tot per improbas manus
Replesse lacte, lacte siue caseo

Opus fuisset, aut vtrumq; sedula
Simul colona mißitaret in forum.
Nec vlla vota nundinalibus Dijs
Sibi esse facta, cùm veniret à boue
Batauica, has adusq; iam silex manus.
Sed hæc priùs fuère; nunc inutili
Senet quiete, seq; consecrat tibi
Megæra, Erinnys, & Megæra Erinnyos. VIII.

Seneca, cùm concessisset, fuisse veterem illam sapientiam, maximè nascentem, rudem, non minùs quàm ceteras artes, quarum in processu subtilitas creuit, adjecit: *Sed ne opus quidem adhuc erat remedijs diligentibus. Nondum in tantum nequitia surrexerat, nec tam latè se sparserat: poterant vitijs simplicibus obstare remedia simplicia. Nunc necesse est tanto operosiora esse munimenta, quanto valentiora sunt, quibus petimur. Medicina quondam paucarum fuit scientia herbarum, quibus sisteretur fluens sanguis, vulnera coirent paulatim, deinde in hanc peruenit tã multiplicem varietatem. Nec est mirum, tunc illam minus negotij habuisse, firmis adhuc solidisq; corporibus, & facili cibo, nec per artem voluptatemq; corrupto. Qui postquam cœpit, non ad tollendam, sed ad irritandam famem quæri & inuentæ sunt mille conditurę; quibus auiditas excitaretur: quæ desiderantibus alimenta erant, onera sunt plenis. Inde pallor & neruorum vino madentium tumor, & miserabilior ex cruditatibus, quàm ex fame macies: inde incerti labantium pedes, & semper qualis in ipsa ebrietate titubatio: inde in totam cutem humor admissus, distentusq; venter, dum malè assuescit plus capere, quàm poterat: inde suffusio lurida bilis, & decolor vultus, tabesq; in se putrescentium, & retorti digiti articulis obrigescentibus, neruorum sine sensu jacentium torpor, aut palpitatio sine intermißione vibrantium. Quid capitis vertigines dicam? quid oculorum auriumq; tormenta, & cerebri æstuantis verminationes, & omnia, per quæ exoneramur, internis vlceribus affecta? Innumerabilia præterea febrium genera, aliarum impetu sæuientium, aliarum tenui peste repentium, aliarum cum horrore, & multa membrorum quassatione venientium? Quid alios referam innumerabiles morbos, supplicia luxuriæ? Immunes erant ab istis malis, qui nondum se delicijs soluerant, qui sibi imperabant, sibi ministrabant. Corpora opere ac* Senec. ep. 95.

vero labore durabant, aut cursu defatigati, aut venatu, aut tellure versatâ: excipiebat illos cibus, qui nisi esurientibus placere non poterat. Itaq; nihil opus erat tam magna medicorum supellectile, nec tot ferramentis, atq; pyxidibus. simplex erat ex simplici caussa valetudo: multos morbos multa fercula fecerunt. Vide quantum rerum per vnam gulam trāsiturarum permisceat luxuria, terrarum mariśq; vastatione! necesse est itaq; inter se tam diuersa dißideant, & hausta malè digerantur, alijs aliò nitentibus. Nec mirum quòd inconstans variusq; ex discordi cibo morbus est: & illa ex contrarijs naturæ partibus in eumdem compulsa redundat. Inde tam nullo ægrotamus genere, quàm viuimus. Maximus ille medicorum, & huius scientiæ conditor, fæminis nec capillos defluere dixit, nec pedes laborare. Atqui hæ iam & capillis destituuntur, & pedibus ægra sunt. Non mutata feminarum natura, sed vita est. nam cùm virorum licentiam æquauerint, corporum quoq; virilium vitia æquauerunt. Non minus peruigilant, non minus potant, & oleo, & mero vires prouocant: æquè inuitis ingesta visceribus per os reddunt, & vinum omne vomitu remetiuntur: æquè niuem rodunt, solatium stomachi æstuantis. Libidine verò, nec maribus quidem cedunt, pati natæ. Dij illas Deæq; malè perdant: adeò peruersum commotæ genus impudicitiæ, viros ineunt. Quid ergo mirandum est, maximum medicorum, ac naturæ peritißimum in mendacio prehendi, cùm tot fæminæ podagricæ, caluæq; sint? Beneficium sexus sui vitijs perdiderunt, & quia feminam exuerunt, damnatæ sunt morbis virilibus. Antiqui medici nesciebant dare cibum sæpius, & vino fulcire venas cadentes: nesciebant saniem emittere, & diutinam ægrotationem balneo sudoribusq; laxare: nesciebant crurum vinculo, brachiorumq; latentem vim, & in medio sedentem, ad extrema reuocare. Non erat necesse circumspicere multa auxiliorum genera. cùm essent periculorum paucißima. Nunc verò quàm longè processerunt mala valetudinis? has vsuras voluptatum pendimus, vltra modum fasq; concupitarum. Innumerabiles esse morbos miraris? coquos numera. Cessat omne studiū: & liberalia professi sine vlla frequentia, desertis angulis præsident. In Rhetorum ac Philosophorum scholis solitudo est: at quàm celebres culinæ sunt, quanta circa nepotum focos iuuentus premit?

IX. Idem ibid. Et paullò pòst: Transeo pistorum turbam, transeo ministratorum, per quos signo dato ad inferendam cœnam discurritur. Dij boni quantum

quantum hominum vnus venter exercet? quid tu illos boletos, voluptarium venenum, nihil occulti operis judicas facere, etiamsi præsentanei non furant? quid tu illam æstiuam niuem non putas callum jecinoribus obducere? quid illa ostrea, inertissimam carnem, cœno saginatã, nihil existimas limosæ grauitatis inferre? quid illud sociorum garum, pretiosam malorum piscium saniem, non credis vrere salsa tabe præcordia? quid illa purulenta, & quæ tantùm non ab ipso igne in os transferuntur, judicas sine noxa, in ipsis visceribus exstingui? Quàm fœdi atque pestilentes ructus sunt, quantum fastidium sui exhalantibus crapulam veterem? scias putrescere sumpta, non concoqui. Memini fuisse quondam in sermone nobilem patinam, in quam quidquid apud lautos solet diem ducere, properans in damnum suum popina congesserat: veneriæ spondyliq;, & ostrea eatenus circumcisa, quæ eduntur, interuenientibus distinguebantur echinis, torti, distractiq; sine vllis ossibus mulli constrauerant. Piget iam esse singula: coguntur in vnum sapores: In cœna fit, quod fieri debet saturo in ventre. Exspecto iam, vt manducata ponantur. quantulo autem hoc minus est, testas excerpere, atque ossa, & dentium opera coquum fungi? graue est luxuriari per singula, omnia semel, & in eumdem saporem versa, ponantur. Quare ego ad vnam rem manum porrigam? plura veniant simul: multorum ferculorum ornamenta coëant, & cohæreant. Sciant protinus hi, qui jactationem ex istis peti, & gloriam aiebant, non ostendi ista, sed conscientiæ dari. Pariter sint, quæ disponi solent, jure vno perfusa: nihil intersit, ostrea echinis, spondyli perturbati mullis concoctiq; ponantur. Non esset confusior vomentium cibus. Quomodo ista perplexa sunt, sic ex istis non singulares morbi nascuntur, sed inexplicabiles, diuersi, multiformes: aduersus quos & medicina armare se cœpit multis generibus, multis obseruationibus. Hæc obseruatè Seneca de gulæ damnis disputauit. Breuiter & neruosè S. Leo: *Quotidiano*, inquit, *dilectissimi, experimento probatur, potùs satietate aciem mentis obtundi, ciborum nimietate vigorem cordis hebetari: ita vt delectatio edendi, etiam corporum contraria sit saluti, nisi ratio temperantiæ obsistat illecebræ, & quod futurum est oneri, subtrahat voluptati.* Sicut fecit Berzellai, qui ad familiam & mensam Dauidis inuitatus dixit: *Octogenarius sum hodie, numquid vigent sensus mei ad discernendum suaue aut amarum? aut delectare potest seruum tuum cibus & potus?* Etsi enim

S. Leo serm. 8. de jeiunio decimi mensis.

2 Reg. 19. 35.

nulli ætati conuenit gula, maximè tamen ea dedecet senes. Quare Titum monet Apostolus, vt *senes sobrios* esse jubeat, ne ex crapula illis somnus & torpor dominetur, phlegmate adaucto, ex quo somnus inducitur. Sed nescio quo modo gastrimargia, quæ nulli non ætati insidiatur, senilibus tamen annis maximè adhæret. Putant homines, canis plus deberi, & longè aliter quàm Bercellai sentientes, inde vires volunt restaurare, vnde maximè opprimuntur. Quod judicium in senibus est erubescendum. Nam pueris eum errorem esse, vt putent se fructibus seu maturis, seu immaturis, nihil sanitati nocere, minùs mirabile est.

Tit. 2. 2.

X. Ex culinis ad cellas veniamus. Nam inde quoque magis venena, quàm vina depromuntur. Neque iam tantùm vina voco venena, quemadmodum, apud Xenophontem Cyrus, cui idcirco Sacas pincerna fuit odiosus, quòd Astyagi non vinum, sed venenum miscuisse videretur, quo epoto, vacillaret, & ambulare non posset: aut quia non raro magnatibus in vino venenum miscetur, vnde illis pocillatore opus est, qui, suo periculo, domini fata prægustet; sed quia reuera etiam merum vinum, instar virulentæ bestiæ mordendo à se morbos & pestes infundit, omniaque depopulatur membra intemperanter ingurgitatum. *Cui væ*, ait Salomon, *cuius patri væ? cui rixa? cui fouea? cui sine caussa vulnera? cui suffusio oculorum? Nonnè his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum, quando flauescit, cùm splenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet.* Bellissimè quidam in senem bibulum, sub amphora, vel piscibus natum, his versiculis lusit:

Prou. 23. 29.

Bernhard. Bahusius. lib. 1. epigr.

In niueis Appi iam regnat Bruma capillis,
Inq; oculis semper vino flammantibus Æstas:
Baccifer Autumnus pingit nasumq; genasq;;
Cumq; bibit, florum dulce illi ad tempora Ver est.
Sic potans totum in vultu gerit Appius annum.

Eccli. 40. 20.

Quæ hæc, ô Superi, insania est! *Vinum*, quod *lætificat cor*, & ad sanitatem hominis est creatum, ad satietatem, ad vomitum, ad ebrietatem, ad corporis imbecillitatem, ad omnes morbos promouendos, vtque tantò celeriùs promoueat, glacie mistum bibunt,

bunt, immò nimbi instar in ventrem irruere cogunt. Itaq; rectè idem Poëta ait: (Idem. Bern. Bahus. lib. cit.)

Coi vox, Senis est, nec dilige, nec fuge vinum.
Nam nocet, & prodest; hinc modicum, hinc nimium.
Contrà ego, non contrà: fuge vinum, dilige vinum;
Fer puer huc, tolle hinc; huc modicum, hinc nimium.

Nimium quid aliud est, quàm venenum? Vnde quisquis vel sibi, vel alteri nimium propinat, idem facit, ac si ei venenum misceat. Quod Abacuc planè pronuntiat. *Ve, qui potum das amico suo mittens fel suum, & inebrians.* Fel enim, serpentum, aut draconum est maximè noxium. In sanitatem bibitur, donec venter hydrope intumescat. Ita Christo aduersantur bibones. Ille ex aqua vinum, isti è vino aquam faciunt, &, dum alijs bibunt, sibi sitiunt. (Abacuc, 2.15.)

XI. Hinc, teste S. Augustino, *Omnes ebriosi tales sunt, quales paludes esse videntur. Nascuntur in illis sanguisuga, ranæ, & diuersa genera vermium, quæ magis horrorem possunt generare, quàm aliquid, quod ad victum proficiat, exhibere.* Vt autem scias, quid hoc venenum efficiat in corporibus (nam de animi morbis non loquor) *colore variantur, oculis ignescunt, ore anhelant, fremunt naribus, in furore ardescunt, sensu excedunt.* vocem amittunt, ait S. Ambrosius, Non est hic terminus ebrietatis. A capite vsque ad pedes hominem vastat. Audias conquerentem de graui dolore capitis: si interroges, vnde is dolor oriatur, dicet: Heri nimium bibi. Et aiunt, fuisse rudem Confessarium quempiam, in Italia, qui, cùm ei Germanus confiteretur, se ebrium fuisse, experiri voluerit, quid sit ebrium esse. Cùm igitur se se inebriasset, alteroque die, capite doluisset, hac experientia doctus, reuertenti Germano, & ebrietatem rursus confitenti, pœnitentiæ loco injunxit, vt se se denuò inebriaret, & capitis dolore ventris delictum lueret, ratus nullam pœnitentiam posse ebrietate esse grauiorem. Ebrietas certè cerebrum catarrhis, nares destillatione, aures humoribus noxijs, oculos lippitudine, genas nasumque cupreo lurore implet. Nec rarò creat ingentem in dentibus cruciatum. Vino collum intumescit, & vocis via guttur obsidetur. Vino pulmones ad perniciem irrigantur; incenditur hepar; stomacho adimitur

(S. Augustin. serm. 231. de tempore.)

(S. Ambr. lib. de Elia & ieiunio. cap. 16.)

cibi appetitus; in renibus & vesica calculus generatur: podagra pedes occupat, omnia denique membra tremunt & contrahuntur. Hinc qui aquam bibunt, plerumque sunt robustiores; vini potatores, qui noctem in diem, & diem in noctem vertunt, vereque, quia dum lucet, dormiunt, dum sol terram subit, bibunt, *Principes* dici possunt *tenebrarum*, omnibus morbis corpus obruunt. In compendio dixit Poëta.

Nubila lippa, febris, tabes, mors, calculus, hydrops,
Vectigal Bromij, & fex scelerata meri.

Ita, dum quærunt in poculis homines voluptatem, inueniunt crucem. Quare, sicut D. Ambrosius de illis; qui alios vel directè, vel indirectè inducunt ad ebrietatem, dixit: *Rogas ad jucunditatē, cogis ad mortem;* ita de his licet dicere, tot eos morbos, quot scyphos bibere, si bibant extra necessitatem, & natura reluctante. Cui igitur morbos hos debent, immò cui possunt, nisi sibimetipsis ascribere? Itaque si ægrotent, verum morborum suorum authorem accusent, & cùm in morbo & lecto cubant, illud sibimetipsis canant: *Tute tibi intriuisti, tibi exedendum est.*

S. Ambr. lib. de Elia & jeiun. cap. 13.

CAPVT XXIII.

Nonam morborum caussam esse Iustitiam DEI hominum peccata punientis, ostenditur ex historijs veteris Testamenti.

1. HVc vsque morbos hominum à natura, à dæmonis inuidia, à malitia dæmoni seruientium, ab hominum ipsorum ira, odio, temeritate, intemperantia, alijsq; vitijs oriri ostendimus. Nec illud tacuimus, per peccatum mortem introijsse in mundum, & labores vnà languoresque, qui mortem antecedunt, tamquam prænuntij, vel tamquam stipatores satellitesque comitantur. Vnde intelligi potest, etiam DEVM ipsum esse caussam morborum mortiumque, non tantùm permittentem, sed etiam immittentem punientemque. Et quidem multis de caussis justissimè Mundi Rector humano generi morbos vel immittit, vel permittit. Quarum sanè prima est justitia hominum peccata puniens, sine qua mundus iste non gubernaretur.

Sicut enim decet virtutes præmijs, ita par est peccata supplicijs affici. Inter quæ supplicia sunt etiam morbi & mortes, & ceteræ calamitates. Duplicis autem sunt generis peccata, quibus eiuscemodi pœnæ debentur. Vnum originale, cetera personalia appellantur. Illud Adamo quidem personale fuit, sed originale dicitur, quia etiam in posteros Adami deriuatum est, qui in Adamo tamquam capite suo, peccauerunt, ac proinde cum illo luunt. Cùm enim Conditor noster, hoc ipso sit Dominus noster, quia illius opus sumus, sicut olla figuli, meritò præceptum posuit, quo ei tamquam Domino jubebamur obedire; &, si faceremus, præmio; sin essemus rebelles, supplicio digni efficeremur. Quod, ne nesciret Adam, dictum est illi: *Ex omni ligno Paradisi comede: de ligno* Gen. 2. 16.
autem scientiæ boni & mali, ne comedas. in quocumq; enim die comederis, ex eo, morte morieris, tu scilicet, & posteri tui, quibus vel vitam obtinere poteris abstinendo; vel, præuaricando, labores, sudores, dolores, mortemque ipsam promereri. Non abstinuit, comedit, in hæc omnia incurrit. Quid enim aliud facere debuit diuina justitia, nisi vt plecteret præuaricatorem? seruumq; puniret inobedientem? Et clementer puniuit. Nam quod naturæ erat debitum, vertit in supplicium; permisitque hominem suæ fragilitati: quem, si in innocentia & justitia originali, qua eum ornauit, permansisset; & ab infirmitate, & ab ipsa etiam mortalitate exemisset.

II.

Ob hoc ergo delictum & parens, & omnes filij eius, morbis, mortibusque justissimè subjecti sunt. Sed non fuit satis in progenitore peccauisse, ipsi etiam posteri eius peccauerunt, vt mortem pluribus titulis promererentur. Itaque & isti, propter ea quoque delicta, quæ ipsi commiserunt, plectuntur miserijs, quæ illis iam aliunde, ob peccatum scilicet protoplasti, debebantur. Nam & infantuli, qui aliud peccatum non habent, quàm originale, ijsdem miserijs afficiuntur. E quibus ipsis Iulianum Pelagianum conuincit D. Augustinus, infantes sine peccato ori- S. Augustin.
ginali non nasci, ob quod, diuina justitia exigente, illis vel pœnę, lib. 3. contr.
vel pœnalitates istæ inferantur. Ita enim Pelagianum alloqui- Iulian. Pelag.
tur. *Nonnè ipse dixisti, administrationem corporis sic animo esse com-* cap. 4.
missam, vt fructus operis fieret vtriq; communis, & vel virtutis exer-

cita gaudia, vel insolentiæ pœnas, cum eius, quam hic non bene rexerat, carnis afflictione sentiret? responde igitur, quare in hac ipsa vita afflictione carnis anima crucietur infantis, cuius ei meritum, quia non benè rexerit carnem, adhuc non potest imputari? naturam dicis humanam in exordijs nascentium innocentiæ dote locupletem. Fatemur sane, quantum ad peccata pertinet propria. Cùm autem etiam originali negatis obnoxios, respondete, quo merito tanta innocentia nonnumquam cæca, nonnumquam surda nascatur? quod vitium etiam ipsam impedit
Rom. 10. *fidem, Apostolo teste qui dicit: Igitur fides ex auditu. Iam verò quis ferat, quod ad ipsum spectat animum, imaginem DEI innocentiæ, sicut asseris, dote locupletem, fatuam nasci, si nulla ex parentibus mala merita in paruulos transeant? an ita est quisquam vestrûm fatuus, vt fa-*
Eccl. 22. *tuitatem nullum malum putet, cùm Scriptura dicat mortuum septem diebus, fatuum verò omnibus diebus esse lugendum? Quis autem nesciat, quos vulgo moriones vocant, natura ita fatuos, vt quibusdam eorum panè sensus pecorum conferatur? Et non vultis fateri, genus humanum ex initio, quo DEVM deseruit, trahere damnatæ originis noxam his omnibus dignissimam pœnis, nisi vbi parcit ratione dispositionis occultæ, inscrutabilis sapientiæ Conditoris, qui nec ab ipsa vniuersa massa perditionis abstinet sui operis bonum, vt ex malis vitiorum condat, licet cum malis, in quantum bona est, rationem, mortalemq; naturam, cuius nemo esse potest Conditor, præter ipsum: & in generatione damnata præbeat vasis misericordiæ regenerationis auxilium. Frustra itaq; putas in paruulis non esse delictum, quia sine voluntate, quæ in eis nulla est, esse non potest. Hoc enim rectè dicitur, propter proprium cuiusq; peccatum, non propter primi peccati originale contagium. Quod si nullum esset, profectò nulli malo paruuli obstricti, nihil mali vel in corpore, vel in anima sub tanta justi DEI potestate paterentur: quod tamen & ipsum à mala voluntate priorum hominum sumpsit exordium, sicut voluntas mala ipsa est origo peccati, id est, à voluntate mala peccatum exortum est, & peccati origo voluntas mala est, ita nisi voluntas mala, non est cuiusquam vlla origo peccati.*

III. Sicut autem paruuli pœnam exsoluunt propter peccatum, *quod à mala voluntate priorum hominum sumpsit exordium;* ita adulti & propter illud ipsum, & propter multa insuper alia, quæ ipsi perpetrant, ærumnis his justissimè puniuntur; tantoque ju-

stiùs

stiùs, quia bis, ter, centies, immò millies, sic puniri meruerunt.
Non nouit DEVM, qui tantùm putat esse misericordem & libera-
lem; etiam justitia illius est agnoscenda, & metuenda. Hoc vt
fiat, judicem quoque agat, necesse est. Iudex autem, vt varias
caussas, ita & diuersos habet modos puniendi. Cain fratrici-
dam sic legitur allocutus: *Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui* Gen. 4. 10.
clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ
aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Cùm
operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos: vagus & profugus eris
super terram. Ecce actorem Abel, reum Cain, DEVM judicem,
pœnam, maledictionem, laborem, exilium. Hoc judicium fuit in-
ter primos hominum filios. Postea, transactis aliquot seculis,
cùm cœpissent homines multiplicari super terram, & peccata quoque Gen. 6. 1.
multiplicarentur; *dixit DEVS: Non permanebit spiritus meus in ho-*
mine in æternum, quia caro est: eruntq; dies illius centum viginti anno-
rum. Quod, teste Augustino, *non sic accipiendum est, quasi prænun-* S. Augustin.
tiatum sit, post hac homines centum viginti annos viuendo non trans- lib. 15. de
gredi, cùm & post diluuium etiam quingentos excessisse inueniamus; sed ciuit. cap. 24.
centum viginti anni prædicti sunt vitæ hominum periturorum, quibus
transactis, diluuio delerentur. Itaque, *videns DEVS, quòd multa ma-* Gen. 6. 5.
litia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset, ad
malū omni tempore, pœnituit eum, quòd hominem fecisset in terra. Et
tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit, hominem, quem creaui
à facie terræ, ab homine vsq; ad animantia, à reptili vsq; ad volucres
cæli. Locutus est nempe DEVS, juxta humanam consuetudinem,
vt enormitatem peccatorum exprimeret, quia & nos ea, quorum
pœnitet, si possumus, destruimus. Ita ergo & DEVS sceleribus S. Augustin.
hominum tunc iratus & indignatus est. Porrò *ira DEI, non per-* lib. 15. de ci-
turbatio animæ illius est, sed judicium, quo irrogatur pœna. Hac irâ uit. cap. 25.
etiam *flagellauit Pharaonem plagis maximis, & domum eius, propter*
Sarai vxorem Abram. Hâc irâ concitatus dixit ad Abraham: *Cla-* Gen. 12. 17.
mor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum
aggrauatum est nimis, &c. Hac eâdem tam multiplices plagas
imposuit alteri Pharaoni Israëliticum populum ex Ægypto di- Exod. 3. 16.
mittere nolenti. Hac inflammatus percussit murmurantē Moy-
sis sororem, *& ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix.* Quod Num. 12. 13.

 & Gie-

4. Reg. 5. 27. & Giezi, ac toti eius posteritati, ob auaritiam & mendacium, accidit. Neque ob gulam seipsum dumtaxat deijcit in morbos homo; DEVS ipse, sicut primos parentes, ita alios carnium appeti-
Num. 11. 4. tores etiam seriò & citò castigauit. *Vulgus quippe, quod ascenderat cum eis, flagrauit desiderio, sedens & flens, iunctis sibi pariter filijs Israel, & ait: Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis. in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porriq́, & cepe, & allia.* Annuit DEVS, &
Ib. v. 33. pluit illis carnes ad manducandum. Sed citò præsto fuit vindicta. *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiuscemodi cibus; & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis.* Quæ erat illa plaga? vehemens pestis, subitæ mortes: nec antè illi coturnices in ventre sepelierant, quàm ipsi in sepulchris concupiscentiæ sepulti sunt.

IV. Præsens quoque pœna DEI fuit, quando Propheta regi Ieroboam ad altare stanti est de Iosia nasciturо vaticinatus, quæ
3. Reg. 13. 4. non libenter audiuit. Nam *cùm audisset rex sermonem hominis DEI, quem inclamauerat contra altare in Bethel, extendit manum suam de altari, dicens: Apprehendite eum. Et exaruit manus eius, quam extenderat contra eum: nec valuit retrahere eam ad se.* Quod non factum est, ob pœnam idololatriæ, in qua Ieroboam perseuerauit, sed quia extenderat manum in virum DEI: dicens: *Apprehendite eum.* In qua voluntate rex non permansit, sed magis eum deinde honorauit, volens ei etiam munera offerre. Nimirū sæpe, etiam cum miraculo sanati, non ex toto conuertuntur, immò sæpe penitus non corriguntur. Quare beneficium acceptum erit in maiorem illis damnationem, quòd corpore sanati, animo malè affecto permanserint. Certè Christum etiam permanentibus in peccato sanitatem corporalem miraculosè aliquando
Ioan. 18. 10. dedisse, satis liquet in sanato Malcho, & in nouem leprosis ingra-
Luc. 17. tis. Porrò, post triplex miraculum, scilicet arefactam & iterum precibus Prophetæ sanatam manum, ac scissum altare effusumq́;
3. Reg. 13. 33. & cap. seq. v. 1. cinerem, *non est reuersus Ieroboam de via sua pessima.* Itaque *in tempore illo ægrotauit Abia filius Ieroboam.* Immò tota domus Ieroboam *& euersa est, & deleta.* Nescitur sæpe, cur hic, cur ille ægrotet; sed pater in filio, & tota domus punitur ob patremfamilias,

milias, quia nonnumquam tota domus in illo, aut cum illo pec-
cat. Quamuis id genus pœnæ rariùs infligatur. Sæpe extemplò
adest morbus, post commissum peccatum. Ita paulò antè memo-
rato Giezi reuertenti dixit Eliséus: *Sed & lepra Naaman adhære-* 4. Reg. 5. 27.
bit tibi, & semini tuo vsq; in sempiternum. Et egressus est ab eo le-
prosus, quasi nix. Vnus dies, immò vnica nox intercessit inter in- 4 Reg. 7. 20.
creduli ducis scomma, & impletum Eliséi vaticinium. Nam al- 1. Paralip. 21.
tera luce, *conculcauit eum populus in porta, & mortuus est.* De pe- 14.
ste in populum à Dauide numeratum immissa, alio iam loco
egimus.

V.

Hanani Propheta increpauerat regem Iuda Asa, quòd fidu-
ciam habuisset in rege Syriæ, & non in Domino, *iratusq; Asa*
aduersus Videntem, jussit eum mitti in neruum: valde quippe super
hoc fuerat indignatus: Quid ei contigit? Quia Prophetam misit in
neruum, quo pedes constringuntur, talionis pœna plexus est.
Nam *ægrotauit etiam Asa anno trigesimo nono regni sui, dolore*
pedum vehementissimo, & nec in infirmitate sua quæsiuit Dominum,
sed magis in medicorum arte confisus est. Non vult contemni medi-
cum Devs, quem jubet honorari: *Honora medicum propter necessi-* Eccli. 38. 1.
tatem: etenim illum creauit Altissimus, ait, *à DEO enim est omnis*
medela: sed hac ipsa de caussa, non magis est in arte medicorum
confidendum, quàm in Deo, qui in morbis omnibus est inuocan-
dus. Stultissimi mortales, qui inualetudine laborantes tam soli-
citè de medicis circumspiciunt, de Deo autē rogando & conci-
liando non cogitant, sine quo omnes medicinæ sunt venena.
Rectè proinde faciunt illi in Italia magistratus, ex quorum lege
medici non audent, in ægrotis curandis, antè progredi, quàm vi-
deant etiam medicos spirituales vocari. Ioram filius Iosaphat
fratres suos & quosdam Principes Iuda occiderat, cui Elias (post
raptum, ex eo loco, in quem Angelico ministerio translatus est, 2. Paralip. 21.
vt aliqui volunt) has litteras scripsit: *Hæc dicit Dominus* Devs 12.
Dauid patris tui: Quoniam non ambulasti in vijs Iosaphat patris tui,
& in vijs Asa regis Iuda, sed incessisti per iter regum Israël, & forni-
cari fecisti Iudam, & habitatores Ierusalem, imitatus fornicationem
domus Achab, insuper & fratres tuos, domum patris tui, meliores te
occidisti; ecce Dominus percutiet te plaga magna, cum populo tuo, &
filijs,

filijs, & uxoribus tuis, vniuersaq́; substantia tua. tu autem ægrotabis pessimo languore vteri tui, donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies. Itaque & hostes ei Philisthinos, Arabesque suscitauit DEVS, qui terram Iuda vastauerunt, *diripueruntq́; cunctam substantiam, quæ inuenta est in domo regis, insuper & filios eius, & uxores, &c. Et super hæc omnia percussit eum Dominus alui languore insanabili. Cumq́; diei succederet dies, & temporum spatia voluerentur, duorum annorum expletus est circulus: & sic longa consumptus tabe, ita ut egereret etiam viscera sua, languore pariter & vita caruit.* Vtinam autem non etiam post vitam cruciatus fuisset continuatus & multiplicatus, justissimo judice vindictam tam atrocium scelerum in hac vita inchoante, atque in æternum supplicium propagante.

VI. Ozias, ob nimiam felicitatem elatus, sacerdotis sibi officiū arrogauit, non dilata est pœna, inter adolendum plexus est. Quæ historia, quia eos erudit, qui adulatoriè permiscent officium Principis, cum officio Sacerdotis, dicentes, vnumquemque Principem, in ditione sua, posse disponere de religione & cultu diuino eiusque ceremonijs, ipsis Scripturæ verbis est apponenda. Ozias

2. Paralip. 26. 15. itaque pugnauit prosperè: *egressumq́; est nomen eius procul, eò quòd auxiliaretur ei Dominus, & corroborasset illum. Sed cùm roboratus esset, eleuatum est cor eius in interitum suum, & neglexit Dominum DEVM suum: ingressusq́; templum Domini adolere voluit incensum super altare thymiamatis. Statimq́; ingressus post eum Azarias sacerdos, & cum eo Sacerdotes Domini octoginta viri fortissimi restiterunt Regi, atq; dixerunt: Non est tui officij, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad huiuscemodi ministerium: egredere de sanctuario, ne contempseris: quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino DEO. Iratúsque Ozias, tenens in manu thuribulū, ut adoleret incensum, minabatur Sacerdotibus. Statimq́; orta est lepra in fronte eius coram Sacerdotibus in domo Domini super altare thymiamatis. Cùm respexisset eum Azarias Pontifex, & omnes reliqui Sacerdotes, viderunt lepram in fronte eius, & festinato expulerunt eum. Sed & ipse perterritus, accelerauit egredi, eò quòd sensisset illico plagam Domini. Fuit igitur Ozias Rex leprosus vsq; ad diem mortis suæ, & habitauit in domo separata plenus*

lepra,

lepra, ob quam ejectus fuerat de domo Domini. Videte igitur, magnates, quid mereamini, qui Parochis vestris, immò Episcopis vestris leges datis, mandata præscribitis, tamquam ipsi Episcopi essetis: videte, quid mercedis apud DEVM mereamini. Si non vultis carpi morbis extra ordinem orituris, *Reddite quæ sunt* Matth. 22. 21.
Cæsaris Cæsari, & quæ sunt DEI DEO.

VII. Quod quia neque Antiochus fecit, non solùm in ea mala incidit, quæ suprà recensui, sed etiam palàm agnouit, cur in ea 1. Machab. 6. 12.
mala incidisset, dicens: *Nunc reminiscor malorum, quæ feci in Ierusalem, vnde & abstuli omnia spolia aurea & argentea, quæ erant in ea, & misi auferre habitantes Iudæam sine caussa. Cognoui ergo, quia propterea inuenerunt me mala ista: & ecce pereo tristitia magna in terra aliena.* Cognouit peccatum suum, sicut & Iudas, qui dixit: *Peccaui, tradens sanguinem innoxium,* sed non cognouit ad veram pœnitentiam. Neuter enim recurrit ad DEI misericordiam, vt oportebat. Etsi enim Antiochus *orabat Dominum,* tamen *orabat* 2. Machab. 9. 13.
eum, à quo non esset misericordiam consecuturus; quamuis defleret admissa, & satisfacturum se se promitteret. Quia, vt S. Augustinus respondet, *Nemo dignè pœnitere potest, quem non sustineat vnitas Ecclesiæ & fidei.* Igitur Antiochus non credebat ex animo in DEVM Iudæorum, neque statuebat seruare religionem ab ipso præscriptam, sed tam speciosa promittebat tantùm, vt posset euadere præsentem calamitatem. Quæ autem nos superiùs ex primo libro Machabæorum breuiùs narrata attulimus, in secundo libro enucleatiùs in hunc modum narrantur. *Elatus autem in* 2. Machab. 9. 4.
ira, arbitrabatur se injuriam illorum, qui se fugauerant, posse in Iudæos retorquere: ideoq; jussit agitari currum suum, sine intermissione agens iter, cælesti eum judicio perurgente, eò quòd ita superbè locutus est, se venturum Ierosolymam, & congeriem sepulchri Iudæorum eam facturum. Sed qui vniuersa conspicit Dominus DEVS *Israël, percussit eum insanabili & inuisibili plaga. Vt enim finiuit hunc ipsum sermonem, apprehendit eum dolor dirus viscerum, & amara internorum tormenta: & quidem satis justè, quippe qui multis & nouis cruciatibus aliorũ torserat viscera, licet ille nullo modo à sua malitia cessaret. Super hoc autem superbia repletus, ignem spirans animo in Iudæos, & præcipiens accelerari negotium, contigit illum impetu euntem de curru cadere, &*

graui corporis collisione membra vexari. Itaq; qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, & montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam Dei *virtutem in semet ipso contestans: ita, vt de corpore impij vermes scaturirent, ac viuentis in doloribus carnes eius effluerent, odore etiam illius & fœtore exercitus grauaretur, & qui paulò antè sidera cæli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare.* His talibus exemplis prælusit in veteri Testamento Devs, vt, qui in illis suam vident depingi imaginem in peccando, genus quoque supplicij contemplentur antè, quàm incurrant; neque lachrymas in vltimum differant tempus. Sera est omnis pœnitentia, quæ non est seria. Seria autem esse non potest, quæ de suâ pœnâ, quàm de Dei offensâ, magis dolet.

CAPVT XXIV.

Eadem justitia* Dei *homines vario morborum genere, ob peccata, punientis declaratur exemplis noui Testamenti.

I. N aquam demissa quædam, cùm sint rectissima, speciem curui præfractique visentibus reddunt: ita quidam de morbis hominum perperam judicant; sed illorum est vitium, non Dei, morbos ex justitia inijcientis. Quid vires improbo? vt fortiùs peccet? Valere deberent omnes? si non mererentur ægrotare. In pantheris totum reliquum corpus maculis picturatum placet, si caput tegas. Quòd si velum amoueas, belluam fateberis esse vinculis dignam. Ita quorumdam valetudo pulchra videtur esse, si celes id, quod est caput, genus viuendi. Quidam enim ideò valetudine abutuntur, vt rectissimè Mundi Iudex censeat, eos morbis coërcendos. Quod, vt in veteri testamento sæpiùs fecit, ita & in nouo continuauit. Venit aliquando Seruator *in ciuitatem suam*, hoc est, in Nazareth, vt D. Hieronymus & Augustinus probabile putat, aut meliùs, in Capharnaum, in qua frequentiùs habitabat. *Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Et videns* Iesvs *fidem illorum, dixit paralytico: Confide,*

Matth. 9. 1. S. Hieron. in comment. S. Augustin lib. 2. de con-

Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. Quid est hoc? paralyticus, non remitti sibi peccata, sed sanari corpus cupiebat; Christus autem corporis curationem quærenti, largitur peccatorum remissionem? Nimirum medicorum, qui ex fundamento volunt sanare, est, caussas morborum tollere. Quare & Seruator noster paralyseos originem & indicare, & antè, quàm paralysim ipsam, vt D. Hieronymus atque Euthymius obseruant, videtur tollere voluisse. Solent enim persæpe morbi & effecta, & supplicia esse peccatorum. Ac certè paralyticus, si audiuisset, *Primùm regnum DEI, & justitiam eius quærendam esse*, aut diuina sapuisset, priùs peccatorum remissionem, quàm corporis curationem petere debuisset.

sensu Euang. cap. 25.

II.

Longè autem clarius exemplum est in illo, qui *triginta & octo annos habens in infirmitate sua*, curatus est à Domino, diuersus ab eo, de quo meminit Matthæus: ille enim in Capharnaum, hic Ierosolymis; ille in domo, vbi Christus erat, hic in piscina sanatus est. Erat *Ierosolymis Probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum.* Plurimi ex his, per triginta octo annos sanati sunt. Cur iste solus tamdiu ibi jacuit? cur tam serò sanatus est? Chrysostomus & Euthymius putant cæcum fuisse, vnde aquæ motum non potuerit videre: probabilius est, fuisse paralyticum, cùm in grabato jacuerit membrorum impotens. Hinc tam diuturni morbi ipse caussam vnam indicat, cùm ait: *Domine, hominem non habeo, vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit.* At cur tam infelix fuit, vt hominem non haberet? cur ei DEVS non aliquem prouidit? Nempe ita peccatum illius exigebat, vt tam diu cruciaretur. Nam idcircò dixit illi IESVS: *Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Ex quibus verbis licet intelligere, sæpe corporis morbos à DEO propter peccata, nobis infligi. Indicat enim Christus, cùm monet, ne iterum peccet, hunc paralyticum, propter peccata sua ægrotasse, vt aduertit S. Irenæus ac Augustinus. Sed illud quoque addit Seruator, *ne deterius tibi aliquid contingat.* Quia grauiùs peccat is, qui postquam à DEO sanitatis, siue corporis,

Ioan. 5. 5.
Matth. 9. 1.
Ib. v. 14.
S. Irenæus lib. 5. cap. 15.
S. Augustin. lib. de fide &

operib. c. 20. poris, siue animi acceperit beneficium, iterum peccat, adjungit enim ad peccatum ingratitudinem, vt docent Theologi. Hinc comminatur Christus, fore, vt aliquid illi deterius accidat, si iam curatus peccauerit. Etenim *melius erat, non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti*: vt ait S. Petrus, & inculcant S. Cyprianus, & Bernardus. S. Chrysostomus, cùm è verbis Christi conclusisset, ægro huic, ex peccatis natam esse hanc ægritudinem, addidit: *Si autem hîc neque omnes pro peccato torquentur, non confidamus. Nihil enim nos hîc pati pro peccatis, signum est maioris illic futuri supplicij.* Poterat paralyticus hinc etiam diuinitatem Christi agnoscere: dicendo enim, *Iam noli peccare*, ostendit se scire omnia, quæ ab eo facta erant delicta. Cur autem eam coronidem addit: *Ne deterius tibi aliquid contingat?* Respondet D. Chrysostomus: *Dicunt quidam: Numquid quia in breui temporis momento adulteratus sum, immortaliter, & in æternũ cruciabor? Vide, quòd hic, tanto tempore, annis triginta octo pro peccatis cruciabatur. Non enim temporis mensurâ peccata judicantur, sed ipsâ delictorum naturâ.* Nempe quia in Devm infinitè bonum & potentem commissa sunt, ideò & infinitè punientur, nec ampliùs vmquam retractata æternùm permanebunt. Videant igitur homines, ne peccent, si non volunt in morbos incidere. Videant, vt pœnitentiam agant, si in eos inciderunt. Videant, si conualuerunt, ne ampliùs peccent, alioquin aliquid deterius illis continget.

2. Petr. 2. 21.
S. Cyprian. lib. de disciplin. & habitu Virginum.
S. Bern. serm. 3. in Cant.
S. Chrys. hom. 37.
S. Chrys. loc. cit.

III. Demonstrauimus, hos duos paralyticos, ob peccata sua, morbis justissimè fuisse afflictos, quid autem, aut quo genere peccati meruerint morbis corripi, non constat. In specie autem indicat Paulus incurrere in morbos & immaturas mortes eos, qui animæ medicinam sumunt absque digna præparatione: ita enim scribit. *Itaq; quicumq; manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè: reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit: non dijudicans corpus Domini. Ideò inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.* Culpa clara est, esse reum corporis & sanguinis Domini violati, seu indignè sumpti, & tractati, prout à

1 Cor. 11. 27.

Iuda & Iudæis fuit tractatus Christus. *Vis enim infertur corpori Domini, & ore ac manibus in Dominum delinquitur*, ait S. Cyprianus, quando sine debita præparatione ad illum sumendum acceditur. Par est quippe, vt *probet seipsum homo*, examinetque, num aptus sit ad tanta mysteria adire; præcipuè, an nullius peccati mortalis sibi sit conscius. Cuius si se reum deprehendit, contritione & confessione illud deleat. Nam hanc probationem ex jure diuino requirere & intelligere Apostolum, docet Concilium Tridentinum, idemque docuit Cyprianus, & Mille ducentis annis ante Concilium Tridentinum S Leo. Quin & ita se probet, vt venialia peccata, eorumque radices serio proposito & pia ad DEVM oratione euellere conetur, quemadmodum suasit Chrysostomus, & innuit ipse Dominus, quando ante Eucharistiam lauit pedes Apostolorum; significauit enim, puro deuotoque animo, & cum timore ad communionem accedendum, vt dixit S. Ambrosius. Quòd si quis hoc neglexerit, & panem hunc indignè manducauerit tamquam panem communem, *judicium*, seu damnationem, sibi manducabit. Siquidem *nos Christiani*, inquit S. Iustinus, *Eucharistiam non vt cõmunem cibum sumimus, sed credimus, quòd sicuti per verbum Dei, Dei Filius factus est homo, ita per verba consecrationis in Eucharistia fiat & sit caro, & sanguis Christi.* Ad regales, seu connubiales epulas, sine nuptiali veste, aut sordidatus nemo accedit, & ad mensam Domini accumbere audent mortales manibus, immò mentibus illotis? Audent sanè: *ideò multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Hinc enim*, ait Theophylactus, *sunt immaturæ mortes, diuturnaq; ægritudines & morbi.* Eant nunc illi, qui vix semel in anno corpus Domini accipiunt, & ne tunc quidem ad id se præparant, sed toti crudi veniunt ad diuinum epulũ; eant, inquam, & mirentur, se ægrotare; morbis videbunt se se indignari, cùm mortem meruissent.

S. Cyprian. serm. de lapsis.

Conc. Trid. sess. 13. can. 7. Cyprian. de lapsis. Leo ep. 91. ad Theodor. Ioan. 13.

S Iustin. in orat. ad Antonin. Pium Imp.

Theophyl in. 1. Cor. 11.

IV.

Immò testis est S Chrysostomus, ob hoc peccatum, multos fuisse à dæmone vexatos. Et recenset tria exempla S Cyprianus, vnum de eo, qui priùs gustatis idolothytis, postea sumptâ Eucharistia, obmutuit; alterum, de illo, qui post idolothyta ad Eucharistiam accessit, & sibi ipsi linguam discerpsit; tertium de puella, quæ, deuoratis idolothytis, coacta est Eucharistiam reuomere.

S. Chrys. in 1. ad Timoth. hom. 5. S Cyprian. serm. de lapsis.

2 Cor. 6. 14. *Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis?* Cur autem iustitia diuina non plecteret Christi corpus indignè tractantes, quæ vel minùs sacra temerantes tam seuerè plexit? Scribit Victor Vticensis, Proculum quemdam Arianum, qui de pallis altaris camisias sibi, & femoralia fecerat, itidem linguam dentibus frustatim comminutam vorauisse, atque morte turpissima consumptum esse. Nouatum memorat Eusebius, quòd nec chrisma, nec exorcismos in baptismo percepisset, à maligno spiritu mirificè diuexatum. Obuia est historia de Batauo per ludibrium Missæ sacrificium imitante, An. 1574. & dirissimè mulctato. Quid ni ipsam Eucharistiam contumelia afficientes puniantur? Hinc Donatistas, qui Eucharistiam impiè effuderunt, & canibus objecerunt, teste Optato, illi ipsi canes rabidis morsibus inuaserunt, & non iam Achæonem, sed Pentheum fecerunt. *Epach presbyter*, inquit S. Gregorius Turonensis, *dum temerè, quæ indignus erat, agere præsumpsisset, diuino iudicio solo projectus, occubuit. Hic enim, dum Dominici natalis vigilias celebrare Ecclesia expetijsset, per singula horarum momenta egrediebatur è templo Dei, ac in domo sua pocula lasciua spumantibus pateris hauriebat, ita vt affirmarent multi, eum post galli cantum in ipsa nocte vidisse bibentem. Sed cùm esset ex genere Senatorio, & nullus in vico illo Ricomagensi, juxta sæculi dignitatem, haberetur nobilior, celebrare Missarum solemnia expetitur. Nec dubitabat miser vino madefactus appetere; quod jeiunus quisq; non sine metu potest, terrente conscientia, explicare. Verùm, vbi explicitis verbis sacris, confracto Dominici corporis Sacramento, & ipse sumpsit, & alijs distribuit ad edendum, mox equini hinnitus ad modũ vocem emittens, ad terram ruit, ac spumas cum ipsa mysterij sacri particula, quam dentibus comminuere non valuit, ab ore projiciens, inter manus suorum ab Ecclesia deportatur. Nec caruit vltrà epilepsiæ infirmitate. Sed per singulos lunares cursus incrementis decrementisq; hac semper pertulit, quia ab haustu nimio vini minimè infelix abstinuit.*

Vict. Vtic. li. 1 de Persecut. VVand.

Euseb. lib. 8. hist. Eccles. cap 33.

Bredenbach. lib. 1. Collat. cap. 39.

S. Greg. Turonens. lib. 1. de glor. Martyr. cap. 78.

V. Apparet ex hoc exemplo, presbyteros sobrios esse oportere, ne dum Christi corpus & sanguinem indignè manducant, judicium sibi manducent & bibant. Et quoniam sanè multi, intem-

perantia victi, vel laici, vel Sacerdotes temerè proterueque, immò sacrilegè ad diuinam hanc mensam eunt, vnde morbis castigari merentur, apponam huc insigne exemplum, quod in vita S. Godefridi Episcopi Ambianensis perscripsit Nicolaus Monachus Suessionensis eius æqualis, his ferè verbis. *Aduentante Quadragesima sacrosancto ieiunio plebs frequens aduenit in ædem beati Firmini Episcopi, & martyris, eo die, quo cineres ex Patrum pia traditione, quæ hactenus obseruatur, fidelium capitibus imponuntur. Adfuit etiam beatus Godefridus, more suo nudis pedibus, & cilicio indutus: inter cætera sanctæ exhortationis verba, omnibus interdixit esu carnium, donec Dominicæ Resurrectionis solennitas adesset. Sed id multi surda aure accepêre. Nam proximo die Dominico, carnibus abstinere noluerunt, dicentes; Episcopum de suo corde fingere dura, proferre inaudita: se assueta nec velle, nec posse relinquere: par esse non solùm uti illis, sed etiam abuti, & suauibus ætatem ducere oblectamentis. Non id latuit Episcopum, sed tempus exspectauit, quo posset opportunè mulctam irrogare. Ipso igitur Cœna Dominica die, populo ad memorati martyris Basilicam ob impetrandam peccatorum veniã confluente, eò venit sacerdotalibus vestimentis indutus: habet suo more concionem inter alia commemorat Adami inobedientiam, quòd dum ab esu pomi sibi temperare non vult, vniuersum genus humanum damnationi obnoxium reddiderit, & in multas conjecerit calamitates. Tum pergit exprobrare illis, quòd nihil ex eius exemplo absterriti noluerint obtemperare ipsi, immò Christo per ipsum prohibenti ne carnes ederent. An ignoratis, inquit, in Euangelio dixisse Dominum de me, meiq; similibus: qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit? Annuntiaui ego vobis Christi voluntatem & iustitiam: vos me finxisse friuola, dicere non formidâstis. Ergo vestra hac rebellione incidistis in pœnas contemptorum, & cum Adamo rei estis inobedientiæ. Certè meritas hodie luetis pœnas. Hac Episcopo dicente, certatim omnes se humi prosternunt, pugnis pectora verberant, palam fatentur culpam suam, cum multis lachrymis petunt à DEO veniam, eamq; per Episcopum impetrare admodum submissè contendunt. Ille verò ait ad eos: Dignos pœnitentiæ fructus facite, & Christum vobis propitium reddere conemini. Interim tam impuræ transgressionis hæc mulcta esto, vt à sacrosancta Eucharistia, vsq; ad secundam Paschatis feriam abstineatis,*

Sur. Tom. 6. die 8. Nouẽb. lib. 3 cap. 13. de vit. S Godefridi.

vt

ut quod improba admisit temeritas, pia quandoq; posit confessio abolere; Abeunt igitur cum multo rubore & mœrore, atq; inter se quiritantur, quòd pro momentanea delectatione tam solenni die communione priuentur. Porrò Episcopus pastorali seueritate utens presbyteris omnibus præcepit, ne quem ex ijs, qui carnes comedissent, ad Eucharistiam sumendam admitterent. Volebat enim hac ratione eam insolentiam reprimere, & coërcere, ne similia quandoq; attentarent. Sed ecce ipso Dominicæ Resurrectionis die fidelibus ad percipiendam Eucharistiam accedentibus, quidam ex mundi huius sapientibus, vel potiùs insipientibus, cùm se reum sciret eius, quam diximus, transgressionis, nec tamen abstinere vellet à sacra communione, muliebrem habitum induit, sexumq; fœmineum adeò mentitur, vt non aliud quàm fœmina videretur. Vult hominum oculos fallere, sed omnia videntis DEI oculos fallere non potest. Vt pòst alijs insultare queat, quòd Episcopo obtemperantes, in tanta hominum frequentia, se passi sint tamquam Ethnicos arceri à communione: accedit ad altare non dijudicans corpus Domini, nec metuens Apostoli sententiam, eum, qui indignè illud manducet, judicium sibi manducare. Per id tempus in Ecclesia, in quâ istuc accidit, quæq; in beati Remigij honorem constructa est, vir reuerendissimus Fulco sacerdotio fungebatur. Is hominem non agnoscens, admittit eum ad altare, porrigit ei Eucharistiam: sed ille diuina eum persequente vindicta, corruit: acerrimis viscerum doloribus cruciatur, spumasq; cruentas ab ore ejciens, quod indignus sumpserat, cum multo sanguine, cunctis cernentibus, euomit. Accurrunt omnes, dolent vicem eius (nec dum enim aliud, quàm fœminam credebant) Fulco Sacerdos propè exanimis aduolat, sciscitatur, vnde venerit, quærit, quâ caussâ tam horrendam patiatur calamitatem. Non enim frustra id esse. Ille tandem non nisi collectis viribus, fœmineo abjecto habitu, declarat, quis sit: nec enim dolor sinebat eum diutiùs dissimulare. Tum verò ait ad eum venerabilis Presbyter Fulco: Quâ tu mente, & fronte ausus es, tam inauditum designare facinus, vt sexu ementito, contra egregij Præsulis Godefridi præceptum, tremendis te ingerere Sacramentis non dubitares? non tu gehennæ æternos cruciatus & flammas inextinguibiles formidare debuisti? His atq; alijs à Sacerdote dictis, ille miser summo pudore affectus: Heu me infelicem, ait, qui diu instar equi & muli per illicita diffluens, quidquid animo collibitum

esset,

esset, impudenter admisi. Vnde tandem id consecutum est, quod Salomon
ait: Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit. Itaq;
erecta ceruice, spreta Antistitis salutari prohibitione, huc accessi, sed tā-
dem vexatione dante intellectum auditui, reipsa iam comperi, facienda
esse quæ jubet Episcopus. Christus enim per eū locutus est. Hæc vt audiuit
populus circumstans, valde horruit infandū scelus, laudauit Christi ju-
dicia, abdita in lucem proferentis, Godefridum Episcopum mirè extulit,
exactiùs deinde jussa eius se facturū affirmauit. Hæc quidem dicta sint in
terrorem illorū qui spiritualium Patrū jussa contemnere non verentur.
Multa pariter in hoc homine scelera fuêre conjuncta, qui- VI.
bus se se in rebus sacris libertini amant contaminare. Vitium
gulæ, vetitas in Quadragesima carnes appetentis ac vorantis.
Duplex inobedientia, viri neque Ecclesiæ legibus, neq; Episcopi
mandato obedientis. Audax temeritas ad sacram mensam, &
cælestis regis epulas, sine veste nuptiali, intrantis. Immò impu-
dens mendacium alium sexum veste muliebri simulantis. Deniq;
sacrilegus Dei, & seruorum Dei contemptus. Quæ omnia, qui
imitantur, an non merentur esse *infirmi & imbecilles*, & ferreum
somnum dormire? Vt igitur præuaricatoribus & contemptori-
bus carniuoris istis fibulam injiceret etiam Bredembachius, hanc Bredenbach. Belli Liuonici, pag. 27.
historiam recitauit. *Paucis ab hinc annis, postquam Torpatenses in*
Lutheranam doctrinā concesserant, feria sexta solemne Pascha festum
proximè præcedenti, finita Lutherani Ecclesiastæ concione, ciuibus è
Templo D. Matri virgini sacro reuertentibus, quidam alium concivem
& familiarem inuitat ad prandium, rogat vnà domum comitetur,
habere se egregiè paratum petasonem VVestphalicum. alter parum ab-
horrens, respondet, sibi esse gallum opiparè elixum, quem cupiat in
symbolum adferre. Dum ad mensam accumbitur, alter os quoddā galli
ambedere volens imprudens panè ipsum deglutit, quod cum neq; trans-
mittere, neq; eximere valeret, eo ipso die, suffocatur: alter postridiè Pa-
schæ malo spiritu corripitur, & nō multò pòst rabie ac furore exagitatus
animam vnà cum dæmone exhalat. Sic inobedientes atque irrisores
plectit diuina justitia, quæ etiam Acherontico tortori eos non-
numquam tradit cruciandos. Cuius rei aliud exemplum legi-
mus in vita S. Carilephi. *Mulier quædam Gunda nomine, quam*
Clandestinus supplantator illexerat, Spiritui S. volens illudere, virili

præsumpta veste in beatissimi Carilephi monasterium ingredi conata est vt probaret verúmne esset illius vaticinium, quo prædixerat, sexui fæmineo numquam datum iri copiam in illud intrandi: sed iusto Dei *iudicio priusquam vel respiceret cœnobij clausos aditus, arrepta à diabolo retrorsum ruit, adeóq; fœdè ab illo vexata est, vt dicere me pudeat. Caput enim illi adegit intra fœmora, sicq; factum est, vt quæ sacratis liminibus falsa oscula imprimere tentauerat, immũdas sui corporis partes osculari cogeretur; sexumq; ipsa suum, quem virili habitu tegere voluerat, cunctis cernere volentibus palàm proderet. Quæ res effecit, vt deinceps eò se conferre mulieres ausæ non sint.*

VII. Discant hinc mulieres vitare cœnobia Religiosorum; & viri quoque non contemerare claustra virginum Religiosarum. Nec enim sine caussa claustra vocantur. Væ, qui illuc comessandi, potandi, ludendi, saltandi caussa ingrediuntur. Deo sponsas animas sollicitant. Angelos habent aduersarios, qui, vt olim *ante paradisum voluptatis Cherubim*, cum flammeo gladio atque versatili, ante domos Deo sacras, ad homines Deo consecratos custodiendos, collocantur. Meritò igitur impuri illuc penetrare cupientes dæmonibus verberandi permittuntur. Quemadmodum & illi, qui excommunicationem contemnunt. Horribile exemplum est in vita S. Laurentij ArchiEpiscopi Dublinensis. *Per id tempus, multiplicatis malis in terra, cùm sanctus Pontifex die quodam à Dublinia Vuassofordiam iter haberet, quidam è militibus regis VVilhelmus nomine, se comitem ei adhibuit, ne fortè si solus esset, incideret in latrones. Sed & scriptor quidam cum vxore sua paruuloq; infante, tamquam securiùs iter iam facturus, illis se junxit. Ingredientibus autem illis nemus quoddam, latronum latibulum, viginti quatuor loricati latrones è latebris prodierunt, simulantesq; se velle parcere Pontifici & suis, petebant, vt militem ipsorum traderet voluntati: ipse verò cum suis Clericis illæsus abiret. Sed vir sanctus respondit, malle se interfici, quàm illis militem jugulandũ permittere. Tum illi furijs agitati, in clericos eius sæuiùs irruerunt, & scriptorem antedictum crebrò irrumpendo occiderunt. Eius autem vxoris misertus Episcopus, postea, quæ ad victum vestitumq; pertinent, perpetuò illi subministrauit; puerum verò litteris erudiendum curauit, & quoad vixit, inter Clericos suos illum numerari voluit. Porrò la-*

Gen. 3. 24.

Sur. tom. 6 in vita eius 14. Nouembr. cap. 25.

trones lanceam in militem vibrantes, misericorditer se se interponentis Episcopi equum confoderunt: sicq; miles equi præsidio de eorum manibus ereptus est. Præsul verò spoliatis Clericis, varijs affectus injurijs, in proximam veniens ciuitatem, latrones illos per internuntios admonuit, vt à sua malitia abstinentes, veniam impetrarent: ni id facerent, se cum omnibus eius ciuitatis presbyteris in eos excommunicationis sententiam pronuntiaturum. Illis autem pœnitentiam & correctionem respuentibus, eos excommunicauit. Quod cùm illi cognouissent, & quemadmodum fieret excommunicatio, inquisissent, dixerunt: Excommunicemus & nos ArchiEpiscopum. Et accipientes exta bouis furto ablati, loco stolarum, & accensis lignorum faculis, loco candelarum, instar luporum vlulabant. Clericos irridentes, anathema legentes & in derisum Ecclesiæ etiam in aqua ipsas faculas extinguentes. Ex ijs vnus postero die, licet quadruplici tectus veste, frigore satis temperato, & tolerabili extinctus est. Tertio inde die, malitiæ eorum dux itidem peremptus est, atq; ita alij post alios, intra annum vnum perierunt.

Atrocia quoque sunt, quæ in vita S. Hugonis Episcopi Lincolniensis leguntur. *Nam cùm rebelles quosdam & contumaces satanæ tradidisset in interitum carnis, subitò non comparuerunt. Miles quidam propter quoddam mendacium ab Episcopo sancto reprehensus, cùm admonitionem eius parui penderet, nec se emendare vellet, mox ab illo excommunicatus est. Vsurpabat namq; sibi bona quædam, quæ, incitante eum vxore, quòd prolem legitimam non haberet, à veris heredibus per simulationem alienare consenserat. Tremenda res. Inuasit eum diabolus, nocte sequenti extorquens subitò animam mendacem. Alius quidam in eodem scelere ei succedens, cùm latus & temulentus lecto exciperetur, sopori mortem socians, etiam miserè extinctus est. Forestarius quidam propter facinus plexus anathemate, viri* Dei *sententiam non metuens, intra paucos dies horribili morte decessit è vita. Quidam diaconus, liuore impellente, militem quemdam nequiter accusans de crimine regiæ proditionis, Hugonis sententia ob spem emendationis percussus, cùm peccatum suum non modò non vellet agnoscere, sed etiam ab Archiepiscopo absolutionem impetraret, rediensq; ad virum sanctum purgationis, vt putabat, suæ chirographum secum afferret, rursum non obstante mandato, ab illo excommunicatus est. Vt*

VIII. Sur. in vita eius. cap. 23. die 17. Nou.

autem Dominus ostenderet, vtrius sententiam approbâsset. Diaconum horrendum in modum percußit, nec eum diutiùs viuere passus est. Adolescentula quædam, cùm impudenter spueret in faciem sponsi sui, præsente sancto Episcopo, nec veniam petere vellet, à diabolo præfocata exspirauit. Tantum facinus est, Præsides Ecclesiasticos contemnere, vt anathemate feriri, excommunicari, atque ab ipso dæmone torqueri mereantur contemptores.

IX. Nihil autem noui est, vt eiusmodi peccatores excommunicati satanæ tradantur cruciandi. Siquidem & Apostolus, cùm ad Corinthios scripsisset, *Omninò*, non vago rumore, sed certa fama, *auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat* sibi concubinam, & priuignus cum nouerca congrediatur, quod crimen Hippolytus in Phædra detestatus est; hæc, inquam, cùm partim scripsisset, partim insinuasset Apostolus, subjunxit: *Et vos inflati estis*, dum superbis vestris contentionibus occupati, non curatis, vt tanti incestus reus è cœtu vestro expellatur. Ait enim: *Et non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrûm, qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam judicaui, vt præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri* IESV *Christi, congregatis vobis, & meo spiritu, cũ virtute Domini nostri* IESV *Christi tradere huiusmodi satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini nostri* IESV *Christi.* Itaque Paulus, tamquam Pastor & Episcopus vigilans Ecclesiæ, *judicauit*, seu statuit, *in nomine*, hoc est, auctoritate & vice *Christi*, vt in publica Corinthiorum congregatione fornicarius ille excõmunicaretur, & traderetur satanę qui extra Ecclesiam regnat, ibiq; solet excõmunicatos non solùm in anima, verùm etiam in corpore affligere. In anima quidẽ, quia excommunicati extra societatem Christi & Ecclesiæ, ejectique orationibus, suffragijs, sacrificijs, Sacramentis, DEI protectione, cura Pastorali priuantur, & ita tyrannidi atque incursibus diaboli, cuius regnum est extra Ecclesiam, exponuntur, vt in eos magis, quàm antè grassetur, eosque in omne malum impellat. In corpore autem, quia ita in interitum carnis traduntur, vt ægritudine corporis, vulneribus, aut plagis eos maceret satanas, vt caro eorum atteratur, carnisque vigor intereat. Nam in primitiua

1. Cor. 5. 1.

Ita S. Augustin. lib. 3. contr. epist. Parmen. c. 2. & S. Hieron. ep. 1. ad Heliodor.

mitiua Ecclesia, vt docet Theodoretus, ex maiorum traditione excommunicati diabolo traditi, etiam ab eo corporaliter fuêre vexati, & quasi possessi. Exempla crebra sunt in vitis Patrum. S. Ambrosius quemdam satanæ tradidit, quem dæmon eodem momento abripiens, discerpere cœpit. Qua de caussa Dominus Apostolis immundorum spirituum tradidit potestatem, non solùm, vt eos expellerent, sed etiam (vt discerent homines excommunicationem timere) immitterent ad corpus diuexandum. Theodoreti verba sunt: *Eos tradit diabolo, non vt bonorum magistro, sed vt seruo carnifici; & ideò non dixit, vt eos doceret, sed vt doceantur non blasphemare. Ab Ecclesiastico enim corpore separati, & diuina gratia nudati, ab aduersario crudeliter flagellabantur, incidentes in morbos, & difficiles affectiones, & alias calamitates; hæc enim consueuit inferre hominibus, quoniam & est inimicus, & vltor, vt dicit Propheta.*

Theodoret. 1. Cor. 5. 5. & 1. Tim 1. 20.

S. Paulin in vita S Ambrosij.

Theodoret. 1. Tim 1. 20.

Psal. 8. 3.

X.

Enimuerò etiamsi tales Cypridis mystæ non excommunicentur, sæpe ob solam effrænem libidinem, sæpe etiam ob conjugalem intemperantiam, diuina justitia eos castigante, à dæmonibus cruciantur. Et quia, qui in matrimonijs sunt, omnia sibi licere arbitrantur, audiant historiam sacram, quam non est fas inter fabulas computare. Angelus Raphaël Tobiæ juniori dixerat, Saram vnicam opulenti Raguelis filiam illi conjugem deberi. *Tunc respondit Tobias, & dixit: Audio, quia tradita est septem viris, & mortui sunt: sed & hoc audiui, quia dæmonium occidit illos. Timeo ergo, ne fortè & mihi hæc eueniant: & cùm sim vnicus parentibus meis, deponam senectutem illorum cum tristitia ad inferos. Tunc Angelus Raphaël dixit ei: Audi me, & ostendam tibi, qui sunt, quibus praualere potest dæmonium. Hi namque, qui conjugium ita suscipiunt, vt Deum à se, & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus: habet potestatem dæmoniũ super eos.* Quod bene obseruent conjugati. Et multò magis, quicumque extra matrimonium libidinantur. Nam, vt ad nouum Testamentum reuertamur, ob hanc caussam, Mariam Magdalenam septem dæmonia occuparunt. Quod si vnicus Asmodęus septem potuit viros occidere, quantùm poterunt dæmonia septem vnam mulierem cruciare? Narrat Prosper

Tob. 6. 14.

Marc. 16. 9.

Prosp lib. de

dimid temp. cap. 6. puellam quamdam, ob curiosam corporis sui cum statua Veneris collationem, diuina vltione à dæmonibus infessam, ac velut à carnifice tortam. Et D. Hieronymus testatur aliam puellam, ob vaniorem ornatum, externamque dumtaxat quamdam dissolutionem dæmoni, per maleficum immisso, patuisse. Terribiliora exempla nos in Sirenibus daturi sumus.

D. Hieron. in vita S. Hilarion.

XI. Ob blasphemiam quoque S. Paulus Alexandrum & Hymenæum dæmoni torquendos permisit. Ita enim ad Timotheum scripsit, postquam eum jussit habere *fidem & bonam conscientiam, quam*, inquit, *quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt: ex quibus est Hymenæus, & Alexander, quos tradidi Satanæ, vt discant non blasphemare.* In quem locum Theophylactus ita scribit. *Cùm vita impura fuerit, dogmata etiam inde peruersa nascuntur. Vt enim metu futurorum non torqueantur impurè viuentes, persuadent sibi omnia esse vana, quæ de religione nostra dicuntur. Ex quibus est*, inquit, *Hymenæus, & Alexander, quos tradidi satanæ, vt discant non blasphemare. Sed quomodo tradebantur satanæ? Eijciebantur ex Ecclesia, abijciebantur à charitate, tradebanturq́ue nudi lupo. Vt enim olim tabernaculum protexit nubes, sic & Christi Ecclesiam Spiritus paraclitus. Si quis igitur extra hanc, ac proinde etiam Spiritum fuerit, citra laborem ab alijs deinceps capi potest. Talis igitur Excommunicationis mulcta est.* Accepit igitur blasphemos istos diabolus in potestatem. An non enim illis os intumescat, qui tumidi in DEVM & Diuos euomunt execrationem? An non lingua exscindatur ad laudes diuinas creata, sed conuicia pariens, & cælum ipsum opprobrijs appetens? Mitissima certè DEI Mater, & patientiam suam clementiamque, & justitiam aliquando in talem ostendisse legitur, in Prato Spirituali. *In hac* (Heliopoli Phœniciæ) *mimus quidam erat, Gaianus nomine, qui in theatro sanctam Dei Genitricem blasphemans, populo spectaculum blasphemiæ prabebat. Apparuit autem ei Sancta Dei genitrix: noli, quæso, noli ita lædere animam tuam. ille verò rursus deteriùs illam blasphemabat. Vnde ipsa tertiò ei apparens, eadem repetebat. cùm autem ille se non corrigeret, sed plus quoque blasphemijs adijceret: meridie dormienti sibi apparuit, nihilq́ue dicens, digito signauit eius manus & pedes. Euigilans autem inuenit, se truncatum manibus & pedibus. Atq́ue ita infelix,*

1. Tim. 1. 19.

In Prat. Spir. cap. 47.

lix, truncus inutilis, iacens, confitebatur omnibus, cuius rei gratia, & quomodo hæc passus esset, vtq; propter blasphemias clementer cruciatus fuisset. Ex ictu igitur sapuit; minùs truncus, postquam truncatus fuit: sic enim sectus, meliùs didicit loqui. Et bonum erat ei, *debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem.* Marc. 9. 42.

XII. Consimile prorsus exemplum, hæreticis nostris bene inculcandum, recenset Nicephorus his verbis: *Græci quidam, siue gentiles in cuiusdam domo conuiuantes, & vino se se inuitantes, post prandium simul atq; satis adbiberant, blasphemare, & conuicijs proscindere Verbi Matrem cœpêre: postremò hoc compotationi adhibentes studium, vt quæcumq; aliquis eorum excogitare posset, absurda atque indigna, per ea ridens œconomiæ, & dispensationis salutis nostræ mysterio illuderet. Impietas ea, postquam innotuit, illi quidem dignas petulantis linguæ pœnas dedêre: Ædium autem, in quibus considentes gratui blasphemiæ indulserant, dominus, à sacris nostris non alienus, tum quidem quòd res ita tulerit, periculum effugit. Non multò verò post noctu ei dormienti in somnis* DEI *Genitrix adstitit, cui diligentiùs nunquid se, quænam esset, nosset, percunctanti: postquam ipse, nosse se eam professus est; illa ei contumeliarum indignitatem in memoriam reuocauit. Tum ille miser supplex illi esse, veniamq; delicti petere: & ne tam citò morte mulctaretur, sed tempus ei pœnitentiæ relinqueretur orare. Illa daturam se hoc ei, neq; in præsentia ipsum ita morte pœnas luiturum promittere: vimine autem, quod manu gestare videbatur, genua eius circumcirca veluti exarans, circumscribere. Id vbi factum, auolans ei postea non apparuit. At ille somno discusso, membra ea, quæ vimine notata fuerant, statim ab reliquo corpore disrupta inuenit, recenti sanguine profluente. Et in publicum productus, iustum omnibus iudicium promulgauit. Qui verò id audierant, laudes* DEO, *propter tam inopinatum miraculum, cantârunt.* Ceterùm blasphemias per dæmones plecti, docuit etiam sanctus Abbas Auxentius, ad quem Metaphrastes testatur, multos à spiritibus immundis insessos fuisse allatos, quos ille sanctis precibus suis curauit; inter quos vtique fuerunt, qui pœnam illam blasphemijs promeruêre. Duo certè aliquando ad eũ venerunt, lepra toti cooperti atque exesi: ad eos, cùm sanitatem peterent, S. Auxentius eiuscemodi habuit oratio-

Niceph li. 18. hist. eccl. c. 33.

Metaphrastes 14 Februarij.

orationem: Scitisne, charissimi fratres, quanam de caussa ira Numinis tantopere in vos desæuiat? sæpe sacrosanctum Domini nomen in vanum accepistis, sæpe diras execrationesque in mortales immortalesq; pariter effudistis; idque leuissimas ob res. Quare iusto Dei judicio hoc malum vos inuasit. Culpam igitur lachrymis, tamquam Iordane, eluite, si vultis pœna liberari, pœnitentiamque agite. Quod vbi fecerunt, & ipse Sanctus preces suas super eos effudit. Postquam igitur execrabiles blasphemiæ diuinis laudibus sunt compensatæ, animis sanati etiam ad corporis integritatem redierunt. Quare frequenter in cælum impij, non tam Superos maculant, quàm semetipsos.

XIII. Quin homines ipsi, dum hominibus dirissima quæque imprecantur, diuinam iram, & in suos, & in se se prouocant; & sæpe parentes ipsi filijs suis febres, vlcera, pestes, dæmones ex Orco euocant. Quid igitur mirum, si pro reuerentia sua exaudiantur? De filijs à matre sua nimis delicatè enutritis, & pro bona gratia malam mercedem reponentibus, Ioannes Archipresbyter, in vita D. Zenobij, Florentini ita scribit: *Cùm mulier quædam pagana & illustris & diues valde in hac ciuitate mortuo viro duos superstites haberet filios, quos delicatissimè enutrierat, & ad perfectam illi iam peruenissent ætatem, quodam die in iram versi, matrem propriam pluribus verberibus enormiter flagellarunt. Quod scelus ipsa impatienter abhorrens, corpora eorum horrendis imprecationibus detestata fuit, genibusq; procumbens, & terram manibus propulsans, Erynnem, cæterasq; infernas pestes in rabiem filiorum magno cum gemitu inuocat. Exaudiunt dæmones ab imis tenebris: juuenes aggrediuntur, illos in furias exagitant; qui statim vt rabidi canes, mordaciter ad inuicem sua membra corrodunt. Concurrunt famuli, fit clamor ingens, alij funes, alij catenas ferunt, ligantur juuenes, nec rabie contineri valent.* Longum & terribile est, quod S. Augustinus de septem fratribus & tribus sororibus non ignobilibus, apud suos ciues Cæsareenses, commemorat. Hi omnes maledicto matris, *quæ injuriam sibi ab eis factam acerbissimè tulit, tali pœna sunt diuinitus coërciti, vt horribiliter quaterentur omnes tremore membrorum, in qua fœdissima specie oculos suorum ciuium non ferentes, quaquauersum cuiq; ire visum est, toto penè vagabantur orbe*

Apud Sur. 25 Maij tom. 3.

S. Augustin lib. 22. de ciuit. cap. 8

rbe Romano. Ex his etiam ad nos venerunt duo, frater & soror,
Paulus & Palladia, multis alijs locis miseria diffamante iam co-
gniti. Hæc Augustinus, qui deinde prolixè describit luculen-
tum miraculum, quo S. Stephanus illis sanitatem impertiuit.
Quòd si mater ex impatientia liberis suis malè precans pœnam
à Deo impetrat, quid ni id Paulus faceret ex zelo justitiæ & Dei?
Hinc enim cùm Christum prædicantibus resisteret Elymas ma- Act. 13. 8.
gus, *quærens auertere Proconsulem à fide, Saulus, qui & Paulus, re-*
pletus Spiritu sancto intuens in eum dixit: ô plene omni dolo, & omni
fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subuertere
vias Domini rectas? Et nunc ecce manus Domini super te, & eris
cæcus, non videns solem vsq; ad tempus. Et cecidit in eum caligo, &
tenebræ, & circumiens quærebat, qui ei manum daret. Dictum fa-
ctum, statim punitus est Elymas, quia id exegit sceleris conta-
gium. Aliàs quandoque differt Deus scelerum punitionem in Rom. 2. 5.
aliam vitam; quandoque in longius huius vitæ tempus; vt spa- S. Aug. 1. cót.
tium relinquat pœnitentiæ; fidem & timorem de futuris exer- aduers legis
ceat; amorem excitet, quia magis vult amore, quàm timore coli, c. 17. & serm.
vel denique vt thesaurum iræ, patientia illius abutentibus, cu- 210. de temp.
mulet, vt post S. Paulum S. Augustinus & Gregorius docuerunt. S. Greg. hom.
Sed pergamus in historia à S. Augustino paulò priùs citato re- 13. in Ezech.
citata.

XIV.

Nam & filijs, & sibimetipsis malum accersiuisse illam ma- S. Augustin.
trem, copiosè narrat S. Augustinus, compendij causâ, satis est lib. 22. de ci-
audire Paulum vnum è decem illis liberis loquentem, qui jussus uit. cap. 8.
à D. Augustino rem enarrare, in libello perscriptam S. Patri obtu- Extat libel-
lit in hunc modum. *Cùm adhuc in patria nostra Cappadocia Cæ-* lus iste inter
sarea moraremur, frater noster natu maior grauibus, atq; intolerandis sermones S.
communem matrem affecit injurijs: in tantum, vt ei etiam manus non Augustini
dubitaret inferre. Quod nos omnes filij pariter congregati patienter nouos, quos
tulimus, vt ne verbum quidem fratri nostro pro matre nostra, cur hoc Louan. Vli-
faceret, diximus. Illa autem fœminei doloris stimulis incitata, in- merius edi-
juriosum filium maledicendo punire constituit. Cumq; ad sacri bapti- dit.
smatis fontem, post gallorum cantus, memorato filio suo iram Dei *im-*
precatura, properaret: tunc ei nescio quis, in patrui nostri similitudi-
nem, vt intelligitur, dæmon occurrit, & ab ea prior, quò pergeret re-

quisiuit. Cui illa ad maledicendum filio suo, ob intolerabilem contumeliam, se ire respondit. Tunc ille inimicus, quoniam in mulieris insanientis corde locum facilè inuenire potuit, vt omnibus malediceret persuasit. Illa autem vipereis inflammata consilijs sacrum fontem prouoluta corripuit, & sparsis crinibus, nudatisq; vberibus, hoc à Deo potissimùm postulauit, vt extorres patria, & circumeuntes alienas terras, omne hominum genus nostro terreremus exemplo. Mox maternas preces efficax vindicta prosequitur: eumdemq; continuò fratrem nostrum ætate & culpa maiorem, tremor membrorum tantum inuasit, quantum in me vsq; ante hoc triduum, vestra sanctitas vidit. Seruato autem ordine, quo nati eramus, ante vnum annum eadem nos pœna omnes corripuit. Videns autem mater maledictiones suas ad tantam efficaciam peruenisse, impietatis suæ conscientiam, & opprobrium hominum diutiùs ferre non potuit: sed laqueo guttur astringens luctuosam vitam termino funestiore conclusit. Egreßi autem nos omnes, opprobrium nostrum non ferentes, & communem patriam relinquentes, paßim sumus per diuersa dispersi. Tales pœnâ, immò coruis dignos, & morbis lacerandos dudum prædixit Salomon: *Prou. 30. 17.* Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum (vel senectutem, vt legunt Septuaginta) matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.

XV. Quid quòd homines sibimetipsis pessima quæque imprecantes, Deum quodámodo cogunt, vt id permittat, quod optant? *Ioan. Nider. l. 5. Formicar cap. 11.* Vnum de mille dabo exemplũ ex Ioanne Nider. Tempore, inquit, quo in Vniuersitate Coloniensi sacræ Theologiæ studio asscriptus fui, quædam virgo quindecim vel sexdecim annos habens, moribus secundùm sæculum satis composita, in domo cuiusdam suæ consanguineæ nutriebatur, extra domum parentum. Cumq; cognatæ suæ Scyphum satis vilem, terreum quemdam à casu fregisset, cognata ira replebatur in lapsûs negligentiam, & in ream virginem. Quæ virgo tantò hoc molestiùs tulit, quantò vasculum vilius extitit. In iram igitur commota virgo horâ sumendi cibum, nec comedere, nec ad mensam, præ ira, se præsentare voluit. Cuius cognata ait: Oportet, vt comedas. At virgo apud se (vt mihi postmodum, & exorcistæ retulit suo) huiuscemodi verba submurmurando dicebat: Si me oportet edere, in nomine diaboli fiat. Sic mensam accedit, benedictionem mensæ, quam benè sciebat, dicere

ere neglexit, & in primo morsello, vt putabat, muscam ori illatam
ensit quam cùm nulla arte eÿcere valeret, deglutiuit, & immediatè
obsessa fuit, semper tamen vsum rationis bonum habuit, licet sæpe sa-
tis vexaretur à dæmone. Cùm autem in domum parentum cum
magna mœstitia reduceretur, & diutißimè nullus reperiretur, qui illā
liberare posset, tandem quidam frater nostri Ordinis, nunc magister
Godfridus Sclussel, sacræ Theologiæ Professor, calamitati parentum &
puellæ compatiens se de eius exorcizatione intromisit pacto tali præmio,
vt si liberaretur, nihil terreni exorcistæ daretur, sed puella in castitate
solita, si vellet, liberè, & non in matrimonio, de cætero DEO *militaret.*
Legit igitur Pater præfatus missam, obtulit obsessa oblationem consue-
tam, in eadem affuit per totum, & in nullo vexari videbatur, fini-
toq́; officio, post satis diutinum exorcismi actum, membris omnibus vir-
ginei corporis penè percōtußis, exÿt dæmon, & ita virgo deinceps Domino
in castitate seruiuit. Quàm multi hanc in culpa, quàm pauci in
pœnitentia imitantur? Quàm multos ira adigit, vt in nomine
se diaboli facere dicant, quidquid faciunt? Quid igitur mirum,
si puniantur? quod volunt, patiuntur, optata impetrant, repre-
hensionem paruam non sustinent, vt grauiùs castigentur. Quare
sapienter monet Salomon: *Disciplinam Domini, fili mi, ne abÿcias,* Prou. 3. 11.
nec deficias, cùm ab eo corriperis. Nemini impatiens magis nocet,
quàm sibimet ipsi.

CAPVT XXV.

Ex Herodis etiam regis pœna ostenditur, quàm justa sit diuinæ vindictæ seueritas, in morbis & cladibus inferendis?



OMne vulnus sentitur, & dolorem parit; sed nullum magis, quàm quod capiti infligitur. Ibi enim plures sunt nerui, & periculum vitæ præsentius incurritur. Ita sanè vulgus, & cetera Reipublicæ membra gemunt, quando fortunæ aut vitæ aliquod damnum subeunt; sed multò grauior est plaga, quam Princeps, Reges, & Imperatores patiuntur. Hinc, quemadmodum ad intentum ictum brachia obijcimus, ne caput lædatur; ita etiam subditi se se pro Principibus suis exponunt, ne illi aliquid I.

quid detrimenti patiantur. Subditi priuatam domum, aut agrum, aut vitam amittunt, Principe & Rep. stante; at cùm Princeps euertitur, aut ab hoste superatur, clades est communis per totam Prouinciam deriuanda, juxta illud: *Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis.* Ita *cùm omnis exercitus decollatum Holofernem audisset, fugit mens & consilium ab eis, & solo tremore & metu agitati fuga præsidium sumunt.* Ita, cum Pharaone rege, Ægyptij perierunt. Ita *mortuus est Saul, & tres filij eius, & armiger illius, & vniuersi viri eius, in die illa pariter.* Ita quando captus est Sedecias rex, *omnes bellatores, qui erant cum eo, dispersi sunt, & reliquerunt eum.* Quare meritò Ecclesia, & omnis populus orans pro capite suo, ait: *Domine saluum fac regem: & exaudi nos in die, quâ inuocauerimus te.* Quia autem sæpe Deus non exaudit orationem populi, sed sinit eiusce modi Principes extrema pati, sicut Sedeciam, quem Nabuchodonosor rex comprehendit, *filios autem Sedeciæ occidit coram eo, & oculos eius effodit, vinxitq; eum catenis, & adduxit in Babylonem;* ideò multi miseratione nimia moti, Domini judicia ignorantes trahuntur in tentationem. Hi vt videant justitias Dei, afferam regem omnibus notum, & ostendam quàm meritò sit à Deo etiam grauissimis malis punitus. Exemplum tantò erit efficacius, quantò testatius, quantoque minùs potest de eius veritate dubitari.

Zachar. 13. 7. Matth. 26. 31. Iudith. 15. 1. Exod. 14. 24. 1. Reg. 31. 6. 4. Reg. 25. 5. Psal. 19. 10.

II. Est id etiam in pueros notissimum de rege Herode, quo Hierosolymis regnante, natus est Christus. Is postquam diuitijs, & potentia florens ad septuagesimum iam accedebat annum, eousque prospera vsus fortuna, multis, velut agmine facto, repentè obrutus est malis. 1. Eum filij æmulatione inter se collisi, multis falsis accusationibus & delationibus incenderũt. 2. Quòd vni plus faueret quàm alteri, etiam conuicijs & ignominiosis querelis contristârunt. 3. Antipater, cui regnum, post se, destinârat, vt æmulos tolleret, duos fratres suos, per delatores in tantum Herodis odium perduxit, vt eos non conuictos interfici juberet, Alexandrum scilicet, & Aristobulum. 4. Ille ipse Antipater, quem regni successorem voluerat esse, Herodi parenti, quòd nimis diu viueret, venenum parauit. 5. Eiusdem Antipatri calumnijs in Archelaũ & Philippũ mirè exasperatus est. 6. Olim

Gorionides Iudæus. Fusè Flauius Iosephus Hierosolymitanus Sacerdos. li. 17. Antiquit. cap 8. Euseb. lib. 1. hist. 8. Card. Baron. An. Christi 8. Philo lib. 2. de temporibus, & alij.

Aman

Aman cùm vidiſſet Mardochæũ ſedentẽ ante fores Palatij, & non ſolùm Esther. 5. 9.
non aſſurrexiſſe ſibi, ſed nec motũ quidem de loco ſeßionis ſuæ, indigna-
tus eſt valde: & dißimulata ira, reuerſus in domum ſuam, conuocauit
ad ſe amicos, & Zares vxorem ſuam: & expoſuit illis magnitudinem
diuitiarum ſuarum, filiorumq; turbam, & quanta eum gloria ſuper
omnes Principes & ſeruos rex eleuaſſet. Et poſt hæc ait: Regina quoq;
Esther nullum alium vocauit ad conuiuium cum Rege, præter me:
apud quam etiam cras cum rege pranſurus ſum. Et cùm hæc omnia
habeam, nihil me habere puto, quàm diu videro Mardochæum Iu-
dæum ſedentem ante fores regias. Adeò ſemper mundi felicita-
tibus acetum aſpergitur, quod ſanè omnium eſt acerbiſſimum, ſi
honorem mordet. Quod Amani, idem & Herodi contigit: Nam
mirum in modũ efferatus eſt, ait Ioſephus, ira impatiens, & amarulen-
tus in rebus omnibus: in cauſſa erat opinio contemptus, quodq; exiſtima-
ret, gentem lætari ſuis infortunijs. 7. Quã opinionem confirmauit quo-
rumdam apud populum gratioſorum ſeditio; in qua juuenes, claro
meridie aſcendentes detractam aquilam conciderunt ſecuribus, inſpe-
ctante congregata in templum multitudine. Nam ſupra maio-
rem portam templi dedicauerat donum pretioſum aquilam
auream magni ponderis. Hæc multaque alia animam He-
rodis cruciauerunt. Corpus autem non minoribus tormentis
erat occupatũ. 8. Itaq; lento calore torrebatur, qui non tam externo
tactu deprehenderetur, quàm intus popularetur viſcera. Ad hunc mo-
dum principium quoddã Acherontici ignis intus ſentiebat, cuius
vt acrior eſſet cruciatus, nihil apparebat eum viſitantibus, &
ob id fingere eum dolores judicantibus, nullaque ob hunc
æſtum miſericordia motis. Quod ſanè ægris inprimis dolet, ſi ſe
dolere, videant nemini dolere; ſed triſti dumtaxat imaginatione
conqueri putentur. Erat autem ardor ille, quo torrebatur,
non ſicut eorum, qui viui in rogo cremantur, quorum tormen-
tum vltra ſemihoram non durat, ſed erat admodum diutur-
nus, multas non ſolùm horas, dies, & menſes, ſed etiam annos
perdurans. Nam poſt Chriſtum natum octo annis ſuperuixit,
nec diu ab occiſis innocentibus impunitum fuiſſe, credibile eſt.
Certè quinque diebus ante mortem ſuam, cùm filium Antipatrũ
in carcere juſſit interfici, iam pro mortuo habebatur. Satis fuiſ-
ſet

set tormenti, quinque diebus & quinque noctibus fuisse vstulatum. Quamquam vtique necesse sit credere eum longè diutiùs afflictum; cùm diu sub cura medicorum fuerit, multumque temporis abierit, in medicamentis conquirendis; quia etiam, cùm vltra Iordanem fluuium profectus sit, vt calidis se aquis foueret, *apud Callirhoën, quæ præter vim medicam potu quoq; jucundæ sunt. Hæ aquæ in lacum bituminis feracem effluunt. Ibi de medicorum consilio immissus fouendus in refertum oleo solium, visus est illis iam agere animam.* At balnea hæc per multos dies, immò hebdomadas durant. Diu igitur in igne illo viuus torrebatur. 9. Non exigua crux est, fame torqueri & siti. In fabulis Ceres Erisichthonem punitura,

Ouid. lib. 8. Metamorph.

Est molita genus pœnæ miserabile, si non
Ille suis esset nulli miserabilis actis,
Pestifera lacerare fame.

Et Tantalus inter aquas vstus fuit. Sitis illi pro igne erat. In Euangelio diues ille nonnè siti cruciatus fuit, cùm diceret: *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma?* Herodi *aderat & vehemens voracitas, cui necesse esset, continuò cibos suggerere.* Vbi autem multi cibi sumuntur, ibi sitis multa oritur. 10. *Simul vexabatur intestinorum exulceratione, & colicis passionibus.* Tormina aliqui vocant, quæ inter acutissimos morbos numerantur. Colligi potest dolor è clamoribus, & varijs gestibus, qui eduntur ab ijs, qui hoc morbo laborant. 11. *Pedes tumebant phlegmate humido & pellucido, similiterq; inguina, ipsa quoq; verēda putrefacta scatebant vermiculis, accedente fœda, nec minùs molesta tentigine.* Adeò & podagræ morbus & Gallica lues, &, quidquid explicari turpe est, accessit. Soli vermiculi bullientes è viuo cadauere agminatim eum circumdederunt, & cooperuerunt. 12. Ex his omnibus extitit fœtor grauissimus, qualis è putridis cadaueribus, aut ex Auerno expirat; vt eum omnes horrerent accedere, & multis diebus fœtorem non possent abluere, qui eum tetigissent. 13. *Super hæc omnia neruorum contractione laborabat, & difficultate anhelitus.* 14. Præ nimio dolore aliquando *cibi tamen auidus, malum simul & cultellum poposcit. Solebat enim*

Luc. 16. 24.

& antea

& antea pro se repurgatum paulatim incidendo comedere. Tunc verò circumspiciebat, ferire seipsum cupiens: perpetrassetq; facinus, ni Achiabus nepos ictum preueniens, clamore sublato, cohibuisset eius dexteram. In hunc modum, diu, atrocissimè rex Herodes est perexcruciatus, & alij quoque longè crudelissimè per illum, de quibus, paulò infrà, loquemur. Sed hæc fuerunt tantùm initium dolorum, Nam mortuum excepit damnatio & ignis sempiternus.

III. Posset aliquis quærere, Cur Diuina bonitas creaturam suam tanta pati sinat? An non præstaret non esse, quàm sic esse? &, An non talis ad Deum dicere possit: *Mutatus es mihi in cru-* Iob. 30. 21.
delem, & in duritia manus tuæ aduersaris mihi? Potest sanè dicere, sed quia ipse, ex misericordissimo, Deum sibi crudelem fecit. Sunt tempora gratiæ & misericordiæ, quibus nisi homo viator vti velit, palàm edicit Propheta: *Ecce dies Domini veniet, crude-* Isa. 13. 9.
lis, & indignationis plenus, & ira furorisq; ad ponendam terram in solitudinem & peccatores eius conterendos de ea. Et tali homini vtique præstaret, non esse, quàm esse, cùm ipse Christus dicat de Matth. 26. 24
simili: *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Ei scilicet bonum erat, non autem Deo, cuius iustitia æquè debet, ac innocentia innotescere; non item nobis, quibus hoc pacto mundi vanitas ante oculos ponitur, & exemplum diuinæ seueritatis est vtilissimum. DEVS bone, quid diuites tamquam Diuos & quosdam Deos admiramur? Ecce Herodes in omni sua potentia, gloria, rerum abundantia, infelicior est, quàm qui in ponte sedet mendicus; hic enim, cuius totum conuiuium est panis mucidus, adhuc lætatur: ille qui margaritas, qui vniones, qui aurum potabile, qui gemmas bibit, jacet in lecto, tamquam in rogo, & à vertice capitis vsque ad plantam pedis est plenus cruciatu. Et hoc quidem in hac vita, post hanc autem vitam, quis non mallet esse Lazarus, quàm diues ille? *Factum est, vt moreretur* Luc. 16. 22.
mendicus & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Ecce quàm nobilis pompa funebris? *Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno.* Quod planè & Herodi contigit. Nam, vt Iose- Ioseph. li. 17.
phus scribit, *funus parabatur regi Herodi, Archelao curante, vt* Iud. Antiq.
exequiæ patri fierent quàm splendidissimæ, & omnem ornatum profe- cap 10.

rente, vt in pompa comitaretur mortuum. Ferebatur autem in lectica aurea, distincta varijs gemmis pretiosis, & instrata purpura. Corpus quoque amictum erat purpura, imposito capiti diademate, & desuper corona aurea, sceptroq; in manu dextera. Lecticam stipabant filij, & cognatorum numerus. Hos sequebantur milites distributi per nationum genera. Primùm satellites, deinde Thraces, post hos Germani, & deinceps Galli, omnes instructi velut ad prælium. Reliqua deinde exercitûs multitudo armata, sub suis ducibus ac centurionibus. Hos sequebantur quingenti famuli ferentes aromata. Ne cadaueris intolerabilis fœtor omnes fugaret scilicet. *Ea pompa processit Herodiũ vsq; per octo stadia, vbi, quemadmodum antè mandauerat, sepultus est.* Ita quidem corpus habebatur, quod nihil sentiebat. Quid hæc pompa iuuit? immò quàm miserabilis fuit, cùm de anima

Luc. 16. 22. dici queat, *Mortuus est diues, & sepultus est in inferno?* O vanitas vanitatum! Quàm multum sunt solliciti mortales de corporis & externæ pompæ ornatu; & quàm parum de animæ suæ statu! Diligenter recordantur in mortis articulo, immò & in testamento, quid circa corpus & funus fieri velint, & raro, quid animæ futurum sit, meminerunt. Quale enim animæ funus putatis fuisse, quod dæmones duxerunt? Quibus cachinnis, quibus triumphis Herodem duxisse in supplicia inferorum? ad aliam famem, sitim, tormina, & ardorem, & æternùm inextinguibiles flammas?

IV. Sed ne quis putet, DEVM nimis crudelem fuisse, *con-*

Ioseph. li. 17. Antiq. c. 1. *stans erat, inter viros diuinos, & fatidicos opinio,* ait Iosephus, *regem læsa tot modis pietatis Deo pœnas expendere.* Nam audite Herodis vitam, qui mortẽ intellexistis, & mirabimini, Deum tam longanimem fuisse, & vsque ad sexagesimum septimum, & ferè vsque ad septuagesimum annum illi vitam patientissimè concessisse. Quis enim ex vobis, inimicum suum, cuius vitam & necem in potestate haberet, hostilia quotidie molientem tam diu toleraret? 1. Herodes non à Iudæis, sed à Philisthæis origine, obscuris natalibus, tracta, ad Iudæos, teste S. Ambrosio, sic transijt. Antipater parens illius ab Idumæis prædonibus Iudæorum, prope Ascalonem, in templo Apollinis captus, ob inopiam proaui Hieraldi, lytrum non potuit soluere. Coactus est igitur in-

ter Idumæos, tamquam mancipium permanere. 2. Ibi natura callidus, & ad res nouas pronus, varijs artibus & politicis versutijs imbutus ita profecit, vt regis Iudæorum Hircani intimus consiliarius fieret; quo rex etiam legato in negotijs bellicis vsus est. Ille autem non tam regis, quàm suas res agens, de ærario Hircani Iulio Cæsari egregiè succurrit: Hircanoque, homine minimè malo, nihil suspicante, effecit, vt ei Iulius, gubernatione ciuili adempta, summi sacerdotij dignitatem conferret, in speciem honoris, & regni adempti compensationem: Antipatro autem optionem dabat eligendi sibi in Iudæa quamcumq; ditionem, quem & Iudææ constituit gubernatorem. 3. Hoc honore potitus Antipater, vt de eo testatur Epiphanius, se cum Herode, non religionis ergo, sed quia Iudæi cum gentibus non poterant esse familiares, passus est circumcidi. Quo pacto multi hypocritæ, officij aut temporalis lucri gratia simulant se Catholicos, aut pios, & nescio quæ non faciant. Et, sicut istis necesse est, ita Herodes duas inter se se miscuit religiones, seu, vt veriùs dicam, falsos Gentilium errores, cum religione Iudæorum, in qua admodum tepidus, immò frigidus erat; similis amphibio. Nam & templum Iudæorum contra Gentilium milites defendit, & nouum à fundamentis excitauit; sed & Gentilium spectacula, festa, & simulachra erexit, aliaque legibus Iudæorũ contraria multa fecit. Philosophi pro maximis monstris habent hircoceruos. Tales Hircocerui sunt, qui omnes, aut certè plures religiones volunt coniungere; &, vt villas, agros, arces, dignitates assequantur, aut conseruent, apud Catholicos Catholici, apud Lutheranos Lutherani sunt; veri Polypi, & opum caussa omnia credere parati; quæ ne detrimentum capiant, aræ, templa, monasteria, religio, omnia sacra negliguntur, venduntur, destruuntur. 4. Religione pro titulo dumtaxat habita; neque cetera vitia metuuntur. Hinc mirum non est, si idem fuit adeò superbus, honorum, gloriæ, pomparum appetens, & ambitiosus, vt miris strophis Hircanum regem loco moueret, ipseque solium eius adipisceretur. Nomen autem sibi facere conatus est, magnificis, intra & extra ciuitatem, ædificijs; conuiuijs regijs; sumptibus immodicis; profusione pecuniarum in

exteros, ob quam subditos tyrannicè pressit; à quibus etiam velut Deus aliquis haberi voluit. Vnde Cæsar & Agrippa dicere solebant: *Herodis liberalitatem esse regno suo maiorẽ, consumpturumq́; omnia, si vel Syriam & Ægyptum possideret.* Ob hanc superbiam originis illum suæ puduit. Nam ex mancipio Antipatro natus voluit videri nobilissimus. Qua de caussa, ne quisquam alius, in toto regno stemma suum posset probare, omnes libros stemmatum, qui erant in templo, iussit exuri. Et inuenit adulatorem Nicolaum Damascenum, qui lib. 1. cap. 8. scriberet, (& habuit Scaligerum assentatorem) illum è præcipuis Iudæorum descendisse; cùm constaret, eum ex Philisthæis, vel Idumæis, semi Paganis & semi Iudæis ortum esse. Quod cùm nonnulli ei exprobrarent, morte luerunt. Ita nouis & superbis Thrasonibus dolet, audire originis suæ obscuritatisque veritatem. 5. Superbia magnis sumptibus indiget. Sumptus auaritia conquirit. Hinc & Herodes subditos, quibuscumque titulis potuit, spoliauit. Tributa noua, telonia, mulctas, confiscationes bonorum, & mille modos pecuniæ faciendæ excogitauit. Quàm primùm regiam vrbem Ierusalem occupauit, iussit cimelia & omnem ornatum regium comportari; itemque omne aurum & argentum diuitum; quod sibi in thesauros rapuit. Quin eò processit, vt ipsa Dauidis & Salomonis sepulchra aperiret, & in illis pecunias quæritaret. Vnde clamor viduarum, pupillorum, & totius populi ad cælum ijt, & vindictam expetijt. 6. Nec in superbiæ dumtaxat nutrimentum magnam profusionem fecit, sed etiam in luxum & luxuriam. Præter adulteria, stupra, & raptus, ab alijs decem, à Iosepho saltem nouem vxores habuisse memoratur. Prima fuit Dore, quam duxit antè, quàm rex esset, sed rex factus, ob vilitatem generis, à se eiecit; superinducta Mariamne regio sanguine oriunda; quam ita amauit, vt præ amore sæpe videretur insanire. Ex prima Antipam, è secunda Alexandrum & Aristobulum ac duas filias Salampsio, & Cypro suscepit. Ex tertia vxore Malthaces Samaritana Archelaum, Antipam, & filiam Abympiadem habuit. E quarta Cleopatra Herodem & Philippum. E quinta Pallæsclauon dicta Phasellum. E sexta Phædra filiam Roxanem. E septima Elpide filiam Salomen.

Octaua sororis, nona fratris erat filia; adeò nullam habuit sanguinis aut cognationis reuerentiam. Decima Mariamne Simeonia alium illi Herodem peperit. His omnibus non contentus, multa in matronas & virgines nobilissimas violenter & flagitiosè fecit; intra matrimonia duos incæstus, extra adulter & stuprator.

7. Inter facinora eius maximè eminuit immanitas, & tyrannis, multis homicidijs testata. V. Sceptrum & regnum ad tribum Iudæ pertinebat. Hinc ad sui regni firmitatem omni studio stirpem illam funditus conatus est eradicare. Quare etiam, per insidias, tres regij stemmatis iuuenes Antigonum, Aristobulum, & Hircanum, ad quos jus regni spectabat, cum omnibus amicis & fautoribus interemit. Vsque adeò ferox fuit, vt conjugem suam antè charissimam, Mariamnem, matremque eius Alexandram, regias ambas matronas, jusserit necari. Quin, ob falsam suspicionem, quasi regno ipsius insidiarentur, duos nobilissimos filios suos Alexandrum & Aristobulum mandauit strangulari, eademque opera & caussa, præter alios quàm plurimos, etiam trecentos Centuriones, & duces. Post hæc tragicum illud facinus commisit, in innocentibus Christi caussa contrucidandis, quorum quatuordecim millia fuisse memorantur. Inter quos etiam minimum natu filium suum jussit jugulari. Qua de caussa Augustus Cæsar, teste Macrobio, dixit, *malle se esse Herodis porcum, quàm filium.* S. Petrus Episcopus Alexandrinus, & martyr in suis regulis Ecclesiasticis scribit, Zachariam Sacerdotem, occasione huius infanticidij, quòd à nece quæsitum filium Ioannem Baptistam subtraxisset, ab eodem Herode inter templum & altare occidi jussum; effugit enim filius cum matre Elisabeth, non quòd edicto Herodis includeretur Ioannes, qui nec in Bethlehem, nec in finibus eius, sed in montanis Iudææ, in domo paterna alebatur: sed quòd Herodes ea suspicione nati regis Iudæorū vehementer exagitatus esset, cùm enim ad aures eius peruenissent admiranda illa, quæ in conceptione & natiuitate Ioannis contigissent, eum Christum esse ratus, sicut & Iudæi postea errore lapsi, ipsum speciali mandato necari jussit, vt se ea suspicione liberaret, tantoque de regno sibi non eripiendo securior

eſſet. Quin etiam poſtea alium ſuum filium deſignatum regni ſucceſſorem Antipatrum, juſſit in carcere per ſatellitem occidi. Quare & vxorem, & quatuor ſuos filios è medio ſuſtulit. Iudam Sariphæi filium, & Matthiam Margalothi (qui putantur à Baronio fuiſſe illi Legiſperiti, qui Magis Hieroſolymam venientibus conſulti reſponderunt, Chriſtum in Bethlehem naſci,) & juuenes circiter quadraginta præſtantiſſimos, ob dejectam è templo auream aquilam, viuos exuſſit. Denique nullam ampliùs ſalutis ſpem ſupereſſe ſibi intelligens, *Hierichuntem reuerſus eſt, vbi atra bile prægrauante, eò immanitatis prolapſus eſt, vt facinus animo conciperet longè atrociſſimum. Nam cùm è tota ditione nobiliores Iudæorum ad eum conueniſſent, euocati minaci edicto pœnam capitis intentante non parentibus, infenſus ex æquo ſiue ſontibus, ſiue innoxijs, vniuerſos concluſit in circo Accita deinde Salome ſorore, maritoq́ eius Alexa, ait inſtare ſibi terminum vitæ, ſuccumbenti tantis doloribus: quod quidem ferendum eſſe, quando juxta communem mortalium ſortem accidat. Illud permoleſtum eſſe, ſi carendum ſit extremo honore luctûs, qui debeatur regibus. Non enim ignotam ſibi eſſe Iudæorum mentem, quòd optatam ſuam mortem lætis accepturi ſint animis: quandoquidem vel à viuente etiam tum non abſtinuiſſent contumelias. Sed illorum eſſe officij, leuamen aliquod præſentis huius doloris decernere, nam ſi aſſenſum conſilio ſuo præbeant, fore ſuum funus longè quàm aliorum regum honoratius, & manibus ſuis gratius, omnibus per totam ditionem non fictè lugentibus. Ergo quàm primùm viderint, ſe exhalaſſe animam, debere eos clauſam Circo nobilium multitudinem cingere militibus, ignorantibus etiam tum ſuum obitū, non priùs vulgandum, quàm mandatum executi ſint; jubere deinde, vt circumuentos vnà omnes jaculis configerent. Quibus hoc modo cæſis, duplicem ſe eis habiturum gratiam, vel quòd mandatorum fuerint memores, vel quòd obitum ſuum publico luctu honorauerint. Hæc ille cum lachrymis lamentabundus cognatos per mutuam fidem ac beneuolentiam, perq́ omnia ſacra obteſtabatur, ne ſe extremo hoc honore fraudatum vellent, eis contrà pollicentibus, daturos ſe operam, vt cuncta juxta ipſius mandatum fierent.* Nunc ſanè, etiamſi quis præteritam eius in cognatos ſæuitiam tribuere vellet pro incolumitate, & ſecuritate ſolicitudini, ex hac certè nouiſſima eius voluntate deprehendere

Ioſeph. li. 17. cap. 8.

dere potest, quàm inhumano animo praeditus fuerit: quandoquidem iamiam è vita discessurus curabat, vt ex singulis familijs vno aliquo sublato, totam gentem in luctum & charissimorum desiderium conijceret, nec laesus à quoquam eorum, nec valens eis quidquam obijcere: cùm hi quibus nullum est virtutis studium, etiam inimicis tali suo tempore odia remittere soleant. Haec Iosephus, ostendens Herodem, qui antè tot viuus atrocissimis modis occiderat, etiam post mortem, inclementissimum latronem extitisse. VI.

Quaero jam, num Herodes plura crimina habuerit, an plures morbos? Quaero, an tam immanis bellua non fuerit cruciatu digna? Quaero, quid tu hosti tuo, qui te tam crudeliter tractauisset, faceres, si eum in tua haberes potestate? Atqui Herodes omnia, quae commemorauimus, contra Deum designauit, à quo opes, regna & longam felicitatem acceperat; & contra illum DEVM, qui *vitae & mortis habet potestatem*. Nonnè igitur Sapi. 16. 13. par fuit, vt tot innocentum sanguinem indignissimè effusum nō jam mille morbis, sed mille Gehennis vindicaret? Omnes enim ab eo spoliati, vexati, occisi ad caelum clamauerunt, & *Vindica sanguinem nostrum*, dixerunt. Apoc. 6. 10. Sed vide mihi ineffabilem DEI bonitatem; Herodi tot sceleribus cooperto, tot morbos misit, non tam in poenam, quàm in medicinam. Ex morbis suis cognoscere poterat, quantum alijs dolerent iniuriae atque cruciatus, quos eis inferebat. E morbis intelligere debebat, se à DEO flagellari. Hos dolores debebat cum inferni doloribus conferre; & inde resipiscere. *Aegrotauit Ezechias vsque ad mortem,* 4. Reg. 20. 1. *Qui conuertit faciem suam ad parietem, & orauit Dominum.* Percussus est Saulus caecitate, & coepit animi oculos aperire, quia dura non nisi duris rebus franguntur. Percussus est & Herodes, sed neque vidit, quorsum percuteretur. Et est mirabile, cum vndique medicos conuocasse, medicinas quaesiuisse; isse ad acidulas, ad thermas, ad Callirhoen, nihil neglexisse eorum, quae pertinebant ad sanitatem recuperandam; nec tamen illi, inter tot dolores, vllam vmquam de salute animae suae incidisse cogitationē; neque confugisse ad lachrymas, quae sunt saluberrimum balneū animae poenitentis. Potuerunt igitur meritò Angeli, & ipse Deus dicere: *Curauimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus* Ierem. 51. 9.

mus eam, & eamus vnuſquiſq; in terram ſuam : quoniam peruenit vſq; ad cælos judicium eius, & eleuatum eſt vſq; ad nubes. Quare juſtiſſimâ Dei ſententiâ damnatus eſt ad æternos ignes, qui quadraginta juuenes, amore legis profanam de templi porta imaginem ſecuribus deijcientes, vnà cum magiſtris ſuis, injuſtiſſimè exuſſit. Nam & hi, & tres regis pueri, ad quos regnum ſpectauerat, & trecenti duces, & quatuor filij, & conjux Mariamna, & quatuordecim millia puerorum innocentum, & denique tota nobilitas Iudæorum; eum morientem, ſagittis confixa, ad Dei tribunal comitata, & quotquot ab eo preſſi, aut ſpoliati ſunt, accuſauerunt, & vindictam appetierunt. Iuſtè igitur & morbis afflictus eſt, & quia morbis non fuit correctus, in ſtagnum ignis ardentis miſſus, cuius ſentire principium, in hac vita, cœpit, vt fumo flamma continuaretur:

VII. At quid nos Herodem miramur talia paſſum, & non emendatum? Nos ipſos & noſtra tempora miremur. Plena ſunt omnia miſerijs, bellis, & calamitate. Neque iam homines tantùm peculiariter malè habent; ſed etiam totæ vrbes, prouinciæ, regna ægrotant. Premuntur ciues egeſtate, ij, qui in pagis ſunt, à milite, Principes ab hoſte. Spoliantur templa; deſeruntur rura; metuuntur prœlia ſemper noua; & nouæ clades;

Præſentemq; viris oſtentant omnia mortem.

Quid igitur? num Deum accuſabimus? num crudelem vocabimus? num dicemus injuſtum? aut flecti neſcium? Nequaquam. Sed potiùs noſtra delicta cum Herodis comparabimus, & inueniemus diuinæ juſtitiæ mille cauſſas dari, vt famem, peſtem, bellum, & omne malum nobis immittat. 1. Herodes non negotia ſua religioni, ſed religionem negotijs accommodauit, iam Iudæus, iam Idumæus, prout horum ſibi, aut illorum poterat gratiam conciliare: & vel patris exemplo circumcidi ſe eſt paſſus, regni cauſſa. O quid iam non homines patiuntur, vt regnent? *dũmodo integra mihi maneat corona, circumcidatur Eccleſia; pereat religio, maneat ditio.* Poſtquam enim antiquata eſt philoſophia Iauelli, ſchola nunc regnat Machiauelli, cui cordi eſt, non piè, ſed quietè viuere. Olim virtus primas habebat, nunc honeſtas facta eſt ancilla vtilitatis. Et quid hæc in aulis quærimus?

mus?

mus? in ipso vulgo multos Herodes est inuenire, qui quoties dominum, aut locum, toties & religionem mutant. Quàm leuis est in fide, qui, cùm se Catholicum profiteatur, vt possit tempore Quadragesimæ vesci carnibus, ad hæreticos migrat? Quasi opifici nimis vilis sit mensa, in qua oluscula, pisa, & pulmenta dumtaxat apponuntur? At viribus indigent? Tres pueri, cibo regio contempto, leguminibus vescebantur, & erant robustiores reliquis, quibus saginandis fercula delicatissima de mensa regis apportabantur. Et qui olim in deserto carnes petierunt, coturnicibus saturati mortui sunt. *Adhuc esca eorum erant in* Psal. 77. 31.
ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos, Eleazarus senex porcinas 2. Machab. 6. 18.
carnes, ne simulando quidem volebat manducare, licet ea simulatione supplicium grauissimum euadere, & vitam seruare potuisset. Nunc plurimi, vt possint carnibus vesci, simulant se ægrotare. O quàm infirma est fides vestra? quàm citò de dogmate ad dogma transitur? 2. Quid dicam de artibus, quibus alij loco mouentur, vt vel indignissimi promoueantur? 3. De superbia, de affectatis titulis, de præcedentia, & primatu sessionis, de Thrasonismo, & jactatione, nullus esset dicendi finis. 4. Quemadmodum & de auaritia, fraudibus, de spoliatione, & furtis, & dolis, & sexcentis nouis modis pecuniæ cogendæ, eliciendæ, extorquendæ. In Dauidis & Salomonis sepulchris Herodes pecuniam quæsiuit. Iam vtique etiam mortui spoliantur, quando euertuntur eorum testamenta; priuantur hæredes, euertuntur piæ fundationes. 6. Luxuria, si vmquam est grassata, profectò jam vbique licentiosè vagatur. 7. Sed fortasse deest nobis Herodis crudelitas? Nequaquam. Quot homines non regni, sed vnius nummi caussa inuaduntur, percutiuntur, occiduntur? Nec milites hoc dumtaxat faciunt, sed & ciues. Quoties totæ cohortes periculis temerè exponuntur? quoties ciuitates atque integri exercitus produntur? An adhuc desunt Herodes? Quin & sunt parentes, qui ipsis adhuc in vtero existentibus filijs suis non parcunt, sed eos vel intemperantiâ vitæ, vel vt ne crassæ instar vaccarum, sed graciles videantur, angusta superbia, stricturisque vestium suffocant, aut etiam venenis pelluant. Cùm enim tot committantur fornicationes, cur-

tam

tam pauci extra matrimonium nascuntur infantes? nempe ante mori, quàm nasci debent. Vt autem moriantur, nôrunt Medeæ istæ herbas, nôrunt aconita; & licet veræ matres sint, dum concipiunt, veræ tamen etiam nouercæ fiunt, dum pariunt. De his intelligi potest illud: *Væ prægnantibus!* Væ etiam illis, qui suspectas herbas, aut medicinas prægnantibus vendunt. Sunt enim æquè illi, ac matres, homicidæ; peiores ijs, qui dant arma furiosis. Qua in re sunt etiam Herode ipso longè sæuiores. Herodes occidit natos, isti nondum natos. Herodes occidit eos, à quibus regno suo metuebat, isti regno suo ab his in vtero existentibus non habent, quod metuant. Herodes occidit pueros Bethlehemiticos, & martyres fecit. Itaque eis plus dedit, quàm abstulit: nam pro mortali vita consecuti sunt immortalem. Isti & istæ parentes filijs suis vitam & hanc auferunt & sempiternam. Baptismo enim eos vnà priuant & cælo. An non igitur Herode & Nerone, & Busiride, sunt truculentiores? tigride, & quouis Leopardo immaniores?

VIII. Et adhuc dubitamus, cur Deus nobis mala immittat? cur pacem differat? cur bella non sinat debellari? cur morbum post morbum sinat grassari? Punit nos Deus: & iustè punit. Immò monet, vt intelligamus, nos deliquisse, & medicinam quæramus, atque ad pœnitentiam confugiamus. Hoc malis istis, quæ
Ierem. 35. 15. nos premunt clamat: *Conuertimini vnusquisq; a via sua pessima, & bona facite studia vestra.* Multa mala fecit Herodes, grauia mala perpetrauit; remisisset ei omnia Deus, si ictus sapuisset, si ex corde suo pœnitentiam egisset. Multa mala fecimus & nos:
Ezech. 33. 12. si pœnitentiam agemus, omnia nobis remittentur. *Impietas impij non nocebit ei, in quacumq; die conuersus fuerit ab impietate sua.* Facilè pacem, facilè immunitatem à lue obtinebimus Deo reconciliati. Qui autem reconciliari non vult, exemplo Herodis, bis miser erit. Nam & hæc mala cogetur sustinere, &, quia ijs non corrigitur, ibit ad Herodem, eum secuturus, quem imitaturus. Ne igitur ita nos sinamus à vanitate excæcari, & rebus terrenis obrui, titulis, diuitijs, luxurijs, odijs, vindictæ cupiditate immergi, vt icti non sapiamus, & pœnitentiam non aga-
1. Machab. 4. 10. mus; sed *clamemus in cælum, & miserebitur nostri Dominus.* Est

quidem



quidem *iustus Dominus, & justitias dilexit*, sed etiam *longanimis, &* Psal. 10. 8.
multùm misericors. Misericordia enim & ira est cum illo. Potens Psal. 102. 8.
exoratio, & effundens iram: secundùm misericordiam suam, sic cor- Eccli. 36. 12.
reptio illius hominem secundùm opera sua iudicat. Clementer judicat, quem in hoc mundo iudicat. Paternè plectit, quem morbis Eccli. 38. 15.
plectit. Quare etiam, vt pater monens, dixit: *Qui delinquit in conspectu eius, qui fecit eum, incidet in manus medici.* Quia morbi & corporis dolores sæpe sunt supplicia impietatis. Qui enim nostri corporis author est, & Dominus, nostræque sanitatis moderator, si videt nos corpore viribusque abuti, & vires adimit, & sanitatem, vt vinculis dolorum constrictos, & compedibus imbecillitatis detentos, & lecto affixos, tamquam cippo alligatos, tradat tortori.

CAPVT XXVI.

Decimam Morborum caussam esse Gloriam Dei, cuius non solùm justitia, sed etiam potentia, aliaq; attributa, ex humanis miserijs, tam allatis, quàm sublatis, elucent. I.



VBi peccata sunt, & supplicia desunt, deest quoque justitia; hæc enim exigit, vt tam pœnæ sceleribus, quàm virtutibus præmia statuantur. Quæ præcipua laus est boni gubernatoris. Pertinet igitur ad Deum quoque, qui est Mundi & Rector, & Iudex, ac proinde ita à Rege describitur: Psal. 10. 5.
Dominus in templo sancto suo, Dominus in cælo sedes eius. Oculi eius in pauperem respiciunt: palpebræ eius interrogant filios hominum. Dominus interrogat justum & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam, diligit enim pœnas, quæ iniquitatem sequuntur. Itaq; additur: *Pluet super peccatores laqueos: ignis & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum. Quoniam justus Dominus, & justitias dilexit: æquitatem vidit vultus eius.* Magnificè ergo laudat Mundi Monarcham, qui in ipsis periculorum laqueis, in igne tribulationis, in dolorum procellis, in calice denique amaritudinis huius vitæ, justitiam eius agnoscit & prædicat. Hæc est gloria Conditoris; justè eum punire, quoscumque punit. Quod

etiam morbis facit. Quamquam non est putandum, morbos omnes in pœnam ab eo im̃itti, aut propter peccata illorum, qui morbis affliguntur. Extendit se enim gloria Numinis longè extra terminos iustitiæ & æquitatis, nimirum per omnia attributa illius.

II. Ioan. 9. 1. Hinc *præteriens* Iesvs *vidit hominem cæcum à natiuitate: & interrogauerunt eum discipuli eius: Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur? Respondit* Iesvs, *Neq; hic peccauit, neq; parentes eius: sed vt manifestentur opera* Dei *in illo. Me oportet operari opera eius, qui misit me.* Nimirum statim Christus, postquam, è templo egressus, Iudæos eum lapidare volentes euasit, diuinâ prouidentiâ, in cæcum illum incidit, eumque curauit, primùm, vt nouo eoque admodum insigni miraculo Iudæorum volentiũ eum lapidare duritiem emolliret; deinde, vt re ipsa, quod paulò antè Iudæis dixerat, confirmaret, scilicet, maiorem prioremque se esse Abrahamo. Nam etsi fortasse alij in oculis sanis aliquid passi sanari possunt, tamen qui cæcus natus est, is ab alio

S. Ambros. epist. 75. medico, quàm ab ipso auctore naturæ sanari non potest. *Ergo ne nos quidem*, ait S. Ambrosius, *præterire debemus, quem prætereundum Dominus non putauit, præsertim cùm à generatione cæcus fuerit, quod non otiosè est positum. Est enim cæcitas, quæ plerumq; vi ægritudinis aciem obducit oculorum, eademq; temporis spatio mitigatur. Est cæcitas, quæ humorum infusione generatur. Ea quoq; vitio plerumq; sublato medicinæ arte depellitur; vt cognoscas, quia quòd iste sanatur, qui à generatione cæcus est, non artis est, sed potestatis. Donauit enim Dominus sanitatem, non medicinam exercuit. Eos enim sanauit Dominus* Iesvs, *quos nemo curaret.* Ex magnitudine morbi, clara fit excellentia medici. Quia igitur Christus insanabiles corporum defectus curauit, *manifestata sunt opera Dei in illo*; per quæ opera potentia & diuinitas eius innotuit. Adeò sanè per

Ioan. 9. 32. hoc opus cæcus illuminatus est, vt ipsam diuinitatis potentiam penetrans diceret: *A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. Nisi esset hic à Deo, non poterat facere quidquam.* Quis enim vmquam homini cæco nato visum dedit? Non enim eadem est ratio lippi, aut defoculi, quę à natura cæcati.

III. Scire voles, quare Apostoli interrogarint: *Rabbi, quis peccauit,*

auit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur? Siquidem nihil simile de alijs ægrotis interrogauerunt. D. Chrysostomus existi- S. Chrysost. hom. 55.
mat eos, ex attenta Christi in hunc cæcum inspectione occasionem accepisse suspicandi, Christum aliquod peccatum vidisse, quod eius cæcitatis fuisset caussa. Quoniam autem nullum peccatum post eius natiuitatem perpetratum caussa esse potuit, vt cæcus nasceretur, videntur moti, vt quærerent, quis antè, quàm nasceretur, peccauerit, *hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur?* Poterant etiam quæstionis huius occasionem sumpsisse Ioan. 5. 14.
ex recenti historia paralytici curati, cui Christus dixerat: *Ecce sanus factus es; iam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.* Hinc enim judicabant, omnibus hominibus ob peccata, morbos euenire. Hac opinione concepta, cùm facilè viderent, in alijs propria peccata esse caussam morborum, quos patiuntur, de hoc, quem cæcum natum esse sciebant, interrogauerunt, ob cuiusnam peccatum, suúmne, an parentum suorum cæcus natus esset? IV.

Sed de hac ipsa quæstione quæri potest: Cur interrogent, an ipse peccauerit cæcus, cùm antè, quàm esset, peccare, adeoq; cæcitatem mereri non potuerit? quo modo igitur discipuli *debilitates corporum referunt ad merita delictorum?* vt S. Ambrosius S. Ambr. ep. 75.
loquitur. Respondet 1. Cyrillus, discipulos Iudæorum opinione S. Cyrill. in Græc. Catena.
imbutos putasse animas, ante corpora creatas, peccasse, & propter peccata in corpora detrusas, meliora, peioraque pro merito cuiusque. Sed hæc responsio non est solida, quia Epiphanius accuratissimus harum rerum indagator, hunc errorem non Iudæorum vlli sectæ, verùm Origeni censet attribuendum. Theophylactus hoc somnium Philosophis, seu Platonicis, seu Pythagoréis ascribit. Verosimile autem non est, Christi discipulos, litterarū rudes & piscatores, eo vel Iudæorum, vel Philosophorum errore fuisse attaminatos. Respondet 2. Leontius, discipulos Christi probè sciuisse, quòd cæcus priusquam nasceretur non quiuerit peccare; sed putasse Deum futurorum præscium, voluisse, vt in futuri peccati ab eo perpetrandi pœnam cæcus nasceretur. Minùs conuenit etiam hæc responsio; quia non solet diuina bonitas pœnam infligere, ante culpam. Est enim Dominus *longanimis, & mul-*

Psal. 102. 8. *& multùm misericors.* Respondet igitur 3. S. Chrysostomus, non dubitasse Apostolos, an cæcus ille, antè quàm natus esset, in patre nostro Adamo peccauerit, sed dubitasse, an propter peccatum originale, in quo natus erat, vel actuale parentum cæcus natus esset? cùm propter parentum peccata, filij sæpe & morbosi nascantur, & verò etiam moriantur, vt Dauidi accidit. Idque duobus modis accidit, nimirum vel naturâ, quando parentum morbi peccando contracti, in filios transferuntur: vel potiùs quando diuina id efficiente prouidentia, parentes in filijs, id est,
Exod. 20. 5. in re omnium charissima plectuntur, juxta illud: *Ego sum Dominus Zelotes visitans iniquitates patrum in filios, vsque ad tertiam & quartam generationem.*

V. Tametsi igitur & cæcus in peccato conceptus fuerit, quemadmodum ceteri mortales, & parentes illius vtique sæpe peccauerint (quod Christus non negauit, quando dixit: *Neq; hic peccauit, neq; parentes eius*) nihilominus tamen nullum eorum peccatum caussa fuit, vt cæcus nasceretur. Vult itaque Christus, neque originale cæci, neque actualia parentum eius peccata caussam fuisse, vt cæcitate puniretur: sed id factum esse, ob gloriam Dei, atque *vt manifestarentur opera* Dei *in illo.* Quare, peccatum originale, vt in Africano, & Mileuitano Concilijs definitum est, tam morborũ quidem, quàm mortis caussa haberi debet, sed generalis. Si enim Adam non peccâsset, neque mortem, neq; morbos omnino vllos homines experirentur. Ad hanc generalem caussam accedunt aliæ propriæ ac speciales caussæ, inter quas peccata aut propria cuiusque, aut suorum parentum numerantur. Rogabant ergo discipuli, an cæcitas illa ex propria parentum culpa, vel ob originale peccatum cæco obuenisset? quando interrogabant: *Quis peccauit? Hic,* (non per proprium, sed per originale peccatum) *aut parentes eius?* Quod illorum simplicitati est tribuendum. Si enim peccatum originale caussa fuisset cæcitatis, omnes alij cæci nati fuissent, qui peccatum originale habuerunt. Remouit Christus vtramque hanc caussam, rotundeque affirmauit, eum idcirco tantùm cæcum natum fuisse, vt à Christo miraculosè curaretur, atq; ita virtus diuina in eo elucceret: sicut & in alijs cæcis à Domino sanatis.

VI.

Quæ virtus etiam eluxit in alijs persanatis. in quibus cu-
randis peritia & artes excellentissimorum medicorum oleum &
operam perdiderunt. *Mulier, quæ erat in profluuio sanguinis annis* Marc. 5. 25.
duodecim, & fuerat multa perpessa à compluribus medicis: & eroga-
uerat omnia sua, nec quidquam profecerat, sed magis deteriùs habe-
bat: cùm audisset de IESV, venit in turba retro, & tetigit vestimen-
tum eius: dicebat enim: Quia si vel vestimentum eius tetigero, salua
ero. Et confestim siccatus est fons sanguinis eius: & sensit corpore,
quia sanata esset à plaga. Quæ autem passa sit à medicis hæc mu-
lier, non solùm in medicinis exhauriendis, sed etiam in loculis
& cistis euacuatis, clariùs exponit Lucas illis verbis: *in medicos* Luc. 8. 44.
erogauerat omnem substantiam suam, nec ab vllo potuit curari. S Ambros.
S. Ambrosius putat hanc mulierem fuisse Martham sororem La- lib. de Salo-
zari, sed textui conformiùs dicitur, fuisse ciuem Cæsareæ Philip- mone, cap. 5.
pi; quæ ciuitas, cùm esset celebris, vtique etiam excellentes ha-
buit medicos; qui quia pharmacis suis ac syrupis nihil efficere
potuerunt, per duodecim annos, licet salaria & honoraria non
deessent, adeò vt opulenta femina in *medicos complures*, & phar-
macopolas *omnem substantiam suam expenderet*; argumento sunt,
morbum incurabilem extitisse. Et tamen hunc tam diuturnum,
tamque pertinacem morbum Christus sanauit. Enimuerò tam
citò, tamque exiguo remedio sanauit. Mulier, ob fluxum san- Matth. 9. 20.
guinis, seu seminis tam turpem morbum, pudibunda *accessit re-*
tro, & tetigit fimbriam vestimenti eius, & salua facta est mulier ex il-
la hora. Quid ipse Christus non poterit, si vel *de fimbria vestimen-*
ti eius tam citò exeunt sanitates? Quanta erit vis ipsius Salua-
toris, si tantopere prodest, vel Reliquias illius honorare? Porrò
quid hic morbus effecit? nimirum eximiè illustrauit collatorem
sanitatis. Hinc IESVS conuersus & aspiciens mulierem, quasi
ignoraret, quis se tetigisset, occasionem præbuit sanatæ, vt be- Marc. 5. 33.
neficium, quod acceperat, prædicaret. Etenim *mulier timens &*
tremens, sciens quod factum esset in se, venit & procidit ante eum, & Luc. 8. 48.
dixit ei omnem veritatem. Et, vt Lucas ait: *Ob quam caussam te-* Ioan. 11. 39.
tigerit eum, indicauit coram omni populo: & quemadmodum confe- Luc. 13 11.
stim sanata sit. Quæ, quàm Curatori suo fuerit grata, postea re- Ioan. 5 5.
feremus. Hîc satis est, indicare, eam caussam habuisse gratiæ
refe-

referendæ, vt quæ tam diuturno decem annorum morbo fuerit liberata. Nam hæc diuturnitas ipſa miraculi magnitudinem declarat; ſicut cùm Lazarus quatriduanus fuit ſuſcitatus; & altera illa mulier, quæ ſpiritum infirmitatis annos duo deuiginti habuit; ac Paralyticus, qui triginta octo annos in infirmitate perdurauit, ſanitate recuperata, præſtantiam medici, morbos tam inueteratos, & ab alijs deſperatos ſanantis demonſtrauit.

VII. Lepra quàm tenax ſit, experiuntur, quos ea tenet; quàm altas radices in corpore humano agat, ſciunt medici, nôrunt magiſtratus, qui leproſos ex vrbibus excludunt, ne, cùm ipſi ſanari non poſſint, alios quoque contaminent. Teſtantur variæ hiſtoriæ, quanti ſint ſumptus fruſtra facti, in lepræ curationem. Sufficit Naaman Syrus, manu ſtrenuus, clarus militia, dignitate illuſtris, & diuitijs plenus, vno verbo, *vir magnus apud dominum ſuum, & honoratus, vir fortis & diues, ſed leproſus.* Hic vtique nihil omiſit eorum, quæ ad ſanitatem exigebantur. Nullus tamen Æſculapius inuentus eſt, qui eum curare poſſet, præter Eliſéum, cuius vel hinc ſanctitas enituit, quia eum prodigiosè ſanauit. (4 Reg. 5. 1.)

Talium prodigiorum occaſio fuerunt etiam leproſi à Chriſto ſanati, nec iam ad Iordanis balneum miſſi, ſed vel vnico verbo ſanati. Quod eum poſſe vel ipſi ſanandi crediderant. *Ecce leproſus veniens, adorabat eum dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare.* Non dixit, ſi Patrem oraueris; ſed, ſi vis; ſignificans æqualem ipſum cum Patre habere poteſtatem, vt S. Chryſoſtomus obſeruauit. *Et extendens* IESVS *manum tetigit eum, dicens, Volo, Mundare. Et confeſtim mundata eſt lepra eius.* Naaman ſepties in Iordane debuit lauari: hunc Chriſtus tetigit, & ſanauit. Quo loco Cyrillus Alexandrinus docet, idcirco Dominum contactu carnis ſuæ aliquos ægrotos curare voluiſſe, vt oſtenderet etiam carnem ſuam, ob coniunctionem cum diuinitate vim ſalutiferam & viuificam habere. Diuinitatem certè Chriſti veteres Scriptores ex hoc loco probauerunt, quia, vt Iuſtinus, Tertullianus, & Athanaſius ſcribunt, quaſi propria, non aliena vſus poteſtate volendo imperandoque hunc leproſum curauit. Immò diuinitatem & humanitatem ſimul probauit Cyrillus & Ambroſius, cuius hæc verba ſunt: *Volo ergo, dicit, propter Photinum; imperat, propter Arium; tangit propter Manichæum.* (Matth. 8. 2. — S. Chryſoſt. hom. 26. — Iuſtin. in expoſit. Fidei; Tertullian. lib. 4. contr. Marcion. Athanaſ. in lib. de communi eſſent. P. & F. & Sp. Sanct.)

Quòd

VIII. Quòd si autem diuinitatis suæ humanitatisq́; opera manifestare voluit Christus, hoc signo, cur dixit: *Vide, nemini dixeris: sed vade, ostende te Sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyses, in testimonium illis*? (Matth. 8. 4.) An beneficia tacenda? an non exigit animi gratitudo, vt illa prædicemus? Omnino, non sunt tacenda, sed grato animo prædicanda. Verùm opus non erat, vt sanatus verbis jactaret, quod toto corpore præ se ferebat. Ipse etiam Christus ostendit, se gloriam suam non quærere, quam tamen Pater eius cælestis quærebat. (S. Chrysost. hom. 26.) Quare neque ipse Christus omnino prohibuit, ne lepra liberatus vmquam aliquid de hoc accepto beneficio diceret; sed ne quid diceret antè, quàm se Sacerdotibus ostendisset. Cuius rei multæ erant caussæ. Prima, vt ostenderet, se Legem seruare, cùm mundatum mitteret ad Sacerdotem, sicut Lex jubebat. Altera, ne sanatus, si se Sacerdoti non stitisset, secundùm legem, extra ciuitatem manere cogeretur, atque ita accepto beneficio non frueretur. Quia curatis à lepra in ciuitatem redire non licebat, priusquam à Sacerdote de eorũ curatione pronuntiatum. Tertia, quia si sanitas hæc vulgata fuisset, antè, quàm à Sacerdotibus judicata, tum Sacerdotes id audientes, calumniari potuissent, ac dicere, hominem non esse verè mundatum; quippe cuius mundities ipsorum judicio nō esset approbata, quemadmodum Lex jubebat. Quarta, quia hoc (Leuit. 14.) pacto inexcusabiles erant Sacerdotes, si in illum non crederent, cuius miracula ipsi probauissent. Atque hoc est, quod statim addit: *In testimonium illis*, scilicet ostende te, & offer munus, Nec enim negare poterant, verè fuisse curatum, pro cuius cognita approbataque curatione munus acceperint. Vides ergo quorsum hic, & alij à Domino sanati leprosi fuerint? nimirum vt opera Dei, potentiaque & gloria in illis manifestarentur. Nam eadem est ratio de omnibus leprosis à Domino mundatis.

IX. Magnum diuinæ potentiæ argumentum sunt etiam dæmones victi, pulsi, ex hominibus eliminati. Quod intelligimus ex eorum, qui victi sunt, potentia. Siquidem, sicut Deus, qui omnia (Hebr. 1. 3.) ad agendum agit & mouet, dicitur *Portare omnia verbo virtutis suæ*, vt cuius humeris longè veriùs, quàm Atlantis, totius orbis machina nitatur; ita non solùm Angeli, per quos Deus res in-

feriores

Iob. 9. 13. feriores procurat, & administrat, dicuntur esse, *qui portant orbem*, quia res, quas mouent, portare videntur: sed etiam mali dæmones, qui sunt *rectores tenebrarum*, tantæ sunt potentiæ, vt
Iob. 9. 5. *montibus* comparentur, & ab Isaia satan dicatur *Spiritus robusto-*
Isa. 25. 4. *rum, quasi turbo impellens parietem*: & alibi describatur in hunc
Iob. 40. 10. modum: *Ecce Behemoth, quem feci tecum, fœnum quasi bos comedet: fortitudo eius in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris eius. Stringit caudam suam quasi cedrum, nerui testiculorum eius perplexi sunt. Ossa eius velut fistulæ æris, cartilago illius quasi laminæ ferreæ. Ipse est principium viarum Dei, qui fecit eum, applicabit gladium eius, &c. Ecce absorbebit fluuium, & non mirabitur, & habet fiduciam, quòd influat Iordanis in os eius, &c.* Immò hunc indomabilem esse homini, illis verbis indicatur: *An extrahere poteris Leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius: Numquid pones circulum in naribus eius? aut armilla perforabis maxillam eius?* Tantæ potentiæ est diabolus. Sed potente hoc potentior est Christus,
Isa. 41. 15. de quo apud Isaiā legimus: *Ego posui te quasi plaustrū triturans, &c. triturabis montes, & comminues: & colles quasi puluerem pones, ventilabis eos, & ventus eos tollet.* Quæ nos facilè, & absque labore facere posse significamus, dicimus difflare ea posse, instar venti, stipulam trans tectum rapientis: ita superbos illos Atlantes, *rectores tenebrarum, qui portant orbem*, qui tamquam *spiritus robustorum* maria commouent, procellas in altum extollunt & excitant metuendas tempestates; totosque fluuios absorbent; Christus vno verbo expulit, difflauit, & in abyssum relegauit.

X.
Matth. 8. 16. Hoc Euangelistæ testantur, quorum vnus ait: *Obtulerunt ei*
Isa. 53. 4. *multos dæmonia habentes: & eijciebat spiritus* VERBO: *& omnes malè habentes curauit: vt adimpleretur, quod dictum est per Isaiam Prophetam, dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit: & ægrotationes nostras portauit.* Peculiare autem exemplum subjungit Matthæus, quod in regione Gerasenorum contigit, vbi *occurrerunt ei duo*
Marc. 5. 2. *habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sæui nimis, ita vt nemo*
Luc. 8. 27. *posset transire per viam illam.* Marcus & Lucas vnius tantùm
S. Augustin. lib. 2. de consensu Euang. cap. 24. meminerunt, siue quia persona erat nobilior, vt putat Augustin⁹; siue quòd alter longè sæuior esset, multoque magis vexaretur, quippe qui ab integra legione dæmonum obsideretur; & *neq; vestimento*

stimento induebatur, neq; in domo manebat, nemo enim eum propter Marc. 5. 9. Luc. 8. 20.
sæuitiem recipere audebat. Sed non timuit hanc eius sæuitiem Dominus; iure suo, potestate sua vsus, imperando iussit eum facessere: *dicebat enim illi, Exi, immunde spiritus, ab homine isto.* Qua Marc. 5. 8.
in re multa admiranda sunt, & vis imperij, & tot potentissimorum spirituum cessio, & eorum petitio, & denique etiam impetratio. Itaque è S. Thoma recolendum est, dæmones diuinitus impeditos fuisse, quò minùs multa de Christo agnoscerent, quæ non impediti natura sua facilè cognouissent. Audijssent enim Angelum Gabrielem dicentem: *Ecce concipies in vtero, & paries* Luc. 1. 31.
filium, & vocabis nomen eius IESVM. *Hic erit Magnus, & Filius Al-* Luc. 1. 43.
tissimi vocabitur, &c. Audijssent Elisabetham dicentem: *Et vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* Cognouissent ex multis alijs testimonijs, Christum esse Filium DEI. Sed id absconditum est ab oculis eorum, vsque ad initium prædicationis Christi; si enim cognouissent certò, non tentassent eum, sed idcirco eum tentarunt, vt exploratè id cognoscerent: *Si Filius* Matth. 4. 3. & 6.
DEI *es, dic, vt lapides isti panes fiant*: Et: *Si Filius* DEI *es, mitte te deorsum.* Post hanc tentationem autem certò sciuerunt dæmones, illum verum DEI Filium, & Messiam esse. Hinc legimus: *Et non* Marc. 1. 34.
sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum. item: *Exibant autem dæmonia* Luc. 4. 41.
à multis clamantia, & dicentia, quia tu es Christus Filius DEI, *& increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant eum esse Christum.* Interim nihilominus mysterium mortis eius, quòd ea ratione homines Vide S. Augustin. l. 9. de ciuit. cap. 21.
ab ipsorum tyrannide esset liberaturus, credibile est, non bene cognouisse. Si enim certò cognouissent, vtique conati essent eius mortem impedire, quam non impedierunt, sed promouerunt. Quia miserunt in cor Iudæ, vt eum traderet: &, vt non- Ioan. 13. 2.
nulli putant, ijdem dæmones, paulò pòst, cùm certiùs cognouissent, quorsum Passio Christi tenderet, illam per vxorem Pilati impedire voluerunt: *Nihil tibi, & iusto illi*: ait, *multa enim passa sum* Matth. 27. 19.
hodie per visum propter eum. Sed haud satis conuenit inter Authores, num somnium istud à dæmonibus, vel ab Angelis, vel à natura profectum sit.

XI.

Interim dæmones, qui ex his duobus ejecti sunt, vim imperij tanti sentientes (vt cùm tot essent, & tam sæui, & tamen

ad præceptum eius cedere cogerentur) haud obſcurè indicarunt, ſe eum pro Deo habuiſſe, à quo ſolo tantopere poterant cruciari, & torqueri ante tempus, hoc eſt, in gehennam mitti, extra quam quidem ſua ſecum ſupplicia circumferunt, minùs tamen puniuntur nunc, quia & vagandi per mundum, & hominibus nocendi poteſtatem habent, quam non ſunt poſt diem judicij habituri.

Matth. 8, 29 Hinc *clamauerunt, dicentes: Quid nobis, & tibi,* Iesv *Fili* Dei*? Veniſti huc ante tempus torquere nos?* dum inuitos eijcis, & nouo cruciatu addito exire hinc cogis. Hinc ijdem *dæmones, rogabant eũ, dicentes: Si eijcis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum*, & non in abyſſum, quo ſuo, hoc eſt, judicij extremi tempore mittentur.

Iob. 10. 22. Poteſt autem vel hinc intelligi, infernum eſſe *terram miſeriæ, & tenebrarum*, & magni horroris, cùm ſuperbi illi ſpiritus, in ipſis porcis, ſordidiſſimis & fœdiſſimis animalibus, quàm in illo, malint habitare. At cur petierunt, vt mitterentur in porcos? Etſi enim in abyſſum non eſſent miſſi, tamen in montes, aut in vaſtam

Tob. 8. 3. aliquam ſolitudinem potuiſſent mitti, ſicut *Raphaël Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deſerto ſuperioris Ægypti.* Duæ cauſſæ ab Authoribus afferuntur. Nam D. Chryſoſtomus exiſtimat, dæmones hoc idcirco petiuiſſe, vt incolæ illius ciuitatis, porcorum affecti damno, Chriſtum non reciperent: qui ſanè,

Matth. 8. 34. ob id ipſum damnum, *rogabant eum, vt tranſiret à finibus ſuis.* Cum qua cauſſa, non pugnat illa altera; quòd dæmones odio hominum id fecerint, quorum corporibus ſi nocere non poſſunt, ſaltem jumentis, pecoribus, alijſque bonis nocent. Atque hanc

S Hieronym. in vita S. Hilarionis. cauſſam indicauit Magnus ille Hilarion, quando è camelo ſatanam exturbauit: qui id non ſolùm exemplo Iobi, ſed etiam ex hoc loco docuit. Et malitia ipſa diaboli facilè perſuadet, quidquid ille petit, id eum in exitium hominum petere.

XII. At verò cur ei Chriſtus annuit? Rupertus putat, Iudæos eius regionis, contra legem porcos habuiſſe; atque idcirco Chriſtum illos, in qua re peccabant, in ea & mulctare voluiſſe. Quæ

Ioſeph. li. 17. antiq. cap 13. reſponſio bona eſſet, ſi non Ioſephus ſcriberet, Gadaram, & alias vicinas ciuitates Græcæ religionis fuiſſe, ideoque & porcos habuiſſe. Etſi enim Gadara propriè ad regnum Iudæę pertinebat, tamen à Cęſare fuerat Gręcis ad habitandum attributa. Quia

verò

verò non solùm in Gręcis, verùm etiam in Latinis ciuitatibus Matth. 15. 24.
multi Iudæi habitabant, illorum caussa Christus eò iuit, tamquã
ad oues, quæ perierunt, domus Israël. 2. Itaq; Hilarius ait, dę-
mones in porcos immissos, Sadducęorum caussa, qui spiritus
esse negabant, sic enim reipsa experiebantur, spiritus esse. 3.
D. Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius afferunt hanc;
Vt, qui à dęmonibus liberati fuerant, beneficij magnitudinem
agnoscerent, videntes quanta dęmonum malorum multitu-
dine essent liberati. 4. Vt sciremus, ne in porcos quidem, nisi
Deo permittente, dæmones habere potestatem. 5. Vt liberati,
quid ipsi essent passi, agnoscerent, nisi à Christo seruati essent,
si viderent, porcos, simul atque in eos dęmones ingressi essent,
in mare fuisse præcipitatos. 6. Vt appareret, quanta ex vno
homine dęmonum multitudo ejecta esset; cùm totum porco-
rum gregem impleuerit. 7. Vt constaret, dęmones in homini-
bus porcorum more viuentibus libenter habitare. 8. Adde, vt
ostenderetur suauitas Dei in gubernando. Cùm enim etiam
dæmoni liberum arbitrium dederit, violentum videretur, semper
impedire, quod diabolus naturaliter potest, & optat sũmopere:
ideò sinit illum quoque aliquando perficere, quod petit. 9. Vt
hinc manifesta fiat in genus humanum Dei clementia & boni-
tas, quia vtique dæmon in hominibus, quàm in porcis habitare
maluisset. Hoc igitur, non illud permisit; quia si quantum vult
& potest diabolus nocere permitteretur, nemo illæsus esset;
immò omnes possideret, & in mare præcipitaret. 10. Vt po-
tentia Christi eluceret, qui non solùm potuit tota agmina dæ- Luc. 11. 21.
monum expellere, sed etiam pellere, quò voluit. *Cùm fortis
armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet. Si autem
fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in
quibus confidebat, & spolia eius distribuet.* Significauit igitur Chri-
stus, & sese esse omnibus spiritibus fortiorem, & dæmonem
sibi prorsus esse subjectum ac sub legem, nec quidquam posse
sine sua licentia. Deo enim dæmon (eadem est ratio de ceteris S. Augustin.
morbis) subseruit, sicut lictor, vel carnifex Principi, teste Au- in Psal. 77.
gustino. Quemadmodum autem potentia Dei elucet in homi-
nibus reis affligendis, morboque denuò, atque ipsis spiritibus
malis

malis liberandis; ita multò magis eadem potentia eminet, dum per morborum flagella, eosdem sanat, & à vitijs ad frugem atque in viam virtutis reducit. Potens enim sapientia, & sapiens potentia est, per ipsos morbos sanare. Immò clemens iustitia est, ita affigere lecto, & affligere, vt morbus ipse fiat medicina. Nam etsi propter primi hominis peccatum omnes, & multi etiam ob sua peccata morbis mortique sint objecti; ita tamen ægrotant, vt ipsa sua infirmitate, dum pœnam tolerant, culpæ suæ admoneantur, maleque acta corrigant; vel si ipsi sunt obstinati, alios exemplo suo doceant sapere.

CAPVT XXVII.

Vndecima morborum caussa, Bonitas & Misericordia DEI, peccatores, per morbos, ad pœnitentiam vocantis, aut à peccatis expiantis.

I. EX pœnæ humano generi, tam in primo parente, quàm in posteris eius inflictæ magnitudine clarè apparet, non solùm quanta sit peccati iniquitas, sed etiam quantùm illa DEO displiceat, qui peccantibus tantopere irascitur, vt non solùm sæpe singulos transgressores peculiaribus morbis castiget, verùm etiam, ob vnius hominis delictum, totam plectat vniuersitatem. Duo autem significat ira DEI. Primò, *per iram & indignationem*, inquit Damascenus, *intelligimus voluntatem ipsius, odio vitij flagrantem, illudq́ auersantem: nam & nos ea, quæ cum voluntate nostra pugnant, odio habentes in iram prorumpimus.* Deinde ira ipsam de impijs sumptam vindictam significat, vt docet S. Augustinus. Quare Didymus monet, iram non esse affectionem, aut perturbationem in DEO manentem, cùm Moyses dicat: *Misisti iram tuam, quæ deuorauit eos; nam ira, quæ affectio est, non mittitur: est enim irascibilis animæ facultas: sed iram vocat, miseriarum ac dolorum in malos inductionem.* Auersatur igitur DEVS peccatũ, & illud grauissimè punit, vel, vt non peccemus, vel, si peccauimus, vt ardentibus votis iram illius mitigemus, & dicamus, cum Dauide: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me.* Idcirco enim pœnas minatur, & infert, vt alios à peccato

Damascen. lib. 3. cap. 14.

S. Augustin. lib. 3. contr. aduersarium legis & Prophetar. c. 20.

Didym. in Psal. 6.

Exod. 15.

Psal. 6. 1.

peccato seruet, alios emendet. *Non enim DEVS*, inquit Clemens, Clem. lib. 5. Pædagog. c. 8.
irascitur (more hominum solam vindictam cogitantium) *sed per quam in homines beneuolentiam, à plurimis quidem abstinere hortatur, Bona autem hæc est ars, terrere, ne peccemus;* aut verberare, vt resipiscamus. Quo pacto narrat Eusebius, quemdam Natalem in hæresin prolapsum, ab Angelis per verbera reuocatum. *Natalis deceptus frequenter admonebatur in somnis: sed cùm negligentiùs susciperet visiones, à sanctis Angelis per totam noctem verberatus, & pœnis grauibus excruciatus, manè consurgens cilicio se induit &c.* Euseb. lib. 5. hist. Eccl. sub finem. Ad eumdem modum DEVS, cùm irasceretur humano generi, morbis ac sententia mortis illud percussit; sed paterno affectu percussit, simul misericordiæ suæ recordatus, vt homines se percussos esse sentientes, ad pœnitentiam confugerent, pœnamque conuerterent in virtutum ac meritorum occasionem. Itaque quidquid aduersi nos sauciat, virga est, & baculus pastoris oues suas admonentis, vt ab errore se in viam reponant. Sed maximè morbi id agunt. *Multa flagella peccatoris;* Psal. 31. 10. flagellum est calumniator, flagellum hostis, vt de Attila dicebatur; sed calumniæ potiùs irritant homines, & ad vindictam prouocant; hostes & bella plerumque peiores faciunt mortales: morbi, qui mortem secum trahunt, cogunt de futuris cogitare.

II. Sicut ergo Israëlitæ tunc Ægyptum deserere ac Pharaonem fugere optarunt, quando dixerunt: *Palea non dantur nobis, &* Exod. 5. 15. *lateres similiter imperantur: en famuli tui flagellis cædimur, & injustè agitur contra populum tuum;* ita & mundum, & vitia, & dæmonem relinquendum censent mortales, quando se morbis vident justè flagellari. Quàm citò Pharao alius Abram vxorem suam reddidit, quando *flagellauit Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius, propter Sarai vxorem Abram?* Gen. 12. 17. Quomodo flagellauit, nisi morbis? Quod & Abimelech rex fecit, mortem timens, si alienam seruaret vxorem. Gen. 20. 4. Ezechias quoque quando ægrotauit, & audiuit ab Isaia se moriturum, *conuertit faciem suam ad parietem, & orauit Dominum.* 4. Reg. 20. 2. Numquam dignata fuisset vxor Ieroboam, posita purpura, ac mutatis vestibus, ad Ahiam Prophetam in Silo proficisci, nisi Abia filius eius ægrotauisset. 3. Reg. 14. 4. Nempe sapienter dixit Dauid: *Imple facies eorum ignominia,* Psal. 82. 17.

nia, & quærent nomen tuum, Domine. A sanis rarò de medico cogitatur: sed cùm febres sentiuntur, cùm est periculum vitæ, tum curritur, tum scribitur, tum vndique Machaones, & Podalirij, & quidquid est Æsculapiorum accersitur. Quamquam autem non vult medicos, in morbis, contemni Dominus, tamen magis vult, vt per eos ad illum conuertamur. Hinc legimus: *Ægrotauit etiã Asa anno trigesimo nono regni sui, dolore pedum vehementissimo, & nec in infirmitate sua quæsiuit Deum, sed magis in medicorum arte confisus est. Dormiuitq; cum patribus suis: & mortuus est, anno quadragesimo primo regni sui.* Quo pacto multi podagra, non vno, aut duobus, sed decem, sed viginti annis, laborant, aut alio morbo vexantur, nec tamen vinum ejurant, nec deponunt consuetudinem potandi, blasphemandi, se se supra ceteros extollendi; sed magis in medicorum arte confidunt, ad thermas, ad aquas acidulas, ad mille consilia & auxilia confugiunt, cùm prima eorum cura deberet esse de DEO; quia ideò finit eos dolorem sentire morbi, vt dolorem concipiant peccati: &, si veniant ad summum medicum, discant detestari summum malum. Hinc eum, quem vltrò sanauit IESVS, his verbis admonuit: *Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Multi enim, etiam post sanitatem receptam insaniunt, atque eapropter in morbum grauiorem relabuntur.

2. Paralip. 16. 12.

Ioan. 5. 14.

III.

Nicephor. lib. 8. hist. Eccl. c. 41.

Sæpe autem alios legimus, postquam icti sapuerunt, etiam pristinam valetudinem recepisse, morbo ipso cum caussa morbi sublato. Amon Ægyptius à propinquis & familiaribus coactus vxorem quidem duxit, sed decem & octo annos cum ea vixit virgo, seorsum cubans, & quod secundùm DEVM est vitæ institutum colens. Hic inter multa alia magna & præclara etiam præcognitionis diuinæ plenus fuit. *Puer quidam parentum iniustorum à rabido cane morsus, in ea exspectatione, vt quàm primùm moreretur, erat.* Rogabant pro eo sanando Amonem parentes. *Ille: Non ego, inquit, sed vos, si quidem voletis, eum curabitis. Si enim, quem surripuistis bouem, dominis suis restituere volueritis, statim malo omni puer liberabitur. Bos redditus est, & periculum omne confestim profugiens, vacuum ærumna omnis puerum reliquit.* Punitum est hîc in filio parentum scelus, vt per prolem admonerentur

rentur parentes, rem furtum factam dominis suis esse redhibendam. Longè plures suummet crimen luunt, vt & crimen, & morbum suum lachrymis diluant. Quibus nihil est salubrius, quàm ægrotare, vt si sunt vel temerarij, vel arrogantes, vel pertinaces, ipsis morbis molliantur.

IV. Sur. 5. Decembr. ex Metaphraste.

Illustre exemplum huius rei recitat Cyrillus Monachus his verbis. *Sed nobis rursus venit tempus ieiunij, beatum Sabam vocans ad consuetum secessum solitudinis. Operæ pretium est autem nec illud prætermittere, quod contigit fieri in ea peregrinatione. Nam è Laura quidem egreditur hic vir diuinissimus, vt optandum ieiunij statum peragat in solitudine: Iacobus verò quidam, ex discipulis genere Hierosolymitanus, moribus arrogans, mente vsus sinistra, inita societate cum aliquot alijs monachis pari arrogantia apud eum lacum, qui septem habet ostia, de quo à me prius dictum est, aggressus est propriam Lauram constituere, cellas fabricans, & ædem excitans oratoriam, & alia construens, quæ ad Lauram pertinent. Valde verò irascentibus fratribus, & ædificium vlteriùs progredi non sinentibus, ille rei iniquitati adijciens mendacium, dixit, hæc fieri de sententia Sabæ patris. Quod quidem cùm audijssent Monachi, destiterunt quidem prohibere eum ædificare, sed non desierunt angi animo, cùm viderent ante oculos suos eum non paruam Lauræ partem præcidere. Sed existimantes verum dixisse Iacobum, tacebant, patris expectantes reditum. Post completos autem illos dies ieiunij, ipse quoque diuinus Sabas ad Lauram reuersus, cùm vidisset ea, quæ facta fuerunt, continuò quidem accersit Iacobum: paternè autem admonet, vt à cœpto abstineat. Neque enim id ex DEO esse, neque placere fratribus: quin etiam illi ipsi quoque esse valde periculosum, priusquam se ipsum rectè instituerit, & castigârit, illius fidei committi aliorum animas. Et sic quidem diuinus pater eum priùs benignè & paternè admonet. Postquam autem vidit resistere Iacobum, & minimè cedere, paululum mutatâ suâ consuetâ lenitate: Ego quidem, O fili, inquit, quod tibi existimo conferre, consului, quoniam verò non vis parere, vide ne magno tuo damno discas eligere id, quod est vtile. Hæc cùm ille quidem dixisset, profectus est in turriculam. Iacobus autem protinus sustinens tremorem totius corporis, & vehementi febre correptus, è vestigio cùm sex totos menses decubuisset, eo morbo vexabatur & premebatur. Interim verò cùm*

omnem

omnem ſpem vitæ amiſiſſet, recordatus eſt ſuæ in patrem Sabam inobedientiæ, & vehementer rogat eos, qui aderant, vt & eum ita, vt erat in lecto tollant, portentq;, & ponant ad ſacros beati Sabæ pedes, vt eum roget, vt det ei veniam ſuæ inobedientiæ, & non datâ veniâ, eum non ſinat ſic è vita diſcedere. Cùm hoc autem factum eſſet, & in lecto decumbens illuc tranſlatus eſſet Iacobus; eum placidè intuens, qui erat verè mitis & miſericors Sabas; noſti, inquit, frater, quis ſit fructus arrogantiæ; ſatis didiciſti quænam ſit merces inobedientiæ. Ille verò cùm vix potuiſſet aperire labra (erant enim illa morbo quoque vincta & præpedita) ignoſce, inquit, mihi, ô venerande pater, qui iam ſum exceſſurus. Ille verò protinus, Deus tibi, inquit, condonabit ô frater. Cùm ſic dixiſſet porrexit manum, & manus illa ei vires attulit, quin etiam ipſe (ô miraculum) ſurrexit. Deinde eum ſanctus intemeratis impertijt ſanctificatis, & diuinum illud nutrimentum, rurſus eſt conſecutum corporis nutrimentum, alebaturq;, & conualeſcebat, fortisq; & robuſtus mirandum in modum cernebatur ab omnibus, & miraculum erat propemodum oculis incredibile. Homo qui tam graui & diuturno erat modo maceratus, & qui ne labijs quidem vti poterat, tantum abeſt, vt pedibus; tantillo momento temporis, & cibum ſumpſit, & verba fecit, & è lecto faciliùs ſurrexit, quàm qui erant ſani. Ille autem hanc ſibi imponit pœnam ſuæ inobedientiæ, quod ad noua illa ædificia non ſit amplius reuerſurus.

V. Ne quis autem exiſtimet ſuperbis dumtaxat ac grandioribus prodeſſe morbos peccatoribus, habent & pij homines, quod expient. Qua de cauſſa & illis morbi ſunt in medicinam. Refert Ruffinus Aquileienſis presbyter, in vita S. Ioannis Eremitæ, qui in Thebaide vixit, & multa mira fecit, è fratribus vnum tertiana grauiſſimè vexatum, veniſſe ad illum, rogaſſeque hominem Dei, vt febrim à ſe depelleret. Cui Sanctus reſpondit: *Rem tibi neceſſariam cupis abijcere. Vt enim corpora nitro, vel alijs huiuſmodi lenimentis abluuntur à ſordibus; ita animæ languoribus, alijsq; huiuſmodi caſtigationibus purificantur. Et poſteaquam de his nobis multa per doctrinam myſticam diſſeruit, benedicens tamen oleum dedit, quo perunctus æger omnem continuò abundantiam fellis euomuit, & ſaniſsimus redditus, pedibus ſuis ad diuerſorium redijt.* Duplicem hic Eremita medicinam ægroto præbuit, in oleo corpori; in

Apud Roſvveid. lib. 2. de vitis Patrum.

verbo

erbo animæ profuturam. Ostendit enim corporis infirmitaem non modò vtilem, verùm etiam necessariam esse ad carnis domationem, si illa sana velit rebellis esse. Et tamen, pulso norbo, petenti restituit sanitatem, vt ipse experiretur, qua nam n vitæ conditione plus vel minus, aut peccaret, aut Deo seruiret. Multa facere potest bona sanus, sed plura ægrotus multa patiendo. Quemadmodum enim Christus Saluator, tota vita sua, & multas, & magnas gessit res pro genere humano, & nulla fuit actio illius, quæ non esset infiniti valoris; vt tamen *copiosa esset apud eum redemptio*, ex voluntate Patris, etiam mortem oppetijt, & sanguine profuso potissimùm dicitur nos redemisse: nec de vlla re alia est gloriosior, quàm quia dirissima quæque patiendo nos redemit (nam *hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*) ita & Sancti, licet orent, licet legant, licet scribant, licet concionentur, quæ omnia bona sunt, tamen in diuino Tribunali maximè splendebunt, si maximè propter Deum patiantur. Inter ea autem, quæ de manu Dei accipiunt ferenda, sunt morbi, quibus corpus deprimitur, anima ad cælum leuatur, ab inquinamentis purgata.

Psal. 129. 7.

Luc. 24. 26.

VI.

Sur. 17. Nouembr. c. 26. eius vitæ.

Beata igitur Aldegundis, quæ sibi Dominum Saluatorem elegerat sponsum, frequentibus Angelorum confortata visionibus, qui sæpius illam multis modis, vtpote conseruam & conciuem recognoscentes, familiariter alloquebantur, præsciens ex reuelatione Spiritus sancti dormitionis suæ diem appropinquare, deprecata est Dominum, vt qui Sanctos sanctificat adhuc, & justos justificat adhuc, & qui flagellat omnem filium, quem recipit: dignaretur ancillam suam in præsenti, sic flagellando carnem, purgare, quatenus anima post hanc vitam in requiem Domini sui sine macula valeret introire. Sciebat enim in hac vitâ neminem tam perfectum esse, qui posset omnis peccati contaminatione prorsus carere. Non distulit diuina bonitas præstare misericorditer, quod illa petiuit humiliter. Nam in dexterâ mamillâ, non post multum tempus morbus, qui vocatur cancer, subortus est, qui corpus illius exæstuans, vsq; ad vltimum diem vitæ, depastus est. Virgo verò prudens, exemplo beati Iob, aliorumq; Sanctorum, patienter sustinebat, & tamquam accepto diuinitùs dono congaudens, supernæ dignationi sapienter gratias agebat.

VII. Ex hist. Anglican. Antõ. Balinghem, die 23. Iunij. Eiusdem sententiæ & sapientiæ fuit S. Virgo Etheldreda, aut Edeltrudis, quæ regij & stemmatis & animi duobus, in Anglia, regibus nupta, duodecim annis, in ipso matrimonio, consecratam beatissimæ Dei Genitrici Mariæ virginitatem conseruauit. Minitabatur enim, exemplo S. Cæciliæ, maritis, ab Angelo suo custode eos percutiendos, si quidquam illibatæ virginitati aduersum attentarent. A posteriore coniuge, magnis precibus, tandem etiam vitam religiosam in cœnobio viuendi obtinuit licentiam. Ibi, in loco Elge dicto, Antistita facta, jeiunijs se se assiduè afflictabat. Monasterium quoque magnificum, &, regia liberalitate dignum, in honorem Deiparæ exædificauit, Dei Matrem identidem rogitans, vt illius patrocinio, si Purgatorij rea esset, liceret sibi noxam omnem corporis dolore & morbis expiare. Audijt hanc eius petitionem cæli Regina; & tam prodigiosam, inter regias opes, & coniugiorum illecebras, virginem; tam erga se, & ædes sacras liberalem reginam; tam sobriam, & tot inedijs vigilijsque exhaustam antistitam, filiam tam Deo charam, in diuinis oculis purgantium flammarum ream inuentam, in hac vita expiari impetrauit. Continuò igitur collum, & vbera illius, fœdum in modum, intumuerunt. Inde tabificam sanguis saniem ejectabat; inde grauissimè olens spirabat halitus; inde immensi dolores oriebantur. Quam verò ob caussam hæc fiebant? O metuenda Numinis judicia! solùm, quòd ipsa sibi aliquantulum in aureis torquibus & monilibus gestandis placuisset. De cetero ita sancta extitit, vt, cùm Anno salutis 685. morte sua defuncta esset, vndecimo postea anno, virgineum illius cadauer refoderetur, & corpus, & linteamina, quibus inuolutum erat, integerrima, & Elysium quid spirantia inuenta sint. (Exod. 15. 11.) *Quis similis tui in fortibus, Domine, quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atq; laudabilis, faciens mirabilia?* In virgine, in domus sacræ fundatrice, in coniuge tam miraculosa, adeò leuem complacentiæ culpam, tam atrociter plectis? & plectis ex gratia? immò plectis Matre tua tamquam pœnam mitiorem impetrante; quid in me facies, ô iustissima seueritas? quid in me facies? (Luc. 23. 31.) *Si in viridi ligno hac faciunt, in arido quid fiet?* Quàm nos stulti sumus, qui pœnam in alteram vitam differimus? qui

de

e dentium, aut renum, aut pedum dolore, querimur, & cælum
erraſque lamentis complemus? Sancti, ob leuia delicta, grauia
ormenta lubentes pertulerunt: nos, ob grauiſſima crimina, le-
uiſſimas pœnas vix ſuſtinemus.

VIII.

Fuerunt tamen etiam magni peccatores, qui, ob ſcelera
ſua, mallent in hac vita, morbos cruciantes, quàm in altera
flammas purgantes tolerare, atque idcirco morbos ſponte ele-
gerunt. Inſigne eius rei exemplum extat in vita B. Adalberti
Monachi Altachenſis, qui generoſo & perantiquo ſanguine Sue-
uorum, è militari familia dynaſtarum Hayerloana oriundus, poſt
juuenilis ætatis licentiam, infra Reginoburgum ad ripam Da-
nubij ſecundæ Boicæ, inter oppida Straubingam & Dekendor-
fium, à Poppone Abbate in cœnobium Altachenſe receptus,
miros in vita ſpirituali progreſſus fecit, adeò martyrij ſitiens, vt
etiam inter barbaras & paganas gentes vellet Chriſtum prædi-
care. *Hæc Adalberti virtus Popponem inuitauit, vt ei curam juuen-
tutis, & ſcholarum commendaret, parœciamq; committeret, & ad
proximum demum ab ſe gradum Prioris eueheret, cùm in omni officij
munere ita ſe tractaret, vti nihil ab eo plus antiſtes deſiderare poſſet. In-
de magis in dies ac magis virtus Adalberti inclareſcere, prodigijs ma-
nifeſtis in vulgus prodi, concurſus ad illum veluti certum periclitan-
tium aſylum fieri, ſcelerum & flagitiorum ſarcinis onerati ad pedes
illius accidere, onera delictorum ponere, medicinam ægris animis quæ-
rere. Ille omnibus certatim ſuccurrere, multisq; per pœnitentiam
cælum aperire. Erat inter ferè depoſitos & deploratos, certè peccandi
conſuetudine inueteratos muliercula, quæ corpus, ſeu quæſtûs ſeu vo-
luptatis cauſſa, inter procos vulgauerat, nec tamen eò progreſſa erat,
vt ſpem ſalutis poneret. Morbo ſuo remedium quæſitura Adalbertum
ſupplex conuenit, ignoſceret impuræ, & veniam præteritis impertiretur,
ſpondere ſe continentiam, moresq; ſanctiores. Accepit condicionem
haud imperitus animorum medicus Adalbertus, curam ægræ conſcien-
tiæ admouet, & cæli ſpem facit, ſi de cætero vitam emendatiorem polli-
ceatur. Nihil non promittunt ægri mortales, ſed non perinde quod pro-
miſêre, præſtant; quòd nemo ſatis ſuam ipſe animi imbecillitatem ex-
ploratam habeat. Miſnia (nam hoc cognomentum puellæ fuit) cùm
aliquamdiu voluptatibus inconceſſis temperaſſet, ætate floreq; corporis,
& in-*

Matth. Raderus volum. 2. Bauariæ ſanctæ. pag. 323.

& insidijs procantium, artibusq; hostis generis humani circumuenta signatam voto pudicitiam rursus violauit, vulnusq; recrudescens apud Adalbertum acerbis lachrymis deplorauit. Qui cùm illi, consulto priùs Numine, auctor esset, vt victum labore quæreret, lanam faceret, colum tractaret, otiumq; vitiorum omnium perennem fontem studiosissimè declinaret, & sicubi venenum hausisset, statim per lachrymas & confessionem reijceret. Paruit monenti, & vsu studioq; virtutis eò peruenit, vt iam omnia corporis gaudia repudiaret, casteq; viueret. Tum Adalbertus vt securam salutis redderet, quæsiuit ex puella, quando Iudici supremo pro delictis vitæ præteritæ vellet satisfacere, viuáne, an mortua? hîc cùm illa, velut olim Mauritius Imperator, omninò præsentis vitæ cruciatus vmbram ad futuros esse non ignoraret, hîc, inquit, cum D. Augustino, mi Pater, hîc vre, hîc seca, & in æternum parce. Vide, inquit Adalbertus, ne te voti huius olim pœniteat, *& ingressus ædem sacram cœpit numen supplex venerari, rogaretq; vti pœnitentem hîc mulierem expiaret, nec pœnas à mortua seueriores exigeret. Exin, altero mox die, tantus fœminam capitis dolor inuasit, vt manibus pedibusq; in globum collectis, sursum deorsumq; ritu pilæ volueretur, & incredibili celeritate, spectante illo ipso & miserante, qui hæc litteris consignauit, raperetur. Atq; inter hæc tormenta membrorum, & aurium & linguæ ferè vsu destituebatur, nisi quòd subinde Magnæ Dei Matris & opitulatricis Virginis nomen, ipsumq; Adalbertum inclamaret. Sed erant morbo sua sæpe interualla, vti respirare misera nonnumquam posset. Quandocumq; tamen vel Adalbertum respiciebat viuum, vel mortui postea tumulum reuisebat, identidem pœna recurrebat, vt publicè constaret, cui tanti cruciatus corporis incepti essent referendi, quos mulier, pro certo futuræ gratiæ pignore, grato, volenteq; animo sustinebat.*

IX. Hoc est, quod apud Iobum legimus de Deo hominem non solùm puniente, per morbos, sed etiam sanante atque emendante. *Increpat quoque*, inquit Eliu, *per dolorem in lectulo, & omnia ossa eius marcescere facit.* Si quis enim ad alias Dei voces correptionesque obsurdescit, neque fit melior mitibus verbis, tunc seueriùs loquitur, & *arguit in furore, & in ira corripit*, conijcitq; contumacem in lectum, & grauissimum morbum, & paulatim vim doloris acuens, vitamque ad summum discrimen adducens,

Iob. 33. 19.

Psal. 6. 1.

x haustis viribus, consumptis carnibus, debilitatis, ac velut contusis ossibus, marcescentibusque omnibus membris, quodammodo compellit eum intrare in conscientiam suam, & flagellis admonitum, cogitare de præteritæ vitæ delictis, de futuræ periculis & pœnis, ac resipiscentem agnoscere, detestari, confiterique pristinam impietatem. Hinc qui non omnino saxei sunt atque indurati, quando vident, vltimum sibi diem instare, si non vltrò aduocant animæ medicum, saltem libenter audiunt se moneri de confessione facienda; nec aliàs vmquam tam seriò dolent, se peccauisse. Quamobrem Dauid meritò morbos *correptiones* atque *increpationes* appellat, cùm ait: *Increpationibus propter iniquitatem corripuisti hominem.* Hac ipsa de caussa, *Theodoricus Coloniensis Ecclesiæ Pontifex, prudentia, & authoritate inter Electores imperij facile princeps*, teste Ænea Syluio, *quærenti Sigismundo Cæsari, Quonam pacto fœlicitatem consequi posset? Inter mortales, ait, frustra requiris. Petenti rursum, Ad cælestem illam, quo itinere pergeret? Rectà, inquit. Instanti tertiò, Quid agens rectà vaderet? Si vitam tuam ita institueris, duxerisq;, inquit, vt facturum te promisisti, dum calculus, aut podagra, siue alia valetudo aduersa acriùs te oppreßit. Docuit autem, morbum monere nos ad capessendam meliorem vitam.* Quàm multi, dum in dolore sunt, vitam meliorem promittunt? quàm multi dum vruntur podagra, vinum abiurant? Sed quàm primùm conualescunt, in antiquam siluam redeunt, & sæpe *fiunt nouißima hominis illius peiora prioribus*: fitque in his, quod verior, quàm melior versus ille jam dudum cecinit.

Psal. 38. 24.

Æneas Sylu. lib. 2. commentar. de reb. gestis Alphonsi.

Matth. 12. 45.

Dæmon languebat, monachus tunc esse volebat:
Postquam conualuit, dæmon, vt ante, fuit.

Si tamen morbis vti velimus, ad quem eos Devs finem mittit, vtique eis non modò tamquam flagellis officij nostri commonebimur, verùm etiam tamquam pharmaco, ad animæ veniemus sanitatem.

X.

Itaque quicumque hæc legis, immò quicumque morbos sentis, illa D. Augustini verba etiam atque etiam tecum trutina. *Disciplinam patris ne abijcias fili, nemo filius, quem non corripit pater, sed noli deficere à disciplina Domini, & ne fatigeris dum ab illo argueris,*

S. Augustin. tom. 9. lib. 1. de Visitatione infirmorũ

Prou. 3. *ris, quem enim diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi. Vis scire quia infirmitas corporis salutem animæ parturit?*
2. Cor. 12. *Audi Dominum Apostolo respondentem: Virtus in infirmitate perficitur: ac si dicat, complectere quam pateris infirmitatem: quoniam ita proficies de virtute in virtutem. Si in infirmitate virtus augmentatur, virtus autem est salus animæ: infirmitas corporis, quandoquidem per virtutem animæ parit salutem, donum Dei est, non enim aliunde, nisi ex Deo salus animæ. Flagellum ergo Dei ne contemnas, sed flagellatus dic Deo gratias, dilige corripientem, dilige corrigentem, dilige arguentem. Non in furore, non in ira, sed in misericordia aperi pulsanti, deuotus esto vocanti, gratias age miseranti: redi ad te, cogita parumper, cogita de DEO, pensa si potes, quoniam super omnia opera sua ipsius miserationes. Ipse Deus est, ipse iudex est, nec te vult damnari, nec te vult malè iudicari, vult tui misereri, flagellat te misericorditer, qui in eum deliquisti pertinaciter. Deus meus, Deus meus audebo dicere, pace tua dicam, quoniam magno repletus gaudio dicam. In quodam ecstasis tripudio de te præsumendo dicam, nisi quia Deus es, iniustus esses, quia peccauimus grauiter, inhæremus peccato pertinaciter, gaudemus de peccato, post peccatum ambulamus. Extenso collo peccatum nostrum prædicamus, nec abscondimus, & tu placatus es: nos te prouocamus ad iram, tu autem conducis nos ad misericordiam: nos irritamus te ad furorem, tu autem differs ad vindictam. Iusto exterminio punire poteras peccantes, subuertere negligentes: & patientia tua expectat nos pœnitentes. Deus meus misericordia mea, numquid non hæc est iniustitia? Sed numquid iniustitia apud Deum? absit. Quod enim sustinet Deus, judex justus patienter, quod justa seueritas flectitur misericorditer: totum Deus est, neque enim aliter Deus esses, nisi flectereris, nisi patereris, nisi misereris, nisi Deus esses. Quodcumque igitur facis, tuum est. fac igitur Deus, quod facis, quia quod facis tuum est; quod tuum est, bonum est: quod igitur facis, bonum est, Deus meus misericordia mea.*



CAPVT

CAPVT XXVIII.

Duodecima morborum caussa, vt per eos non solùm vitia deponantur, sed etiam variæ virtutes exerceantur.

I. TEstatur Chrysostomus, morbos corporis à Christo non nisi propter morbos animi fuisse curatos; quid ni, etiam propter eosdem curandos, immissos? non enim nisi infirmi ad medicum cucurrissent. S. Chrysost. hom. 28. Quemadmodum autem vua premitur, vt vinum fluat, ita benignitas DEI premit peccatores, vt ex eis lachrymæ exprimantur. Lachrymæ verò sunt balsamū, quo sanantur omnia vulnera animarum. Itaque ex morbis non solùm bonitas miserentis DEI cognoscitur, & nos ad pœnitentiam adducentis; verùm etiam animæ recuperant sanitatem, & diuinis viribus mirificè corroborantur. Atque hoc est, ni fallor, quod voluit dicere Paulus, quando scripsit: *Cùm infirmor, tunc potens sum,* 2. Cor. 12. 10. quia corporis infirmitate interiores animæ vires redduntur potentiores, atque ex imbecillitate & vetustate hominis exterioris, interior nouis viribus, ex hoste nostro domestico, carne videlicet debilitata & fracta, acquisitis, fit vegetior. Qua de caussa & Plato, pro Academia sua, non locum amœnum & floridum aëremque salubrem, sed humidum & paludosum fertur elegisse, minusque sanum; dicens, hunc esse longè ad philosophandum aptiorem; eò quòd corpore malè affecto, animus benè afficeretur; qui plerumque corpore luxuriante, & ipse insolescit. Quare adeò locum illum amauit, vt eum, ne ad vitæ quidem prolongationem vellet deserere. Verba Æliani Ælian. lib. 2. variar. c. 10. sunt: *Cùm Academia diceretur locus esse pestilens, & medici consiliū darent, vt in Lycéum scholam transferret, nequaquam obtemperauit, dicens: Atqui ego producendæ vitæ caussa, ne in Atho quidem summitatem transmigrare velim.* Multis nimia sanitas insaniæ caussa fuit. Et certè multa vitia indigent membrorum sanitate viribusque corporis, vt quæ ex audacia, aut nimio concupiscentiæ feruore oriuntur. Raro alterum in duellum prouocabit podagricus: numquam latrocinijs se alet paralyticus. Cacostomachus non onerabit se crapula. Nec periclitatur de ebrietate, qui vini

nauseam

nauseam patitur. Nec in Venerem feretur, quem corporis dolores non sinunt cogitare de voluptate. Quia autem homo conditus est ad beatitudinem consequendam, impeditus ne corpus percipere possit delectationem, animi delectationem quærit, & inuenit, multarum enim virtutum occasio est inualetudo.

II. Eugipp. apud Sur. 6. Ianuarij. Eugippus Abbas refert, S. Seuerinum multos varijs languoribus ac ærumnis affectos liberasse; quod cùm audiret Bonosus eius Monachus, oculorum imbecillitate vehementer vexatus, eum adibat, vt orationibus illius & ipse medelam posceret. Dicebat igitur: *Aduentitios & externos gratiæ salutaris sentire præsidia, sibi verò nullam opem aliquatenus exhiberi.* Cui Seuerinus respondit: *Fili mi, non tibi expedit ab hac oculorum molestia liberari, & aciem corporei luminis habere perspicuam; quin potiùs ora, vt obtutus vegetetur interior. Quid enim? an non magis grata & jucunda lux illa interna esse debet, qua per amplissima cæli spatia mente vagaris, quàm corporeum hoc lumen, quod tibi cum brutis cõmune est, & ea tantùm, quæ ante pedes sunt, cernere vales?* Plerumq;, qui oculos longè lateque in fines terræ mittunt, mentem amittunt. Præstat ergo corpore, quàm animo esse cæcum. Inter externa corporis bona, nihil homini charius est oculis, & tamen Christus dixit:

Matth. 5. 29. *Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs te: expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam.* Fuit inter profanos, qui oculos sibi exculpsit, vt posset philosophari: cur homines altiora sperantes, non patienter ferrent, immò beneficij loco haberent, si

Virgil. Eclog. 8. cæci esse sinantur, vt possint diuina speculari? immò ne oculis venena hauriant? *Vt vidi, vt perij, vt me malus abstulit error!* in-

2. Reg. 11. 2. quit ille. *Accidit, vt surgeret Dauid de strato suo post meridiem, & deambularet in solario domus regiæ, viditq́; mulierem se lauantem, ex aduerso super solarium suum, erat autem mulier pulchra valde.* Notum est, quid inde euenerit. Mutatus est, quasi Medusam aspexisset. Quàm illi profuisset, si tunc oculis caruisset? Non sine

Thren. 3. 51. caussa lamentatus est ille: *Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus vrbis meæ.* Quis ægrè fert, si ab eo prædones amoueantur?

III. Tempore pestis, corrupto aëre, libenter & diligenter claudimus

imus fenestras ædium nostrarum, ne quid infectionis admitta-
ur. *Ascendit mors per fenestras nostras*, per aures, & præcipuè per Ierem. 9. 21.
oculos nostros: si ergo DEVS eas nobis fenestras claudit, ne fasci-
nemur, aut ne prædo Stygius intret, cur ei gratias non agamus,
cùm sancti id legantur spontè amplexi, immò optauisse? B. Aut-
bertus septimus à S. Vedasto Atrebatensis Episcopus, mirifica Alcuin. in vi-
quadam visione admonitus, vt sacrum B. Vedasti corpus ad locũ ta S. Vedasti
quemdã alium, non longè ab vrbe situm transferret; protinùs ad apud Sur.
facti illius societatem B. Audomarum, Taruennæ Morinorum, ea 6. Februar.
tempestate, Episcopum inuitauit: qui licet affecta senectute de-
bilior esset, & cæcitate laboraret, prompto tamen alacrique ani-
mo eò properauit, &, in ipsa sacrarum translatione reliquiarum,
amissum lumen Vedasti meritis recepit. Quod tamen ille, præ
lumine mentis, quo mirabiliter vigebat, parui pendens iterum
amittere voluit: atque pristinam oculorum cæcitatem precibus
à DEO impetrauit. Nimirum illud expertus est, quod Paulus in 2. Cor. 12. 10.
se agnouit, dicens: *Cùm infirmor, tunc potens sum*, cùm nihil vi-
deo, multùm video. Non video cæcus vanitatem, video veri-
tatem. Mens enim, qua veritas videtur, oculis non indiget; sed
tantò acutiùs diuina arcana penetrat, quantò minùs de terrenis
intuetur. Mira sunt, quæ de ingenio, perspicacitate, & pruden- Cùm de mõ-
tia cæcorum alibi à nobis sunt memorata, hîc sufficiat illud de stris agere-
Appio cæco dictum: mus. tom. 3.

Multum animo vidit, lumine captus erat.

IV.

Neque sanè cæcitas sola corporis animum illuminat, ve-
rùm etiam omnes reliqui morbi & calamitates homini osten-
dunt, quis sit. Superbiam igitur dedocent, docent humilitatem.
Iouis se filium credebat Alexander, & propemodum se ipsum
in Deorum numerum retulisset. Sauciatus est; sanguis illi de
plaga missus est; &

Sanior ex ipso vulnere factus erat.

Multi ob fortunæ fauorem, & res domi belliuè feliciter gestas,
sibi nimiopere placent, &, si non Deos, saltem semideos se
esse arbitrantur; ast vbi in morbos incidunt, tum languor, & do-
lor, & humanæ miseriæ ostendunt, eos esse homines, & suam
illis ob oculos ponunt fragilitatem. Cuius & Alexandrum Iouis Ælian. lib. 9.

Variar. c. 37. prolem Anaxarchus cognomento Eudæmonicus, vt alibi etiam retuli, admonuit, quando ei vidit sorbitionem à medico præparari ægroto; inquiebat enim: *At nostro Deo spes omnis in sorbillatione patellæ posita est.* Antigonus autem, item Macedonum rex, postquam à graui morbo conualuit; *Hic morbus*, aiebat, *submonuit nos, ne animo efferamur, cùm simus mortales.* Ad auditas dumtaxat minas Achab *scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitq́ue, & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite. Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbiten dicens: Nonnè vidisti humiliatum Achab coram me?* Longè magis, si sapiunt, humiliantur, quos morbi corripiunt; illi corpore extenuantur, sed simul etiam animi tumorem deponunt; illis inualetudo vires de corpore detrahit, sed animo etiam detrahit insolentiam, morbum longè periculosissimum. Quare non est morbus tam inter incommoda, quàm inter Dei dona numerandus, qui animo plus reddit, quàm corpori aufert. Et, si cetera desint, *infirmitas grauis sobriam facit animam*, *Honestum esse censeo, te dolori resistere*, ait S. Gregorius Nazianz. *atque animo, vel nunc maximè expurgari, ac morbum nihil aliud esse dicere, quàm vtilem quamdam institutionem, hoc est, vt & corporea omnia, & quicquid fluxum est, & caducum, aspernans, totum te cælesti parti addicas, nec præsenti tempori, sed futuro tuo viuas, mortisq́ue meditationem*, vt Plato ait, *hanc vitam existimes.*

Plutarch. in Apopht. reg.

3. Reg. 21. 27.

Eccli. 31. 2.

S. Greg. Naz. ep 70. ad Philagrium.

V.

Quid, quòd infirmi vel minùs tentantur, vel magis à Deo contra tentationes corroborantur? Minùs tentari asseruit Antonius Abbas, cùm dixit: *Non permittit Deus bella excitari in generatione hac, quoniam scit, quia infirmi sunt, & portare non possunt.* Imponit enim clemens Pater onera viribus attemperata. *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.* Hoc est, quod idem alibi ait: *Virtus in infirmitate perficitur.* Quò enim maior infirmitas nostra, eò maior contra eam à Deo fortitudo suggeritur. Etsi enim ibi, per *infirmitatem* tentatio carnis intelligitur; facilè tamen etiam inde deducimus, tantò nobis maius animi robur suppeditari, quantò corpus magis deficit, aut tentatur, si ea infirmitate velimus vti. Quamquam etiam ipsam carnis

Apud Rosvveid. lib. 2. de vitis Patrum. libello 10 de discretione.

1. Cor 10. 13.

2. Cor. 12. 8.

his tentationem elidit, corporis afflictio, quę multis pro clypeo fuit, ne & ipsi tentarentur, & alios tentarent. D. certè Ambrosius, mox verbatim citandus, adolescentē scribit miræ venustatis, cùm videret, sua specie multas illustres feminas solicitari, vultum suum vulneribus deformasse. Luculentum est illud, quod refert Cantipratanus de Sueua nobilissimæ & formæ, & prosapiæ, & famæ, quæ suam & aliorum castitatem, vt tueretur, lepram à Deo exorauit; eaque in mariti gratiam, ex Confessarij præcepto, per preces iterum excussâ, palàm fecit; corporis maculis animi integritatem seruari; viresque, quæ membris decedunt, menti accedere. Quemadmodum in contrarium multi tantò sunt animo timidiore, quantò corpore validiore. Itamus miles, apud Antigonum militabat, qui corporis aduersa valetudine cùm laboraret; rogatus à rege palloris caussam, ægritudinem incognitam caussatus est. Rex verò animi magnificentia ductus, jubet remedia adhiberi ad eum sanandum. Restitutus igitur sanitati miles, postea omnia, contra mortem, pericula vitabat. Rogatus verò à rege mutationis caussam, ait: *O rex, tu me minùs audacem fecisti, quòd ijs malis me vindicasti, quibus vita à me mea contemptui habetur.* Sensit miles, ægritudinem hominibus in eo prodesse, vt omnia fortunæ bona, & ipsam etiam vitam miseram, & ærumnosam contemnant, qua cùm sani sumus, in nostram perniciem abutimur.

Thom. Cantipratan. l. 2. Apum. c. 30. §. 29.

Brus. lib. 4. cap. 15.

VI.

Multi sani, multi pulchri, multi formosi, multi membris integri, & insidias passi sunt, & negligentes fuerunt in custodienda virtute, qui ægri, deformes, mutili, fortissimè illecebras omnes vicerunt, aut certè è cœno suo emerserunt: Nobile exemplum refert D. Ambrosius, de adolescente *Etrusco, qui cùm ob admirandam oris proprij pulchritudinem in amorem accenderet feminas, fertur stigmatibus inarasse vultum suum, ne qua eum adamare posset.* Aliud recenset D. Hieronymus de juuene, qui *præcisam morsu linguam in osculantis se scorti faciem expuit, ac sic libidinis sensum, succedente doloris magnitudine, superauit.* Quàm longè præstaret multos cicatricibus in vultu potiùs, quàm spurcitijs in animo esse deformatos? Quàm satius esset, eos lingua carere, ne spurcidicis sermonibus aliorum aures venenarent? Quàm

S. Ambros. lib. 3. de virgin. & Exhort. ad virg.

S. Hieronym. in Paulo Eremita.

vtilius, oculis carere, ne oculati in gehennam mitterentur? Ita enim legimus in Prato spirituali de Virgine Alexandrina, quæ aduertens, suorum oculorum pulchritudine captum adolescentem, oculos sibi eruit; vt mundo corde Deum videret. Neque alia de caussa voluit D. Petrus filiam suam Petronillam ægrotare. Cùm enim aliquando B. Petri Apostoli discipuli, in ædibus illius simul ederent, vnus eorum Titus nomine Petrum interrogauit: *Cùm permulti à te curentur, cur Petronillam filiam tuam pateris ex paralysi decumbere?* Respondit Petrus: *Sic ei expedit. Ne quis tamen putet, me his verbis indicare voluisse, fieri non posse, vt sanetur, volo, vt surgat & ministret nobis.* Dictum, factum. Mox enim illa incolumis surrexit. Expleto autem ministerio, jussit eam Apostolus redire ad lectum suum, ac denuò ægrotare. Infirmitate potens facta est, & Christo penitus addicta. Postquam igitur in Dei timore satis profecit, non modò ipsa curata est, sed etiam permultis alijs, precibus suis, obtinuit sanitatem.

Prat. Spirit, cap. 60.

Ex Actis S. Nerei & Achillei. cap. 9. apud Sur. 23. Maij.

VII. Quemadmodum autem Petronillæ morbus profuit ad virtutes adipiscendas, castitatemque conseruandam, ita alijs remedium fuit ad vitium luxuriæ deponendum, relinquendasque illicitas corporis voluptates. Cùm enim contraria contrarijs curentur, dolor pepulit amorem turpium voluptatum, quæ doloris caussa extiterunt. Palladius in historia Lausiaca agens de S. Macario Alexandrino, *Ego*, inquit, *ad eum accessi aliquando, & extra cellam inueni jacentem quemdam vici presbyterum, cuius caput ita erat exesum à morbo, qui dicitur cancer, vt etiam os totum appareret in vertice. Is accessit ad ipsum, vt curaretur; nec eum admittebat ad colloquium. Rogaui autem eum dicens: Miserere huius miseri, & saltem da ei responsum. Is verò mihi respondit dicens: Est indignus, qui curetur. Quòd si vis eum curari, persuade ei, vt deinceps abstineat a ministerio sanctorum Sacramentorum. Ego autem ei dico: Quamobrem quæso? Is verò dicit: Fornicans sacrum peregit ministerium, & ideò castigatur. Nunc ergo si metu desistat ab eo, quod ausus est facere per contemptum, Deus ipsum curabit. Cumq; spopondisset se facturum, Sanctus ei manus imposuit, & paucis diebus curatus est, capilliq; eius creuerunt, & sanus domum rediit.* Hoc est nimirum, quod Propheta dixit, petijtque: *Imple facies*

Pallad. in hist. Laus. cap. 20.

Psal. 82. 7.

facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine. Icti fa-
ciunt nonnulli; & postquam experiuntur fructum suæ delecta-
tionis malæ esse cruciatum, aiunt: *Non emo pœnitere tanti.* Ad
huiusmodi hominum morbis sanatorum exemplum rectè monet
S. Augustinus: *Flagellum Dei ne contemnas, sed flagellatus dic Deo* S. Aug. lib. 12 de visit. infirm. cap. 4.
gratias. Dilige corripientem, dilige corrigentem, dilige arguentem. Diligis medicum secantem, non quia cum cruciatu secat, sed quia secat ad sanitatem. Dilige & Deum, quia per morbos hîc vrit, hîc secat, vt in æternum parcat sanato.

Hac de caussa, diuina sapientes & se, & suos, quos ex ani- VIII.
mo dilexerunt, torqueri in hac vita & morbis, & ab ipsis malis spiritibus maluerunt, quàm peccatis sibi maiora in inferno tor-
menta accumulare. In historia miraculi de venerabili Sacramen- In Breuiario Eccles. Amsterd.
to ciuitatis Amsterdamensis in Hollandia (quæ tam authentica est, vt per octauas Festi, in secundo nocturno, per lectiones diuisa sit, approbante Episcopo Harlemiensi) habetur eiusmodi exemplum. Matrona quędam eius vrbis, multo tempore decumbens ex infirmitate, votum fecit Sacramento, vt sanaretur. Absens tunc erat maritus; femina domi dominabatur. Itaque sui juris, jussit se ad Sacrum locum (ita enim templum, in quo miracula fiebant, vocabatur) deduci; ibi pro sanitate recuperan-
da impensè Deum rogauit. Quàm verè dixit Christus: *Nescitis,* Matth. 20. 22.
quid petatis? Sæpe enim, velut infantes cultrum, noxia magis, quàm vtilia petimus. Ita & hæc matrona petiuit, quod melius fuisset, non impetrari. Petijt, & obtinuit sanitatem. Itaque suis pedibus, atque incolumis è templo domum redijt, quò portata fuerat manibus alienis. Existimabat itaque, præclarè secum fuisse actum. Exultabunda igitur, marito suo domum ex itinere reuerso, rem vti gesta erat, narrauit. At maritus diuina judicia altiùs scrutatus interrogauit eam, num sanitatem à Deo postulârit, adiecta illa condicione, *si animæ suæ saluti prodesset?* cui illa respondit, se sine vlla condicione sanitatem petijsse. Quod vbi intellexit maritus, redire eam ad Sacrum locum jussit, & id à Deo petere, quod suæ saluti magis conueniret. Paruit vxor marito, ad templum reuersa, precata est, id sibi vt daretur, quod animæ suæ saluti maximè conueniret. Et ecce, mox eadem, qua

priùs, infirmitate correpta est; manifesto indicio, plus ei morbum, quàm sanitatem profuisse. Quid, quòd longè optabilius est quibusdam, ab ipso cacodæmone insideri, quàm eo liberum flagitiosa vita Deum offendere? De B. Abbate Innocentio suprà
Pallad. in hist. Lauf. cap. 103. laudatus Palladius hæc narrat. *Cùm is fuisset illustris in palatio inter magistratus Constantini Imperatoris, mundo renuntiauit, profectus à matrimonio. In quo etiam habuit filium Paulum nomine domesticum, qui militabat. Is cùm peccasset in filiam presbyteri, imprecatus est proprio filio Innocentius, Deum rogans, & dicens: Domine, da ei spiritum, ne ampliùs inueniat eius caro tempus peccandi: melius arbitratus, eum pugnare cum dæmone, quàm cum intemperantia. Quod etiam factum est. Nam nunc quoque adhuc est in monte oliuarum ferrum gestans, & castigatus à Spiritu.* Rectè sensisse ac fecisse Innocentium hunc, suo exemplo Paulus docet; qui cùm de
1. Cor. 5, 3. alio homine impuro intellexisset, ita ad Corinthios scripsit: *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicaui vt præsens eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri IESV Christi, congregatis vobis, & meo spiritu, cum virtute Domini nostri IESV, tradere huiusmodi satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit, in die Domini nostri IESV Christi.*

IX. Vidimus, hucusque, multis sanitatem nocere, prodesse in-
Psal. 83. 8. firmitatem, qui corpore debilitati, animo fiunt fortiores; inspiciamus nunc, quibus gradibus ægroti eant *de virtute in virtutem.* 1. Morbis afflicti, toti in eo sunt, vt circumspiciant de
Matth. 8. 5. medico & medicina: ita leprosi, ita cæci, ita mulier, *quæ sanguinis fluxum patiebatur* ad Christum cucurrerunt: ita *cùm introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio rogans eum, & dicens, Do-*
Matth. 9. 18. *mine puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur:* ita *princeps vnus accessit, & adorabat eum dicens: Domine, filia mea modò defuncta est: sed veni, impone manum tuam super eam, & viuet.* 2. Quia sæpe *doctâ plus valet arte malum*, nec est in medico, vt humana ope æger releuetur; excitatur fides, vt credant infirmi plus posse Deum. Sic accedentibus ad se cæcis dixit IESVS:
Matth. 9. 28. *Creditis, quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: Vtiq; Domine* Et
Matth. 9. 22. ad mulierem: *Confide filia*, ait Christus, *fides tua te saluam fecit.*
Matth. 8. 13. Et ad Centurionem: *Vade, &, sicut credidisti, fiat tibi.* Itaque &

in

in illis morbus est occasio credendi, qui sanantur, & in ijs, qui pro sanando rogant; immo & illis, qui vident sanatum. *Cognouit pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei IESVS: Filius tuus viuit: & credidit ipse, & domus eius tota.* Ioan. 4. 53. Quin & hæreticos nonnullos nouimus, qui, cùm aliàs Sanctorum inuocationem risissent, postquam eorumdem inuocatione, Catholicorum consilio, adhibita, conualuissent, fidem etiam Catholicam amplexi sunt. Quemadmodum & Naaman Syrus, ob beneficium sanitatis à Propheta impetratum, transijt in religionem Israelitarum, & credidit in illum, *qui sanat omnes infirmitates.* 4. Reg. 5. 17. Psal. 102. 3. Inter indicia certè fuit Messiæ, eum ægros sanauisse ad diuinitatem suam demonstrandam. Hinc Matthæus ait: *Obtulerunt ei multos dæmonia habentes: & eijciebat Spiritus verbo: & omnes malè habentes curauit: vt adimpleretur, quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem. Ipse infirmitates nostras accepit: & ægrotationes nostras portauit.* Matth 8. 16. Isa 51. 4. & 1. Petr. 2. 24.

X.

3. Fidei credentium, se posse bonam pristinamque valetudinem diuina ope recuperare, facilè se sociat spes. Libenter enim, quod optamus, speramus, si fieri posse non dubitemus. Hinc morbus, qui corpus aggrauat, mentem ad Deum attollit, facitque ægros, quod desiderant, flagitare. *Tristatur aliquis vestrûm? oret*, & rursum. *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.* Iac. 5. 13. Ferè omnes, quos Christus sanauit, vel sua, vel aliorum oratione, sanitatem impetrauerunt. Ezechias quoque vsque ad mortem æger, *conuertit faciem suam ad parietem, & orauit Dominum.* 4. Reg. 20. 2. & obtinuit adhuc quindecim vitæ annos. Non orasset, nisi sperasset; neque sperasset, nisi eam Deo sanandi potentiam esse credidisset. Vt ergo crederet, vt speraret, vt oraret, morbus in caussa fuit. Hoc ipsum monuit sapiens: *Fili, in infirmitate, ne despicias te ipsum, sed ora Dominum, & ipse te curabit.* Eccli. 38. 9. Nimirum idcirco, diuina prouidentia, per morbum corpus deijcit in lectum, vt animus ægroti in cælum erigatur. Itaque erigitur, quia cogitat, Deum adeò esse sapientem, vt non possit nescire, quid quisque patiatur, ac dolores occultissimos, eorumque radices, caussas, remedia nôrit: & vires cuius-

cuiusque ad illos tolerandos dolores; quas vires augere queat, si expediat; vti & morbos sua potentia tollere, siue per apta medicamenta, siue etiam per contraria. Cum qua potentia agnoscit coniunctam bonitatem, vt suos plus diligat, quàm ipsi semetipsos. Hinc porrò confidit, eum sua prouidentia nihil statuisse, quod non dirigat ad ægrotantis salutem, siue statuerit morbum, siue sanitatem.

XI. 4. Æger, dum credit, sperat; dum sperat, orat pro sanitate. Sed quia illi conscientia suggerit, non dignos esse, qui exaudiantur, Dei inimicos, cogitat de peccatis per pœnitentiam expungendis; iuxta illud: *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt*; cogitat de placando Deo; cogitat de inferni supplicijs, ad quæ, si comparentur omnes morbi, vmbræ sunt. Wenceslaus Bohemiæ rex, cùm, toto exercitu profligato, & viribus fractis, captiuus teneretur, rogatus, *Quo animo esset?* Respondit: *Numquam meliore. Cùm enim*, inquiebat, *omnibus humanis præsidijs vallatus essem, vix de Deo cogitandi spatium dabatur: nunc illis omnibus exutus Deum solum cogito, & in eo spem meam colloco, qui me, sat scio, non deseret sed inuocantem exaudiet.* Ad eumdem modum, qui negotiorum magna multitudine ac varietate distracti, animum ad sidera attollere non possunt, per morbos in lectulum coniecti, incipiunt ad se redire, vitæ fragilitatem, fortunæ fugacitatem, humanam calamitatem, denique tristissimam damnatorum, & lætissimam beatorum æternitatem meditari. Hinc patientia exurgit. Hinc pia suspiria. Hinc sancti gemitus, & desideria illius regionis, in qua *absterget Deus omnem lachrymam ab oculis* Sanctorum. Hinc antè actæ vitæ pœnitudo. Quamobrem, cùm sapiens dixisset: *Fili, in tua infirmitate ne despicias te ipsum, sed ora Dominum, & ipse te curabit*: mox adiecit: *Auerte à delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum. Da suauitatem, & memoriam similaginis, & impingua oblationem, & da locum medico*, non solùm corporis, sed etiam spirituali: *ipsi verò Dominum deprecabuntur, vt dirigat requiem eorũ, & sanitatem, propter conuersationem eorum.*

Psal. 15. 4.

Æneas Sylnius in hist. Bohem.

Apoc. 7. 17. & 21. 4.

Eccli. 38. 9.

XII. 5. Inde vilescunt terrena, cælum sapit, & extincto rerum caducarum amore, diuina appetuntur, quorum desiderio animus

animus ægri inardescit. S. Birgitta regis Sueciæ filia, pro Algotio Dominicano sacræ Theologiæ Doctore DEVM precata est, vt orbitate oculorum & calculi tormentis liberaretur. Sed hoc responsum accepit: *Iste stella micans est, nec expedit, sanitate corporis obscurari animam eius. Certauit & cursum consummauit: nihil iam superest, nisi vt à me coronetur. Et hoc tibi signum erit, quòd ab hac hora mitescent dolores corporis eius, tā enim anima ei⁹ prorsus ardet igne diuini amoris.* Non diu pòst Theologus ille è mortali vita ad immortalem lætus discessit, DEVM laudans, ob infirmitatem à cælestis Patris sapientia, omnipotentia, ac bonitate, ad suam maiorem coronam, clementissimè ordinatam. Quo exemplo monemur, ne nimis in morbo, vel pro nobis, vel pro alijs, anxij simus. Nouit DEVS, quid quisque ferre valeat, vel quid ei prosit. Infinita sapientia non errat, infinita potentia debilitati nostræ potest robur addere: infinita bonitas, nullum malum, nisi ad bonum finem infert.

Sur. 13. Iulij in vita eius. cap. 21.

XIII.

6. Quòd si quis vel per pharmaca hominum, vel per miracula restauratus ad pristinum de inualetudine redeat vigorem vsque; etiam tum habet caussam DEVM amandi, eiq; se se gratum ostendendi. Ita enim, *cùm venisset IESVS in domum Petri, vidit socrum eius jacentem, & febricitantem: & tetigit manum eius, & dimisit eam febris, & surrexit, & ministrabat eis.* Nimirum par est, vt qui valetudinem à DEO receperunt, eamdem in eius seruitutem; non in vanitates impendant. Mulier illa, quæ à sanguinis fluxu fuit sanata, Cæsareæ Philippi, ante domum suam, Christo statuam æream posuit, in accepti beneficij monimentum. Cui gratitudini & Christus vicissim gratus esse voluit. Nam ad eius statuæ basin herba excreuit, quæ, vbi in eam altitudinem porrecta est, vt fimbriam vestimenti eius attingeret, vim acquisiuit itidem sanguinis sistendi. Sic ærea imago, dum miraculum significauit, & ipsa facta est miraculosa. Gratitudinem autem hanc à Christo expectari, manifestè docent verba Christi. Decem lepra coopertos mundauerat. *Vnus autem ex illis, vt vidit, quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans DEVM, & cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens: & hic erat Samaritanus. Respondens autem IESVS, dixit: Nonnè decem mundati sunt: & nouem vbi*

Matth. 8. 14.

Euseb. lib. 7. cap. 28. & Sozom. lib. 5. cap. 21.

Luc. 15. 17.

vbi sunt? Non est inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Quæ obliuio beneficiorum adhuc reperitur in mundo. Multi enim Christiani, multi Catholici, à morbis curantur, qui numquam DEO gratias agunt, pro valetudine recepta; cùm tamen sæpe hæretici, sæpe ipsi Ethnici morbis liberati, magnos DEO Liberatori decernant honores; neque satis prædicare possint Sospitatorem. Sed nimirum, vt terra alia lolium, alia triticum gignit, ita alij homines vitia, alij virtutes exerunt, quando vel ægrotant, vel ægrotare desinunt.

CAPVT XXIX.

Tertia decima morborum caussa, quòd sint occasio vocationis ad varia opera pietatis, & Passionis Dominicæ in memoriam reuocandæ.

I.

Plaut. Mercat.

2. Cor. 12. 9.



Apud Comicum ait nescio quis: *Apage istiusmodi salutem, cum cruciatu quæ aduenit.* Aliter loquitur Paulus, cuius illa sunt: *Virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis. Cùm enim infirmor, tunc potens sum.* Quid ita? quia *fortitudo nostra,* inquit S. Augustinus, *est infirmitatis in veritate cognitio, & in humilitate confessio.* Fragilis est homo; numquam meliùs fragilitatem suam, quàm in morbo, videt. Hanc dum videt, non suis, sed diuinis viribus nititur. Fit ergo tunc, diuina ope, longè fortior potentiorque, quàm si suis viribus nixus esset. Quas virtutes Iob vlcere pessimo percussus non exercuit? quantam patientiam Tobias non ostendit afflictus cæcitate? Quas tentationes morbis alij non subegerunt? Quantam vitæ ac morum emendationem non instituerunt? quæ vota ad Sanctos, eorumque templa atque altaria non conceperunt? quantam vim pecuniæ & eleemosynarum in pauperes nõ effuderunt? Nec ipsis tantùm ægrotis morbi prosunt, sed etiam ægrotorum ministris, qui nusquam magis suam erga proximũ ostendere possunt charitatem, immò & erga DEVM, qui in nouissimo die, dicturus est: *Infirmus eram, & visitastis me.* Quin & suam, velut in speculo, intuentes imbecillitatem, desinunt se circumspicere, aut corporis voluptates ita terminandas magnifacere,

S. Augustin. lib. de Verit Christi. c. 12.

Matth. 25. 36.

facere. Hinc Ecclesiastes ait: *Melius est ire ad domum luctus, quàm* Eccles. 7. 3.
ad domum conuiuij: in illa enim finis cunctorum admonetur hominũ,
& viuens cogitat, quid futurum sit. Ægroti autem ipsi, exultante 1. Cor. 15. 42.
animo, cogitant, quid futurum sit de corpore, quod *seminatur in*
corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate; surget
in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Sicut in S. S Greg. l. 4.
Theophanij Comitis corpore indicium aliquod datum est; cuius dial. cap. 27.
viuentis pedes cùm podagrâ fœdè intumuissent, taboq; ac sanie
fluida teterrimum odorem expirassent; defuncti illico reducti
sunt ad debitam vel sanissimi hominis formam, fragrantiamque
diuinam quamdam, quarto à sepultura die, exhalauerunt. II.

Quin morbis multos Devs loco astrinxit, in quo multa Philipp. A-
præclara gesserunt. Bernardinus Realinus, Lupijs, *vnus omnia* legambe in
Societatis munia obiuit, donec, rebus firmatis, socij plures acciti sunt. Bibliotheca
Ceterùm hoc illi domicilium fixum perpetuumq́; Deus esse voluit: quo- Script Soc.
ties enim, vel maiorum imperio, vel alia quaqua de caussa, vrbe ipsi Iesv.
fuit excedendum, toties vel improuisa ægrotatione, vel repentina aëris
inclementia detentus fuit; aut si clam moliebatur abscessum, personan-
tibus suopte nutu campanis exciti sunt ciues, vt occuparent. Ab iti-
nere igitur illum Devs morbis, non à labore impediuit: At Le-
onardum Lessium nec ab itinere, nec à labore. Nam *memorabile* Idem ibid.
est, quo infortunio magna illi meritorum in reliquam vitam seges sub-
nata est. An. M. D. LXXVIII. per tumultus patria, Nostri ea
vrbe expulsi sunt. Leonardus in ea fuga, nocte ab exitu secunda, lectũ
sortitus est in diuersorio, vnde nescio quid hausit contagij; quod cùm
tibijs maximè insedisset, non rarò ipsi periculum lepræ creauit; & cùm
nulla posset ope depelli, ad vsq; vitæ exitum, pessimis eum modis exer-
cuit. Et tamen cum hoc morbo, *euoluto septennio, Romam accitus*
est, vbi Francisco Suario, in Theologia, Doctore biennio est vsus; & iam
tum Theologiæ alijs tradendæ idoneus est visus: quàm non multò post
Louanij exorsus, totos XV. annos, summa nominis claritudine docuit,
& annis XVIJ. seqq. Nostrorum studijs dirigendis præfuit. Miraculo
autem est proximum, tam multa potuisse illum scribere, qui tot ac tan-
tis fractus doloribus, viribus propemodum diuturno labore exhaustis, in
carne videbatur, sine carne ægram animam trahere. Interea parcis-
simus erat tẽporis, laboris pertinax; vt inde potuerit per jus vtrumq;,

per Medicas artes, per Mathematicas, per historias, & scientiarum alias excurrendo Encyclopædiam conficere.

III. Philipp. Alegambe in Indice Martyrum num. CCLVIII ex vita ipsius Hispanicè & Gallicè edita.

Alij, velut Antæus dejectus in terram, postquam dejecti sunt in inualetudinem, fortiores surrexerunt, atque grandia opera aggressi sunt. Ita *P. Marcellus Franciscus Mastrillus, Italus nobili loco natus, cùm diu votis ardentissimis Indicam missionem expetiisset, admirabili prodigio eius est factus compos. Nam à S. Francisco Xauerio aspectabili repentè sanatus à lethali vulnere, ad Indiam atq; ad Martyrium inuitatus est*, quod sanè subijt modo luculento. Idem Philipp. Alegãbe Bibliotheca Script. S. I. fol. 160. hęc habet: Georg. Tyskemicius, natione Polon. Gente Podlach: ex peruetusta Moduidorum familiâ, quæ Sereniss. Iagelloniam per Russię Duces attingit, patre Palatino Brestensi, matre Wolowitzia, ordinis senatorij natus, primam ætatem Vilnæ in scholis nostris, tum peregrinabundus, vt nobilitatis Poloniæ mos est, Græcij, Patauij, ac demum Romæ, cùm grauem incidisset in morbum, vouit, eam se familiam sacram, si conualuisset ingressurum, cuius hominē primum domo prodiens offendisset: Et commodum progressus incurrit in admodum R. P. N. Mutium Vitellescum, qui tum in Romano Collegio versabatur. Voti reus ad S. Andreæ tirocinium tetendit anno salutis 1593. cùm ageret ipse ætatis annum 22. Per morbum quoque admirabili illi Furseo zelus animarum adjectus est. Nam ægrotanti Angelus apparens omnia ordine tradidit, quæ ad officium diuini verbi longè lateque prædicandi pertinebant; monuitque, vt nulli labori parceret; nullo discrimine terreri se fineret, duodecim illi adhuc annos vitæ superesse, post quos laboris præmia in cælo iam antè visa, eũ manerent. Dici non potest, quanto ardore, tot ignibus inflammatus Furseus, per Angliam, Galliam, & Belgium diuinæ Fidei atque amoris incendia, postea dissemināris. Per morbum igitur isti vel è sęculo ad Religionem, vel in Religione ad maiorem perfectionem vocati sunt.

Sur. Jo. Ianuarij.

IV. Idem loc. supr. cit.

Quin, & in ipso morbo, quàm grandia fieri possent, idem paulò priùs memoratus Lessius egregiè exemplo docuit, *qui grauissimis morborum, colicæ, calculi, herniæ duplicis, languentis ructantisq; stomachi tormentis, voluntarias etiam flagellationes adjecerat. &*

crebra

crebra jeiunia; nisi malis totam ipsius vitam meram inediam appellare. Totos triginta annos, vna esitatione, per diem, eaq; pertenui vixit; extra eam nihil vmquam potûs accepit. In cubiculi sui pariete hanc epigraphen fixerat: AMOR MEVS CRVCIFIXVS EST. *Et erat erga Christi Passionem teneritudine animi insigni: Vnde illi par studiū patiendi; & in aduersis tolerantia tam robusta, vt ipse fateretur, se ijs, quæ patiebatur, malis parem haud futurum, nisi peculiari fuisset auxilio diuinitus adjutus, morte grauiora esse, & leuius illis fore incendium, quo viuus conflagraret. Incredibilis illi dolor erat in vesica lenanda, & cogebatur, extremis temporibus plus centies diei noctuq; spatio ad eum cruciatum. Tormenti grauitatem, & animi simul æquitatem ex diuina voluntate perquam compositi votum eius in scheda repertum adumbrat. Sic habet: Beatissima Virgo, si dolores istos abstuleris, voueo, omnibus profestis tuis jeiunium in pane & aqua; Rosarium in profesto, & ipso die; Horas B. Virginis omnibus Sabbatis, nisi Superior, vel justa caussa obstiterit; & Festis Purificationis, Annuntiationis, Præsentationis, Assumptionis, Natiuitatis, Conceptionis. Non cupio auferri, nisi sit ad maiorem* DEI *gloriam, & meam salutē. Tenebor, simul atq; aliquo modo constiterit. Si error, vel obliuio interuenerit, licebit proximo Sabbato instaurare. Ingens DEI beneficium eas pœnas existimabat; quibus ferendis aliorum quoq; poscebat preces ad auxilium à DEO exorandum. Accusabat suam inertiam, quòd sine gemitu eas ferre non posset; & subinde Ministrum rogabat, vt suam impatientiam (sic aiebat) castigaret, cùm interim generosus eius animus omnibus esset admirationi. Vnum illi solamen in malis erat, Christus crucifixus.* Hæc summatim dicta ad patientiam & pietatem nos possunt erudire, in morbis exercendam.

V.

Efficacissimum solatij genus est, & ad spiritus, inter morborum cruciatus, sumendos saluberrimum remedium, Lessij exemplo, sibi ante oculos ponere Crucifixum, & sæpe cogitare, ac dicere: AMOR MEVS CRVCIFIXVS EST. Quis enim summū bonum non amet? id in cruce pependit. Quiuis igitur dicere potest: *Amor meus crucifixus est.* Quis se seruum vocare audeat illius Domini, qui cùm esset summè potens, summè sapiens, infinitè beatus, vno verbo, Deus, tamen serui sui caussa, exinaniuit semetipsum, & mortalis non tantùm homo fieri, sed etiam

formam serui suscipere, & cruciatibus se tantis obijcere voluit,
Isa. 53. 3. vt eum Propheta *virum dolorum: & scientem infirmitatem* vocitaret? Tametsi enim eas infirmitates, quæ ex temperamenti & humorum dissonantia oriuntur, non habuerit, expertus est tamen dolores afflictionésque, quæ ex eis solent oriri. Qui ergo in lectulo decumbens cum morbis colluctatur, si Christum patientem aspicit, duo illum videt habuisse, quæ ille magnis Sanctis, quando illos vult probare, & in infirmitatibus vehementer exercere, solet dare. Vnum est, quòd seipsum omni delectatione, & sensibili solatio, quod corpus fouet, carnemque roborat, penitus priuârit: alterum, quòd acerbissimos in parte sentiente
Matth. 26 28. affectus excitârit, *tristitiæ, timoris, tædij, & agoniæ.* Considera-
Marc. 14. 33.
Luc. 22. 43. tione autem dignissimum est, eum, cùm in illius arbitrio esset, vt istiusmodi affectus magni vel parui forent, tamen sponte sua voluisse eos esse quàm vehementissimos; enimuerò etiam diuturnos, adeò vt toto passionis suæ tempore perdurarent, donec in cruce animam exhalaret. Ita Dominus, qui dolores suos, quandocumque voluisset, potuisset vbique & sub flagellis, & sub spinis, & sub clauis, mitigare, eos tamen vbique acuit & auxit, vt copiosa esset apud eum Redemptio. O AMOR AMORE DIGNVS!

VI. Quando igitur morbus, tamquam ignitus serpens, ægrum mordet, & doloris acerbitas eò progreditur, vt Spiritum illius contristet, cogatque præ molestia, ingemiscere, atque in ago-
Psal. 68. 1. nia constitutum dicere: *Saluum me fac, Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam,* timoribus, tædijs, tristitijsque grauissimis oppressum; intueatur in autorem fidei, & soletur se Domini sui arbitrario cruciatu, gratuletúrque sibi, ob calicis puri haustum, sine solatij mixtura; animo secum reuoluens, etiam Saluatorem suum fel & acetum, ad exemplum remediumque nostrum, sine melle, gustauisse; atque hac ratione seruum Domini vestigia sequi existimet, eidemque se, cum ipso, cruci affixum esse arbitretur. Quare quoties eum aspicit in cruce pendentem, ac ipsum quoque in eadem secum cruce patientem, di-
Luc. 23. 41. cat: *Et nos quidem iustè, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit.* Quod si seriò dixerit, seque ad hæc, & plura toleran-

da

da obtulerit, experietur mox etiam Christum erga se mitem; qui tametsi purum sibi Passionis calicem elegit, tamen libenter passionis suæ socijs dilutum præbet; sicut tunc suo in cruce socio, bono latroni, fecit dicens: *Hodie mecum eris in paradiso.* Quid- Luc. 23. 43.
quid enim vitæ, quidquid morbi est in his terris, merum *hodie* est, ad quod *paradisi* æternitas sperata, est idem, quod Oceanus ad pluuiæ guttam. Qua cogitatione instructus Apostolus dixit: *Existimo, quòd non sunt condigna passiones huius temporis, ad futu-* Rom. 8. 18.
ram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Nam etiam Paulus aliquando grauia passus, tali se modo consolatus est, qui scripsit: *Super-* 2. Cor. 7. 5. 4. & 1. 5. & vers. 8.
abundo gaudio in omni tribulatione nostra: &, *sicut abundant Christi passiones in nobis; ita & per Christum abundat consolatio nostra.* Cùm tamen ipse etiam dixerit: *se supra modum, & supra virtutem fuisse grauatum, vt ipsum tæderet etiam viuere*, item: *se foris habuisse pugnas, & intus timores.* Nimirum omnem in illo dolorem mitigauit, quando meminit Christi sui: quia quantum abundabant Christi passiones in illo, tantum & per Christum abundabat consolatio illius. Atque hoc pacto credibile est, & bonum latronem, ab eo momento, quo dulcissimum illud verbum audiuit: *Hodie mecum eris in paradiso*, statim magna spe perfusum, etiam læto animo, reliquos dolores, & cruciatum illum tolerasse, cùm *eius crura frangerentur.* Cum hoc igitur latrone, aut cum Paulo, Ioan. 19. 32.
quisquis decumbens in lecto ægrotus, cogitat se cruci, ad latus Christi, affixum esse, agnoscitque, & se iustè, & Christum iniustè in cruce pendere, longè faciliùs patitur, quidquid patitur, & facilè audit Saluatorem dicentem, *hodie*, hoc est, breui, *mecum eris in Paradiso.* Siquidem crux, per quam ille intrauit in gloriam suam, est *lignum, quod vbi missum fuit in aquas amaras*, in dulcedi- Exod. 15. 25.
nem versæ sunt. Atque, vt S. Gregorius dixit: *Si passio Domini ad memoriam reuocetur, nihil est adeò durum, quod non æquo animo toleretur.* Hinc ægrotus Lessius epigraphen illam identidem in pariete legit: AMOR MEVS CRVCIFIXVS EST.

VII. Hic amor in eo incendit amorem, dum secum reputauit, Christum Dominum non coactum, aut ex necessitate, sicut nos, cùm ægrotamus; sed ex mera atque infinita charitate sua, ad nos redimendos, elegisse, & tulisse maximum *numerum, pondus,*

& men-

& mensuram, dolorum, qui vmquam in mundo extiterunt. Quemadmodum enim peccata hominum innumerabilia, grauissima, & sine mensura fuerunt; ita Christus voluit innumeros, grauissimos, & mensuram omnem excedentes cruciatus sustinere. Quæ qui vult, in dolore morbi sui, non dico numerare, sed vel generatim ruminare, locum non dabit cogitationibus impatientiæ, & tristitiarum. Nam ad numerum quod attinet, quanta est materia meditandi? 1. Si Iobum vt affligeret Satan, tot morbos excogitauit, quid putabimus eum fecisse, vt Christum affligeret, quem vidit athletam esse Iobo longè fortiorem? 2. Si, vt nonnulli docent, Christum in deserto, non aliquis de plebe, sed princeps dæmonum, Lucifer ipse tentauit; an putemus eum tunc, cùm de summa rerum, & de principe tenebrarum è regno suo ac potestate eijciendo ageretur, domi mansisse, & non potiùs omnem machinam adhibuisse? 3. Si quando agitur de ciuitate aliqua vastanda, omnes sunt in motu, omnes concurrunt, nec quisquam vel vir, vel femina, vel senex, vel puer non agit suas partes: an non tunc, quando videbant damnati illi Spiritus imperium suum periclitari, omnes sua consilia, & auxilia credibile est in vnum contulisse, vt euersorem suum affligerent? Quòd si vnus Satan tantum molestiarum, permittente Deo, potuit afferre Iobo, quantum necesse est, tot dæmonum phalanges, dolorum Christo intulisse, & Deo permittente, & Christo sponte afflictionem tantam acceptante; ac dicente:
Luc. 22. 53. *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*; quod non solùm de potestate dæmonum, sed etiam hominum dixit. 4. Igitur Christum afflixit odium Scribarum, inuidia Pharisæorum; iniquitas Sacerdotum; ac præsertim Annæ & Caiphæ malignitas; Herodis item & Pilati impietas & iniustitia; populi denique Hebræi leuitas; militum & carnificum crudelitas; ipsius etiam discipu-
Psal. 2. 2. li Iudæ perfidia, qui omnes *conuenerunt aduersus Dominum, & aduersus Christum eius*, & velut inter se se certarunt, vt quisque in eo affligendo alterum superaret. Existimabant enim plerique obsequium se præstare Deo, & velut zelo legis præmium merituros, si illum vel lingua, vel manu percuterent, aut vulnus corpori mentiue eius imponerent. Adeò enim vel odium, vel inuidia,

dia, vel stygiæ offuciæ eos excæcarunt, vt impios esse censerent, qui essent in Christum pij. Lessius igitur aliquis, si suos tortores, cum his Christi tortoribus confert, quàm numerum longè minorem inuenit? Facilè enim intelligit se non à tota Tartari multitudine, non à Lucifero, sed vix ab vno maligno tentatore impugnari. Non in talem insurgunt Scribæ, non Pharisæi, non summi & infimi Sacerdotes, non Herodes, non Pilati, non populus, non milites. Sed Superiores misericordia mouentur, & conantur ægrum solantibus verbis roborare; fratres pro eo orant; infirmorum ministri vigilant; medici in quærendis remedijs laborant. Ah, quàm longè mitiùs nos in lecto molli, quàm Christus in dura cruce tractamur! Cur impatientes esse velimus, si cocus cibum non parauit, qui palato morbis exsurdato sapiat? Si infirmorum curator, tardiùs venit vocatus? Si Medicus, aut pharmacopola potum amariorem præscripsit, aut fortasse etiam in aliqua re errauit? O quàm multò plura grauioraque passus est Redemptor noster? & amor meus, qui crucifixus est? Quis numeret ictus, quis plagas, quis vulnera, quis dolores, quos sustinuit? *Vnus aßistens ministrorum*, ait Ioannes, *dedit alapam IESV.* Ioan. 18. 22. An vnus tantùm? Nequaquam. Sed tota cohors militum, pro ludo habuit eum percutere. Nullus lixa, nullus scurra fuit, qui capto non illuderet, & cædendo illum non triumpharet. *Et veniebant ad eum, & dicebant: Aue rex Iudæorum: & dabant ei alapas.* Ioan. 19. 3. Marcus ait: *Et cœperunt quidam conspuere eum, & velare faciem eius, & colaphis eum cædere, & dicere ei: Prophetiza: & ministri alapis eum cædebant.* Marc. 14. 65. Quis numerum inibit colaphorum, sputorum, verberum, opprobriorum, quibus saturatus est; injuriarum, blasphemiarum, quibus affectus est? Quæ primùm in domo Caiphæ, & quidem tota nocte; postea etiam iterum in Prætorio, apud Pilatum, sequenti die, tolerauit; adeò, vt S. Hieronymus testetur, solùm DEVM nouisse, quid Christus vel nocte illa sit perpessus. Iam quis ictus flagellorum numerabit? quippe cùm dirissimi illi lictores non manserint intra numerum quadragenarium à lege præscriptum. Deuter. 25. 3 Sunt, qui dicant, eos ad quinque millia peruenisse. Quis spinarum aculeos, qui venerandum Saluatoris verticem pupugerunt, satis æstimabit; cùm spinæ septuaginta

ginta duæ dicantur ſacrum illud caput ſauciaſſe? Denique cogi-
tari ſatis non poteſt, quot, inter crucis baiulationem, & in ipſo
Caluariæ monte, dum veſtes vulneribus agglutinatæ reuelleren-
tur, dum manus pedeſque clauis perfoderentur, dum crux in al-
tum tolleretur, & totum corporis pondus è ſuis plagis penderet,
ſuſtinuerit cruciatus.

VIII. Quanti autem, quamque immenſi fuerint iſti dolores, quàm
Pſal. 128. 3. magnum in corona ſpinea, in flagellis *ſupra dorſum illius fabri-
cantium*, in trunco crucis geſtando, in ipſo corpore pendulo
pondus, vel licet inde æſtimare: quòd in monte Oliueti ſola ho-
rum tormentorum imaginatio ita grauis fuerit, vt ſanguineum
ex illo ſudorem expreſſerit. Hæc talia vt cogitent ægroti, monet
Hebr. 12. 3. Apoſtolus illis verbis: *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à pecca-
toribus aduerſus ſemetipſum contradictionem: vt ne fatigemini animis
veſtris deficientes.* Non enim putabitis nimium eſſe, quod ſentitis,
ſi Dominum veſtrum, ſi amorem veſtrum infinitis partibus plus
ſuſtinuiſſe cogitabitis. Quis enim ſeruus queratur de onere ſibi
impoſito, ſi videat ſe minimam partem ferre ponderis Domino
ſuo injecti? Quis animum non ſumat ad moleſtias ſuas perfe-
rendas, ſi eas velit cum amore ſuo crucifixo comparare? Credi-
bile eſt ergo, Leſſium, cùm ea verba parieti inſcripta legeret:
Amor meus crucifixus est, ita ſecum cogitaſſe. Amor
meus, Dominus meus, Deus meus in cruce pendet, ego in lecto
jaceo: Amor meus ſanguine amiſſo ſitiens, fel & acetum, & vinũ
Pſal. 68. 22. myrrhatum bibit, ego vinum habeo & ſyrupos dulces. Et quid
querar de pharmacorum amaritie? amor meus ait: *in ſiti mea po-
tauerunt me aceto.* Quid querar de tot cauterijs, de vena ſecta?
quot venæ ruptæ ſunt Chriſto amori meo? quanta ille in manibus
pedibuſque habuit cauteria, non ſui, ſed mei cauſſa? Quid que-
rar de capitis dolore? video ſpineam Chriſti coronam. quid que-
rar de cordis anguſtia, de animi anxietate? video in amabili Chri-
ſto meo agoniam, tædium, pauorem, ſudorem ſanguineum vſque
ad terram defluentem. Quid querar, quòd me decumbentem
pauci inuiſant, aut nimis multi? cùm Chriſtus amor meus in
Pſal. 68. 21. cruce dicat: *Suſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: & qui
conſolaretur, & non inueni.* Affuit quidem Mater, affuit Mag-
dalena,

dalena, affuit Ioannes Apostolus Christo in cruce patienti, sed ni amici eius non consolati sunt eum, potiùs dolores eius tristitia sua auxerunt. Me tamen, quicumque inuisant, conantur consolari. Et pro quo ego patior? pro me ipso, pro meis meritis & peccatis. At Christus non pro suis, sed pro meis delictis passus est, vt mihi olim aliquid passuro robur viresque mereretur. Ita non suos tunc tantùm dolores, sed etiam meos sensit. ô amor, quid superest, nisi vt ego iam in hoc morbo constitutus, te CRVCIFIXVM aspiciam, & tuos vicissim dolores persentiscam, & meis coniungam, meosque, in gratiarum actionem, tuis superaddam; atque ita tecum in gloriam meam & tuam intrem? Hæc talia ægrotus potest considerare in aspectu CRVCIFIXI, & credibile est, vt dixi, Lessium cogitasse, quando *in cubiculi sui pariete, hanc epigraphen fixerat*: AMOR MEVS CRVCIFIXVS EST. Sed vtile fuerit, ad patientiam discendam, audire, quæ in vita eius habentur. Est enim patientiæ exercendæ occasio decima quarta caussa morborum humanorum.

CAPVT XXX.

Decima quarta morborum caussa, patientiæ occasio, quæ miro Leonardi Lessij exemplo illustratur.

DE morbis maximè videmus homines ex impatientia queri: vel, si in verba blasphemiæ palàm erumpere nō audent, saltem bullit animus eorum in tacitas querelarum cogitationes: quasi DEVS sit immitior, dum varijs corpus æstuare doloribus permittit, quos arcere potuisset. Atqui quàm multi sunt, qui vinolentia alijsque intemperantijs vel validas vires præcipitant, & corpus alioqui sanum ægrotare cogunt? Quàm multi, quibus morbus est via ad virtutem, ad coronam, ad DEVM? Numquam Leprosus ad Christum venisset, si ad eum non venisset Lepra: numquam Dominum adorasset, nisi eum scabies cruciasset. Nimirum nemo pluris æstimat Medicum, quàm qui sentit se indigere medicina. Exemplum recens narro, è vita Leonardi Lessij, vt me, meosque fratres domestica virtute erudiam. Hæc enim

I.

Matth. 8. 2.

enim ibi lego de viro, cuius pia eruditio in toto Christiano orbe est notissima; cuius opera æquè legunt & laudant hæretici atq; Catholici; quem suspiciunt Iurisconsulti; admirantur Theologi, omnes docti non immeritò commendant. Quidquid enim scripsit, vel pium est, vel doctum; vel pium & doctum simul. Sed de doctrina constat omnibus: par est, vt etiam virtus eius innotescat. Quæ tametsi in multis rebus claruit, nusquam tamen illustriùs eluxit, quàm in morbis. De eo igitur Thomas Courtois hæc commemorat.

II.

In vita P. Leonardi Lessij, edita Bruxellis operâ Thomæ Courtois Anno M. DC. XL. c. 3. §. II. quem citat P. Philipp. Alegambe in Bibliotheca Scriptor. Soc.

Plenis, vt ita dicam, velis, per scientiarum oceanum jucundè securéq; Lessius nauigabat: cùm ecce publica patriæ tempestas, quam perduelles hæretici Duaci concitabant, cursum abrupit. Triennium exactum hìc erat; & vrbe à rebellibus exigitur Anno 1578. & eheu! nocte ab exitu, secunda, eas miserias incurrit, quibus reliquo vitæ tempore, continuum martyrium duxit. Dum per vicina loca cum socio, latebras quærit, paruo instructus viatico in hospitium deuenit, vbi in lecto contagiosa peste (maleficium aliquod fuisse vehemens suspicio est) infecto decubuit. Malum iam eum inuaserat, cùm medio noctis, madore ac fœtore expergefactus, reliquã noctem, extra lectum vigil peregit. Vix octo elapsi erant dies, cùm per totum corpus grassata pestis, se se manifestauit: caput & reliqua membra penè in duplũ intumuerant, omnia tenebat scabies; à malo infectus etiam superatusq; socius, eo anno interijt. Lessius sobrietate, jeiunio, varijsq; medicamentis, luẽ illam deuicit. Annum integrum totis noctibus in eum modum sudore diffluebat, vt omnia quotidie lintea ad ignem siccanda essent; quod præ modestia à nemine, quàm à seipso, fieri patiebatur: calidum laterem pedibus sub vesperum adhibebat, qui sudorem illum cieret. Post multa tempora, balneationibus & herbarum affrictu, pestilentem illum humorem, qui toti corpori insederat, in tibias deriuauit; à quo tamen complures sanguineæ maculæ, palmaris ferè magnitudinis cætero corpore dispersæ, perennia tanti mali monumenta, remanserunt. Tibiæ lue ista infectæ, incredibili impetigine ac pruritu, quadraginta quinq; annos, die nocteq; eum excruciârunt. Visus est aliquando stylo ferreo crura vsq; ad fluxum sanguinis vulnerare, vt molestißimam corrosionem auerteret: quæ quantopere sæuierit, facilè is intelliget, qui vel vniꝰ apiculæ aculeo compunctus, præ doloris impatientia, vix conquiescit.

Vtraq;

Vtraq; tibia noxio iste humore, instar sanguinis rubebat; ac incrustabatur; quotidie noua enascente scabie; quae in furfures pelli adhaerescentes decoquebatur. Hinc calor ingens existebat, à quo acerbissimus pruritus incendebatur, qui non prius sedari poterat, quàm furfures isti detererentur; qui tantâ copiâ à tibijs absistebant, vt si omnes in vnum collecti essent, benè magno vase non concluderentur. Varia medicorum ingenia acriter & decertârunt & desudârunt, vt malo huic remedium apponerent. Alij ea praescribebant, quibus lues Venerea abigitur: sed ea castissimus Lessius constanter semper recusauit. Alij cauterium inussêre quod igne malo brachium affecit: & sanè resecari coëgisset, nisi artis suae peritissimus chirurgus, extincto incendio, carni vigorem restituisset. Alij tamen iterum cauterium aperuêre; quod propter humores salsos ac biliosos, vix ad tertium diem perferri potuit. Nihil planè erat quod malo isti medicinam adferre, aut posset tibijs expellere; è quibus, velut ex arce aliqua, seu receptatrice spelunca, vniuerso corpori bellum inferebatur. Frustra sectiones, malagmata, emplastra, vnguenta, herbae, lotiones, affrictus. Per aëris intemperiem & qualitatum antiperistasim, fiebat frequenter, vt aculei, quasi spineae sagittae minimè tolerabiles essent. Quadraginta ferè annos in tortura illa exegerat, cùm sub Natalem Christi Anno 1616. malo suo nimium quantum ferocienti propemodum succumbens, ad diuinam opem, quia humana omnia deficiebant, confugit; cùm è caelo (vt ipse aiebat) mens illi inijcitur, vt è canina pelle tibialia induceret, quibus ille ipso anno, cùm in itinere Romano alteram tibiam euerso curru, fregisset (vt infrà) Romani Medici eum vti praeceperant: fieri enim posse, secum reputabat, vt canina pellis frigus, tibiarum calorem temperaret. Et en mirandum naturae portentum! vix pelles illae pedibus inhaeserant, cùm calor imminuitur, & pruritus mitigatur, ac deinceps hac medendi ratione, malum illud tolerari potuit, quamuis non sanari. Vnde iucundè Lessius, & in diuinam prouidentiam Religiosè, dicere solebat, profuisse sibi, tibiam frangere; Deumq; ex paruo malo, bonum magnū eduxisse: tibiarum enim pruritum vsq; adeò magnum malum fuisse, vt minus detrimenti ab vtroq; pede confracto, quam à pruritu illo accipere se posse existimaret. Ita diuinae prouidentiae iudicia, etiam in confracto pede, agnouit Lessius, atque in ipso malo suo bonum inuenit.

IV. Sed & in altero illo maiore malo, maximorum bonorum sibi offerri vidit occasionem, & luculento patientiæ exemplo docuit, quid nos, aut in grauibus, aut in diuturnis morbis cogitare, dicere, ac facere debeamus. Hæc enim in eadem Lessij vita legimus, digna, quæ huc exscribantur, quia digna, vt & imitatione exprimantur ab ijs, qui minùs innocentes ægrotant.

cap. 18. §. 104. *Leonardus Leßius, jam inde ab adolescentia, id vnum diurnis nocturnisq; precibus à DEO flagitauit, vt eiusmodi sibi vitæ cursum concederet, quo diuinæ Maiestati placere, & animæ suæ salutem operari posset. Corpus suum & animum DEO in holocaustum sistebat. Petebat nihil, excipiebat nihil: pro sanctißima sua voluntate id de se ageret, quod luberet. Copiosè tanto desiderio visus est annuisse Deus; & (sicut de fortißima tolerantia patriarchis Iobo & Tobiæ factum legimus) experimentum voluisse sumere, num tam generosa liberalisq; voluntas, perpetuò sibi ipsa constaret. Siquidem totos quadraginta quinque continuos annos, nempe à tertio & vigesimo ætatis, vsque ad sexagesimum nonum, quo diem vltimum clausit, vnus ex altero semper illi dolor fuit; immò etiam deterior priore posterior. Vt videlicet extensa Patientia vitaq; commensa simul cum ætate cresceret, & ex amußi diuinæ voluntati Leßium adæquaret.*

V. *Principium morborum Duacense dedit exilium; vt quod DEI Religionisq; caussâ malum obuenerat, Deus martyrio annumeraret, & Leßius ambitiosè toleraret. Hæretici in DEVM & Philippum Regem rebelles Duaco Leßium cum cæteris Religiosis proscripserant. Ipse in obscurum diuersoriolum retrusus contagiosam isthic luem (de qua pluribus cap. 3. agitatum est) induit; quâ, non antè quàm vitâ, exutus est. Quippe totum ea lues corpus peruasit, & primùm quidem eo furore, vt & caput, & cætera membra in duplum tumere fecerit. Et quamuis Leßius sobriâ vitæ ratione, & medicorum industriâ, malum illud domuerit: euincere tamen non potuit, nè sparsim maculosâ scabie partes quasdam, veluti arces retineret, è quibus perpetuum valetudini bellum lacesseret Hinc molestißima illa impetigo, quæ varia membra, peßimè verò vtramq; tibiam aßiduo pruritu, ceu edaci morsu corrosit. Hinc stomachi languor, frigus, pituita, intestinorum tormina, ventorum ex ore flatus, prædura aluus, colica aculeus, hepatis vicinarumq; partium affectio. Adhac hernia vtrimq;, hinc pugni,*

inde

inde pila magnitudine extuberans. Ab his omnibus, quotidiana erant & domestica prœlia. Externum aliquod accersendum erat, quo Leßius frangi posse videbatur.

Cùm ad septimam Generalem Congregationem proficisceretur, VI.
non longè à Lucerna (vrbs est in Germaniæ Italiæq; confinibus) ipso exaltatæ Crucis festo die, vt videlicet crucem haberet, quæ aliquando ad cælos exaltaretur, euerso quo vehebatur curru, tibia ei confracta est: stetit tamen illi animus. Agnouit à DEO vulnus illud esse: lætus gratúsque excepit, & quidem ea animi in diuino beneplacito quiete; vt nec preces ad Deiparam Lauretanam ex itinere pro sanitate fundendas putarit. VII.

Qui læserat, sanauit DEVS; non vt deinceps abstineret, sed vt iterum fortiori manu, non nihil respirantem, vulneraret. Proximo ante mortem quadriennio, à Latiensi præsule Antonio de VVinghe magnæ sanctimoniæ viro, consilij causa Bruxellam Leßius euocatur. Et ecce itinere medio, duo calculi, ouo gallinaceo pares (vti post mortem compertum est) nullo vmquam antea indicio cogniti, quasi cælo lapsi, vesicam cruentant & exulcerant. Crudeliorem numquam ipse hostem sensit. Mala præterita huic composita, lusus erant. Et tamen eadem illa mala, quasi in auxiliares vires euocata, vt grauiùs nocerent, simul cum vtroque lapide, eodem tempore plerumq; sæuiebant: adeò vt Leßius & ab hernia, & à colica, & ab hepate, & à stomacho, & à tibiarum pruritu, & ob alui obstructione, & à duobus illis lapidibus ferociter pugnantibus, crudelißimum bellum simul sustineret; & subinde piè quiritans exclamaret: Omnia excelsa tua & fluctus tui super me transierunt Domine. Tanta erat mali illius acerbitas, vt quamuis mortem, tardam etiam adustionem, præ ea Leßius eligeret. Neque dies neque noctes, à doloribus vacabat, incommodè & iacebat, & sedebat, & stabat. Pes vterq; sub planta (cùm nempe frequenti pulsatione vtriusq; calculi per os vesicæ perrumpere molientis impetum sustineret) ita conterebatur, vt Leßius vix deinceps, nisi duplicatis soccis, & sic ægrè adhuc consisteret. Ita nullibi requies, nusquam pax: vbiq; bellum. Totum postremum quadriennium in perpetua ista carnificina transactum est. VIII.

Apud Medicos, ipsâ etiam experientiâ in confesso est, dolores musculorum neruorumq; esse acutißimos. Et verò omnis binorum lapi-

dum ferocia in Lesſij musculos neruosq; debacchata est. Orificium vesicæ vsq; adeò presserant, vt exulcerationem facerent, quæ incredibilem toties lanienam efficiebant, quoties vrinam mirè acrem, ardentem inflammatamq; calculorum motu reddere cogeretur. Die vna & nocte, si tricies dumtaxat torqueretur; inducias habebat. Solenne illi erat sexagies cruciari: vltimo vitæ tempore non minùs centies; semper eâ doloris intemperantiâ, vt non maiorem persentisceret, si violenter anima à corpore eijceretur. Sanè nisi dolor interualla habuisset, dicebat Lesſius, jam pridem primis calculi assultibus diuortium animæ fuisse. Moriebatur itaque quotidie, & renascebatur; tricies aliàs, aliàs sexagies, nonnumquam centies. Si numerum ad horas subduxeris, nunc quot horis, aliàs quot dimidiatis, sæpè singulis horæ quadrantibus, morientem nascentemq; Lesſium inuenies. Id nempe diuina agebat prouidentia, vt millies vitam suam Lesſius quodammodo profunderet, quam inter Ethnicos, Turcas & hæreticos, millies & millies, pro DEI sui gloria prodigere exoptabat.

IX. Quid hoc mali esset; nec ipse, nec Medici assequebantur. Alij à calculo; ab humoribus vesicæ impactis alij ducebant. Frustra balneationes, emplastra, Syrinx, asininum & caprinum lac præscribebantur. In eam tandem mentem Lesſius venerat, vt secari vellet: & jam assensum maiores dederant; ac è Gallia Chirurgus designabatur, qui occultum illud malum secando manifestaret. Etsi enim quid: ei esset, apertè non constaret; putabat tamen licere crudelisſimum illum vitæ suæ inuasorem, & domesticum tyrannum, vitæ propriæ iactura persequi: neque vitam ipsam tanti a mortalibus fieri debere, vt eam tanto incommodo, conseruare teneantur. Sed amicorum precibus cesſit, qui ad DEI gloriam & Societatis bonum fore deprædicabant, si vel in extremis illis malis seminecem vitam traheret. Itaq; pro incredibili sua, quâ mente præditus erat, fortitudine, vastisſimam dolorum voraginem constantisſimè absorbere constituit. Et verò eo animi robore eam exhausit vt in constantiæ exemplum jure meritò proponi posse videatur. Quis adeò forti sit animo, ijsq; corporis viribus, qui non solùm ad ingentem istum tormentorum sensum non fatiscat, sed vel ipsa commemoratione non exhorrescat! ipse Lesſius ad quæuis mala inconcussus ingenuè fatebatur vires sui corporis minores esse, quàm vt ferocientem illum aduersarium exciperent; animum tamen ad ferociores

hostes

hostes, si Deus adsit semper constare, exclamabatq; frequenter: Quis ego sum, quem DEVS ad patiendum sibi elegerit! & aliàs: Miror non rarò ad tantum certamen à Deo, me tam imbecillem athletam designatum esse. Herculem aliquem electum oportebat. Sed benedictus Dominus in æternum. X.

Quare vt erat de se ipso submissè sentiens, subsidiarias quotidie è cælo vires flagitabat. Omnes eò amicorum preces vertebat, vt fortem & constantem patientiam impetraret: Sanctorum lipsana cùm veneraretur, id non agebat, vt sanitatem miraculo, quo indignum se putabat, sed vt animi robur reportaret. Romà delatum erat crystallo inclusum Ioannis Berchmanni cor (is est è Societate IESV adolescens Belga, Diesthemio oriundus, qui magnâ sanctimoniæ famâ è viuis Romæ excessit, ætatis suæ Anno vigesimo secundo, Incarnati Christi vigesimo primo super millesimum sexcentesimum) Lesio illud exhibitum est, quo sancti adolescentis intercessione, ab atrocissimis doloribus liberaretur, quibus plus decem dies adeò affligebatur, vt nec quartam horæ partem quiesceret; rogare se quidem Sanctos dicebat, quia id DEO gratum: putare tamen conclusum esse in æterno tribunali, vt ipse in hac vita pateretur. Vnde se corpus suum diuinæ Majestati in Sacrificium offerre, & rogare, vt, si extremi dolores non sufficerent, alios adderet, modò patientiam & animi lætitiam simul donaret. Numquam determinatè absoluteq; postulauit à malis suis liberari: postulauit tamen condicionatè, in hæc verba, quæ sua manu chartæ commisit. Beatissima Virgo, si dolores istos abstuleris, voueo omnibus Profestis tuis jeiunium in pane & aqua: Rosarium in Profesto & ipso die: horas B. V. omnibus Sabbatinis (nisi Superior, vel justa caussa obstiterit) Festo Purificationis, Annuntiationis, Præsentationis, Assumptionis, Natiuitatis, Conceptionis. Non cupio autem, nisi sit ad maiorem DEI gloriam, & meam salutem. Tenebor simul atq; aliquo modo constiterit. Si error vel obliuio interuenerit, licebit proximo Sabbato instaurare. Quo è promisso non solùm colligere est mali acerbitatem, sed & clarè videre animum ex æquo ad diuinam voluntatem compositum; vti etiam ex epistola ad amicum; Paulùm nunc respiro, nescio quàm diu durabit. Totum permitto diuino arbitrio, & in eo libens acquiesco. Tantùm precor, vt mihi det fortem & constantem patientiam: quam suis precibus & sacrificijs mihi impetrare dignetur.

XI. Eximiæ Christianæq́; fortitudinis est, infracto animo aduersa tolerare. At supra hominem, in iis placidè conquiescere; de illis ipsis gaudere; gratias pro iisdem referre. Siquidem necesse est diuini ignis fornace incoctum pectus illud esse, quod tanto robore, tantaq́; amicitiâ, naturæ suæ inimicum complectitur. In malis suis conquiescebat Lessius diuinarum rerum consideratione. 1. Quòd non minori, quàm fidei supernaturalis certitudine firmissimè teneret, dolores istos non à casu & fortuna; sed à DEO parente suo amantissimo infligi; qui de sua creatura quemadmodum de luto figulus potest disponere; cui minimè dicendum sit, cur ita facis? Difficiliùs ea passim tolerantur, quæ innocens perferre cogeris; faciliùs verò quæ in vindictam magni alicuius sceleris infliguntur. Æquum enim est, pacato animo sustinere per eadem te puniri, per quæ peccasti. Stomachum potu opplesti, cruditates & conuulsiones rectè pateris. In Venerem profusus fuisti? in ipso libidinis organo iure bono castigaris. Patiebatur in ea corporis parte Lessius, in qua numquam se peccasse aiebat. Sustinebat tamen æquissimè tandem ab optimo Domino & parente DEO in salutem suam immissos dolores; cui nec partem quæ lædat, nec modum quo ad cælum ducat, præscribere debeamus.

XII. Altera res erat, quæ in doloribus quietem ipsi procreabat, quòd æternum gloriæ pondus in cælis producerent. Vnde in epistola ad R.P. Antonium Sucquetium Prouinciæ Præpositum, cuius ea verba sunt vltima: En R.P. exposui morbum, prout potui, quia R.V. id à me petiit. Accipio totum de manu DEI, qui memor erit in die visitationis, huius affectiunculæ. Penetrârat nempe sublimis ille animus paulò altiùs, quàm vulgò mortales solemus, in æterna gaudia. Perspiciebat, quàm temporaneæ, vel potiùs momentaneæ humanæ calamitates essent; quæ hesternæ cùm fuissent, hodie non læderent; & quæ hodiernæ, luce posterâ non nocerent: manerent tamen in diuina acceptatione; neque eorum meritum cum ipso doloris momento periret, sed permansuram semper, numquámque effluxuram beatitatem fœneratitio sanè lucro produceret.

XIII. Iam verò non conquiesse in malis suis Lessium, sed in illis quoque exultâsse, demonstrandum est. Vbi tam inusitata, & ferè intolerabili calamitate vndiq; se septum ac oppressum sensit, neq; effugii locum vllum circumspectando deprehendit; hoc vnum quàm studiosissimè peregit,

git, ne quæ similes miserias comitari solet tristitia vel minima in se resideret. Quam tamen naturæ nostræ procliue sit in magnis ærumnis contristari, satis inuicti Saluatoris nostri exemplo didicimus, qui vel ipsa dirissimâ Passionis memoriâ, ad mortem vsque animam suam contristari pronuntiauit. Frequens in ore Lessio erat: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? tristabatur, non quòd doloribus torqueretur; sed quòd eos absque doloris significatione nequiret perferre. Is erat animus ad dolores hilari pectore vultuque perpetiendos, vt se (quod tamen in malorum sensu natura cogit) ingemiscere, corpus contorquere, vultum contrahere, quasi nimis molle id esset, castigaret. Et fuit cùm ob impatientiam, vt aiebat, suam, & clamores subinde editos, à Superiore sibi pœnam imponi flagitauit; cùm tamen generosus eius animus omnibus esset admirationi; nec aliæ ferè voces, quàm assiduæ in DEVM aspirationes & iaculatoriæ audirentur, quibus à DEO vel opem postularet, vel maiora supplicia peteret, vel animi lætitiam prouocaret, vel denique DEO gratias referret. Sanctissimi nominis inuocatione, aiebat, se faciliùs acerbissimos dolores, quasi melle temperatos tolerare: vnde creberrimæ hæ illi voces: IESV dulcis memoria, dans vera cordi gaudia. Bone IESV adjuua me. Et sanè ea inde illi dulcedo affluere videbatur, vt plures longioresque dolores, quasi plura longioraque mentis suæ gaudia, hisce suspirijs, ampliùs laua me: ampliùs, ampliùs, laua me IESV, deposceret. Tantam animi voluptatem, & rerum diuinarum cognitionem, cùm primis calculi doloribus tentaretur, adeptum se esse ingenuè confirmauit, vt sæpe vellet tantas animi delicias magnis doloribus emere. Emit profectò; crescentibus quippe doloribus, ex æquo deliciæ illi creuerunt, vt quiuis intelligat, DEVM cælestibus voluptatibus in mente restaurare, quod tolerati fortiter dolores in corpore comminuunt. Morosum illud, quod in senibus morbisque est, ab eo longè exulabat. Semper comis, alacer, serenus, affabilis. Iucundè dicebat, Iam inde à quadraginta annis incommodum animæ suæ lectum obuenisse; in quo numquam molliter quieuisset.

Restat, vt id demum adferamus quod in summo perfectæ patien- XIV.
tiæ gradu Lessium collocauit. Ingens erga se diuini amoris beneficium ingeminabat, malo illo torqueri: eo penitus se indignum; neque gratijs agendis respondere vmquam posse. Intelligebat videlicet, à DEO se eligi, vt per patientiam, quæ secura ad cælos via est, certam suam vo-

cationem faceret: & quasi in fœcundissimo campo constitui, ex quo amplissimam meritorum messem, in cælos transferret. Imis è visceribus & producta voce, vt facilè grati amoris verba agnosceres, laudes hasce pronuntiabat: Benedic anima mea Dominum, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Misericordias Domini in æternum cantabo. Benedictus Dominus DEVS *meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.*

Psal. 101. Psal. 38. Psal. 88. Psal. 143.

XV. *Cùm aliquando amicorum aliqui ad Lessium, colica, hernia, impetigine, stomachi fastidio, calculo simul sæuientibus propè exhaustum & lecto affixum: Pater: quid si* DEVS *ad hos dolores Reuerentiam vestram mille annos damnaret, quàm triste id foret, quàm in expectatione molestum! reposuit: Agerem gratias, & pro patientia postularem: donec res hæc finem caperet. Quàm lætus nuntius damnatis foret, si post centum annorum millia liberarentur! Post quæ verba totus in lachrymas abijt.*

XVI. *Aliquando aliàs cùm ei sanitas voueretur, subintulit numquam absolutè determinatéq; à* DEO *eam se postulâsse, immò numquam condicionatè totam sanitatem; sed solam dolorum mitigationem petijsse; ne ijs penitus careret, qui tolerari posse videbantur. Multis tamen lachrymis, & votis absolutè & sine condicione Patientiam cum animi lætitia conjunctam postulâsse: quam vtramq; virtutem vt peteret, dicebat se scire DEO gratum esse Patientiam quidem, vtpote Christianis omnibus, quo Christo suo assimilentur, necessariam: Animi verò lætitiam tamquam perfectorum hominum, quibus annumerari anhelaret, virtutem: quâ DEO in malis gratias agat; & de illis non aliter, quàm de DEI donis gaudeat: Preces istas sibi à DEO concessas aiebat, Patientiæ & lætitiæ dono: pro quarum studiosa conseruatione, & ad DEVM gratitudine, multùm accurateq; meditabatur.*

XVII. *Admirandam illam malorum tolerantiam in eo prouocabat Christi passi inauditum exemplum; cuius dolores in se transferre & exprimere conabatur. Christo igitur passo in carne, & ipse eádem cogitatione armatus, frequens Christi crucifixi imaginem amplectebatur, osculum figebat, lachrymas suas sacratissimo eius sanguini propinabat. In cubiculi sui pariete hanc Epigraphen fixerat;* AMOR MEVS CRVCIFIXVS EST. *Qui ne aliquando vel à corde, vel ab oculis recederet*

Cruci-



Crucifixi effigies, quæ in studiorum mensa consistebat, sedentem; quæ
parieti affixa, ambulantem; quæ in oratorio, supplicantem; duplex,
quæ in lecto, ad pedes altera, altera è lecticæ tholo jacenti imminens, ne
ipsa quies à Cruce vacaret decumbentem commonefaciebat. Ita omni
loco, quouis tempore, Christo suo commoriebatur.

Vt plura de robustißima eius patientia non proferam, illud tamen XVIII.
præterire non possum, quòd numeris omnibus eam legem expleuerit,
quam S. P. Ignatius ægris suis præscripsit. Qui ægrotat, humilitatem
& patientiam suam præ se ferendo, non minorem ædificationem dum
morbo laborat, ijs, qui ipsum inuisent, & cum eo versabuntur & a-
gent, quàm dum valebat corpore, ad maiorem DEI gloriam præstare
curet, verbis pijs, & ad ædificationem facientibus, vtendo, quæ osten-
dant ægritudinem acceptari, vt donum de manu Creatoris ac Domini
nostri; quandoquidem non minùs donum est, quàm sanitas. Et sæpe
etiam maius, quia per morbos offertur occasio gratiæ diuinæ
augendæ, itemque patientiæ exercendæ ac docendæ, nouorumq;
meritorum & graduum gloriæ adipiscendorum; nec non obedi-
entiæ medicis præstandæ; itemque voluntatis suæ cum diuina
confirmandæ, & actuum heroicorum amoris DEI eliciendorum.
Quæ quia non ignorauit Lessius, tot miserias, & dolores, tam-
quam *donum de manu Creatoris ac Domini nostri acceptauit*, qui
simul cum donis suis accedens facit, vt, sicut dona crescunt,
ita quoque crescat vnio ipsa cum DEO. Sic ergo vnitus Lessius,
idem voluit, idem noluit, quod DEVS; maior patientiâ, quàm
scientiâ effectus, vt in æternum cum patientibus dicere posset:
Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti: annis, quibus vidimus Psal. 89, 15.
mala; recepimus enim mala in vita nostra,
& experti sumus *mala*; recepimus enim mala in vita nostra,
cum Lazaro, vt in æterna vita vera æternaque bona recipiamus.

CAPVT XXXI.

Patientia eorum, qui morbos, tamquam diuinum beneficium, amauerunt, & desiderauerunt.

NEmo alterum magis amat, quàm qui eius caussa nihil I.
non aduersi sustinere cupit. Ardorem hunc suum ex-
pressit Petrus, cùm diceret: *Domine tecum paratus sum* Luc. 22, 33.

& in carcerem, & in mortem ire. Idem dixerunt, qui, castitatis amore, ægrotare maluerunt, quod de S. Casimiro, de S. Petronilla, deque alijs dicitur. *Noui Sodalem meum religiosum*, ait Iulius Nigronus, *cui Medicus extraordinarius Author erat, vt morbi cuiusdam depellendi caussa, castitatem violaret. Stetit, vt debuit, inuictus: constanterq; tam fœdum non remedium, sed venenum repudiauit: imitatione Iacobi Cardinalis adolescentis, Lusitaniæ rege nati; qui Anno 1459. à liminibus Apostolorum in patriam rediens, Florentiæ morbo retentus est. Vt ex eo conualesceret, medici parùm probi violationem castitatis suaserunt, sed non persuaserunt. Maluit enim mori, quàm fœdari; & qui cognomento Rosa dicebatur, ob suauissimos, vt opinor, mores: meritus est in cælo candidorum coronam liliorum.* Nimirum eiuscemodi Medici, valetudinis recuperandæ gratia, pro remedijs grauissima peccata suadentes, caussam dederunt edicto grauissimo Innocentij III. in generali Concilio, quod sic habet: *Ceterùm, cùm anima sit multò pretiosior corpore, sub interminatione anathematis probibemus, ne quis medicorum pro corporali salute, aliquid ægroto suadeat, quod in periculum animæ conuertatur.* Anima enim plus est, quàm corpus, absurdum ergo est, animam perdi, vt corpus seruetur; & longè satiùs est membra morbis, quàm mentem peccatis grauari. Vt autem castitatis, ita etiam aliarum virtutum causâ præstat corporis dolores pati. Itaque inuenti sunt, qui cùm, sine alio se contaminandi periculo, sani esse possent; tamen meriti maioris caussa, morbos non solùm æquanimiter tolerauerunt à diuina prouidentia illatos, sed etiam à Deo poposcerunt, vt inferrentur.

Iul. Nigron. in 17. reg. cō mun. Soc. IESV. n. 10. Onuphr. Panu. lib. de Cardin. cap. cùm infirmitas. de pœnit. & remiss.

II. Recens historia edita est, de quadam Mariæ Victoriæ sorore Barbara, quæ septemdecim annis, in monasterio, nihil ferè aliud cogitauit, quàm de amore Christi, & amore patiendi aliquid ob Christum. Quamuis enim natura eam debilem ac submorbidam fecerat, identidem tamen, ex ardenti desiderio patiendi, Deum precari non desijt, donec tandem, duobus ante mortem eius annis, in peculiaris gratiæ argumentum, morbis grauissimis eam lecto affixit. Quam gratiam eo animo acceptauit, vt non solùm tolerantissimè dolores omnes perferret, sed etiam, vt ne gemeret quidem, ad morbi vim alijs quiritando expli-

Ferdinand. Meltio. in vita Mariæ Victoriæ l. 3. cap. 9.

explicandum; immò vt nullum vmquam rogaret, qui precibus Deo ipsi sanitatem impetraret. Quin eò perfectionem intendit, vt inter morbi tormenta, semper quieta, immò & læta mente esset, Numinique continuò, tamquam pro maximo beneficio, gratias diceret. Egregium omnibus, in morbi æstu, lamentantibus documentum. Non enim lamentarentur, sed gratias canerent, si morbos, inter gratias numerarent. Barbaræ patientiam sibi probari, ostendit Christus, dum ei viuenti ostendit gloriam beatorum, ac inter beatos, se quoque ipsum: quo tempore nomen Barbaræ in nomen *Dilectæ* illi commutauit; eiusque pectus tam vehementi amoris flamma Deumque videndi desiderio impleuit; vt, cùm *dissolui & cum Christo esse cuperet*, non solùm *incolatum* suum *prolongatum* doleret, sed etiam, vt vna illi hora centum annorum tempus esse videretur; &, cùm mors instaret, Ambrosianum hymnum, decantari, *Deumq; laudari*, ac verba illa: *Omnibus diebus, benedicimus tibi*, perpetim repeti iuberet; quibus etiam in verbis beatum spiritum exhalauit.

Philip. 1. 23.
Psal. 119. 5.
Idem lib. 2. cap. 8.

III. Cuius matri, Mariæ Victoriæ etiam ipsi, vt merendi copia maior esset, diuina bonitas varios immisit morbos. Iam antè, quàm Mundo nuntium remitteret, multis fuerat infirmitatibus tentata; in Religiosum autem statum ingressa, duobus morbis oppugnata, itaque miserè confecta erat, vt eos, per omnem reliquam vitam persentiret. Septem annis, quibus cœnobio præfuit, nullo ferè temporis momento à capitis & stomachi dolore libera extitit. His sæpe accessit pectoris, lateris, & humerorum cruciatus; &, vt morbi in eam coniurasse viderentur, etiam febris in illam insilijt, nocturno præsertim tempore. Itaq; quasi morbi in excubijs essent, ita jam hic, jam ille in eam vim suam exserebat; jamque vnum, jamque alterum membrum, aut pars corporis, per vices patiebatur. Ob quam caussam medici dicebant, diuinis illam, non naturæ viribus, nec sine manifesto miraculo, vixisse. Super hæc molestus corpusculum eius sudor, ac tandem quotidianus vehementer fatigauit. In quibus tamen omnibus malis, animo quieto & læto fuit, visaque est semper tantò hilarior, quantò magis morbi sæuiebant. Quin, loco eiulatuum & querelarum, in pia suspiria, & Dei alloquia suauissi-

mè erumpebat; & amore sponsi sui IESV ita semper inardesce bat, vt febris ad hoc solùm in illa flagrare videretur, ne diuin amoris flamma minùs arderet, sed memoria Passionis Christi, ir illa, fortiùs excitaretur. Maximi doloris indicium erat, si cum suspirio dixisset: IESVS, MARIA, aut si alium sanctum nominasset; vel si dixisset: *Mi Domine, gratias tibi ago, quia dignaris mihi occasionem dare patiendi.* Sæpe etiam in suaues hymnos, & pias, de Christo suo sponso, cantilenas grauissimos dolores effundebat. Hac de caussa reliquæ illius sorores certatim cupiebant ei ægrotanti assistere, vt ab ea discerent, DEVM inter aduersa amare & prædicare; nec molestiâ, illi præsentes, sed cælesti quadam consolatione afficiebantur, erudiebanturq; ad similia, simili patientiâ, toleranda.

IV. Laudatur celebraturque valde fortitudo Attilij Reguli, quòd, cùm tormenta effugere potuisset, sponte tamen, pro patriæ salute ad hostes redierit cruciandus. Enimerò non solùm exquisita illius tormenta, sed etiam modum suadendi, vt ad tormenta redire permitteretur, ex Tuditani libris, Gellius referens ait: *Regulum captum, ad ea, quæ in senatu Romæ dixit, suadens ne captiui cum Carthaginensibus permutarentur, id quoq; addidisse; Venenum sibi Carthaginenses dedisse, non præsentaneum, sed eiusmodi, quod mortem in diem proferret, eo consilio, vt viueret quidem tantisper, quoad fieret permutatio, pòst autem grassante sensim veneno cor tabesceret. Eumdem Regulum Tubero, in historijs, redijsse Carthaginem, nouisq; exemplorum modis excruciatum à Pœnis dicit. In atras, inquit, & profundas tenebras eum claudebant: ac diu pòst, vbi erat visus sol ardentissimus, repentè educebant, & aduersus ictus solis oppositum continebant, atq; intendere in cælum oculos cogebant, palpebras quoq; eius, ne conniuere posset, sursum ac deorsum diductas insuebant. Tuditanus autem somno diu prohibitum, atq; ita vita priuatum refert.* Valerius ait: *Carthaginenses Attilium Regulum palpebris resectis, machinæ, in qua vndiq; præacuti stimuli eminebant, inclusum, vigilantia pariter, & continuo tractu doloris necauerunt. Tormenti genus haud dignum passo, auctoribus dignissimum.* Sanè, quia virum egregium, & ad supplicia, pro patria, spontè recurrentem, indignis modis, mactauerunt, quem tantò maior gloria est secuta,

Gellius li. 6. Noct. cap. 4.

Val. Max. l. 9. cap. 2.

quia

quia non ab hostibus retractus, sed ad eos vltrò regressus, se sc-
aculeis & barbaræ crudelitati objecit. Longè verò maiore gloria
digni sunt, qui nullo veneno lento mortem iam habentes intra
viscera, sed sani, vegeti; non pro patria terrena, sed cælesti, &
vt virtutum exercendarum haberent occasionem; non vt Attilio
Regulo, sed vt Regi sæculorum Christo conformes fierent, mor-
bos pati atrocissimos voluerunt.

Magna est, in ipsis morbis, gaudendi caussa, solatium in- V.
gens, nancisci campum serendi in lachrymis, vnde aliquando
manipulos cum exultatione reportes. Si enim non est, quod
morborum patientia diluas; est tamen quod ad DEI gloriam
feras. Neque enim omnes dolores in pœnam peccatorum infe-
runtur. Nuntiârant sorores Lazari Christo, fratrem suum
infirmari, *audiens autem IESVS dixit eis: Infirmitas hæc non est* Ioan. 11. 4.
ad mortem, sed pro gloria DEI, vt glorificetur Filius DEI per eam.
Quocirca licet subinde culpas habeant iusti, quæ non sint pro-
meritæ tantos morbos ac cruciatus, sunt tamen illis morbis alij
fines optimi. Vnde & Iob ait: *Vtinam appenderentur peccata mea,* Iob. 6. 2.
*quibus iram merui: & calamitas, quam patior, in statera: quasi arena
maris, hæc grauior appareret.* Inter quos fines vident Dei serui glo-
riam Dei esse, immò & suam. Pependit Christus in cruce, pe-
penderunt & latrones: ille innocens, isti rei. Multò vtique præ-
stantius est, innocentem, quàm reum pependisse. Quare etiam
alijs innocentibus est gloriosum, si morbi sui cruce in humeros
suscepta, Christum innocentem imitentur; aut etiam illustrissi-
ma Martyrum exempla, quibus cruciatus sui, non ob illorum
peccata, sed vt fidei, & charitatis suæ erga Deum testimonium
redderent, inferebantur. Censetur autem quoddam martyrij
genus, morbos sine culpa, sed nõ sine patientia tolerare, vt Deus
non minùs ab ægrotis, quàm sanis glorificetur. Iuit Regulus ad
Carthaginenses, quia hoc non solùm vtile, verùm etiam glorio-
sum erat Romanis, vt ille pro patria sua, vndique præacutis
stimulis compungeretur. Sancti à nobis commemorati, mor-
borum puncturas pati optauerunt, non solùm pro patria sua
cælesti, sed etiam vt illi honor accederet, cuius amore paterentur.
Est enim magnus amor, si DEO homines seruiant, non minùs in

morbis, quàm si eis sanitatem largiretur. Immò adhuc se se demittunt atque indignos æstimant, vt possint esse diuinæ gloriæ materia & argumentum. Quis ego sum, aiunt, qui possim Deum etiam infirmitate mea colere? quis, vt diuinus honor mei caussa crescat? ægrotem, mi IESV, patiarque & capitis, & lateris dolores, modò hoc ad Nominis tui gloriam vergat.

VI. Anton. Balingh. 31. Octobr. ex libello Leodij impresso.

In horum classe reponendus est Alphonsus Rodericus Societatis nostræ laicus, qui anno Christi 1617. ex hac vita ad Saluatorem suum sanctissimè migrauit, adeò regularum obseruans, vt diceret, se ne folium quidem ex horti arbore decerpturum, sine Superiorum permissu, etiam si tota inferorum potestas, omni vi sua ei mortem machinaretur. Huic DEVS reuelauit viuo, nullum ei, post hanc vitam, Purgatorium superfuturum. Qua reuelatione adeò non superbiuit, vt inde tantò se se magis demitteret, seque peccatorem maximum, immò canem mortuum, vlceribus & tabo ac sanie plenum, in via jacentem reputaret. Ne quis ergo nesciat, cur hic Alphonsus, post mortem, quod rarum est, purgantes flammas euaserit; Purgatorium, in hac vita habuit. Siquidem, præter alias assiduas variasque preces, identidem DEVM, & Deiparam ardentissimis precibus obsecrauit, vt sibi, in præsenti vita, cruces doloresque immitterent, quibus vel pro noxis satisfaceret, vel Christi patientis vestigijs insistens, Conditorem suum, cruciatuum tolerantiâ honoraret. Auditæ sunt preces. Vehemens illum morbus inuasit, qui eum, mensibus duodecim, miseris modis discruciauit. Sed videbatur nihilominus dolor ille nimis exiguus. Petijt igitur, à vertice capitis, vsque ad plantam pedis, per omnia membra, dolores acutissimos sustinere. Mira sitis patiendi. Exauditus est Rodericus, etiam hæc petens. Et quamuis calculo tortore, cum ingenti cruciatu laceraretur, ardentissimaque febri æstuaret, perque tres integros menses vni incumbere lateri cogeretur; tamen identidem exclamauit. *O IESV plus; plus ô IESV; plus ô Maria; ô Maria, impetra mihi, vt plus patiar.*

VII. Ad hoc rarum & admirabile desiderium, quid eum impulisse credimus? Fides illum docuerat, duplex esse Purgatorium, vnum in hac vita, per morbos, & aduersa, quæ hominibus accidunt:

dunt: alterum in altera vita, in quo quidem pœna infligitur, sine vllo impatientiæ metu, aut periculo nouæ culpæ; tamen etiam absque merito & gratiæ augmento, vel spe, ad maiorem, ob patientiam & toleratos acerbissimos dolores, gloriam progrediendi. Contrà huius vitæ Purgatorium, morbi, & quæcumq; rerũ aduersarum ærumnæ, habent quidẽ periculum impatientiæ aliarumq; culparum, quæ in huiusmodi calamitatibus irrepere, seq; admiscere solent; attamen possunt cũ diuino auxilio euitari; offerturque magna occasio merendi, impetrandi, satisfaciendi. Cumq; incomparabiliter maius sit supplicium, quod in altero mundo infertur, quàm id, quod etiam in dirissimis morbis mortales patiuntur, hoc optabilius est. Exiguus etiam dolor in morbo, breui tempore, plus exsoluit de pœnis debitis, quàm ingens & diuturnus, in purgantibus flammis cruciatus; adeò, vt ardor febrilis vnius diei in hac vita, possit exsoluere vnius mensis, aut etiam anni ignem in altero illo Purgatorio. Quia non tantùm soluit perferendo, & satispatiendo, verùm etiam satisfaciendo, & heroicis charitatis, patientiæ, spei aliarumque virtutum actibus, augmentum charitatis promerendo. Offert siquidem Deo quidquid patitur, ex amore Dei, facitque ex necessitate virtutem; immò si morbum optauit, & exorauit, non jam ex necessitate, sed sua voluntate patitur. Quemadmodum enim is qui alterum verbo, vel opere læsit, inter mortales, si sponte retractet iniuriam, seque illi vltro submittat, longè faciliùs satisfacit, quàm si per judicis sententiam ad honorem restituendum adigatur: ita longè minore pœna voluntaria huius vitæ contentus est Deus, quàm in altera vita, in qua supplicium in diuino Tribunali decretum coactis irrogatur. Qua de caussa etiam animæ in Purgatorio, pro se solis possunt satisfacere, nihil autẽ satisfactionis alteri vlli communicare; sicut possunt ægroti in hoc mundo, qui sæpe, per morbi patientiam, exsoluunt, & quod ipsi debent, & id, quod illis superest, viuis, vel mortuis queunt applicare, ac suo modo Ecclesiæ thesaurum augere. Adde, quòd amanti Deum ipsa charitas tolerabilius faciat, quidquid in terris patitur, quia minùs coacta est. Inclinatur enim, vt sit cum Deo fine suo vltimo, videns eum clarè in gloria sua, vbi tam-

quam lapis in centro suo conquiescit; aut saltem propendet in id, vt semper crescat, semperque magis ac magis, vsque ad summum, quod potest, summum bonum amet: siquidem nullum habet terminum huius dilectionis. Quoniam ergo in Purgatorio altero, nec Deum intuetur, nec perficitur ad eum magis videndum atque amandum, versaturque ibi anima extra suum centrum, & violenter; fit, vt videns se pati quidem, sed non proficere & crescere in charitate, affligatur. Qua afflictione caret, quando cogitat se, in huius vitæ Purgatorio morbos patienter sustinendo, & gratiæ mereri, & gloriæ incrementum. Hæc talia, si ægrotus cum Alphonso considerat, huius vitæ Purgatorium, & mille morbos desiderat, ac Purgatorium futurum in præsens libens volensque commutat. Cui etiam ipsa charitas, & amor patiendi pœnam omnem, omnemque dolorem reddit dulciorē; sine qua vtique etiam leuissimus dolor nimis molestus, atque intolerabilis videtur. Est enim vetus Poëtę dictum.

Plaut. in Casin.

Neque falsum, neque suaue esse potest quicquam,
vbi amor non admiscetur.
Fel, quod amarum est, id mel faciet, hominem ex tristi
lepidum & lenem.

VIII. Nemo igitur miretur, Alphonsum, inter summos morborum dolores, identidem clamasse: *O IESV, plus; plus, ô IESV; plus, ô Maria; ô Maria, impetra mihi, vt plus patiar.* Nam quò plus patior, plus mereor: & cum crescente morbo, gratia gloriaque mea crescit; idemque est infirmitatis, & charitatis meæ augmentum. Neque verò amor dumtaxat Dei, sed etiam proximi, illi stimulus fuit, vt plus vellet pati. Ægrotus enim etiam; pro alijs, siue viuis, siue defunctis, dolores suos offerebat. Eratq; illi magnum gaudium, & beneficij loco Numini gratias agebat, ob tale Purgatorium, in quo ipse & pro se, & pro alijs diuinæ justitiæ pœnas posset exoluere; quod in alterius vitæ Purgatorio non potuisset. Hæc res quàm magna sit, tunc magis animo capiemus, si meminerimus, à probatæ authoritatis Doctoribus doceri, posse aliquem, qui velit ægrotus vehementem vnius diei dolorem satisfactionemque animæ in Purgatorio detentæ communicare & applicare, eius debitum soluere, & posse etiam ita

oppor-

opportunè id facere, vt suo illo febrili æstu, illa à Purgatorio igne liberata statim auolet ad suam beatitatem, pro tanto suo benefactore ibi itidem impensissimè precatura. Hunc zelum Alphonso fuisse, credibile facit, quòd zeli eiusdem incredibili ardore à Deo petierit, etiam Auerni ignem, ad tempus pati, vt vel vilissimi Mauri animam ab æterno igne liberaret. Quam eius voluntatem adeò sibi gratam fuisse testatus est Christus, vt ostensa tota multitudine animarum, quæ à condito mundo creatæ fuerant, diceret illi: Hæc tua patiendi voluntas, eam à mea bonitate mercedem accipiet, quam sperauisses, si omnes hi Turcæ, Ethnici, Hæretici, immò tota hæc multitudo à te conuersa esset. Tanti fit apud Deum amor patiendi, & sitis animarum.

IX.

Quin etiam apud homines, futura magis quàm præsentia æstimantes, ea est morborum æstimatio, & tantum pretium, vt se existiment, tunc à Deo non amari, quando morbis, vel alijs calamitatibus non castigantur. *Senex quidam erat, qui frequenter ægrotabat. Contigit autem eum vno anno non ægrotare: qui affligebatur grauiter, & plorabat, dicens:* DERELIQVIT ME DEVS, ET NON VISITAVIT ME. Quàm diuersa sunt sanctorum, & profanorum, DEI & Mundi judicia! Homines sęculi plorant, cùm ægrotant; homines Dei in lachrymas effunduntur, & se à Deo derelictos arbitrantur, quando morbis non visitantur. Nempe sciunt se *spectaculum* factos esse *mundo, & Angelis, & hominibus.* Itaque quando siue in morbo, siue in lecto cubant, lectum putant esse arenam ac locum certaminis, in quem à conditore suo inducuntur; frigus, æstum, alterationes, fastidia ciborum, nauseas, sitim, dolores & angores, molestias medicamentorum, existimant esse lanistas & aduersarios, aut etiam bestias cum quibus pugnant. Quare oculos in cælum mittunt. Ibi cùm S. Stephano aiunt: *Ecce video cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei,* tamquam Agonothetam, & pugnas meas spectantem, victoriasque numerantem, & identidem lætissimis acclamationum vocibus, ad fortiter faciendum, me exhortantem, animantemque, quia de honore ipsius agitur, & de mea corona. Est enim honor illius, si habeat fortes athletas; est meum lucrum, si multos magnos hostes vinco. Quemadmodum igitur genero-

Ruffin. lib 3. n. 158. Pasch. cap. 20. n. 2. & Rosvveid. lib. 5. de vitis PP. libell. 7. de patient.

1. Cor. 4. 9.

Act. 7. 55.

generosus miles campum, aciem, conflictum; ita feruidus DEI seruus aduersa desiderat, quem Ducis sui præsentia & conspectus excitat, adiuuat exemplum & gratia; & putat se pro ignauo haberi, si in prœlia non mittatur. Conditoris honor est, seruos habere ita sibi subiectos & obedientes, vt non velint ab illo delicatè tractari; sed ei in asperis quoque adhærescant. Gloria est Redemptoris, si serui illius nôrint inter tristia esse læti, &
2. Cor. 12. 10. cum Apostolo dicant: *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo; libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi;* & eius gloria in me manifestetur. Principum, Regũ, Imperatorum honor est, si eorum statuæ & imagines multæ in atrijs, & porticibus conspiciantur: ad eumdem modum Seruatoris decus & ornamentum est, si in Mundo multa illius exemplaria numerentur; exemplaria autem sunt, qui cum Paulo glo-
Galat. 6. 17. riantur, quòd *stigmata Domini IESV in corpore suo portent;* quiq; ipsos morbos & cruces, inter fauores, beneficia, & delicias, com-
2. Cor 4. 10. putent, ac *mortificationem IESV in corpore suo circumferant, vt & vita ipsius IESV manifestetur in eorum corporibus.*

X. Hanc ob caussam sanctus ille Eremicola, cùm vel vno anno non ægrotaret, & affligebatur grauiter, & plorans dicebat: *Dereliquit me DEVS, & non visitauit me.* Noui etiam senem Religiosum, qui multis grauibus iniurijs affectus, semper debili, vix autem vmquam valde ægro corpore cùm esset, metuebat, ne nimis parùm, in terris pateretur, sed pœna peccatorum sibi in futurum differretur. Quamobrem cum D. Augustino assiduè orabat: *Hìc vre, hìc seca, vt in æternum parcas.* Et sanè meritò optat hîc vri, & secari, quicumque tremenda & horrenda illa Inferorum supplicia aspicit, ad quæ omnes huius Mundi infirmitates, morbi, & cruciatus, & quæcumque pœnæ, vix vmbra possunt appellari, siue de numerò, siue de pondere, siue de mensura æstimentur. Nam si numerum siue durationis & annorum, siue tormentorum, velimus comparare, quantuscumque morborum numerus in vnum ægrotum insiliat, nihil tamen est ad numerum tormentorum, quæ reprobos in Inferno expectant; sicut neque numerus annorum, quibus morbus durat, si cum numero seculo-

rum æternorum conferatur. Atque vt de numero morborum priùs dicamus, Non sunt illi tam multi, vt eorum ratio non possit iniri, nec omnes in vnum hominem confluunt, cùm sint multi inter se contrarij. In inferno autem est innumerabilis cruciatuum varietas ac multitudo, quæ etsi à Deo sit cognita ac numerata, à nobis tamen numquam satis potest numerari. Si enim Paulus dixit: *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit DEVS ijs, qui diligunt illum,* quo modo *oculus vidisset,* vel *auris audiuisset,* vel *in cor hominis ascendisset,* id quod præparauit Devs ijs, qui oderunt illum? Mente circumeamus per omnia nosocomia, xenodochia, leprosodochia, domosque ægrotorum; animo reuoluamus omnia volumina, in quibus morbi & morbidi describuntur; memoriâ perambulemus omnes regiones totius vniuersi, expendamusque, quidquid vspiam vnquam in terris dolorum, miseriarum, ærumnarum, calamitatum fuit; & deprehendemus, eas omnes apud damnatos, in vnum cumulum coaceruatas reperiri; adeò, vt multæ earum simul singulas miserandi corporis partes infestent; immò quemlibet sensum, & quamlibet damnatæ animæ facultatem; nullo omisso sinu, aut neglecta viscerum latebra, nullo præterito totius corporis angulo, qui non sit sulphure, igne, calamitate refertus.

2. Cor. 2. 9.

Quid quereris, ægrote? debilis, infirmus, imbecillis, defatigatus es? Infernum cogita, ibi nullæ sunt vires, nisi ad patiendum. Cogeris vigilare, & somno carere? Non sinet in Inferno dormire quemquam vermis conscientiæ; nulla erit quies, sed perpetuus labor & dolor. Dolent dentes? ibi *erit stridor dentium.* Dolent aures? ibi audies voces lamentantium, conuiciantium, blasphemantium. Dolent oculi? ibi dolebunt ex aspectu abominabilium monstrorum, ex tenebrarum horrore, ex fusione amarissimarum lachrymarum. Dolet caput totum? ibi totum corpus dolebit. Dolent latera & compunguntur? ibi dæmones latera tua candentibus fuscinis pungent. Dolent intestina? ibi ignis omnes medullas penetrabit. cruciat te podagra, calculus, hernia? ibi manus & pedes vinculis adamantinis constringentur, vt Prometheum agas: ibi renes, ibi vesica, ibi libidinis instrumenta tantum tormẽtorum accipient, quantum hîc in delicijs fuerunt.

Iliosus,

Iliosus, colicus, melancholicus es? ibi omnia interna tua ardebunt; ibi tristitia, metus, tædium, anxietas, ibi desperatio, ibi omnes Furiæ te lacerabunt. Sitis te exurit? cogita epulonem, vel vnam guttam aquæ mendicantem, & non impetrantem. Vno verbo, sicut *omnia flumina*, aquæ dulcis, *intrant in mare*, amarissimum, quod omnia absorbet, & tamen *non redundat*, ob suam immensitatem; ita morbi omnes, omnes huius vitæ calamitates & dolores in Infernum confluunt; & sunt instar paruorum riuulorum aquæ dulcis, si cum supplicijs Acheronticis, quorum amaritudo & multitudo immensa est, comparantur. Pone igitur juxta se, ô æger, immò ô sane, Oceanum miseriarum Tartarearum, & riuulos tuorum, quos pateris, vel pati potes, morborum, & elige, vtrum malis, his, an illis cruciari? Et facilè videbis, cur Sancti potiùs elegerint, aut optarint huius vitæ morbos, quàm futuræ calamitates, eorumque exemplo & sapientia sapientior effectus, tu quoque, si in morbos incideris, patiens fies; aut si non incideris, disces timere, ne aliquid grauius, & magis formidandum te maneat, post bonos dies tuamque sanitatem.

Luc. 16. 24.
Eccles. 1. 7.

XI. Nunc etiam numerum durationis, hoc est, dierum, mensium & annorum, quibus huius, & alterius, in inferno, mortis potiùs, quàm vitæ, solent pœnæ durare, inspiciamus: inueniemus profectò, nimis verè à S. Augustino dictum esse: *Quæ quisque patitur in hac vita, in comparatione æterni ignis, non parua, sed nulla sunt.* In hac vita, pauci morbi, si graues sunt, diuturni sunt. Citò enim expediunt hominem morbi acuti & vehemẽtes. Aliquando intra octiduum, quadriduum, triduum, biduum; aliquando die vno, aliquando intra paucas horas. Quòd si aliquæ clementiores febres mensem vnum vel alterum, immò annum vnum vel alterum; si podagræ, aut similia mala hominem decennio toto, sicut Troiam Græci, aut etiam pluribus annis, obsident, oppugnant, tandem tamen deserunt, cùm interimunt. Supplicia autem, quæ sunt in Acheronte, & sæuiunt maximè, & minimè occidunt; sunt enim semper duratura. O quæ consolatio esset damnatis, si audirent, quantumuis vehementissimas pœnas Tartarei incendij, post decennium, finem habituras! Sunt itaque non modò supplicia illorum innumera, sed etiam ipsi anni,

S. Aug. serm. 109. de tempore.

ni, quibus damnatos cruciabunt. Est enim numerus annorum, immò sęculorum illorum, sine numero; cùm enim sit sine termino, nequit numerari; adeò vt neque Deus ipse, in eo numero numerando annum, aut sęculum vltimum possit inuenire. Quippe post millies millia millionum annorum enumerata, non erit finis, sed iterum totidem sunt enumeranda; & si denuò centies millies millia millionum enumerantur, non solùm ad vltimum annum vel sęculum non peruenitur; sed restat adhuc tantum. Quid dico, tantum? Tam longa adhuc sęculorum series restat, ac si nihil de ea transijsset; neque vmquam tam longa series transire poterit, quin nihil sit, si cum ea, quæ supererit, æternitate comparetur. Fuit Cain arsitque jam per quinque millia annorum, in inferno, quantum decessit illi de æternitate? Nihil prorsus. perinde ac si hodie eò esset detrusus, ita illi restat æternitas. Et, si hinc post centum milliones annorum, annos computemus, idem erit. Quasi enim nihil pœnarum antecessisset, sed eo primùm die, flammis addiceretur, ita adhuc restabit æternitas suppliciorum.

XII. Horum igitur suppliciorum numerum, mensuram & pondus, si in vnam lancem conijciamus, morbos autem quoscumque in alteram, an non dicemus, sapienter fecisse illos Sanctos, qui non tantùm censuerunt, morbos esse beneficium & donum Dei, sed etiam ipsi vltro huius vitæ dolores, & morbos, & miserias elegerunt, ne pondus æternitatis sustinere cogerentur? Apud Ioannem Moschum legimus, in cœnobio Gerasimi ad Iordanem, senem fuisse, Olympium nomine, admirandæ patientiæ eremitam; qui in tam angusta obscuraque & misera cella habitabat, vt cauea potiùs quàm cella posset appellari. Ibi, præter tenebras, & ergastuli squallorem, incredibilis etiam æstus à solis flagrantia, & cyniphes muscæque inuolantes eum exagitabant. Ibi ergo Olympium alius quispiam Dei seruus, vt moris erat, inuisit, interque sermocinandum interrogauit: Quo modo in huius carceris angustijs, & tanto solis ardore, atque tot cyniphum muscarumque aculeos sustinens posset perdurare? Cui patientiæ suæ caussam aperiens respondit Olympius: *Fili, hæc leuia sunt, si cum æternis conferantur: carcerem hunc patior, ne in æter-*

Ioan. Mosch. cap. 141.

æternum illum carcerem includar; tenebras fero, ne mittar in illas tenebras exteriores; cyniphes & muscas has sustineo, ne vermem sentiam non moriturũ; æstum tolero, vt effugiam ignem sempiternum.

XIII. Sic Sancti senserunt, qui morbos molestiasque huius vitæ vltro appetiuerunt, cum quibus si saperemus morbos doloresq; saltem à Deo immissos, longè æquiore animo acceptaremus, & lachrymantes vel præ tristitia peccata nostra deploraremus, quę nos æternis illis tormentis objecerunt; vel præ gaudio, quòd DEVS, nos ab innumeris æternisque tormentis liberaturus, occasionem morbi nobis dederit, qua paucis & breuibus molestijs patienter perferendis, immortales illas infinitasque pœnas possimus compensare. Pausanias legitur, reos, perpetuo carcere, triremibus, gladio, laqueo, rogo, & crudelissimo supplicio dignos, non aliter puniuisse, quàm vt eos anchoræ ferreæ alligatos, per aliquot horas, populo spectandos exponeret. Pro qua clementia vtique par erat, vt rei gratias magnas referrent, credebantque, se in mitissimum judicem incidisse, eamque pœnam suam felicitatem vocitabant. Quàm felices se existimare, & quas laudes gratiarumque actiones persoluere DEO illi debent, qui nôrunt, se ob sua tam enormia & multa flagitia justissimè æternis addici incendijs potuisse; & tamen eorum vice, eumdem contentum esse, vt breuem morbum, leuem & tolerabilem dolorem, afflictionemque momentaneam exhauriant. Et denique, quantuscumque sit in morbo cruciatus, tamen non est æternus, sicut est ille damnatorum. Possunt ergo jure dicere omnes ægroti: *Hæc leuia sunt, si cum æternis conferantur.* Illi autem, quibus omnia fluunt ex voto, qui nihil morbi, nihil aduersi sentiunt, sed in delicijs natant, & fortunam semper fauentem & arridentem habent, meritò cum sene illo dicerent, *Dereliquit nos DEVS, & non visitauit nos*: aut cum S. Augustino; *Hîc vre, hîc seca, vt in æternum parcas.* Quæ cantio etiam Lydwinæ fuit familiaris, cuius omittere, hoc loco, mentionem, nefas esset.



CAPVT

CAPVT XXXII.

Decima quinta morborum caussa, vt sani ab ægris discant patientiam, sicut docet Lydvvina Virgo Schiedamensis, admirandū, in multis ac diuturnis morbis, patientiæ exemplum.

NVlla esset auri æstimatio, si in montibus latens, atque I.
in venis absconditum, numquam erueretur, vt fulgorem suum oculis hominum proderet. Fulgorem autem suum non prodit, nisi à terra separatum, aquis lotum, igne purgatum. *Sicut igne probatur argentum, & aurum camino: ita corda* Pro. 17. 3.
probat Dominus. Caminus, ignis, probatio hominum, est morbus, & quæuis afflictio; ex his homines prodeunt nitidiores, vt auri instar, non tantùm in DEI, & Angelorum oculis, sed etiam mortalium conspectu fulgeant. Pati, est probari; patienter pati, Math. 5. 16.
est fulgere. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Qui ergo ægrotat, siue ægrotet, vt peccata sua luat, si patienter pœnam sustinet, Iustitiam DEI glorificat: siue ægrotet, vt maiorem patientiâ suâ coronam mereatur, quamuis innocens ægrotet, & affligatur, proximo suo boni exempli odorem afflat, vt & ille excitetur ad imitandum, atque cælestem Patrem honorificet, qui habet, etiam in aduersis, à se colendo non recedentes. Hinc Tob. 2. 12.
de Tobia legimus, *quòd cæcitatem ideò permiserit Dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & sancti Iob,* quia *non est contristatus, quòd plaga cæcitatis euenerit ei, sed immobilis in DEI timore permansit, omnibus diebus vitæ suæ.* Si enim vitia discuntur à vitijs, cur non & patientiam virtutesque reliquas doceant patientes, virtutumque aliarum possessores? Et sanè graphicè patientiam docuerunt hactenus à nobis commemorati patientes; quibus adhuc duo exempla adjungenda sunt, vnum feminæ, viri alterum, vt in vtroque sexu huius tam necessariæ hominibus virtutis documenta proponamus.

Ioannes Brugmannus Franciscanæ familiæ non indoctus II.
Scriptor, morumque Sanctorum exercitatus æstimator, tribus partibus complexus est vitam, quam scripsit de Lydwina Virgine, in

in Comitatu Hollandiæ nata, parẽtibus minimè copiosis, si diuitias spectes; sed, si de pietate quæras, admodum opulentis, ano quoque de eximijs virtutibus commendato. Hi parentes, inter octo filios, vnicam filiam habuêre Lydwinam; quam solam mater facillimè enixa est, cùm ceteros liberos omnes, non sine magno discrimine peperisset. Nimirum, quod ferendum erat, in sobolem dilatum est; quæ non sine magno omine Lydwina est appellata: nomen enim hoc potest Latinè dici *lata patientia*, cuius tot, in omni vita sua habuit occasiones, vt posset cum Apostolo affirmare, *se adimplere ea, quæ desunt Passionum Christi, in corpore suo.* Enumeremus ea, quæ siue in corpore, siue animo est perpessa, vt velut aurum in fornace probatũ enitesceret; & magnam patientiæ magistram inueniemus, si non pigeat discere, & cum coronæ meritò ægrotare.

Sur. tom. 7. die 14. Apr. ex Ioã. Brugmanno.

Colos. 1. 24.

III.

Brugmann part 1. cap. 1.

1. *In ipsis adhuc posita incunabulis, diro torta cruciatu, post vagitus & lachrymas, non paucos egerebat calculos: & infantula belli doliq; ignara, jam pœnis exercebatur, quibus ferendis etiam fortissimorum virorum animi plerumq; succumbant: atq; ijs ad futura certamina præparabatur.* Vt proinde non illico judicandum sit, morbum ex peccati merito fuisse immissum, si quem videmus ægrotare; cùm morbos suos, etiam in cunis innocentes patiantur. 2. Vix ambulare & fari didicerat, & iam signa edebat futuræ sanctitatis, obsequens parentibus, precum auida, Deiparæ mirum in modum addicta, ad quam in prodigiosa imagine salutandam diuertebat, quoties ex negotio foras mittebatur. Septennis adhuc iam *fugiebat lasciuarum puellarum consortia, respuebat ludos. Accedente inde ætate, qua solet caro insolescere, videns Lydvvina totum ferè mundum in maligno positum, coætaneas quoque puellas per abrupta ferri in discrimina vitiorum, ne candidam stolam, quam in baptismo acceperat, vel tenuiter inquinaret aliquo libidinis ardore, conata est fugere è medio iniquitatum.* Quod paucæ faciunt. Nec puellarum dumtaxat mala vitauit consortia; sed longè maiores pugnas habuit contra procos. Quia enim *erat formosa corpore, statura eleganti, in tractandis rebus domesticis sanè perita & exercitata, moribus commoda & grata admodum, inde fiebat, vt etiam opulenti & honesti viri eam sibi à patre coniugem expeterent.*

rent. Itaque non solùm proci, sed etiam parentes erant ab ea
superandi, vt virginitatem suam tueretur. Ad quod consequen-
dum, vitabat hominum conspectum, domi se continebat.

3. *Vt* ergo *ad S. Spiritus charismata maiora capessenda aptior fieret,*
castigans castigauit eam Dominus, & multiplicatæ sunt infirmitates
corporis eius, vt accelerares, accelerando Dominum quæreret, quæ-
rendo patrem inueniret, inueniendo Deum possideret. Annos igitur
nata plus minus quindecim, ex diuturno morbo admodum deformis
effecta est, & decor faciei eius adeò mutatus est, vt qui antea impensè
eam amauerant, jam illam aspernarentur, faciente illo, qui pulchras
animas amat, etiam in non pulchris corporibus. Mundus sanè ma-
gnum Dei donum putat, si feminæ donat vultûs venustatem;
quæ & dos maxima est, apud profanos: tunc optatur, affectatur,
stibio, cerussa, pigmentis procuratur; vt forma vel per menda-
cium putetur haberi. At profectò superis magis placet animæ,
quàm corporis pulchritudo. Cùm ergo sæpissimè illa per hanc
amittatur, diuina prouidentia, non rarò in dilectis suis, per mor-
bos aufert corporis formam, ne animæ decor contaminetur.
Quod si agnoscerent mulieres interpoles, vtique fucis suis, & sto-
lis pretiosis, ac nescio quo mundo abstinerent, mallentque oculis
diuinis & cælesti sponso, quàm humanis procis pulchræ videri,
memores illius dicti: *An quæro hominibus placere? Si adhuc* Gal. 1. 10.
hominibus placerem, Christi seruus non essem. Optimum mulieris
ornamentum sunt mores boni, & virtutes; quibus cum deformi
Lydwina præstat diuinos in se trahere oculos, quàm cum for-
mosa Helena facere Parides. Sed ad rem redeamus.

IV.

4. *Accidit, vt* Lydwina, *quodam die, hyberno tempore, cùm* Part. 1. cap. 2.
flumina jam glacie concreta homines per ea inambulantes facilè susti-
nerent, sodales virgines Lydvvinam, quæ tum recens conualuerat,
animi caussa inuitarent ad captanda quædam in aquis frigore constri-
cti oblectamenta, vt solent apud Batauos puellæ. Sed illa, vt quæ
numquam instar Saræ illius, cum ludentibus se miscuisset, omne huma-
num solatium floccipendens assentire illis noluit. Attamen illis perur-
gentibus, vt vel spectatum cum ipsis iret ad glaciem, tandem cessit,
abijtque ad aquas glaciales, corpore adhuc parum firmo, adspexitque pu-
ellas sursum, deorsum cursitantes, cùm ecce paulò pòst vna ex puellis

rapido cursu aduolans, nec se cohibere valens, in eam casu impingit, eamq; in glaciei fragmenta dirißimè prosternit, adeò vt costa vna corporis eius frangeretur. Mox iocus abijt in lachrymas, existunt clamores, & quam iucundis animis eò adduxerant puellæ, eam suis manibus cognati reportant, desperata salute eius. Hîc videte sęculi morem omnia in peius interpretantem, & quoduis infortunium, etiam sanctissimis hominibus illatum, Deo scelerum vindice, illatum, temerè judicantem. Nam *casus ille subitaneus magnæ omnibus admirationi fuit, & alij quidem atq; alij aliter, & aliter de virgine loquebantur: qui autem cordatiores erant, & vitam eius nouerant, dicebant Domini manum id fecisse quod etiam rei euentus comprobauit.* Idem sæpius cognosceretur, si essent, qui vellent aut viperarum compescere linguas, aut defendere afflictos innocentes clypeo veritatis. Sunt enim multi, qui quando audiunt, alterum crus fregisse, sauciatum esse, correptúmue morbo, illico vel dicunt, vel cogitant, illum à Deo esse plexum, ita crimine aliquo promeritum; quasi verò vel Lydwina, vel Iob crimine aliquo meruissent, vt sic percuterentur. Certè, si ex hoc indicio esset argumentandum, Iob omnium hominum, quos terra sustinet, sceleratissimus extitisset. Non ergo, qui ita judicantur, sed qui ita judicant, sunt scelerati.

V.

5. Si quis lædatur in corpore, aut vulnus accipiat, comune solatium est spes sanitatis manu medica recuperandæ. At Lydwina vt plus pateretur, hoc solatio caruit. Vndequaque sanè Medici prece & pretio accersebantur, & chirurgi peritissimi aduolabant. *Sed neque medici, neque chirurgi quicquam possunt omni arte & industria sua, vbi Dominus vulnerat, & solus mederi vult;* & sibi dilectos ab omni humano auxilio abstractos, ad se se trahere. Itaque leniminis loco, *dolor virginis increscebat; in pectore, & sub costis innumeræ existebant perpeßiones, accedebat dirißimum apostema. Iudicio medicorum, fiebant semper posteriora deteriora prioribus: absumebantur exiguæ parentum facultates: tandem de vita puellæ desperabatur. Erat per id tempus in Hollandia medicus insignis Godefridus Sonderdanckius pijs pauperibus valde addictus.* Is inspecta morbi indole, actum de Virgine pronuntiauit, si Medicorum ars spectaretur; sed considerata eius virtute, suam illam esse filiã

optauit, nam se sperare magna DEVM in illa effecturum. Alia
tamen vice ad eam adductus, *extraxit è corpore intestina eius,* P. 1. c. 5.
mareida posuit seorsum, saniora reseruat, comperitq́; è spina dorsi P. 1. c. 1.
emergere vermes: caussam illam dicit, quòd nullis salsis multò tempore
vsa sit. Addit etiam, breui illam hydrope laboraturam, ac deinde
nullo liquore vel potu vsuram. Sicq́; factum est Herbarius quidam,
cùm ingenti studio vnum fortè vulnus curaret, mox turgente hydro-
pisi in parte illa, fiebant postrema deteriora prioribus. Sic ergo omni
medicorum solatio destituta virgo, sola spe opis diuinæ nitens, diro eam
excruciante apostemate circa costas, sine vlla requie huc & illuc se ver-
sabat. Meminisse huius debent, quibus vel nullus est medicus,
cùm ægrotant; vel nulla pecunia, vt medicum accersere audeant;
vel imperitus medicus, vt præstaret, nullum habuisse. Non ideò
destituit DEVS eum, qui est à medicis destitutus. 6. *Tandem* P. 1. c. 2.
immodico victa cruciatu, sui penè impos, è lectulo se deiecit in sinum
patris grandæui. *Inde diruptum mox apostema est, & humor ex eo*
profluens, cùm aliunde non posset, per os cum vomitu, tanto dolore
erupit, vt omnibus membris puella discerpi videretur, omnesq́; tam-
quam illico morituram lugerent; nec à lachrymis abstinuerunt,
qui viderunt puellam antea cunctis amabilem, iam cunctis viri-
bus destitutam, membrorum omnium officio orbatam, genibus
& manibus instar monstri cuiusdam humi reptantem, & interdū
instar vermiculi se agitantem. Talem mutationem expectent
omnes formosi, & formosæ. Nam si non in vita, saltem in se-
pulchro eiusdemodi monstra, & longè miserabiliora fient. 7.
Alijs ægrotis aliquid solatij saltem à cibo & potu affunditur:
Lydwinæ anima omnem escam est abominata. *Nam si vel pa-*
rum sumeret, mox euomere cogebatur. Potum quoque, licet magni
pretij, prorsus recusabat. Fastidiosus stomachus, vt solent pragnantes
feminæ, sæpe ex lebetibus tepidam, quandoq́; è canalibus putentem a-
quam expetens hauriebat. Stomacho vacuo aut exiguo, aut pane
nullus ei somnus erat. Ampliùs triginta annis non tantum comedit Idem. p. 1.
panis, quantus viro sano ad vitam sustentandam triduo sufficeret, c. 2.
nec plus dormiuit, quàm satis esset homini incolumi trium noctium
spatio. In primis morbi annis interdum sumebat valde exiguum
pomi fragmentum, idq́; prorsus insipidum, *Quòd si nonnunquam*
buccel-

buccellam panis cum pauxillo lactis aut cereuisiæ liquore deglutire vellet, fiebat id non sine multo dolore ac difficultate. Tandem omni cibo abstinens, tota hebdomada perexiguum sumebat cibi diluti, admixto saccharo. Tandem etiam *vsq; ad supremum vitæ diem permansit somni expers.* Ita à cibo, potu, somno nullum ei erat leuamen. *Vnicum ei solatium per singulas noctes lachrymis rigare stratum suum, ab omnibus pro monstrosa haberi; a sodalibus puellis derelinqui, cum percusso Iob DEO gratias agere.* Non est multum, pro secundis rebus DEO gratias agere; etiam ranæ coaxant, sereno cælo; & du-
Psal. 48. 19. dum est dictum: *Confitebitur tibi, cùm benefeceris ei.* Inter aduersa, in summis doloribus DEVM laudare, hoc est hominum, instar auri, in igne probatorum.

VI.
Idem, p. 1. c. 3. 8. *Porrò humor noxius apostematis per corporis membra se diffundens, diuersas attulit Virgini ægritudines, molestas valde. Computrescebant apostemati vicina membra, marcescebant propinqua corporis intestina, vermes horridissimi modo quodam inaudito è profundo corpore emergebant, quorum erat multitudo ingens, & tanta sæuitia, vt corrosis visceribus, tribus locis ventrem eius dirumperent. Erant foramina illa forma orbiculari, colore atro, magnitudine fundi scutellæ communis. Vermes inde erumpebant quandoq; centum, nonnunquam ducenti, vt plurimùm ampliùs centum quotidie, adspectus eorum sanè horrendus, color cinericius, materia aquata, crassities instar extremæ partis fusi vsitatioris, longitudo qualis est articuli in digitis. Ne autem vitalia membra, suo more exederent, malagmate quodā, ex adipe frumenti, melle optimo, & pinguedine caponis confecto, & ad foramina illa apposito eliciebantur. Sed priusquam prodirent foràs, per omnia Virginis vitalia membra, peruagari putabantur.* Magnus hic erat dolor, sed longè tolerabilior, quàm si conscientiæ vermem sustinuisset, quod fortasse aliàs factum esset. Sancti enim facilè agnoscunt, ob vires corporis, & valetudinem bonam, multos ea perpetrasse, quæ mirabiles intemperies ac tempestates in animis eorum pepererunt; aut certè cogitant, DEVM altissima sua sapientia multò antè præuidisse, se, qui infirmantur, eiuscemodi conscientiæ vermi, aut etiam Tartareo illi draconi obijciendos, si valido corpore, & sine morbis fuissent: decreuisse igitur illos, per viam inualetudinis & cruciatuum deducere, vt

vermem

vermem illum tortorem euadant, eiusque loco spe diuina, & læ-
titia animi repleantur. Hinc apostema, hinc humor noxius,
hinc tot vermes è putrefacto corpore ebullientes Lyduvinam, in
maius bonum, infestarunt. VII.

9. *Deinde verò etiam dextra scapula eius putruit, ita vt non* P. 1. c. 3.
nisi colligata fascijs, vel mappulis in aliam posset verti partem absque
membrorum dissolutione. Itaq; vsque ad supremum vitæ diem supina
iacuit in lectulo, vt posset etiam commodiùs intueri cœlum. Membra
omnia, dempto capite & brachio sinistro, tanta erant debilitate deiecta,
vt ea mouere non posset. Dextrum brachium eius ignis, quem sacrum
vocant, vsque ad ossa consumpserat, idq; multo tempore, vno tantùm
neruulo hærens, reliquo corpori cohærebat. Caput eius dolorum acu-
leis, & malleolis compungebatur, frontem fissura longa & lata atque
flexuosa deformabat. Mentum quoque ad labrum vsque fissum erat,
& concreto sanguine tumidum, ita vt non rarò liberè eloqui non posset.
Oculus alter penitus cæcatus erat, alter lumen naturale sine effusione
sanguinis nouoq; cruciatu ferre non potuit. Facies interdum fumabat,
dolebant sæpè dentes per hebdomadas, interdum menses perpetuos, tan-
ta vi & importunitate, vt ad insaniam propè eam adigerent. Guttur
non rarò angina aliique morbi anonymi infestabant, adeò vt nonnum-
quam corpus Christi deglutire vix posset. Tantus manabat sanguis ab
ore, naribus, auribus, oculis eius, vt horrorem afferret adspectantibus,
& pijs lachrymarum riuulos exprimeret. Vomebat sæpissime rubram
aquam tanta copia, vt plerumque mense vno vas inde impleri posset,
quod à duobus viris portaretur. Rogata à curiosis, vnde tantus in
ipsa existeret humor, nihil alimoniæ sumente, respondebat: Et vos mi-
hi dicite, viri sapientes, vnde viti tantus liquor, quæ hieme prorsus ari-
da videtur? Sicq; sapienter indocta doctis faciebat satis; pulmonis
quoque & hepatis particulas reijciebat, vbera eius ineffabilibus pustu-
lis & apostematibus sanie interdum fluentibus torquebantur. Calculo
instar columbini oui magno, dirissimè affligebatur, ita vt sæpissime &
sensu, & loquela destitueretur. Hunc verò dicebat sibi potissimùm
mortem allaturum. VIII.

10. *In communibus Domini flagellis & castigationibus, quibus*
interdum Hollandia laborabat, hoc Lyduvina tamquam peculiare Idem p. 1. c. 3.
munusculum diuinitus obtingebat, vt cuiuscumq; morbi vel pestis pri-

&p. 1. c. 4. *mitijs ipsa afficeretur. Imminente igitur peste quadam, illa tamquam sedula mater, inter iratum patrem & reos filios mediam se interponebat. Itaque mox bino percussa est ulcere, in gutture, & sub corde. Illa verò gratias egit DEO, & ad sacrosanctæ Trinitatis honorem, petijt etiam tertium adiungi. Confestim autem in gena apparuit ulcus, quo illa summopere lætabatur. Ex his unum ulcus, ceteris curatis, perpetuò ei inhæsit.*

Part. 1, c. 3. 11. *Magna intestinorum pars diu ante oculos eius è corpore pendula eminebat: itaque marcescente inferiori corporis parte, ventri sacculus lana plenus supponebatur, ne prorsus effluerent. Tibiarum & pedum priuata sensu, vitam miserabilem multis egit annis. Quòd si interdum supra naturam breuissimo temporis spatio diuinitùs sensus eis redderetur, id non ad solatium, sed ad noua dolorum genera excipienda mira dispensatione fiebat. Omnis generis febrium, sed diuersis temporibus paroxysmos patiebatur. Hecticam, tertianam, quartanam perpeti, familiare ei fuit: nunc simplici, nunc composita, modò ephemera, vel quotidiana, modò acuta fatigari, ludus quotidianus putabatur. Et ne singulis immorer, non erat ullum in corpore membrum, quod inauditis non esset doloribus obnoxium. Nullum apud medicos morbi genus extat, cuius ipsa expers fuerit. Nulla in venis eius sanguinis gutta fuit, quæ Domini virgam paternè castigantis non senserit. At tamen horum morborum quidam ad extremum vitæ tempus permansêre, quidam ad certa annorum, mensium, hebdomadarum, dierum, horarum spatia durârunt. Porrò annis triginta & octo, corporis nulla ei erat prospera valetudo, sed interior homo gratiâ DEI erat locuples. Accidit autem, ut in principio infirmitatis suæ humanum quiddam obreperet illi. Audiuit tum fortè assumpto cibo ridentes & iocis ludentes puellas. Itaque oblita sui cœpit flere amarissimè, quòd ceu compedibus vincta, à coæuis puellis prorsùs neglectui haberetur. Potest facilè venia dari tam durè flagellatæ, & necdum spiritûs unctione delibutæ. Et primis quidem annis quatuor afflictionis suæ secundùm exteriorem hominem patiebatur inuita, erátque ei molestum quicquid cerneret.* Nec tamen idcirco impatiens fiebat. Molestiam sentiebat, vt sentire dolores ostenderetur; pateretque postea, si dolores etiam optaret, quantum profecisset. Vnde & diuinæ gratiæ maxima effulget efficacitas, vt quæ auxilijs suis adeò roborat humanam imbecillitatem. Ea enim

ex infirmis fortes, ex inuitis libentes, & cum gaudio molesta quæque suscipientes facit. IX.

12. Ob tantam morborum cateruam, meritò potest Lydwina cum fortissimo Iob comparari, ob diuturnitatem autem etiam præferri. Nam, vt in Probatica piscina à Christo inuentus est homo *triginta & octo annos habens in infirmitate sua*, ita & Lydvvinæ *annis triginta & octo corporis nulla erat prospera valetudo*; in hoc differebat, quòd ille vir, vna paralysi, Lydvvina puella innumeris morbis laborabat. Troia, quæ inexpugnabilis videbatur, decem tamen annis obsessa tandem est superata. Lydvvina annis octo & triginta tot morbis oppugnata, expugnata non est. Nec tamen initio statim adeò perfecta fuit, sed vt dixi, (primis quatuor annis) inuita patiebatur, & aliquando etiam flebat, quòd à ludentibus coæuis, ceu compedibus vincta, separaretur, donec à viro Dei Ioanne Pot Christi cruciatus assiduè meditari docta, non iam se, sed Christum in se pati crederet. Tunc enim *omnia ferebat patientissimè, & in summis doloribus, qui sæpissimè dentium stridorem ei exprimebant, non solùm gratias agebat DEO, sed eos ipsos cruciatus augeri potiùs, quàm minui peroptabat.* Quodam Bacchanalium tempore commemorans Christi Passionem, & hominum ingratitudinem secum expendens, nouum à DEO cruciatum petijt. Itaque tantus in alterum illius crus inuasit dolor ab illo die vsque ad Pascha, vt deinceps ausa non fuerit tale quippiam, ea vehementia ardoris petere. Nimirum tanta est peccantium ingratitudo, vt vix vlli sint tanti in hac vita corporum cruciatus, quibus dignè possit ab homine, qui non sit DEVS, expiari. 13. *Febrium, quæ ei familiares erant, iste ferè modus fuit. Principio inuadebat calor quidam grauis & innaturalis. Hunc mox sequebatur frigus immane & horripilatio: deinde mutato ordine, præcedebat frigus intolerabile, idq; molestissimis ardoribus claudebatur. Erat autem tanta harum febrium vis, vt durante paroxysmi æstu, mentis impos fieret, nec quicquam loqui posset. His febribus, tamquam in camino ignis, suprà quàm dici queat dilectam sibi Virginem probabat Dominus.* Immò frænabat, ne caro contra spiritum præualeret. Caro enim, teste S. Gregorio, doloribus non afflicta, effrænis est in tentationibus. Itaque præstat ardere igne febrium,

Ioan. 5. 5.
P. 1. cap. 3.
P. 1. cap. 4.
Part. 1. cap. 5.
S. Greg. li. 33. Moral. 6. 7.

febrium, quàm vitiorum. Cuius ignis, quia memor fuerat Lyd-
vvina, de ijs flammis, quæ à tali, atque etiam postea æterno
incendio præseruant, non conquerebatur. 14. Domus eius erat
humilis, cubiculum sepulchro similius, quàm conclaui, in quo
vltra triginta annos terram non attigit pedibus suis, sed jacuit
immota & supina in lectulo, nec solis, nec lucis, quàm diu jacuit,
aspectu perfruita est; sed instar Iob in sterquilinio permansit. Et
P. 2. c. 1. *fertur cum patientissimo Iob, & B. Francisco sæpe dixisse: Hoc mihi,
Domine, acceptissimum erit, vt affligens me dolore non parcas: cùm
P. 3. c. 9. tuæ voluntatis impletio, sit mihi summa consolatio.* 15. *Vt autem
illustrior corona ei pararetur, ad extremum intra cranium quasi mal-
leolis dirè torqueri se sensit. quibus etiam alij molestissimi cruciatus ac-
cedebant, ita vt sub mortem nihil videretur aliud, quàm pellis contra-
cta ad ignem, neruis eius instar chordarum cytharæ extensis, & ossibus
tamquam in patella fixis. Calculus, quem prædixerat instar colum-
bini oui magnitudine fore, & sibi mortem allaturum, duobus mensibus
adeò infestus ei fuit, vt intra horam vnam ter loquendi vsum amitte-
ret, corpusq; miserè contrahens obrigesceret, & dentium particulas,
quæ dolore stridens reijceret, & penè exanimis jacens, adstantes cogeret
acerbè eiulari. Quos ei dolores extremo vitæ tempore attulerint apo-
stema virgineorum vberum, immanissimi dentium & oculorum cru-
ciatus, aliæq; ægritudines, etiamsi velim pro dignitate explicare, num-
quam possim.* Quid multis vtor? Vt nullum non corporis malum
pateretur, etiam *Epilepsiam, sub finem annorum vitæ suæ, ter vna no-
cte pertulit.* Apoplexia quoque tacta est; atque vt non corpore
tantùm, sed etiam mente laboraret, amentia quamquam non
plùs dimidiâ horâ laborauit; vt mentis per reliquum tempus
compos intelligeret se pati, & patientiæ fructu non priuaretur.

X. 16. Ad hæc corporis tormenta accessêre haud parui do-
P. 1. c. 2. lores animi. Nam inprimis cùm costa eius fracta esset, *casus ille
subitaneus magnæ omnibus admirationi fuit, & alij quidem atq; alij
aliter, & aliter de virgine loquebantur.* Deinde cœpit *ab omnibus pro
monstrosa haberi, à sodalibus puellis despici,* à quibus antea amabatur.
Quanti autem doloris caussa sit, vel hæc mutatio, vel illa suspi-
cio, & sermones sinistri de virgine innocente; nôrunt, qui simi-
lia, vel à desertoribus, vel ab injustis detractoribus patiuntur.

His

His accessit pro virtute pœna. Nam à matre sua alapam accepit, quòd fugientem in cubiculum illius virum hosti illius, quærenti, an ibi esset, respondisset, se putare ibi esse. Acceptâ alapâ, dixit: *Credebam ego, mea mater, posse veritatem conseruare virum, qui ad me confugerat.* Et planè conseruauit; quia nec visus, nec inuentus est ibi. Vbi postea fama illius creuit, confluxêre plurimi ad visendam eam, nec pauci curiositate & maleuolentia ducti. Sciscitabantur ergo proterui & scioli, vnde in ea febris materia esset, quæ nihil sumeret alimenti? *Et, cùm viderent eam in obscuro tuguriolo decumbentem, procacissimè garriebant, eam voracem esse, meribibulam, dæmoniacam, & id genus alia.* Quam etiam dæmon ipse infestauit, qui aliquando patrem illius in aquas præcipitans, illam omni solatio voluit priuare; aliquando per fratris negligentiam, candela prope lectum eius in paleas decidente, & flammis vndique cinctam, voluit decumbentem & fugere non valentem comburere: sed illa aurum in igne probatum, nihil caloris sentiente manu incendium repressit. Atque vt Iobo etiam in hoc similis esset, *fratris eius vxor, mulier procax, importunis clamoribus valde vexabat eam.* P. 2. c. 1. Quam, mutato habitu, inuisens Bauariæ Dux Ioannes dixit: *Et quo pacto potes apud te ferre eiuscemodi hirundinem, quæ totam hanc perturbat domum?* Cui illa: *Æquo animo, mi Domine, id genus hominum toleranda sunt infirmitates & imperfectiones: tum vt nostrâ patientiâ corrigantur, tum vt virtutis exercitium præbeant ijs, quos eo Dominus indigere nouit; tum ne maioris furoris & perturbationis eis materia exhibeatur. Alia mulier venit quandoq; ad Lyduuinam fremens & furens, innumeris eam iniurijs, contumelijs, & conuicijs proscindens, vt posset eius commouere animum. Sed cùm hac ratione nihil efficeret, in faciem mitissimæ virginis fœdissimè expuit. At verò, ne sic quidquam eam permoueri sentiens, clamoribus & maledictis, tamquam vim passa, vicinos concitare cœpit. Sed S. Virgo in patientia animam possidens, adeò mansit immota, vt mirarentur vniuersi.* Immò, vt maleficium beneficio compensaret, clam ei munusculum transmisit, tamquam quæ sibi patientiæ occasionem præbuisset. *Accedebant etiam interdum ad eam quædam meribibulæ, dicebantq;: Non possumus persuadere nobis, te absq; cibo vitam ducere. Itaq; suspicamur te, hypocrisi eludere homines,*

homines. Quas illa non solùm sustinuit æqua mente, sed etiam omnipotentiæ Dei docuit non obliuisci, per quam non in solo pane viuit homo. Quanta autem sit injuria, hypocrisis argui,
Matth.24.28. nôrunt, qui sciunt, in diuinis litteris, idem esse, *partem cum hypocritis* habere, & damnari. Quin & hypocritæ (sicut ad Christum) accesserunt, vt eam in verbis caperent, cùm ipsi essent ventris mancipia, & inter eos vna, quæ virginitatem jactabat,
P.2, c.5. cùm se dæmoni prostituisset. Hi moribus Æthiope quouis atriores, suos innocentissimæ mores attribuerunt; & cùm ægram totque malis affectam consolari debuissent, de gula, de hypocrisi, deque illis ipsis vitijs, quibus inquinatissimam vitam duxerunt,
P.2, c.7.8, 9. conati sunt infamare. Sed longè grauiùs eam afflixit Parochus primò, cùm ei hostiam daret non consecratam, probaturus, an panem pati posset, quæ se dicebat, nihil comedere; altera vice, cùm non solùm priuatim, sed etiam publicè & pro concione diceret, eam à dæmone esse delusam in alia hostia non consecrata ei relicta, quæ tamen vera fuerat. Nam in eam se ipse Christus, ei pueruli in cruce pendentis forma apparens, vertit. Pro Parocho tamen patiens Virgo ipsa & apud plebem in eum concita-
P.3. c.6. tam, & Episcopum orauit. Milites autem eam non solùm conuicijs, sed etiam impuris manibus inuadentes, & plurimis iniurijs pessimè tractantes, Devs grauissimè puniuit, quibus ipsa pepercit, ne apud suum Dominum Philippum Ducem Burgundiæ accusarentur, & punirentur. Nimirum hic apex est perfectionis, benefacere his, à quibus maleficium acceperis, & diligere inimicos; cùm nihil difficilius sit, quàm compescere vindictæ motus, & illatas sibi iniurias non modò ferre patienter, sed etiam beneficijs compensare.

XI.
P.1. cap.6. 17. Hæc in corpore atque animo passa Lydvvina, vt plura ferret, audite incredibilem & charitatem, & sitim patiendi. Petronilla senilis mater moribunda sic ei valedixit: *En morior paupercula, quæ nihil boni fecerim cunctis diebus vitæ meæ. Sed si, filia mea, pro delictis meis velis intercedere, læta moriar.* Cui respondit illa: *Forti animo esto, mater mea. Propè est Dominus, qui non despiciet contritum & humiliatum cor tuum. Mea verò omnia, labores, dolores, vlcera, plagas, tormenta, vigilias, precatiunculas, & ex-*

ercitia

ercitia libens tibi impertior. Ea re mirificè exhilarata mater eius mi-
grauit ad Dominum. Lyduuina verò, tamquam jam omni nudata
merito (quod tamen hac ipsa eius charitate in immensum creuit)
cingulum quoddam crassum, latum, & hispidum, ex equorum confe-
ctum pilis sibi comparat, eoq; vsque ad mortem marcidum corpuscu-
lum stringit. Quidquid ei mater reliquit, pauperibus distribuit.
Adhuc relicta ei erat culcitra: eam quoque zelatrix pauperis pueri
IESV, in stabulo nascentis, tolli jubet: quæ tamen, sub putrescente
corpusculo eius, jam putrescebat, & eius plumæ ita inhærebant virginis
corpori, vt absque nouis dolorum stimulis inde auelli nulla ratione pos-
sent. Ea ablata, suppositus est corpusculo eius tam miserabili durus
asser, impositis ei paleis, atq; in eo decumbebat supina, numquam dor-
miens. Accedebat hiemis prolixæ frigus, *ita vt sæpissimè extrema*
corporis eius partes obrigescerent. Si quid ei vel pecuniæ, vel obso-
nij mitteretur, mox illa ad pauperes remittebat. Ita etiam pau-
pertatis incommoda sentire, quàm à visentibus eam Principi-
bus viris ditari maluit. Sic corpore, sic animo exercita, se ipsam
quoque afflixit, ad extremum vsque vitæ diem, quo rogauit P.3. cap. 11.
Dominum, vt eum diem, *extremumq; vitæ suæ finem tot doloribus*
& afflictionibus cumularet, vt à corpore exiens anima sine purgatorio
mox ad illum posset euolare. Cœpit igitur *à septima vsque ad horam*
quartam pomeridianam perurgeri calculi doloribus cruciari spasmate,
vicies è pectore diro vomitu fellis particulas reijcere. In demortuæ
corpore inuentum est cilicinum cingulum, *quod seruatur, vsque in*
præsens, ex eoq; mirus odor proficiscitur; estque *dæmonibus valde in-*
uisum & molestum. Nempe ita parui faciunt optimi quique suos
morbos, vt etiam illis alios dolores superaddant. Ita S. Timo- 1. Tim. 5. 23.
theus grauibus stomachi infirmitatibus vexatus, nihilominus
aquam bibebat, quæ illos augebat. Ita S. Gregorius Magnus,
S. Bernardus, S. Franciscus, S. Clara, S. Catharina Senensis gra-
ues morbos suos assiduis laboribus, & mortificationibus exa-
cerbabant. De S. Gregorio certè legimus: *Admirabilia sunt, quæ*
dixit, fecit, scripsit, decreuit, præsertim infirma semper adeoq; ægra
valetudine, vt vel ea audire, quæ ipse in suis Epistolis refert, ma-
gnam pariat admirationem. Alijs, quibus salus sua non est cor-
di, graue videtur, cùm ægrotant, orare pro sanitate, aut pecca-
ta sua

ta ſua confiteri; immò vel medicinam ſumere amariorem. Non ſic Lydvvina, non ſic erat affecta; ſed quia patientiæ pretium agnoſcebat, afflictiſſimum corpus paupertatis incommodis, frigore, cilicio, aſſere ſuppoſito, magis magiſque vſque ad extremum halitum afflixit; inde coronanda, vnde crucianda.

XII. Recenſui huc vſque cruces & afflictiones in compendium
P. 2. c. 1. relatas Lydvvinæ Virginis, cui, dum vixit, *tugurium illud palatium erat; ſtratum ſtramineum lectus eburneus; cingulum cilicinum balteus regius; vlcera putreſcentia pretioſa monilia; horridæ plagæ optata ſolatia; multæ lachrymæ nouæ deliciæ; mundana afflictio mira conſolatio; vermes è corpore erumpentes conuiuæ familiares; dolores & angores, dapes opiparæ.* Quis Lazarum ante fores, vel Iobum in ſterquilinio iacentem cum hac virgine, aut hanc virginem cum illis non comparaſſet? Quis oculis profanis tale catharma aſpiciens, non abhorruiſſet ac deſpexiſſet? Sed, quia
2. Cor. 12. 9. *virtus in infirmitate perficitur,* vide qualis, & quàm pretioſa anima in putrido hoc ac verminoſo corpore, immò in tam exactè elaborato & vermiculato opere latitârit. 1. In femina virilis animus, & in puella maſcula virtus; in incredibili calamitate heroicum pectus; admiranda fides & fiducia in Deum; ſtupenda conſtantia & perſeuerantia, in tot ac tantis cruciatibus, per triginta octo annos; erga inimicos etiam perſecutores malefactoreſque ſingularis manſuetudo ac beneficentia; in ſumma paupertate ſumma liberalitas; inter dolores maximos ſitis maxima
2. Cor. 4. 7. maiorum dolorum. *Habebat autem theſaurum iſtum in vaſis fictilibus,* in laceris & putridis membris. 2. Per hoc viuum cadauer Deus mundo oſtendit continuum miraculum. An non enim miraculum erat, tam diu pati tam graues & atroces morbos, & non mori? An non erat miraculum, tam diu ſine cibo, ſine potu, ſine ſomno viuere? An non miraculum, tantos cruciatus ſine querela & impatientia vlla perferre? 3. Immò Deus per illam continua miracula eſt operatus, dum ei donum Prophetiæ, ſcientiam futurorum, & occultiſſimarum rerum dedit, qua conſcientias hominum pupugit, & ad pœnitentiam excitauit. 4. Illud autem maximè mirandum erat miraculum, quòd ipſa tot morbis obſeſſa non fatigaretur, ſed adhuc plura pati vellet.

Enim-

Enimuerò quòd ipsa sexcentis plagis plena tot tamen alios
ægros ab incurabilibus morbis sanârit, & obiurgantibus eam,
quòd precibus à se morbum illum non auerteret, responderit: *Nemo* P. 3. cap. 9.
in his Dei reprehendat super me judicia. Qui enim admouet mihi vir-
gam, multam etiam cumulat gratiam. 5. Sed maximè in ea su- P. 3. cap. 2.
spicienda erat ardentissima charitas, qua animas sanabat se visi-
tantium. 6. Nec sanabat tantùm viuos, sed maximo zelo cu-
rabat mortuos, quos vt à purgatorio liberaret, sæpius ipsa viua
deducta est ad Purgatorium intuendum, immò patiendum.
Nam in se transtulit pœnas multarum animarum, & *ob zelum*
animarum sæpe cruentos ab oculis fudit imbres, dicebatq; Domino: O
si possem, Deus meus, carnem & sanguinem meum dare pro animabus
illis, quas tu castigas! Pro his ergo orabat, suspirabat, vigilabat, sa-
crificia offerenda curabat, se totam in holocaustum offerebat. 7. Quid
dicam, in hoc fragili & contemptibili vase, tot fauores diuinos,
tot consolationes cælestes, tot mentis non solùm tormenta, ve-
rùm etiam gaudia extitisse? 8. In membris exulceratis, in san-
guine & tabo, in putrefactis intestinis, è quibus alioqui grauis
expirat odor, contrarium apud Lydvvinam euenit. *Magna* P. 1. cap. 3.
intestinorum pars diu ante oculos eius è corpore pendula eminebat:
itaque marcescente inferiori corporis parte, ventri sacculus lana plenus
supponebatur, ne prorsus effluerent: reliquum totum corpus vlcus
erat; *pulmonis, hepatis, & viserum vitales partes partim in ea emar-* P. 3. cap. 5.
cuerant, partim diro vomitu rejecta erant; nullum tamen de se red-
debant fœtorem; immò verò odorem aromaticum ex ijs haurire lice-
bat, sicut testantur illi, qui suis eas manibus contrectârunt. Sed cùm
multi homines pij vtriusq; sexus eas particulas vomitu rejectas videre,
contrectare, olfacere cuperent verita illa, ne ob hominum applausum
perderet thesauros gratiæ, tandem pati noluit, vt quidquam ab ijs quæ
ab eius corpore prodirent, reseruaretur: sed omnia terra infodi jussit.
Miranda res! alij peregrinis odoribus & balsamo delibuti, co- P. 3. cap. 8.
ram Deo & angelis fœtent: Sanctæ istius sanies apud immorta-
les, & mortales jucundum quid & Elysium expirauit. Mirabatur
Confessarius eius, cur quædam mulier Lydvvinam toties visi-
taret, cui illa respondit: *Obserua, quæso, manum eius, cùm eis audi-*
turus confessionem eius, & senties, quid velim. Facit ille sic, & post
confessio-

confeßionem petit ſibi porrigi manum eius: quam vt ſenſit non aliter quàm velut cæleſtibus delibutam vnguentis redolere, in has prorumpit voces: O vaſculum Spiritu ſancto plenum! O diuinorum apothecam vnguentorum! cur me hactenus tantam DEI gratiam celare voluiſti, cùm tam crebrò tibi adfuerim? ex illo autem odore, vir ille non modò omnium ſenſit ſenſuum quamdam immutationem, ſed etiam animi intimam compunctionem, ita vt ſponte virgini ediceret quædam horrida peccata ſua, & cum lachrymis emendationem promitteret. Sicut ergo, qui in deliquium lapſi ſunt, odore recreantur, ita iſte ad ſe rediuit, ſpretis terrenis vaniſque gaudijs, poſtquam cæleſtes delicias eſt odoratus. Nec enim ſolùm his talibus donis diuina prouidentia cruces & amaritiem dolorum temperauit; ſed etiam alios cum illa voluit aucupari. 9. Vt eam Chriſtus quoque exerceret, menſes quinque deſolatam reliquit: *Tandem faciem ſuam illi jucundiſsimam oſtendit Sponſus, ad cuius reditum tanta ſuauitate repleta eſt, vt qui intrarent in eius cubiculum, putarent ſe in myrothecium, & paradiſum aromatum ingredi, dicerentq́ inter ſe, quidnam eſt iſtuc? talem nos fragrantiam numquam ſenſimus. cumq́ Lydvvinam rogarent, vnde ea eſſet, illa reſpondit: quid ſit, aut vnde ſit, Dominus nouit: Ego verò hoc vnum ſcio, tametſi homines ſublimiter de me ſentiunt, fragilem mulierculam me eſſe. Sed quod illa, cauſſa humilitatis, cautè celabat, Dominus prodidit. Poſt eam enim afflictionem tanta ab eius corpore exibat odoris ſuauitas, vt aduentantes non humanum corpus, ſed pretioſi vnguenti vaſculum illic adeſſe putarent.* Potuit ergo Lydvvina dicere: DEO *gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto IESV, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco: quia Chriſti bonus odor ſumus DEO*, immò & hominibus. 10. Hanc odoris fragrantiam ſenſêre complures, qui vel viuam viſitârunt, vel defunctam cuſtodierunt. Nimirum in fragili vaſculo, balſamum pretioſum incluſit DEVS. Sed longè maiores etiam alios fauores ei contulit. Nam tam vilem & miſeram puellam, ſæpius Angeli de cælo viſitarunt, ſæpius alij Diui & Diuæ; quin & cæleſtis Regina, & ipſe regum Rex Chriſtus, qui dignatus eſt eius lectulo aſtare, extremamque illi ſuis manibus impartiri vnctionem, diemque mortis, & gaudia mox ſecutura indicare.

P. 3. cap. 9.

2. Cor. 2. 14.

indicare. Nimirum hic morborum effectus est, si patienter eos
patiamur.

Hac enim de caussa historia Lydvvinæ in litteras, & post- XIII.
eros missa est: hac de caussa, ad eam confluxêre plurimi, sum-
mi, infimi, medij: hac de caussa *VVerboldus veniens ad domum eius,* P. 1. cap. 6.
vidensq́; egestatem, & tumentem, fissam, ac liuidam faciem, corpus-
culum putrescens, nec tamen malè olens, scatens vermibus, & suaues
spirans odores, lachrymatus est vir pijssimus. Hac de caussa Comes P. 1. cap. 7.
Hollandiæ Wilhelmus Sciedamum venit, Lydvvinæ virtutibus
excitus, atque idcircò vel in patrem eius munificus. Hac de P. 2. cap. 4.
caussa viri Religiosi ad eam Monachique profecti sunt, vt eius
consilio & exemplo fruerentur. Hac de caussa afflicti multi ad P. 2. cap. 4.
eam confugerunt, verbis eius & factis recreati. Hac de caussa
Princeps quidam è longinqua regione ad eam curiosa sciscita-
turus ductus est, vt mira illius vi incensus emendatusque recede-
ret. *Permulti alij nobilissimi vtriusq; sexus homines, noctibus, veste*
mutata, adibant illam, quibus ea multa virtute salutis verba eructa-
bat. Multi à tentatione, multi à flagitiosa vita liberati sunt, qui P. 3. cap. 1.
illam adierunt; correctus Rogerus; Theologus quidam Ordinis P. 3. cap. 5.
S. Dominici è Traiectensi Diœcesi profectus altissima mysteria
didicit; Ioannes Dux Bauariæ patientia & virtute eius locuple-
tatus est. Vno verbo, omnes, qui vel ei adfuerunt, vel adhuc
stupenda eius prodigia, tribus libris seu partibus à Ioanne Brug-
manno enarrata, legunt, è diuinis judicijs rectè judicare discunt;
& velut in clarissimo speculo vident, quæ sit vera huius vitæ feli-
citas & beatitudo, & quis infelix æstimandus. Intelligunt enim,
veram vitæ nostræ prosperitatem, non in pecuniæ thesauris, &
auri argentiúe copia, apud Crœsos; non in titulis & dignitati-
bus; neque in bona valetudine, & corporis sanitate positam
esse; sed in virtutum exercitio consistere. Intelligunt rursus, non
eum infelicem judicandum, qui inopia rerum, honorum amis-
sione, aut ignominijs, & mille calamitatibus prematur, vel etiam
morbis grauissimis obruatur; sed qui peccatis sit plenus, & vitijs
coopertus. Intelligunt igitur, eos, qui auro, argento & num-
mis, sed simul etiam vitijs abundant, esse miseros; eos, qui in
dignitate, sed simul etiam iniquitate viuunt, esse infelices; eos
item,

item, quibus bonæ corporis vires, ſed mali mores ſunt, eſſe deplorandos. Intelligunt eos, quibus nullus in arca, ſed magnus in anima cenſus; nulla ſanguinis, ſed magna pectoris nobilitas; nulla vel infirma corporis, ſed bona mentis valetudo, quantumuis ægri ſint, ſi ſancti ſint, verè pro beatis & Deo dilectis habendos; quoque magis vel paupertate, vel contemptu & ignominia, vel membrorum doloribus affliguntur, eò eſſe feliciores, & coram Deo, immò etiam tandem coram mundo glorioſiores.

Rom. 5, 4.

Siquidem *tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem; probatio verò ſpem: ſpes autem non confundit*, neq; ſperantem decipit, ſed maiora affert præmia, quàm ſperare potuiſſet. Non igitur mundi, ſed Dei judicio, cum Lydvvina ſtandum eſt; illudque, non quod caro, ſed quod ſpiritus melius judicat, de manu Dei accipiendum.

XIV.

S. Auguſtin. lib. 1. de viſit. ægrot. cap. 6.

Tu igitur, ait S. Auguſtinus, *chare mi, ad modicum migraturus de mundo, tantam & tam ineffabilem benignitatem Domini tui ne ſpernas, flagellum illius gaudenter ſuſcipe: flagellat in te, quod neſcis, nec iniuſtè: juſta enim ſunt ipſius judicia, morbus hic corporis medicina eſt ſpiritualis. Porrò recogita quòd morbus tuus, vt aiunt medici, eſt incurabilis, & tecum reuolue, quoniam ſi contra Deum præſumpſeris murmurare, & morbum, velis nolis, ſuſtinebis: nec murmurando ſanaberis, immò animo debilitaberis, dum contra Deum tuum, patrem tuum, medicum tuum, magiſtrum tuum manſuetiſſimum, & tranquilliſſimum, in ipſo flagello pacatiſſimum, qui numquam iratus eſt, cùm iratus eſt, miſericordiæ recordatur, murmuraueris. Meis igitur acquieſce conſiliis, & quandoquidem murmurando duo mala ſuſtineres, pacificus eſto, & grauamen corporale fac tibi antidotum ſpiritale. Non enim ſi in flagello vis Deum recognoſcere, corpore & anima flagellaberis, non enim flagellat Deus bis in idipſum. O quàm jucundo pectore, quàm læto corde viſitationem diuinam debes præoptare! certè ſi corpore totus præualeres, infirmitatem medicinalem à Deo debueras votis omnibus expetere, & ne ſanitas corporis, infirmitas eſſet animæ, metuere. Nihil aliud ſcio, ſed quia infirmaris, vtiliter debes gaudere: quia iuxta eſt vocatio diuina, debes ei totis niſibus lætus adeſſe. Eia ſi epiſcopatum, aut honorem alium, aut ſanitatem infirmis optabilem tibi conceſſiſſet DEVS, nonnè omni gaudio illud donum*

DEI susciperes? certè maiori exultatione, & affectuosiori voluntate, cum gratiarum etiam actione hanc Dei animaduersionem debes tibi vnicam habere, quia & hoc vtilissimum DEI donum est.

XV.

In hunc sensum olim celebratissimus ille Pachomius Theodoro ægrotanti & sanitatem flagitanti respondit. *Theodoro grauis passio capitis inflicta, dolores acerrimos excitabat. Qui cùm rogaret Pachomium, vt eum suis releuaret orationibus, ait ad eum: Putasne, fili, quòd alicui contingat dolor, aut passio, aut aliquid huiusmodi sine permissione Dei? idcirco in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe: & quando voluerit Dominus, conferet tibi sospitatem. Quòd si te diutiùs probare dignatur, esto gratus, vt fuit perfectissimus, & patientissimus Iob, qui multas tribulationum & cruciatuum tentationes excipiens, Dominum benedicebat. Et sicut ille, tu quoque pro doloribus tuis maiorem requiem à Christo percipies. Bona quidem est abstinentia, & in oratione perseuerantia: tamen infirmus magis præmium adipiscitur, cùm longanimis & patiens inuenitur.* Sicut ergo Pachomius Theodorum exemplo Iobi ad tolerandum capitis dolorem animauit; ita & nos ægros omnes ad patientiam hortabimur, historiâ eiusdem viri, quam ad eumdem finem, in sacris litteris, Deus voluit commemorari. Reperiemus, sicut in Lydvvina Iobum, ita in vno Iobo multas Lydvvinas, quas imitemur.

Heribertus Rosvveid. l. 1. de vitis PP. cap. [illegible]

CAPVT XXXIII.

Admiranda Iobi patientia & constantia, in omni statu, seu prosperitatis, seu calamitatum, & morborum, Deum laudantis.

I.

SI nulla alia esset morborum caussa, quàm vt Iobum, verum & merum patientiæ theatrum, tot plagis expositum, mundo & Angelis spectandum exhiberent, ea sola sufficeret. Vir iste secundis & aduersis ventis vsus, in vtraq; fortuna fuit admirandus; tantoque maiorem meruit admirationem, quòd non satis fuerit, eum in rebus prosperis, neque tumidum, neque auarum, neque ferocem & inclementem, neque delicijs deditum, aut voluptatibus vanis à virtute fuisse abductum; sed quòd etiam recta via gradientem tot exceperint tempestates.

pestates. Vt rarum, ita magnum est, diuitem esse, & non insolentem; corpore firmo ac robusto, & in sensuum oblectamenta non effusum. Iob septem filijs & tribus filiabus felix erat. *Et fuit possessio eius, septem millia ouium, & tria millia camelorum, quingenta quoque iuga boum, & quingenta asinæ, ac familia multa nimis: eratq; vir ille magnus inter omnes Orientales.* Alius totus in eo fuisset, vt ouium, vt camelorum, vt boum multitudinem augeret; Iob sciens vti diuitijs, ita se inter opes multas gessit, vt indigentibus opem non negaret, sed dicere auderet: *Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum*: & cùm esset *magnus inter omnes Orientales*. non dedignatus est *liberare pauperem vociferantem, & pupillum, cui non esset adiutor.* Quàm rari res hæc erat exempli? Ire per Iordanem, vel etiam ipsum mare sicco vestigio, aut summas per vndas currere, nec *tingere in æquore plantas*, apud sacros & profanos scriptores, prodigiosum habebatur. At longè maius prodigium erat, Iobum, inter astutos & versipelles, esse *simplicem*; inter *curuas hominum mentes, rectum*; inter impios Hussitas, *timentem DEVM*; inter dolum dies noctesque meditantes, *recedere à malo*. Atqui has tantas eius virtutes dæmon (vt D. Chrysostomus monet) parui faciebat. Suspicabatur enim, eum beneficijs à Deo affectum, & tam amplis diuitijs ornatum, facilè gratum esse potuisse benefactori. Abstulit ergo ei, permissu summi Iudicis, facultates, & inuenit Iobum talem pauperem, qualem antè expertus est fuisse diuitem. Nempe opes ei adimere potuit, non virtutes; quas, illis ablatis, fecit auctiores. Abduxit boues, abegit camelos, oues igne cælesti perdidit; filios quoque & filias eius ruina domus oppressit conuiuantes. Quid effecit? vt Iob *scinderet vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adoraret.* Itaque adeò fuit constans vir iste, vt, amissis omnibus ceteris, etiam scissa vestimenta, & resectos de capite capillos insuper abijceret, & Deo consecraret, quasi auctario opus esset, ac non satis antè perdidisset. Et vide mihi discrimen. Porcus percussus grunnit: cithara percussa suauem sonum reddit. Ita alij, qui, vno boue amisso, cælum & terras querelis implent, Iobum illustrant. Quas enim ille voces edidit spoliatus? *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc: Domi-*

Margin notes: Iob. 1. 2. — Iob. 29. 15. — Ibid. v. 12. — Iob. 1. 8. — S. Chrysost. hom. 1. ad populum. — Iob. 1. 20. — Ibid. v. 21

Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: Sit nomen Domini benedictum. Vides citharam percussam?

Quàm admirabile est hoc patientiæ constantisque animi II.
exemplum? Iob diues, & Iob pauper eamdem cecinit cantilenam. Semper luscinia fuit, tam in aduersis, quàm in prosperis, Deum laudauit. Vno die oues, boues, camelos, liberos amisit; vno momento ex Crœso Irus factus, ex felice miser. *In omnibus his non peccauit Iob labijs suis, neque stultum quid contra Deum locutus est.* Nec tamen etiam hanc virtutem Satanas magni æstimauit; eò quòd videret illum adhuc sano esse corpore. Censuit ergo eum maioribus catapultis quatiendum. Quia enim externa bona minora sunt, quàm quæ intra nos habentur, calumniatus est, Iobi patientiam nihili faciendam, quæ in amissione bonorum fortunæ appareret dumtaxat: eò quòd facile esset, ludere de alieno corio: *pellem*, inquiebat, *pro pelle, & cuncta quæ habet* Iob. 2. 4.
homo, dabit pro anima sua: quæ vtique ei charior est, quàm pellis ouium, boum, & camelorum, immò & liberorum. Vt igitur nullam non pateretur inuictus heros calamitatem, *egressus Satan à facie Domini, percussit Iob vlcere pessimo, à planta pedis vsque ad* Iob. 2. 7.
verticem eius. Vbi primò cognosci potest, non rectè ab Origene Orig. hom. 5.
scriptum esse, dæmonem, qui semel ab aliquo sancto sit victus, super Iesvm
nec eumdem, nec alium hominem aggredi, vel tentare denuò Naue.
audere, sed quasi in spirituali bello, à Christi militibus interimeretur, aut fugaretur cessare ab impugnando; non secus ac si id ageretur lege, & jure singularis certaminis, & humani duelli, in quo qui semel victus est, non permittitur victorem iterum prouocare. Sed aliter res habet. Etsi enim superbissimus Spiritus, vbi nulla victoriæ spes affulget, non facilè eumdem hominem, in eádem materia, & rebus nihil mutatis, solet aggredi (quemadmodum & Christum tantùm semel in eadem re aggressus est, quòd nihil se proficere posse cerneret, si secundò eamdem rem suggereret, vnde tandem *consummata tentatione, recessit ab illo* pudibundus, victoris aspectum fugiens, iterumque vinci timens) attamen temporis, vel rei, vel dispositionis condicione variata, meliorem occasionem nactus, idem spiritus eumdem hominem centies, & sæpius tentat: scit enim multas munitissimas arces,

tandem

tandem expugnari, quæ ad primum, vel secundum insultum for-
Cassian. collat. 8. cap. 17. Vide S. Thô. 2. p. q. 114. 1. tissimè restiterunt. Vnde docet Cassianus, vnum & eumdem dæmonem, & per diuitias ac prosperitatem, & per jumentorum filiorumque interitum, & denique per omnis generis morbos ad DEVM blasphemandum incitasse. Deinde aduertenda est ars tentatoris: nam, more versuti Ducis, nostris nos rebus, nostra carne, nostro corpore, nobis ipsis nos impugnat, nec melioribus
S. Greg. Nazianz. orat. 1. vti potest aut armis, aut instrumentis. *Cum eo hoste,* inquit, Nazianzenus, *dimicandum habemus, qui nos internè oppugnat, ac nobismet ipsis (quo nihil miserius est) tamquam armis in perniciem nostrã vtens, peccati morte nos afficit.* Itaque cùm Iob sanus esset, cùm diues & felix, conatus est vtique animum eius corporis voluptatibus & carnis blandimentis emollire. Sed quia expertus est, eum rebus prosperis non euerti, sed simplicem & rectum stare; cœpit eum diuersis machinis quatere, & tormentis corporis doloribusque voluit illum ad impatientiam, ad iram, ad diuinæ prouidentiæ contemptum adigere. Ita & nos in vtramque partem agitat. Saturo corpore ad luxuriam prouocat; famescente ad gulam. Diuitijs allicit ad auaritiam, paupertate ad furandũ;
2. Cor. 6. 4. honoribus ad arrogantiam, ignominia & iniurijs ad desperationem. Qua de caussa rectè monet Apostolus, *vt exhibeamus nos DEI seruos & ministros, per gloriam & ignobilitatem; per infamiam & bonam famam, à dextris, & à sinistris.*

III. Quoniam igitur felicitate nihil effecit satan, ærumnis &
Iob. 2. 7. morbis Iobum impleuit, quæ quidem paucis verbis indicantur, quando dicitur: *Egressus igitur satan a facie Domini percussit Iob vlcere pessimo, à planta pedis, vsque ad verticem eius*, sed paucis his verbis multa indicantur, quæ passim Iob alibi explicat; ex cuius querimonijs & dictis optimi peritissimique medici, multorum morborum caussas, genera, differentias, symptomata colligunt. Vnde & de cacodæmonis malitia, & de Iobi patientia potest fieri conjectura. Enimuerò illis ipsis paucis verbis multa insinuantur. Tempore pestis, ab vno sæpe vlcere immensus dolor & exitium venit. Diabolo non satis fuit, quòd *vlcere pessimo,* sed etiam, quòd *à planta pedis vsq. ad verticem eius,* eum percusserit. Atque vt etiam remedij solatium ei deesset, & lectus, & linteamina,

panni-

panniculique, quibus purulentum cruorem abstergeret, coactus
est *testa saniem radere sedens in sterquilinio.* Vt maior esset dolor,
velut vnguem in vlcere verteret, aspera testa, pro tenui strophio
vsus est. Quale, inquit Tertullianus, *in illo viro feretrum* (*seu tro-*
phæum) *DEVS de diabolo extruxit? quale vexillum extulit? cùm*
ille homo ad omnem acerbum nuntium nihil ex ore promeret, nisi DEO
gratias? cùm vxorem iam malis delassatam, & ad praua remedia sua-
dentem execraretur? Quid? sanè ridebat DEVS, dissecabatur malus
(satan) *cùm Iob immundam corporis sui redundantiam, magna*
æquanimitate distringeret; cùm erumpentes bestias inde in eosdem
specus & pastus foraminosæ carnis ludendo reuocaret. IV.

Hîc rursus duas aduerto Stygij prædonis astutias. 1. Cùm
ad Iobi cruces augendas oues, boues, camelos, seruos, liberos,
& omnem substantiam eius sustulisset, reliquisse tamen illi vxo-
rem pessimam; quæ cùm eum solari, curareque deberet, tam-
quam Xantippe aliqua irridebat, ad iram impatientiamque
prouocabat: vt non tantùm haberet, quod pateretur, sed etiam
viperam, à qua morderetur, & ad blasphemandum incitaretur.
2. Is, qui à planta pedis, vsque ad verticem eum percusserat,
vnam ex omnibus membris linguam communi vlcere, & plaga
exemptam seruauit, ne maledicendi instrumentum, à blasphe- Iob. 19. 20.
mijs cohiberetur, plaga percussum. Hinc ait ipse Iob: *Derelicta*
sunt tantummodo labia circa dentes meos. Labia & linguam illi re-
liquit, vt vaginam & gladium in promptu haberet, si fieret furio- Iob. 2. 10.
sus. Sed in his omnibus, *non peccauit Iob labijs suis.* Duo autem
sunt, quæ illi maximam patientiæ materiam in corpore suppe-
ditauerunt; nimirum multitudo & magnitudo morborum. Vt
enim carnifex peritus, ita satan varia atque exquisita tormenta
excogitauit, quibus fortissimum virum, ad superos execrandos
impelleret. V.

De multitudine ita loquitur Origenes: *Nullum dereliquit*
supplicium, neque pœnam, neque dolorem, putredinem, vermes, os-
sium diuisionem, neruorum fatigationem, membrorum debilitationem,
atque totius carnalis compaginis passionem, atque dolorem: jacére non
poterat, sedere non valebat. Igitur singula membra Iobi singulis
ac peculiaribus morbis infestata fuerunt. Quod insinuatur illis

verbis: *à planta pedis, vsque ad verticem eius.* Etsi enim vlcus nominetur, tamen eadem prauorum humorum disturbatio, & pugna aut sanguinis corruptio, in diuersis corporis partibus, quorum temperies dissimilaris est, morbos diuersos potuit efficere. Nec sanè eodem morbi genere caro, cutis, ossa, viscera, laborare possunt. Rectè enim Hippocrates ait: *Morborum omnium vnus & idem modus est: locus verò ipse eorum differentiam facit. Quare videmus quidem morbos inter se nihil simile habere, propter diuersitatem scilicet, cùm sit tamen vna morborum species, & caussa quoque eadem.* Etiamsi autem, iuxta naturæ modum rectè doceat Galenus, fieri non posse, vt homo omnes sui corporis partes affectas habeat, tamen in Iob, præter naturæ consuetudinem, & arte diabolica factum est, vt omni ex parte doleret, quasi lanceis, ita acutis doloribus vndique confossus. Hinc ipse ait: *Circumdedit me lanceis suis*, &, *posuit me quasi signum*, & scopum crebris iaculis petendum. Consueta sanè naturæ lege, contrarij morbi simul in humano corpore inueniri numquam potuerunt, quia aut ex caussis contrarijs oriuntur, aut quòd vnus morbus alteri soleat esse medicina, vel alio modo repugnet; à malo tamen genio in Iobo etiam cōtrarij morbi procurati putantur. Cùm enim ille sit mille artifex, potuit vnius partis actionem in aliam impedire, aut praui humoris fluxum concitare vel sistere; vel etiam actiua passiuis coniungere, aut remouere. Nam ignis sacer, & ardentes herpetes, quibus exuritur caro, & velut carbo nigricat, è quibus non modò vermes, aut aliæ bestiolæ naturaliter gigni nequeunt, verùm etiam si geniti essent, necessariò interirent, & exurerentur: & tamen Iob pariter ardebat totus, pariterque fœdi humoris copia profluente, scatebat vermibus, & exustus sanie manabat. Poterat autem facilè Panurgus ille, & pro multis, & pro diuersis morbis materiam comparare. Certè atra bilis idonea est vlceribus pessimis, lepræ, elephantiasi, mœroribus, vermibus, tumoribus, interdum etiam pleuritidi, alijsque præsentaneis malis efficiendis.

Hippocrat. lib. de flatib.

Iob. 16. 13.

VI. E quibus principijs duo corollaria consequuntur, nimirum & insanabilibus, & mortiferis morbis Iobum affectum fuisse. De desperatis & insanabilibus morbis ita loquitur Origenes:

Percussit

Percußit insanabili plaga, in qua superflua erat omnis medicorum peritia atq; sapientia. Sicut enim nullum argumentum illuminare poterat tenebrosam atque lamentabilem Ægyptiorum noctem; ita nulla medicamina curare poterant sæuissimam illam diaboli plagam. Particulatim autem tradit Galenus, quod leprosum jam est, nullam curationem habere; quemadmodum & desperata quædam atq; maligna vlcera, qualibus coopertum fuisse Iobum dubitari non potest. De mortiferis morbis id negat Caietanus, quia diabolo dictum est: *animam illius serua*, quasi diceretur: *noli illi lethalem morbum inferre.* Sed probabilius est, dæmoni tantùm prohibitum fuisse, ne vitam auferret, etiamsi mortiferos illi morbos inferret, qui ex se vitam interemissent, nisi ab eo cohibiti fuissent. Illi enim præcepto: *animam illius serua*: satisfiebat, si satan nec violentas Iobo manus injecisset eum occidendo; nec principes corporis partes, in quibus sunt vitæ functiones necessariæ, cor videlicet ac cerebrum ita affecisset, vt necessariò inde mors sequeretur: Quare cùm diabolo permissum esset, vt etiam eos morbos omnes efficeret, qui ex specie, aut potestate malignitateque sua exitiales forent, etsi non necessariò peremptorij sint semper, sed tantùm vt plurimùm, tales agminatim immisit: aut si etiam immisit eos, qui certò interimunt, potuit tamen eos refrænare, ne cor, aliámue principem partem opprimerent.

Galen. de compos. medic. per genera. lib. 6. cap. 2.

VII.

His ita constitutis, Ioan. de Pineda, qui morbos huius viri doctissimè & accuratissimè est prosecutus, primò grauitatem, deinde & species morborum; atque idcircò, quantum passus sit Iob, demonstrat. Quia enim est magna in rebus naturalibus dæmonis vis, summa malitia, credibilissimum est, insidiatorem illum Iobo morbos ex ratione sua acutos, & qui alijs breui dierũ periodo incidere vitam solent, vt pleuritidem, febres ardentes, anginam, fauciumque phlegmonem immisisse; tum etiam, quos diuturnos appellant, tabem, renum morbum, marcorem, &c. nec solùm apparentiâ magnos, vt vlcus, quod vnum dicebatur, etsi totum corpus occuparet; sed etiam effectu grauissimos, videlicet neruorum, musculorum, aliarumque partium internarum contusionem. Hinc ipse exclamat, se tantis doloribus perferendis non esse parem, *Quæ est enim fortitudo mea, vt sustineam?* Item: *Dies*

Ioan. Pined. in cap. 1. Iob. v. 7. & 8.

Iob. 6. 11.

Iob. 6. 7. *Dies mei consumpti sunt, absq; vlla spe. Desperaui, nequaquam vltrà*
Iob. 16. 21. *iam viuam.* Hippocratis aphorismus est: *In acutis febribus con-*
Hippocrat. 4. aph. 66. & 67. *uulsiones, & circa viscera dolores fortes, malum.* Hinc talia sentiens Iob dixit: *Si manè me quæsieris, non subsistam.* Sequitur & ille Hippocratis aphorismus, *In febribus ex somnis timores & conuulsiones, malum.* Quare rursus Iob: *Terrebis me per somnia,*
Hippocrat. 1. Progn. 5. *& per visiones horrore concuties.* Si medici vultum ægroti considerant, sitné similis bene valentium, potissimùm sui, ita enim optimus judicatur: si verò, quàm maximè contrarius simili sit, horrendissimus, tunc profectò prognosticum hoc pessimum in
Ibid, Prog. 7. Iob fuit, quem facilè est ostendere, faciem Hippocraticam habuisse; adeò enim vultu fuit deformatus, vt amici eum non ampliùs agnouerint. *Deinde cutis circa frontem dura, intenta, arida,*
Iob. 7. 5. *& color totius vultus viridis, aut niger.* Quid Iob ait? *Cutis mea*
Iob. 30. 30. *aruit, & contracta est.* Item: *Cutis mea denigrata est super me.*
Hippocrat. Prog. 10. Exitialis ex oculis nota est, *si sublimes tumidiue oculi sint, aut si per-*
Iob. 16, 17. *uertantur, aut nolentes illachryment.* Quid Iob de se ait? *Facies mea intumuit à fletu, & palpebræ meæ caligauerunt.* His talibus subiungit, enumerat, atque ex ipso Iobo demonstrat, oppugnatum eum fuisse à morbis innumeris; quos omnes prosequi, ad viri quidem laudes, & ad patientiam nostram erudiendam spectaret; sed id nimiò prolixum esset, & possunt omnia, apud Pinedam loco citato, reperiri. Hæc summatim perstricta sufficiunt ad nos armandos, vt si in eamdem arenam deueniamus, vel longo saltem interuallo sequamur, de tanto morborum numero vel vnum patientes, vel si plures, saltem non æquè diutur-
S. Chrysost. hom. 25. ad pop & hom 1. super 1. ad Cor. nos. Quippe D. Chrysostomus, per multos menses putat Iobum his morbis fuisse exagitatum; Origenes, tres annos cum dimidio, in typum Dominicæ prædicationis: Suidas per septem annos. Res incerta est, & vel tres menses in tot malis, septem anni videri potuerunt. Quibus accessêre desideria Iobi ad plura & plura patienda se offerentis. Cùm enim vulneratus & afflictus
Iob. 6. 8. in sterquilinio jaceret, huiuscemodi orationem fudit: *Quis det, vt veniat petitio mea, & quod expecto, tribuat mihi Deus? & qui cœpit, ipse me conterat: soluat manum suam, & succidat me? & hæc sit mihi consolatio, vt affligens me dolore, non parcat: nec ego contradicam sermonibus Sancti.*

Ad

VIII. Ad hoc igitur nunc patientiæ amplissimum theatrum mihi adducendi sunt, quotquot vel in campis vulnerati, mutilati, truncati, attriti; vel domi suæ, aut in publico Valetudinario lectulis affixi; vel in pecorum stabulis in stramen abjecti, dolent, gemiscunt, lamentantur, lepra, cancro, igne sacro, arthritide, vlcere pulmonum, renum dolore, asthmate, febri hectica, marasmo, oculorum, dentium, narium, aurium, capitis malo, aut syncopa, vel palpitatione cordis cruciantur. Hîc, quasi in nundinis omnia prostant consideranda. Omnia hæc passus est Iob, vir simplex, & rectus, & timens DEVM. Quis se talem audet profiteri? Si in viridi ligno hoc factum est, quid mirum, si fiat in arido? Et quidem nos justè patimur; Iob innocens fuit. Vnde à quibusdam doctis Theologis, ob inuictam patientiam, inter martyres numeratur. Aiunt enim, ad martyrium satis esse, vulnera lethalia accepisse, è quibus naturaliter mors sequeretur, nisi miraculum, aut alia quædam peculiaris ratio obstaret. Sicut etiam, ob Virginis Deiparæ Christo compatientis incredibiles dolores, ab Anselmo, Sophronio, Bernardo, Ildefonso, non solùm martyr, sed plus quàm martyr prædicatur. Sanè, si, vt Chrysostomus dixit, *Patientia est, quæ martyres facit*, quæ maior potuit esse, inter tot dolores, patientia? (S. Chrysost. in Psal. 127.) An non difficillimum est, in medijs tam multis & magnis tormentis, quæ ad impatientiam, ad iram, ad DEVM mundi rectorem blasphemandum impellunt, ita se continere, vt nihil indecorum, & inhonestum dicatur? *Hoc facit martyrem*, ait S. Chrysostomus. (Loc. cit.) Qua de caussa Iobum non solùm martyrem appellat ibidem, sed etiam alibi (Idem. hom. 1. in 2. ad Cor. 1.) ait, eum sexcentis martyribus grauiora esse passum, ac per omnia rerum genera eluctatum, per diuitias, per liberos, per corpus, per vxorem, per seruos, per amicos, per hostes, per famem, per insomnia, per fœtorem, palmam obtinuisse. Et ad populum Antiochenum, (Idem. hom. 25. ad pop. Antiochen.) Iobum non cum vno tantùm martyre, sed cum infinitis audet comparare. Quærat iam aliquis, cur DEVS morbos esse permittat? Si per morbos martyres facit, immò, si, per morbos innocentum, nocentes docet morbum suum, tamquam medicinam, patienter tolerare. IX.

Quid ergo per Iobum docet? 1. In vtraque fortuna mundi

Iob. 1. 21. di Gubernatorem esse laudandum ac dicendum: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Pertinet enim ad sapientissimum Vniuersi huius Gubernatorem, per omnes occasiones hominem deducere ad finem præstitutum. Quibusdam ostendit viam laboris ac sudoris. His vires relinquit & sanitatem. Quibusdam ostendit viam liberalitatis & eleemosynarum; his dat opes. Sed quia nec sola, 2. Cor. 12. 9. nec potissima est via hæc, & *virtus in infirmitate perficitur*; ideò alijs, & sæpe illis ipsis aufert opes, vires, sanitatem, vt Conditori suo nō solùm faciendo, sed patiendo quoq; ministrent. Et plerumq; qui ad viā patiendi ambulandam sunt aptiores, eos morbis premit, vt habeant occasionem exercendi virtutes heroicas, Iac. 1. 4. quæ cum *patientia* coniunctæ sunt, quia hæc *opus perfectum habet.* Magnas Iob virtutes exercuit diues, & sanus; sed longè maiores egenus & æger. Itaque & in robusta valetudine Deo seruiamus, & non putemus id satis esse; sed etiam cum Iob, amissa sanitate, dicamus: *Sit nomen Domini benedictum.* Ex vtroqve Cæsar, ascriptum est imagini illius, vna manu librum, altera gladium tenenti. Ita nos necesse est & in sanitate perfici, & vires comparare, ad difficultates etiam in morbis sustinendas. Quotquot enim violenta morte non tolluntur, tandem incidunt in infirmitatem, ad quam subeundam, animo Christiano, necesse est, arma sibi antè comparare. Peritiùs pugnant, in publico, qui se se priùs domi ad palum exercent. Nihili nauta est, qui vult tantùm, ridente Phœbo, numquam in pluuijs nauigare. Qui Iobum imitatur, non ob aliquod lucrum, non ob opes, honores, voluptates, sed æquè in morbis, ac delicijs seruit: immò dolores potiùs ac cruciatus sustinet, vt fidelitatem suam probet. Est enim profectò Devs talis, vt eum amare debeamus, etiam si nos affligat; cùm hoc ipsum faciat ex amore. Et si ex amore non faceret, faceret tamen jure. Hinc illa Demetrij, apud Senecam, vox Senec. lib. de diuin. Prouid. est: *Quid vis à me, ô DEVS immortalis? Vis aliquam mei corporis partem? sume, non magnam rem promitto: citò relinquam totum Vis spiritum? quid ni? nullam moram faciam, quò minùs recipias, quod dedisti, à volente feres, quidquid petieris; maluissem offerre, quàm tradere. Quid opus fuit auferre? accipere potuisti: sed nec nunc*

quidem

quidem auferes; quia nihil eripitur, nisi renitenti; nihil cogor, nihil patior inuitus, non seruio, sed assentio Deo. Immò hæc ipsa est optima seruitus, seruire non inuitum.

2. Docet nos per Iobum DEVS, mirabiles quidem esse X,
Sanctos, qui in prosperitate vitæ ei constanter adhærent; longè tamen mirabiliores, si ne aduersis quidem pressi eum deserant; sed, velut vehementi vento afflati pallium magis stringunt & ad se colligunt, ita & illi, quò magis vexantur, & affliguntur, eò
magis dicant; *mihi adhærere Deo bonum est.* Diffidunt viribus suis, Psal. 72. 28.
nituntur diuinis; quia in eo ipso, quo infirmitates suas fortissimè, nec sine prodigio sustinent, imbecillitates suas agnoscunt, atque ita cum summa virtute summam seruant humilitatem. Quod identidem fecisse Iobum legimus; quem multi eiusdem nobiscum naturæ hominem esse negassent, si non tot humanis miserijs circumscriptum vidissent. Quemadmodum igitur morbi illius naturæ humanæ, ita portentosa patientia auxilio diuino tribuebatur. Nihil ergo nobis metuendum est, ne supra vires nostras patiamur; vel enim in Iobo ostensam maximam diuinæ gratiæ suæ efficacitatem DEVS nobis non negabit. Infirma su-
mus instrumenta, sed *omnia possum in eo, qui me confortat*: ait ille. Phil. 4. 13.
Etiam misero calamo eleganter scribit præstans amanuensis. Diffide instrumento, ad eum respice, qui mouet instrumentum. Iobum intuere, Lazarum considera, non erat ijs caro ænea, eiusdem tecum naturæ fuerunt. Quod in istis potuit diuina gratia, in te potest. Itaq; Iacobus quoq; Apostolus Eliam Prophetam
in feruore & fide orationis imitandum proponens ait: *Elias ho-* Iac. 5. 17.
mo erat similis nobis passibilis, eisdem miserijs & passionibus subie-
ctus, quibus nos: Et sapiens: *Sum & ego*, ait, *mortalis homo similis* Sap. 7. 1. 7.
omnibus, & nihilominus *optaui, & datus est mihi sensus, &c.* Ad eumdem modum, quicumque, quacumque obsidentur inualetudine, Iobi patientiam constantiamque sibi ante oculos ponant: eamdem omnes cum illo habemus naturam, idem pati, paria sentire possumus, & ex parte nonnumquam sentimus; sed possumus eádem quoque virtute superare: quia eiusdem quoque gratiæ sumus capaces, dummodo nos velimus ad eamdem quoque obtinendam animare. Homines sumus, homo fuit & Iob,

Tob. 2, 12. homo fuit & Tobias: *Hanc autem tentationem, ideò permisit Dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & sancti Iob.* Homines sumus, homo fuit Lessius; homo fuit & Lydwina, & quidem sexûs imbecillioris, vt si viris illis nos conferre non audemus, saltem masculum animum in femina imitemur.

XI

Aul. Gellius lib. 12. noct. Attic. cap. 5.

Cur nos non faciamus id in Sanctis, si Ethnici homines à Stoicis suis id disci voluerunt? *Quum Delphos ad Pythia conuentumq; totius fermè Græciæ visendum Philosophus Taurus iret,* ait Gellius, *nosq; ei comites essemus; inq; eo itinere Lebadiam venissemus, quod est oppidum antiquum in terra Bœotia: affertur ibi ad Taurum, amicum eius, quempiam nobilem in Stoica disciplina Philosophum, ægra valetudine oppressum. Tunc omisso itinere, quod alioquin maturandum erat, & relictis vehiculis, pergit eum properè videre, nosq; de more, quem in locum cumq; iret, sequuti sumus, & vbi ad ædes, in quibus ille ægrotus erat, peruenimus, vidimus hominem doloribus cruciatibusq; alui, quod Græci colon dicunt, & febri simul rapida afflictari: gemitusq; ex eo compressos erumpere: spiritusq; & anhelitus e pectore eius euadere, non dolorem magis indicantes, quàm pugnam aduersus dolorem. Pòst deinde cùm Taurus & medicos accersisset, collocutusq; de facienda medela esset, & eum ipsum ad retinendam patientiam testimonio tolerantiæ, quam videbat, perhibito, stabilisset, egressiq; deinde ad vehicula & ad comites rediremus: Vidistis, inquit Taurus, non sanè iucundum spectaculum, sed cognitu tamen vtile, congredientes compugnantesq; Philosophum & dolorem? faciebat vis illa & natura morbi, quod erat suum, distractionem cruciatumq; membrorum; faciebat contrà ratio & natura animi, quod erat æquè suum: perpetiebatur & cohibebat coërcebatq; intra sese violentias effrenati doloris. Nullos eiulatus, nullas complorationes, ne vllas quidem voces indecoras edebat: signa tamen quædam, sicut vidistis, existebant virtutis & corporis de possessione hominis pugnantium.* Et infrà. *Itaque vidistis Philosophum ratione decreti sui nixum, cum petulantia morbi dolorisq; exultantia colluctantem, nihil cedentem, nihil confitentem, neq; vt pleriq; dolentes solent, eiulantem atq; lamentantem, ac miserum sese & infelicem appellantem, sed acres tantùm anhelitus & robustos gemitus edentem, signa atq; indicia non victi neq; oppressi à dolore,*



lore, ſed vincere eum atq; opprimere enitentis. Sed haud ſcio, inquit, an dicat aliquis ipſum illud quod pugnat, quod gemit, ſi malum dolor non eſt, cur neceſſe eſt gemere, & pugnare? Quia enim omnia, quæ non ſunt mala, moleſtia quoq; omni non carent, ſed ſunt pleraq; noxa quidem magna & pernicie priuata, quia non ſunt turpia: contra naturæ tamen manſuetudinem lenitatemq; oppoſita ſunt, & infeſta per obſcuram quamdam & neceſſariam ipſius naturæ conſequentiam. Hæc ergo vir ſapiens tolerare & cunctari poteſt: non omninò ſenſum ſui amittere poteſt: ἀναλγησία enim atq; ἀπάθεια nõ meo tãtùm, inquit, ſed quorumdam etiam ex eadem porticu prudentiorum hominũ, ſicuti Panætij grauis atque docti viri, improbata abjectaq; eſt. Hucuſque Philoſophi progreſſi ſunt, natura duce. Diuina gratia altioris eſt indolis, ad altiora ducit, morboſque docet nobilioribus cauſſis mitigari.

CAPVT XXXIV.

Decima ſexta morborum cauſſa, vt eorum occaſione mens excitetur, ad æterna vel ſupplicia, vel gaudia conſideranda.



1. Nter maximè paradoxa videri poteſt, Nihil morbis eſſe ſalubrius: quid enim ſaluti cum morbis, à quibus ſalus tollitur? Quod ſanè ita eſt, ſi de ſalute corporis agatur. Sin autem de vera æternaque ſalute diſputemus, profectò ita eſt: Nihil morbis ſalubrius reperitur. Per morbos enim & exitia ſumma euitamus, & accendimur ad ſalutem maximam non ſolùm mente expendendam, verùm etiam cum ingenti mentis gaudio expectandam. Duo namque ſunt, quæ hominem à profundo peccatorum extrahunt, vis, magnitudo, atque æternitas ſuppliciorum; itemque immenſitas præmiorum, quæ manet fideliter laborantes. Nemo clariùs poteſt animo comprehendere, quid ſit Infernus, quàm qui dolorem non animo dumtaxat concipit, ſed membris etiam ipſis percipit. Aliud eſt, onera portantes intueri; aliud ſarcinam ipſam humeris impoſitam geſtare. Meditantur multi cum horrore cruciatus, qui ſunt in inferno; ſed vtique maiore id ſenſu faciunt, qui morbos

suos, quos, experiuntur carni suæ infixos, cum cruciatibus illis conferunt. Et cogitet, qui decumbit, quàm graue sit, alligari lecto? cogitet, quàm sæpe immensos dolores renibus, lateribus, cordi ipsi inhærentes persentiscat? cogitet, quoties optet, si nox est, oriri diem; si dies, venire noctem? quàm calidis votis cupiat, morbi periodum transijsse? Et tamen hæc omnia, nihil sunt, si cum futuris comparentur. Quæ tanta morbi vllius potest esse acerbitas, si ad flammæ medullas intimas penetrantis inæstimabilem acerbitatem æstimetur? Sæpe igitur, qui æger, solus, in doloribus cubat, secum reputat: Si hæc pati non possum, quomodo patiar infernum? Si nequeo tolerare febrilem ardorem, quomodo tolerabo gehennam ignis? cùm illud legatur: *Quis poterit* (Isa. 33. 14.) *habitare de vobis, cum igne deuorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Sic ratiocinantur, & peccata detestantur, maluntq; pati per annum, quàm per seculum, qui nôrunt morbis vti peccatores.

II. (Pius lib. 3. Ord. Præd. Anno 1465.) Quæ cogitatio etiam alias animas sanctiores multùm confirmauit. Anno 1465. die 23. Nouembris supremum diem suũ obijt, altissimo ducum Saffoiæ sanguine nata Margaretha, Montfortensis Comitissa. Ad eum diem, ne improuisus esset, prudens femina dudum se se antea parauerat. Nam vt se Deo sacram esse meminisset, D. Dominici habitu tecta incedebat, sæculi pompis ex animo abdicatis. Neque contenta fuit, splendorem mundi muliebris abjecisse, interiorem ornatum vt asciseeret, tenero corpusculo tunicam è cilicio molestam injecit. Dies laboribus sanctis, noctes totas sanctis orationibus impendebat. Ita sollicita Numini seruiebat. Sed addidit ei Devs, nescio quas podagræ pedicas, quæ eam à diuinis seruitijs impedire videbantur. Quare pia femina duo identidem sibi à superis roganda censuit; &, vt preces essent valentiores, non Devm dumtaxat, sed etiam Dei parentem rogauit. Primum erat, incolumitas nepotis sui, postea Cyprorum regis; alterum, vt podagræ cruciatus, apud se, mitigarentur. Decumbebat tunc grauiter nepos illius, & iam ad extrema venerat, cùm illa ipsa nocte, quâ credebatur moriturus, judicio & prognosi medicorum, Cæli Imperatrix Maria, comite S. Catharina Senensi, clara se in luce illi visendam præbens,

his

his eam verbis affata est: *Margaretha, quid optas? tuámne fieri,*
aut DEI potiùs voluntatem? Non longa deliberatione opus erat.
Illico igitur, animo promptissimo respondit: *Vtiq; DEI fieri vo-*
luntatem. Mox igitur Deipara adjecit: *DEI voluntas est, vt ne-*
pos tuus adhuc ad benè moriendum imparatus sanitatem recuperet;
tu autem vsq; ad finem vitæ tuæ podagræ doloribus crucieris. Hac
voce audita, exclamauit Margaretha: *Benedictus DEVS in ӕter-*
num, dummodo DEI in me, & non mea voluntas impleatur. Ne-
mo intra tam breue temporis spatium vel plus docuit, vel plus
didicit. Quoties enim cumque postea in morbi ardore posita
à visitantibus interrogabatur, *quo loco res illius sitæ essent?* respon-
dit, *optimo. Quia voluntas DEI in me completur.* Quod non est
aliud dicere, quàm: *Sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen* Iob. 1, 21.
Domini benedictum.

Sic sentire, sic loqui, qui discunt ægrotantes, proximi sunt III.
perfectioni, omnesque morbi molestias, quas sustinent, æquo
animo exhauriunt; cogitant enim hos corporis dolores, non
diutiùs, quàm vitam istam duraturos; adeoque longè esse tole-
rabiliores, quàm eos, qui impatientes manent, nullumque sunt
finem habituri. Si igitur voluntas Dei est, vt patiamur, nec po-
test voluntas Dei vim pati, nonnè præstat ad tempus tolerare,
quàm tolerare æternùm? Quod ipsum discimus, dum, quod ad
tempus toleramus, tam grauiter sentimus: quid enim sentire-
mus, si sciremus & videremus, sine fine, sine termino sentien-
dum? At quidquid hîc patimur; si volentes patimur, ad tempus
dumtaxat patimur. Quia in vita beatorum nihil est eorum, quæ
in his terris molestiam miseriamque pariunt. Siquidem *absterget* Apoc. 21. 4.
DEVS omnem lachrymam ab oculis eorum: & mors vltrà non erit,
neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit vltrà: quia prima abierunt.
Multa sunt in hac vita lachrymis deflenda, labor, dolor, morbi,
variæ calamitates; sed per has monemur, vt futuras ærumnas
magis æstimemus, vbi erit fletus & stridor dentium; earumque
loco aspiremus ad illam vitam, in qua omnes lachrymæ cessa-
bunt, quia & caussæ illarum aberunt, non enim ibi erunt pec-
cata, non persecutores, non morbi, non dolores, non tristi-
tiæ, non anxietates; quæ omnia extra cælum manebunt, in quod
nihil

nihil ingredi potest, quod statum illum felicitatis turbet. His talibus cogitationibus consolatur se ægrotus, præsentes dolores omnes libenter contemnens, vt effugere possit eos, quorum magnitudinem colligit ex istis, quos sentit.

IV. Accedit huc, quòd præter magnitudinem dolorum, quæ exigui temporis patientiâ redimitur, etiam ipsius patientiæ corona immensitasque præmiorum animum subeat ægrotantis, mirificeque extimulet ad fortiter patiendum. Quicumque enim apud se statuit, nunc esse tempus serendi, messem sibi valde vberem proponit; cuius spe nihil curat omnem serendi laborem. Quamcumque enim sint diuturni morbi, breues videntur cum æternitate comparati. Ita ratiocinatus est Apostolus. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Id enim, quod in præsenti, est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Hinc perspicuum est, si cui sui labores, morbi, molestiæ nimis magnæ prolixeque videantur, id inde fieri, quòd non vnà, vt par est, præmiorum immensitatem expendat: si enim cum breuitate huius vitæ beatitudinis æternitatem æstimaret, tantò minoris faceret laborem, quantò pluris æstimaret mercedem. Siquidem *momentaneum & leue tribulationis nostræ supra modum, in sublimitate, æternum gloriæ pondus absorbet.* Itaq; sicut scintilla ignis incidens in Oceanum illico extinguitur, nec comparatione digna putatur; ita, *quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ*, nihil est, & nihili faciendum, si speretur *in æternum gloriæ pondus* esse commutandum.

Rom. 8. 18.

2. Cor. 4. 17.

V. Neque generatim dumtaxat tribulatio cum gloria est pensitanda, sed singulæ quoque *passiones huius temporis*, cum singulis momentis gloriæ conferendæ sunt, vt quantumuis magnæ huius temporis passiones, ad futuram gloriam non condignæ videantur. Faciet ad rem, quod Ferrarius refert, Anno 1253. contigisse. In Hetruriæ quodam vico S. Geminiani nata erat quædam insignis puella Fina, in quam omnes gratiæ videbantur confluxisse, quas vel terra solet, vel cælum hominibus suppeditare. In ea erant bonæ corporis vires, frontis honor, oris decor. Sed longè maiores animi dotes. In paterna domo, haud aliter vixit, quàm

Ferrar. 12. Martij.

quàm si in Cœnobio, inter Virgines Deo sacratas, degeret. Corpus jeiunijs extenuabat; vigilijs debilitabat, cilicijs coërcebat. Quod orationi superfuerat, tempus omne manuum labori tribuebat. Denique, ne in virgine solitudinis amorem desiderares, numquam pedem extra limen ædium paternarum extulit, nisi quando templum erat adeundum. Hæc tam pretiosa gemma in priuatis tectis latitauit. Sed quid Deum latet? qui præsertim humilia respicit. Gemmam vidit, sed ad summum nitorem expoliendam. Vt igitur videas, non eadem Deo & mundo placere, valetudinem illius strauit; pulchritudinem vastauit; ex sanissima ægerrimam fecit; lectoque ita affixit, vt se se de latere in latus vertere non posset. Quamquam, quid dico, lecto? Etiam sic misera à plumis abhorruit; &, exemplo Christi sponsi sui, duræ trabi incumbentis, in assere nudo iacuit. Huius ligneæ tabulæ asperitas in caussa fuit, vt caro illius castissima passim computresceret, à scatentibus inde vermibus in profundas lacunas exesa; quas ipsi etiam mures arrodendo faciebant ampliores. Sic sponsæ suæ corpus ornauit Christus, animæ autem quod decus addidit? In hoc tam misero corpore anima non solùm patiens, sed etiam quieta, immò & hilaris, & in paupertate sua exultabunda habitauit. In hunc modum diu cum doloribus pugnanti, tandem D. Gregorius (quem inter præcipuos Patronos colebat) se visendum præbuit, significauitque, octo tantùm adhuc certaminis illi dies restare, inde victoriam, & triumphos æternos secuturos. Ita euenit. Et planè apparuit, *non esse condignas passiones huius temporis ad futuram gloriam,* quæ reuelatur in patientibus. Demortuæ Finæ corpusculum sanguine & vlceribus contabefactum ita tabulæ ligneæ accreuerat, vt vix vi inde reuelli posset. Ibi autem omnia in contrarium mutari cœperunt. Tabificum corpus, quod antea viuum teterrimum à se odorem exhalauerat, jam Elysium quiddam spirabat; quasi vernarum rosarum fragrantia sentiretur. Mortem illius promulgarunt, & celebrarunt æra Campana in turribus, nemine mouente, sonantia. Dum ad sepulchrum ferretur, cadauer tam diu priùs ægrotæ, sublato in altum brachio, nutricem preces inibi fundentem ab incurabili morbo persanauit. Ad sepulchrum porrò illius

omnis generis morbi curati sunt; dæmones è corporibus hominum eiecti; defunctus puer ad vitam reuocatus, vt gloria, ad quam Fina per morbos iuit, in eadem alijs quoque reuelaretur.

VI. Sed quo modo mortalibus gloria illa, nisi per speculum, reuelaretur? Nimis circumscripta est humana ratio, non capit immensitatem. *Æternum gloriæ pondus*, nullo pondere temporali expendi potest. Quare morbis salubriter vtentes solantur se se, dum sperant *mensuram bonam, & confertam, coagitatam, & supereffluentem*. Ac ne quis putet, posse esse *mensuram bonam, confertam, & coagitatam, & supereffluentem*, sed paruam, sciat illam mensuram esse sine mensura, quam Apostolus *gloriam supra modum* appellat, vt intelligatur incredibilis eius magnitudo, quæ omnem naturæ nostræ modum excedit. In hac mensura est innumerabilis omnium bonorum numerus & varietas, quam vel cogitare quis, vel optare possit: nec tanta in hac vita occurrit morborum diuersitas, quæ infestare corpus valeat, quanta ibi voluptatum varietas. Ad numerum hunc accedit pondus pretiumque ingens, cum quo nihil potest in toto mundo comparari. Itaque in hac mensura bona & conferta inueniuntur virtutes, & scientiæ, & diuitiæ, & honores, & dignitates, ac omnis generis bona, vel ad corpus, vel ad spiritum pertinentia, eaque longè maiora, quàm à vanis mortalibus desiderantur. Denique ita erit illa mensura coagitata, vt voluntatem beati satiet, nihilque ei omninò desit. Quamquam & hoc ipsum totum, quantum quantum est, adhuc modicum est: neque sufficit ad mensuram implendam, nisi ipse quoque Devs illam impleat cum omni sua sapientia, omnipotentia, bonitate, charitate, pulchritudine, & omnibus thesauris suis; quibus & in intellectu plenissimè illuminato visionem mirificam, & in voluntate, tota charitatis igne inflammata, lætitiam indesinentem efficiat. Est quidem Devs vnicus, omnem tamen bonorum, quæ in creaturis omnibus dispersa sunt, numerum complectitur, & infinities excedit. Pondus quoque inest huic bonorum omnium Oceano, quia immensitas illa thesaurorum valorem continet infinitum. Est autem hæc ipsa thesaurorum immensitas, diciturque mensura; quia omnium se se meritis accommodat. Igitur etsi sic vni-

Luc. 6. 38.

cus

cus Devs, tamen alios plus, alios minus sui participes facit; VII.
nullum tamen non satiat.

Ad hanc mensuram perducit morbus: in quo, si aliud nullum est solatium, est solatium tamen ista obtinendæ mēsuræ meditatio. Quid turbaris, ægrote, si in corpore tuo cruciatus sunt multi? plura gaudia te expectant in cælo; plura tormenta euitabis in inferno. Quid tristaris, ægrote? magni sunt in corpore tuo cruciatus? plures, atque incomparabiliter maiores tibi sunt in cælo paratæ voluptates. Quid quereris, ægrote? Nimis diu durat morbus? Durabit infernus diutiùs; durabit diutiùs cælestis beatitudo. Et, si rem rectè æstimes, nulla duratio cadit in comparationem cum æternitate. Quid gemis, quid ploras, ægrote? est tibi malè, vt sit benè; cur mauis bene esse, vt sit malè? ægrotas, doles, sudas, premeris. *Voluntas Dei in te completur.* Nunc tempus est, de quo dicitur: *Euntes ibant & flebant,* Psal. 125. 6.
mittentes semina sua: aderit paulò pòst tempus, de quo dicitur: *Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Nunc tempus flendi, tunc gaudendi erit. *Et absterget Deus om-* Apoc. 21. 4.
nem lachrymam ab oculis eorum. Nunc premimur, sed *non sunt* Rom. 8. 18.
condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam. Momentum est, quod nunc est; quod futurum est, æternum est. Et tamen
id, quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ su- 2. Cor. 4. 17.
pra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Quisquis igitur ægrotas, illa tibi in pariete describi verba cura,
quæ identidem legens, putes te à Domino tuo audire: *Ad pun-* Isa. 54. 7.
ctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui.

Hoc fundamento nixus quidam senex discipulo suo dixit. VIII.
Si te occupauerit infirmitas corporis, noli pusillanimis fieri: quia si te Rosvveid. l. 5.
Dominus Deus vult corpore debilem fieri, quis es qui moleste suscipias? vit SS PP. libell. 7. c. 45.
Nonnè ipse pro te cogitat de omnibus? Numquid sine ipso viuis? Patienter ergo fer, & roga eum vt donet tibi quæ expediunt, hoc est, vt quod voluntas ipsius est, facias & sede cum patientia manducans, quod habes in charitate. Quod idcirco addit, quia etsi aliqui morbi dolores æquanimiter perferant, tamen aliunde tentantur,

quia putant se ægros meliùs tractandos. Quod etsi est, tamen ad alios pertinet, quibus est cura ægrorum demandata. Qui si vel officio suo, vel charitati desunt, ob nimiam aut parcitatem, aut inhumanitatem; tunc ægro pugnandum est, *vt sedeat cum patientia manducans, quod habet in charitate.* Non putet id ex odio sui fieri, non ascribat sordibus amicorum, non iudicet inhumanitatem, ne reliquum patientiæ meritum perdat; sed existimet, etiam hoc ex DEI voluntate fieri, ad expianda illius peccata; ad augendam gloriam; ad alias, in cælo voluptates parandas. Fingat sibi identidem insusurrari illud: *Ad punctum, in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui.* Non tantùm tolerabilis, sed etiam optabilis conditio est, *ad punctum, & in modico derelinqui*, vt *misericordia sempiterna* fruamur. Atque hoc remedio vtendum est, quando infirmo à tentatore suggeritur, vt in solatium recreationes & corporis commoditates quærat, & ea procuret, quæ sensum mulcent, irascaturque, ac perturbetur, quando aliquid illi deest, quod desiderat, *murmurando*, vt ait Hugo de S. Victore, *de morbi grauitate, de medicamentorum acerbitate, de insipiditate ciborum, de infirmariorum & medicorum incuria.* Et in singulis horum quatuor, plures inuenit occasiones conquerendi, & impatienter ea ferendi. Quibus admiscentur multæ suspiciones, & iudicia temeraria: quæ eius anxietates, melancholias, & iras augent, in eos, qui ipsius curam gerunt: & exaggerat, si qui sunt defectus. Alios verò mille, qui verè non sunt, confingit, & molestias, & difficultates, quas patitur, mirum in modum exaggerat. Hæc omnia abstergit futurorum vel suppliciorum, vel præmiorum meditatio, si tibi dici à DEO putes: *Ad punctũ, in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te; & in misericordia sempiterna misertus sum tui.*

Isa. 54. 7.

Hugo de S. Victore lib. 1. de claustro animæ c. 32.



CAPVT

CAPVT XXXV.

Ægrotos alijs quoque præbere occasionem patientiæ & charitatis exercendæ, quæ est decima septima morborum caussa.

I. MOrborum, alij quidam contagiosi sunt, quidam salutares. Contagiosos esse & palabundos ac fluentes, nemo ignorat: salutares, nemo somniat. Et sunt tamen multis multi, etiam aliorum morbi salutares; rarò quidem, si corpus aspicias, nisi quòd illud ab alijs ægris occupetur, atque inde vitæ sustentandæ lucrum reportet: animæ tamen ægrotis seruientium morbi plerumque prosunt. Quippe ni hoc charitati faciat DEVS, cùm ægrotis ipsis multa indulgeat Mundus? Dolet cum dolentibus. Visitat frequentiùs. Assidet lecto. Alloquitur amiciùs. Iuuat auxilijs, consolatur verbis. Sed lex quoque extat, apud Gellium: *Si in jus vocato morbus auitasue vitium esit: qui in jus vocaßit, iumentum dato.* Et alia, apud Vlpianum etiam: *Si judex, vel alter ex litigatoribus, morbo sontico impediatur, dies judicij differsus esto.* Sextus Cæcilius, apud Gellium, putat, Decemuiros morbum sonticum appellasse, morbum vehementiorem; & apud Festum Ælius Stilo ait, Morbum sonticum in XII. Tabulis significare certum, cum justa caussa, qui scilicet vim grauiter nocendi habeat: sontes enim & nocentes idem sunt. Itaque nocentes morbi, hoc est, *sontici*, profuerunt ab actione judicij excusantes. Habent sua priuilegia & solatia ægroti; cur sua mercede careant, qui seruiunt ægrotis? Neque loquor iam de mercede pecuniaria. Maius est, habent exempla & exercitia patientiæ; habent meritum charitatis.

A. Gellius lib 20. cap. 1.
Vlpian. lib. 1. Pandect.

II. Quamquam etiam morbi multi in alios contagium spargunt impatientiæ; qui, cum vxore Iobi, ægrotis insultant, nec secus queruntur, ac si ipsi ægrotarent. Itaque repetunt illud ex Græcis: *Quod in diuturnioribus malis vsu venit, in ore habent: Quam diu hic non moritur? Quid pondus graue atque inutile hæret terris? Etiam nunc hîc Tartarus viuit?* Expertus est id Dauid cùm ægrotaret, & expressit his verbis: *Inimici mei dixerunt mala mihi:* Psal 40. 5.

Quando morietur, & peribit nomen eius? Et si ingrediebatur, vt videret (si veniret, vt visitaret, ait S. Hieronymus) *vana loquebatur*, mentiens, quasi salus mea illi in votis esset, *cor eius congregauit iniquitatem sibi: egrediebatur foras, & loquebatur in idipsum.* Quid quòd apertè, & in faciem infirmi, quidam non erubescunt impatientias suas expuere? *Et quàm diu*, inquiunt, *ægrotabis? quàm longinquus denique erit morbus iste? vel conualesce, vel morere. Quoties tibi vigilandum? quoties noctu surgendum? quanta in medicos, quanta in medicinas impendenda? Tota domus tecum occupatur. Et quando tandem hac nos molestia liberabis? quando è lecto surges?* Et audiuntur, in nosocomijs, ipsi Præfecti ægrotantium,
Plaut. Rud. 2. 6. v. 25. qui dicant: *Quando locum alij dabis? Pulmoneum edepol nimis velim vomitum vomas*: Itemque, *in anginam ego nunc me velim verti, vt*
Idem Most. 1. 3. v. 11. *venefica illi Fauces prehendam, & enecem.* Ita cogitant, ita loquuntur non pauci, immemores condicionis suæ. Si enim & se senio, aut ægritudine aliquando alijs fore odiosos cogitarent,
Luc. 16, 20. parciùs vtique eiuscemodi cauillas seminarent; neque Lazarum, ante fores, jacentem destituerent, aut canibus curandum linctuque fouendum relinquerent. Altè in cælum ascendens vox est, si æger clamat: *Domine, hominem non habeo.* Totos dies, totas noctes in febribus jaceo, æstuo, sitio, deficio: non est, qui me visat; non est, qui me, in lecto, vertat; non est, qui mihi, de mensa sua, micam tribuat; aut mittat, quod vel canibus è patina
Matth. 25. 36. offert elambendum. Talibus non dicet Christus: *Infirmus eram, & visitastis me*; sed: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius; esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non operuistis me: infirmus & in carcere, & non visitastis me.*

III. Alijs ergo morbi aliorum sunt salutares, quando in charitatis ac patientiæ illis sunt occasionem. Sic Ioas Israëlitarum rex Eliséum Prophetam ægrotum visitauit. Sic ille vel ex regio
Ioan. 4. 46. Matth. 8. 5. genere, vel quòd regiam dignitatem gerebat, dictus *Regulus, cuius filius infirmabatur*, filij caussa; & Centurio, serui caussa; ille per se, iste per alios, nempe per *seniores Iudæorum* (vt Lucam cum
S. Augustin. lib. 2. cap. 20. Matthæo conciliat S. Augustinus) Christum adiuit. Illum ergo

filij,

filij, hunc serui morbus, ad prouocandam illis sanitatem excita- de consens. Euang.
uit. Qualis charitas etiam fuit eorum, qui ad Christum *venerunt* Marc. 2. 4.
ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur. Et cùm non possent offerre eum illi, præ turba, nudauerunt tectum, vbi erat: & patefacientes submiserunt grabatum, in quo paralyticus iacebat. Magnus labor, magna fides, magna charitas. Sed supra hos omnes eminet Samaritanus, cuius misericordia in ruborem dedit, non Leuitam solùm ac Sacerdotem illum Iudaicum, sed multos etiam Christianos Clericos & Religiosos, qui violenta dissimulatione multos prætereunt, quibus opem ferre oporteret, aut suppeditare consolationem. Inciderat homo, *in latrones, qui etiam despoliauerunt eum: &, plagis impositis, abierunt, semiuiuo relicto. Accidit autem, vt sacerdos quidam descenderet, eádem via: &, viso illo, præteriuit. Similiter & Leuita, cùm esset secus locum, & videret eum, pertransijt. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum: & videns eum misericordia motus est. Et appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum: & imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit. Et altera die, protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe, & quodcumque supererogaueris, ego, cùm rediero, reddam tibi.* Pudendum est, multos Samaritanos, multos Ethnicos & Barbaros sæpe magis tangi miseratione sauciorum, quàm Christianos. O quoties, finito prœlio, fugatoque hoste, semiuiui milites sparsim in sanguine suo, atque inter truncata cadauera iacentes, opem auxiliumque postulant; sed prætereuntur ab illis, qui prædæ inhiant, & nihili faciunt lucrum animarum, aut meritum charitatis! quasi officium militis esset, spolia legere, negligere charitatem.

Luc. 10. 33.

IV.

Non sic Deipara, magna illa misericordiæ Mater, quæ, vbi intellexit, Elisabeth cognatam suam vterum gestare, *exurgens abijt in montana cum festinatione, in ciuitatem Iuda: & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth.* In quæ verba D. Ambrosius ait: *Discite & vos sanctæ mulieres sedulitatem, quam prægnantibus debeatis exhibere cognatis.* Et faciunt feminæ honestiores, quæ multis solent vel vicinis, vel cognatis, vel familiaritate iunctis partu laborantibus, aut graui morbo periclitantibus suppetias

Luc. 1. 39.

S. Ambros. lib. 2. in Lucam.

petias ferre. Quædam inter delicias ponunt, posse succurrere calamitosis; posse aliquid obsonij submittere; posse lauare sordidos; pectore horripilantes; qnod de Radegunda, quod de Verena legimus, & magna illa Anastasia. Brigida abbatissa, minorem se ijs, quibus præerat, exhibebat. Quasdam in monasterio longa inualetudine oppressas, vt saltem squallore leuarentur, lauari jusserat: sed ancillis, sororibusque ceteris cunctantibus, protinus ipsa accedens lauit, tantumque humilitas Abbatissæ valuit, vt illæ lotæ è vestigio sanarentur. Tres erant, diuersis infirmitatibus laborantes, paralytica, dæmoniaca, leprosa. Magnum miraculum fuit, tales languores curasse; sed non minùs mira extitit humilitas, sic affectas lauisse. Ita Marulus. Qui etiam illud addit: Elisabeth regis Pannonum filia, & Ludouici Landgrauij Thuringiæ Principis conjux, mendicum, infirmum, squallidum, olidum, suo recipere sinu, suisque manibus crinem illius pectere, tondere, caput lauare, totum corpus, quantum licuit, à pedore sordibusque vindicare non erubuit. Multos præterea eiusdem sortis pauperes visitare, benignè consolari, ad patientiam exhortari, cibos porrigere, potum propinare, modis omnibus opem ferre, & vlceratorum plagas contrectare, tegere, linire, circumligare; &, si quando fasciæ deficerent, sui capitis velamento inuoluere. Defuncto marito, cùm multorum pauperum capax construxisset habitaculum, semet illis in ministerium dedit. Ibi puerum quemdam ventris profluuio laborantem, ipsa in suis vlnis, ad exonerandam aluum, etiam noctu consurgens, pluries portauit. Ibidem mulieris leprosæ curam habens omnia illi libenter præstitit, officioseque ministrauit, quæ ipsa per infirmitatem non poterat. Post hæc non est passa se ab ancillis vocari dominam, sed sororem; & eis aliquo de industria emissis, ipsorum interim munus vsurpabat, vasa lauando, coquinam parando, pauimenta verrendo, vtensilia suis disponendo locis, ceteraque diligentiùs exequendo: ancillis etiam se humiliorem fecerat. Numquam ad tantam humilitatem descendisset, nisi priùs ardentissimæ charitatis feruore medullitus incaluisset. Nihil quippe tam paruum, aut tam vile est, vt id se ducat indignum, qui perfectè diligit. Huc vsque Marulus. Illu-

Marul. lib. 1, cap. 5.

stre

ſtre illud eſt de Alphonſo Aragonio Siculorum rege, qui apud Iuliani templum, juxta Neapolim, militem grauiter in prœlio vulneratum videns, ſuo ſudario vulnus eius obligauit. Cùm verò nullam ſpem vitæ præſentis haberet, ad beatam, & immortalem hortatus eſt: mortuumque ſepeliri diligentiſſimè curauit. Sed, ne noſtro æuo deeſſe exempla videantur, veniam ad recentiora. Panormit. lib. 3. de reb. geſtis Alphonſi.

V. Maria Victoria, vidua facta, charitate ardens, occaſionem quærebet charitatem exercendi. Et inuenit domi foriſque. Audierat aliquando miſerabilem, è vicina domo, eiulatum; ad quem, relictis alijs rebus omnibus, aduolans intellexit, eſſe eum eiulatum mulieris, in partu, periclitantis, quæ iam complures dies fœtum non poterat eniti, hoc ipſo pro mortuo habitum. Iubet laborantem paululùm à conatu quieſcere Victoria. Interea ipſa in lipſanothecam, in qua S. Crucis particula continebatur, inclinata, Devm pro periclitante orat; nec diu factum eſt, cùm, illâ preces fundente, puerpera partum fudit, puerum & crucis virtuti, & Victoriæ aſcriptum pietati: quæ poſtea multis difficulter parientibus, eamdem S. Crucis particulam mittere rogata, apud pléraſque crucem cruce pepulit. Ferdinand. Meltio lib. 1. vitæ illius cap. 5.

VI. Sed vt de ægrotis bene merendi occaſionem etiam domi ſuæ haberet, amiſſo per mortem marito, filius quoque illius cœpit ægrotare, & quidem per quatuor aut quinque continuos annos, donec viuere ſimul, & ægrotare deſineret. Quo in morbo, plus quàm matrem ſe oſtendit. Omnia enim abjectiſſima non dedignata eſt ei præſtare; neque paſſa eſt vllam ancillarum fomentum aut emplaſtrum ei imponere. Multùm feciſſet alia mater, ſi tam diutino gnati morbo non fuiſſet fatigata, aut in impatientiam data. Hæc etiam gauiſa eſt exercitio patiendi. Quamobrem, eo defuncto, non tam luxit, quòd filium Angelicæ propè innocentiæ parem, ſed quòd ægrum amiſiſſet, cui ſeruiendo ipſa meritum cæleſte potuiſſet ſibi præmiumque locupletare. Morbum enim illius, lucri ſui ſpiritualis agrum eſſe arbitrabatur. Cuius virtutis anſam illi etiam mater illius præbuit, ſed precipuè quoque ſociarum omnium chariſſima *Petronilla du Paſſage*, quæ, longo tempore Devm orauerat, vt graui morbo, in

in hac vita, Purgatorij sui pœnas pensare posset. Beneficij enim loco, posuit, ægrotare, & huius vitæ cruciatu luere, quod in alteram vitam dilatum longè sciuit caussam esse suppliciorum acerbiorum. Exaudita est; & ad Iobi imitationem, vlcere pessimo percussa. Et quamquam vlcus illud vnicum erat, tamen grauissimum fuit, quippe quod ori insederat. Quam ob caussam non solùm summa erat illi cibi sumendi difficultas, sed etiam nō sine magno dolore loquebatur. Et quàm molestè illi acciderit ea plaga, vel inde intelligi potest, quòd ijs, qui cum ea sermocinabantur, nauseam vomitumque mouerit. Durauit hęc crux vsque ad mortem Petronillæ, quæ eam ęquissimo semper animo tulit. Patientię & coronę indicium fuit, quòd grauissima illa oris mephitis, post mortem, in suauissimum illico, ac velut Elysium odorem fragrantiamque fuerit commutata. Hunc Petronillę morbum atque hanc intolerabilem alijs camerinam Victoria arripuit in vsuram charitatis & tolerantię prouentum. Nam vsque ad extremum spiritum illi adfuit, dies noctesque inaudito patientiæ ac perseuerantiæ exemplo verbis eam, consilijs, & seruitijs consolans. A qua meritò discunt filiæ parentibus; filijs parentes; subditis superiores, & sani ægris succurrere. Siquidem si nulla alia esset morborum caussa, hæc sufficeret, vt mortalibus caussa patiendi & succurrendi suppeditetur. Ideò alijs ęgrotantibus, alij valent, vt inualidis exhibeant charitatem; faciantq́, quod sibi fieri vellent, si ipsi decumberent; aut quod fieri volent, cùm decumbent.

VII. Quidam, in hospitali domo, aut Valetudinarijs, exiguæ pecuniolæ caussa, non horrent fœdissimo morbo laborantibus ministrare. Longè maius lucrum in cælo repositum est ijs, qui sola charitate tracti astare ægrotis, eisque inseruire non detrectant. Quamquam idipsum magni ab ijs faciendum est, quòd in ægrotis ipsi Christo seruiant, qui sæpius ægroti forma se se misericordibus obtulit. De Martyrio D. Gregorius narrat, eum signo crucis panem fecisse crepantem; alij memorant, eum leprosum humeris susceptum ad cœnobium apportasse; iamque non procul distantem clamasse: *Accurrite citò, fratres mei, & portas reserate: frater enim Martyrius Christum Dominum vobis apportat.*

S. Gregor. lib. 1. cap. 11. dialog.

portat.

portat. Hæc cùm dixisset vocaliter, respondit leprosus: *Martyri, quia me non erubuisti, in terris, neque ego te, in cælis, erubescam.* Et cum dicto euanuit, non leprosum se, sed ipsum fuisse Christum significans. Nempe quidquid ægrotis fit, amore Christi, Christo fit olim dicturo: *Infirmus eram, & visitastis me.* Consimili euentu, dissimili exordio S. Iulianus leproso sese præbuit hospitalem, cuius historia cum sit mirabilis authoritate est firmanda. Sed, ante omnia, euertenda est eorum opinio, qui suarum virium modulo omnia metientes, quidquid audiunt mirabile, fictum esse atque fabulosum arbitrantur; quasi diuinæ sapientiæ thesaurus, non altiora consilia & rationes habeat, quàm humana simplicitas assequi possit; aut quasi non soleat esse *mirabilis Deus in Sanctis suis*, quibus non rarò extraordinarijs modis conciliat authoritatem, eaque ipsa re prouidentiæ suæ arcana mortalibus manifestat. Eiuscemodi criticorum nimis sapere volentium incredulitate insuper habita, cum sancto rege dicam: *Narrabo omnia mirabilia tua.* Neque altera me, quæ potest afferri, obiectio deterret, *Narrari scilicet, quod relaturus sum, in Gestis Romanorum, libro vtique fabuloso.* Nam etsi inibi narretur, narratur tamen etiam alibi: haberem pro fabula, si inibi solùm narraretur, sed fidem illi facit alius & nominatus & eruditus author. Mos vetus est, vt fabulis historiæ misceantur: neque omnia, quæ à fabulosis scribuntur, sunt fabulosa. Alioqui ne Roma quidem esset, quandoquidem ea sæpius à Marone alijsque Poëtis decantatur. Narrandam igitur historiam in hunc ferè modum refert idoneus Author.

Matth. 25. 36.

Psal. 67. 36.

Psal. 9. 2.

Petrus in Catalogo lib. 3. cap. 56.

VIII.

S. Iulianus cognomento *Hospes*, venatione in abdita siluę abductus, ceruum sequebatur, à quo cùm iam non procul abesset, eum sagitta icturus; conuertit se se repentè fera, atque inusitato prodigio, instar asinę Balaam, loqui cœpit, eique parricidiũ prędixit. Quippe disertis verbis significauit, fore, vt parentes aliquando ipse suos perimeret. Perculit insolita vox iuuenem, & criminis magnitudo; quod vt vitaret, fugit, patriamque vltroneus exul deseruit. Sed non poterat diu indoles latere. In Principis cuiusdam aula ita se aduena probauit, vt in militiam cum authoritate missus, mox etiam in belli ducem promoueretur,

tur. Quo in munere ita se gessit, vt hostem arte, Principem suum virtute caperet, à quo multis opibus auctus, prędiuitem viduam in coniugem duxit, cuius etiam in splendidè structa arce habitauit. Interea soliciti eum parentes, omnibus in terris quęsiuerunt; & cùm neque litterę, neque nuntij aliquid efficerent, ipsi varias terras peragrarunt, vt amissum charissimum filium reperirent. Non quiescit amor, donec amato potiatur. Quod & his parentibus contigit. Siquidem non destiterunt ab itinere, donec ad suprà dictam arcem peruenirent. Mirabilis ibi lętitia inuenientium fuit, & grande gaudium matrisfamilias. Nam nurus sola domi fuerat, marito ad alium locum, ex negotio, profecto. Excepit ergo gratissimos hospites bona nurus mensâ, quàm potuit, lautissimâ, &, vt nihil honoris omitteret, in suo suique mariti lecto ambos collocauit. O quàm mirabiles in terris casus eueniunt? quanti sæpè è summis lætitijs luctus existunt? Paulò diutiùs in posterum diem quiescebant fatigati ex via parentes; quibus dormientibus, nurus se tantò maturiùs è lecto proripiebat, itabatque ad templum, Numini pro tam optatorum hospitum aduentu gratias relatura. Ea domo egressa, atque in templo versante maritus eius, prima luce, domum reuersus, rectà cubiculum adijt, coniugem salutaturus. Et ecce, inexpectata res se illi offert, reperit in suo lecto, duos cubantes. Quid aliud suspicaretur, quàm se vxorem in adulterio deprehendisse? Zelo excandescit, & cum animo manus fertur in vindictam. Stringit ferrum, &, tamquam si nouus Phinees esset, vtrumque momento cónfodit, finitque in sanguine & lecto volutari. Neque vltrà inspiciens, quem peremerit, quasi egregio facinore perpetrato, è domo in publicum prouolat, omnibus injuriam vxoris & vindictam suam prædicaturus. Numquam apparuit magis, quantis erroribus temeraria consilia exponantur. Vix pedem extra ædes posuerat, cùm ei, audito absolutoque Missæ sacrificio, redux vxor obuiam venit, quam existimauerat, à se interfectam in toro jacere. Expalluit eius intuitu, & adhuc distantiorem, sciendi auiditate, clamosiùs, quàm tales in publico decebat, interrogauit: Ecquisnam igitur, domi in thalamo suo, cubaret? Cui illa, lætanti voce & gestu, indicauit, parentes illius

illius peregrè aduenisse, quos censuerit, eo honore afficiendos, vt ipsis & lectum cederet. Fulmine percussum dixisses heroici alioquin animi virum, ita ad vxoris responsum fuit externatus: atque è vestigio domum recurrens, reperit parentes suos à semetipso cæsos è vulnere iam expirasse, quos tamen vel in emortuis vultibus agnouit. Explicari non potest, quanto dolore, tam tristem casum luxerit, quot gemitus ad cælum effuderit; quantis lachrymarum nimbis parricidium suum deplorârit, erroremque sit detestatus. Nempe hoc erat cerui loquentis vaticinium? inquiebat. Immò non vaticinium, sed admonitio erat, vt cauerem? Hac caussa fugi, sed non effugi. Vt fugerem, monuit per ceruum DEVS; vt non effugerem, juuenilis impetus fecit. Ite juuenes, ite zelotypi;&, meo exemplo, quidquid subitus furor dictat, præcipitate. Hic fructus est iram in promptu habentium. Hoc temerariæ suspicionis emolumentum. Vno facto tres vulneraui. Nam & innocentiam vxoris atroci judicio temeraui; damnaui enim non quod illa fecit, sed quod calumnians animus meus illi imposuit. Itaque cùm coniugem vellem plectere innocentem, per latera parentum meorum, furiosa manu, gladium trajeci, vt illis vitam adimerem, à quibus vitam accepi. Iacent illi, hoc habent; quod non meruerunt. tantò inexpectatiùs, quantò cupidiùs vires à via lassas quiescendo restaurare, non amittere voluerunt. Ita ergo ego parentum meorum factus sum carnifex. ita illis vitam ademi, à quibus accepi. O infelix mater, quæ in vtero tuo latronem tuum portauisti! ideò lacte tuo me aluisti, vt tandem & sanguinem tuum haurirem! O calamitose pater, qui non filium tibi, tot ac tantis sumptibus, sed carnificem educasti! Nempe hoc sperare possunt miseri parentes, vt tandem à prole sua crudeliter interficiantur, postquam omnia beneficia in eos cumulauerunt! Sed ô me omnium ærumnosissimum, quia scelestissimum, cùm ego eiuscemodi proles sim, non Æneæ, sed Neroni comparanda, immò præferenda. Quippe qui patrem interemi, & matrem necaui; & quidem patrem matremque mei tam amantem. Quantus enim amor, deserta domo, relicta patria, ire per ignotas regiones, & amissum filium quærere? Quæsiuistis, ô charissimi parentes, filium, repe-

ristis sicarium; qui nō hospitio, sed gladio vos excepit. Diomedis hæc hospitalitas. Ad Caucasum, non ad filium venistis. Verum est, ignorantia interuenit; nec enim sciebam vos meos esse parentes. Sed quis me excusabit parentes non agnoscentem? Non occidissem, si præceps non fuissem. Priùs judicio, quàm ferro peccaui. Discite hîc, ô mortales, auribus non credere, si etiam oculi decipi possunt. Vidisse me putaui; & homicida, (quid dico?) parricida factus sum. Discite, ô viri, discite, mulieres, judicium non præcipitare. Falli potestis, non audiendo tantùm, sed etiam videndo. Multos oculi frustrati sunt, qui se Argos esse existimauerunt. Hæc talia, vbi apud se deplorauit, ita in pœnam exarsit. Me verò parricidij duplicis reum, quibus supplicijs puniam? Merui ensem, merui ignem. Sed non vult mortem peccatoris DEVS, quem citiùs placabunt lachrymæ meæ, quàm sententia Magistratus. Scio consilium, crudelitate peccaui; misericordia luam. Dixit, &, opibus omnibus in egentes dispersis, relictaque arce, & titulis, & officijs, cum vxore sua ad eum fluuij locum migrauit, in quo plurimi traijcientes solebant periclitari. Fluuium illum quidam Nilum fuisse scribunt, nam & arcem eorum ibi sitam, atque hæc, quæ narraui, in Ægypto, contigisse affirmant. Ad præripia igitur Nili casam piscatoriam ædificârunt, in qua aduenas omnes exciperent, cibis famelicos, potu sitibundos, ac lecto lassos, ægros denique herbulis & nescio quibus medicamentis recrearent, gratisque per fluuium transueherent, transire cupientes. Diu in eiusmodi officijs charitatis perseuerauerunt, precibus diuinis, alijsque operibus pietatis sibi Numen placantes, & parricidium expiantes. Tandem etiam quidam lepra fœdum in modum coopertus, media & hieme & nocte, ex aduersa ripa fluminis, auditus est miserabiliter vociferari, perire se frigore, neminem esse, à quo in vlteriorem portum translatus foueatur. Numquam charitas dormit. Quocirca ad hanc vocem Iulianus illico se se è lecto erigens, coniuge quoque sequente, ad cymbam suam aduolauit, fluuioque trajecto rigentem pauperculum, ac vix, præ nimio frigore, stare valentem, vlnis exceptum imposuit in lintrem, atque in lares suos transuexit. Calorem quoque, excitato foco, & vires illi restituit, ap-

posito cibo. Neque satis habuit, hæc fecisse; sed insuper lectum
illi suum vxorisque suæ (ad exemplum coniugis ita antea paren-
tes ipsius honorandos arbitratę) apparauit, & ipse humi cubi-
tans, in necessitates hospitis tam malè valentis, vigilauit. Paulum
temporis quieuerat leprosus, cùm cœpit, carbunculi instar ful-
gere, ac mirifico splendore conclaue totum perfundere. In hac
luce & ipse iam, velut roseus iuuenis refulgens, cælum conscen-
dens, venisse se dixit, vt illi significaret, *remissum esse peccatum*
illius. Paulò pòst Iulianus & coniux pia morte defuncti, ab eo,
in cælo, excepti sunt, quem, quia, in terris hospitem habuerant,
Hospitum nomen jure meruerunt.

IX. Credibile est, multa Dei judicia, hac vna historia esse ho-
minibus patefacta. Nam quis scit, an non Iuliani parentes ni- Eccli. 22. 3.
mio filij amore, deliquerint? *Confusio patris est, de filio indiscipli-*
nato. Indisciplinatum fuisse, inde quis conjecerit, quòd relictis
alijs vtilioribus negotijs, eum permiserint, instar Esau, vitam
venatoriam agitare, idoneum, qui bono publico vacaret. Vnde
& inter venandum, & à ceruo prodigiosè loquente est admoni- Eccli. 30. 1.
tus. Certè, *Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, vt lætetur*
in nouissimo suo. In vita sua vidit, & lætatus est in illo: in obitu suo Ibid. v. 5.
non est contristatus. Sed meliora vt cogitemus, suadet Iuliani fuga
& solicitudo, qua parricidium conatus est declinare. Minùs va-
ticinantis cerui prædictionem formidasset, si malè fuisset educa-
tus. Bona autem educatio, bonorum est parentum non debile
argumentum. Interim tamen & boni parentes næuos habere
possunt & peccata, quibus, in diuinis oculis, ab ipsis filijs plecti
mereantur. Debet filijs amorem mater: debet curam nato pa-
ter. Nimius tamen amor, & nimia cura transit in vitium à Deo
puniendum. Potest amissa soboles quæri, quippe cùm Christum Luc. 2. 44.
quoque eius Mater & Iosephus quęsierint amissum; sed *require-*
bant eum inter cognatos & notos; & quærebant puerum. Officium
hoc erat materni & paterni nominis, non affectus carnis. Fuit
& amissa Proserpina à Cerere

Omnibus in terris, omni quæsita profundo,

fuit & Osiris quæsitus, sed sacrilega religione. Potest ergo quæri
aliquis piè, vel impiè. Quare & Iulianum parentes bona, vel
mala

mala mente quærere quiuerunt; quemadmodum multi parentes filios suos non rarò quærunt, vt eos vel à ganea abducant, vel è religioso ordine ad mundi vanitatem retrahant, quos plerumq; postea habent vitæ suæ, si non carnifices, saltem tortores. Sed demus, nihil quæsierint Iuliani progenitores cum peccato; quis credat fuisse adeò innocentes, vt diuina iustitia nihil in eis reperit pœna dignum? Et forsitan hæc ipsa pœna beneficium extitit: cùm leuissimo Purgatorio, nulla violenta mors sit comparanda.

X. Sed hæc disputare non est huius loci. Illud, illud hîc iterumq; iterumq; monebo, quanti sit, apud Deum, meriti, miseris succurrere, ægrotos eiulantes non surda aure transire; eos, si adsint, non amoliri; si absint, accersere, in tecta tua inuitare, ijs

Isa. 58. 7. necessaria ministrare. Hoc est, quod Isaias ait: *Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosq; indue in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.* Nullum hîc faciendum est discrimen, Notus sit, an ignotus, homo est, quem in via inuenis saucium. Impone illum iumento tuo. Deporta ad hospitium, & curam illius haberi iube. Caro tua est, tuæ est naturæ. Nonnè vides, canes ipsos, si in venatu læsi sunt, lingi à canibus? bestia curat bestiam, & hominem homo negligit? In Vitis Patrum, *frater aliquis interrogauit senem quemdam dicens: Si videro fratrem, de quo audiui aliquam culpam, non possum suadere animo meo, vt introducam illum in cellam meam: si autem videro bonum fratrem, ipsum libenter suscipio. Et dixit ei senex: Si facis bonum fratri bono, illi parum, alteri duplum impende: ipse est enim qui infirmatur.* Et plus facis, si facis aliquid ei, erga quem afficeris minùs. De magnis benefactoribus cùm ageret Seneca, ista scripsit. *Quid assedisse agro, & cùm valetudo eius ac salus momentis constaret, excepisse idonea cibo tempora, & cadentes venas vino refecisse, & medicum adduxisse morienti? Hæc quis æstimabit? quis similibus beneficijs jubebit beneficia pensari?* Apud Xiphilinum, & Dionem Niceum, Cn. Pompeius Magnus, cùm, post bellum cum piratis gestum, in Asia non tantùm Mithridatem Armeniæ Regem potentissimum vicisset, sed fugasset etiam penitus: vrbem Nicopolim in eo agro, in quo victoriam peperit, ædificauit: in eaque

Heribert. Rosvveid l.5 de vitis PP. libell. 17. n.23.

Senec. lib. 3. de benef. c.9.

saucios milites, & eos, qui jam per ætatem bellum gerere non
possent, habitare iussit. Tanti Ethnicus vel senio, vel morbo
graues fecit. C. Iulius Cæsar, teste Suetonio, C. Oppium vale-
tudine subita correptum, in itinere non dereliquit, sed humi ac
sub dio cum eodem accubuit. Tiberius Cæsar Rhodi omnes
ægros notos & ignotos visitauit. Sed longè magis nôrunt æsti- Heribert.
mare pretium charitatis, in schola Christi versati. *Quidam fra-* Rosvveid. l. 7.
ter requisiuit senes, dicens: Si duo fratres in vna sunt cella, & ille de vitis PP.
quidem vnus sex diebus integris ieiunat; ille autem alter infirmitati cap. 19.
facit obsequium; cuius ergo opus maius est apud Deum? Respondit
senex: Si ille qui ieiunat sex dies, per nares se suspenderit, non erit si-
milis illi alteri in conspectu Dei. Bona sunt ieiunia, bonæ vigiliæ,
bonæ orationes, bonæ corporis afflictiones: *sed maior horum est*
charitas.

XI.

Ad quem autem pertinet hanc exercere charitatem? Vno Luc. 10. 29.
verbo respondet Christus: ad proximum: *Et quis meus est proxi-*
mus? inquies. Hoc ipsum quoque docet Christus in parabola
Samaritani. Quamquam non sunt tantùm proximi charitate,
sed etiam obligatione. Samaritanus proximus fuit charitate,
Sacerdos, & Leuita proximi erant obligatione. Erubescendum
est, sæpe eos minùs facere, qui deberent ex officio facere; &
alienos esse domesticis liberaliores. Parentes filijs, filios paren-
tibus ægris succurrere debere, naturæ lex est. Idem lex matri-
monij iubet, de qua re luculentum sanè coniugalis charitatis
exemplum alibi dedi, in Clara Ceruenta Bernardi Valdauræ con- Tom. 2. de
juge, quod etsi & huc spectet, hîc tamen non est repetendum. Iudicijs, quæ
Sed id maximè etiam pertinet non solùm ad seruos & ancillas Deus exercet
erga dominos & dominas, verùm ad ipsos etiam heros & heras in hoc mun-
erga famulos & famulas, ne eos eijciant è domo ægrotantes, do. cap. 24.
quos libenter habuerunt validos & laborantes. Quæ ista est im- §. 9.
mititas? quæ inhumanitas, claudos, debiles, infirmos, qui in
domum inducendi essent, ex domo & tectis expellere? Christum
ipsum à vobis, ô inhumani, expellitis, à cuius vestigijs nimis
longè abestis. Suscepit ille infirmos, curauit, sanauit. Quod
neque Angeli officium detrectauerunt.

XII.

Ægrotauit aliquando senex quidam, qui solitarius habitabat: & Heribert.

Rosvveid. lib. 5 vit. PP. libell. 7. c. 44. & quia non habebat, qui ei seruiret, surgebat, & quodcumq; inuenisset in cella sua, manducabat. Et cùm aliquot diebus ita fieret, nemo veniebat ad visitationem eius. Transactis autem triginta diebus, & nullo veniente ad eum, misit Dominus Angelum suum, qui ministraret ei. Et cùm sic fieret per septem dies, recordati sunt Patres, & dixerunt ad inuicem: Eamus, & videamus, ne fortè infirmetur ille senex: Cùm ergo venissent, & pulsassent, discessit Angelus ab eo. Senex autem de intro clamauit: Discedite hinc, Fratres. Illi autem leuantes à cardine ostium intrauerunt, & interrogarunt eum quare clamauerit. Et ille dixit: Quia triginta dies habui laborans infirmitate, & nemo me visitauit; & ecce jam dies septem sunt, ex quo Dominus Angelum misit, vt ministraret mihi, qui, cùm venissetis, recessit à me. Et hæc dicens dormiuit in pace. Fratres autem mirati sunt, & glorificauerunt Deum, dicentes, quia non derelinquit Dominus sperantes in se. Iudith. 6.

Nimirum hoc est, quod alibi dixi: aliunde desertos, DEVS non deserit, qui vel per Angelos succurrit, quando homines hominibus desunt. Ac mirum est ab Angelis ministrari ægris, immò ab ipsa Dei Matre, ab ipso Christo; & homines esse, qui id officium, tamquam nimis humile, aut etiam periculosum, deuitent. Illi autem vel Angeli sunt, vel Angelos imitantur, qui ægrotis succurrunt; seu in corporis, seu in animæ necessitate. Quales sunt præcipuè illi, qui peste laborantes, non horrent adire, vt eorum confessiones excipiant, vt sacrum illis viaticum porrigant, vt ad supremam luctam eos inungant. In his vera est charitas. Ioan. 10. 11. *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis*; neque animam suam facit pretiosiorem, quàm se; suamque vitam libenter exponit, pro corona sua & suorum. Quòd si etiam Pastor non est, tamen frater est, quis dubitet fratrem fratri adminiculum in necessitatibus debere? at fideles inter se fratres esse, testatur Matth. 23. 8. Christus: *Omnes autem vos fratres estis*. Horror inest his officijs? Vix tantus inesse potest horror, in spiritualibus, quantus inest, si vlcera ipsa sint tractanda, si morosi & impatientes, dies noctesque mouendi, leuandi, portandi, obligandi, blandissimis verbis consolandi, & tamen, spe præmij cælestis, & amore DEI ac proximi, quid non fecerunt quidam? De quibus necessariò est exemplum vnum alterúmue, aut etiam tertium recitandum.

CAPVT

CAPVT XXXVI.

Mira patientia & charitas eorum, qui ægrotis seruierunt.

Erè *charitas patiens est*, nec in hac, sed altera vita spe- I.
rat retributionem. Quare si vera charitas est, non vultu, non verbis, non vllis rebus molestijs finit se se absterreri ab altero adjuuando, *Ioannes minor Thebaus, discipulus Abbatis Ammonis, duodecim annis ipsi seni infirmanti fecit obsequium: senex tamen, cùm vidisset eum laborantem, numquam illi sermonem blandum aut placitum locutus est. Cùm autem de hoc mundo transiret, sedentibus alijs senibus, tenuit manus eius, & dixit ei tertiò: Salueris, salueris, salueris. Et tradidit illum senibus, dicens: Ille non homo, sed Angelus est, qui tot annis mihi infirmanti seruiens, nec bonum sermonem audiens, fecit tamen obsequium cum magna patientia.* Patuit ergo consilium senis, nulla verborum blanditia constantem fratris sui charitatem labefactare volentis; Neque frater ei, vt laudaretur, seruiuit; sed ad altius in cælo præmium aspexit. Quod & consecutus est. Hoc cælestis gloriæ magnete qui trahitur, non sibi, non laudi humanæ, sed vtilitati proximi seruit, in quo seipsum, in quo suam naturam, in quo DEVM intuetur.

Heribert. Rosvveid. l. 7. de vitis SS. PP. cap. 19.

Diuersa vnius corporis membra inter se se vnit anima. Fi- II.
des vna in Christo, vna in Christo charitas longè arctiùs inter se vnit Christianos. *Sicut enim in vno corpore multa mēbra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent:* (ait Apostolus) *ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Et alibi monet, *vt non sit schisma in corpore sed id ipsum pro inuicem solicita sint membra. Et si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra.* Tanta igitur est, aut etiam maior conjunctio membrorum, si charitate, & fide jungantur, quanta si vna anima jungerentur. Vnde & de primis illis Ecclesiæ membris dicitur: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna.* Sicut ergo in vno homine, vnum membrum alteri succurrit, & auxiliatur: ita si quis alteri est charitate copulatus, eum non deserit, sed siue læto, siue tristi, tamquam mem-

Rom. 12. 4.

1. Cor. 12. 25.

Act. 4. 32.

membro suo auxiliatur. Et vel Ethnicus hoc sensit vinculum.
Senec. ep. *Quæ circa homines dabimus præcepta? ait, vt parcatur sanguini humano? quantulum est, ei non nocere, cui debeas prodesse? Præcipiemus ergo, vt naufrago manum porrigat, erranti viam monstret, cum esuriente diuidat panem, breuiter humani officij formulam tradat. Omne, quod videmus, vnum est, membra sumus corporis magni. Natura nos edidit cognatos, cùm ex eisdem, & in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, & sociabiles fecit. Ex illius constitutione, miserius est nocere, quàm lædi. Iste versus & in pectore, & in ore sit:* Homo sum, humani nihil à me alienum puto. *Societas nostra lapidum fornici simillima est, quæ casura, nisi inuicem obstarent, hoc ipso sustinentur.*

III. Hinc fit corpus, oculi viam monstrant, pedes viam
1. Cor. 12. 14. ambulant; caput imperat, manus exequuntur. *Nam & corpus non est vnum membrum sed multa. Si dixerit pes: Quoniam non sum manus, non sum de corpore: num ideò non est de corpore? Si totum corpus oculus: vbi auditus? Si totum auditus: vbi odoratus?* Ita in corpore Ecclesiæ, alia membra ægra sunt, alia sana; quia autem fide, & charitate vniuntur, idcirco membra sana debent ægris succurrere, atque vnum alteri suppetias ferre; tantoque magis, quantò non solùm humanitate communi, sed etiam charitate
S. Chrysost. tom. 5. lib. 3 aduers. vituper. vit. mon. Christi coniunguntur. *Idcirco Paulus fideles vocat luminaria, ex ipsa appellatione manifestans, oportere fideles cæteris quoque vsui esse; & luminare, quàm diu seipsum illuminat, luminare profectò non est,* ait Chrysostomus. *Quare gentibus quoque ipsis deteriores esse ait, qui proximi salutem neglexerint, sic dicens: Si quis autem suorum, & maximè domesticorum, prouidentiam non gerit, fidem negauit, & infide-*
1. Tim. 5. 8. *li deterior est. Quid autem hoc loco prouidentiæ nomine significari æstimas? an fortassis necessariorum largitionem? Equidem reor ipsum hoc nomine curam animæ significare voluisse; si verò tu contentiosè senseris, sic quoque sententia firmior manebit: Nam si de corpore hoc dixit, & eum, qui vilem hunc & quotidianum cibum non præbet, tantis cruciatibus addixit, & gentilibus deteriorem esse ait, quonam tandem in loco statuemus eum, qui id, quod longè maius & dignius est, & magis necessarium?* Hæc Chrysostomus. Et certè non debet cogitare, se corpori soli seruire, qui ægroto necessaria ministrat, sed

animæ

animæ quoque illius multum prodest. Etsi enim æger, instar Abbatis Ammonis sileat, & duodecim annis nullo blando sermone officia illius compenset, tacitus tamen illius virtutem, sedulitatem, patientiam, charitatem admiratur, & apud se, apud Superos, tandemque etiam apud alios homines dicit: *Ille non homo, sed Angelus est, qui tot annis mihi infirmanti seruiens, nec bonum sermonem audiens fecit tamen obsequium cum magna patientia.* Atq; hic primus est gradus, seruire ægrotis, sine spe humani emolumenti, soloque amore Christi.

IV. Alter paulò est excelsior, cùm horrenti naturæ, amore Christi & charitatis, vis infertur. Vulnera hiant; vlcera fœdum in modum patent; fluit purulentum tabum; erigunt vermes caput; fœtet intolerabili modo totum corpus. Est insuper metus contagionis. Libet nares occludere, auertere oculos, vestigia procul auferre. Et hîc ingens exurgit lucta. *Caro enim concupiscit aduersus spiritum: spiritus autem aduersus carnem. Hæc enim sibi inuicem aduersantur.* Audi similem luctam, & obstupesce victoriam. *Quidam frater erat minister cuiusdam Patris. Contigit autem vt vulnus fieret in corpore senis, & sanies multa ex eorum fœtore proflueret. Dicebat autem cogitatio sua fratri illi, qui ei deseruiebat: Discede hinc, quia non potes sustinere fœtorem putredinis istius. Ille verò frater, vt reprimeret huiusmodi cogitationem, tulit vas, & lauit vulnus senis illius, & recollegit ipsam aquam in vase, & quoties sitiebat, ex ea bibebat. Cœpit autem iterum cogitatio sua sollicitare eum, dicens: Si non vis fugere, vel non bibas fœtorem hunc. Frater autem ille laborabat, & toleranter ferebat, bibens lauaturam vulneris illius. Et cùm ita ministraret seni, vidit DEVS charitatem laboris eius, & illam lauaturam vulneris in aquam mundißimam vertit, & senem inuisibili medicamento sanauit.* Quanta hæc fuit sui victoria? Quanta charitas, quam nec tales aquæ *extinguere potuerunt*? Imitatus est hoc exemplum S. Franciscus Xauerius, cuius heroicum factū paucis versiculis inclusum dabo.

Gal. 5. 17.

Heribert. Rosvveid l. 5. de vit. SS. PP. libell. 17. c. 25.

Cant. 8. 7.

Decubuit quidam, quem visere nemo volebat;
Tantus ab vlceribus proueniebat odor.
Horruit aspectu primo Franciscus, & ipse
Territus à lecto penè regressus erat.

 Ast

Ast vbi collegit se se, vimq; intulit ipsi
Naturæ, propiùs constitit ante torum.
Et saniem applicitis sugens de vulnere labris,
Hunc tibi, dicebat, Christe, propino scyphum.
Tu prior hausisti calicem. Quis pôcla recuses,
Quæ nouit Domino grata fuisse suo?

Par est vtique, vt amor Christi sponsi nostri sit maior, quàm fuerit amor vllius coniugis erga maritum. Ast alibi docuimus, vxorem Roberti Britanniæ regis, & alteram Eduardi regis Angliæ, è maritorum suorum vulneribus venenum exsuxisse. Tantus amor carnis, quantus erit spiritûs? Itaque etsi non inter imitanda, sed miranda ponendum sit exemplum, vlcera lambentium, more S. Catharinæ; aut osculantium, ritu S. Francisci Seraphici ad fores Basilicæ S. Petri, tamen inde ingens stimulus additur ijs, quos vlcerum fœditas & horror absterret, ne ægris adsint, ne abstergant vulnera, aliaque officia faciant ex charitate, quæ non horrent chirurgi præstare pecuniæ caussa. Immò quæ vel canes leguntur homini præstitisse. Nam quando Lazarus jacuit ante diuitis illius januam desertus, *canes veniebant, & lingebant vlcera eius.* Tantò facilius est, ô immites & barbari ægrorum desertores, non petimus linguas vestras, manus admouere; & quod vobis vultis aliquando fieri, fratri vestro non negate. Arripite occasionem à Deo oblatam, & quod *Fratres misericordiæ* faciunt ex professione, vos facite spontanea charitate. Hæc est via cælum merendi. Misericordes misericordiam consequentur. Corpori ac naturæ vestræ vim inferte. Quia *regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

Tom. 2. de judicijs, quæ Deus exercet in hac vita. cap. 24. §. 8.

Volat. lib. 21.

Luc. 16. 21.

Matth. 11. 12.

V. Magna est perfectio in his duobus gradibus, vt quis ægroto seruiat, sine spe emolumenti vllius temporalis; ac verò etiam omni naturæ horrore superato. Longè tamen altior, & Angelis Deoque propior est gradus, non solùm illis velle seruire infirmis, à quibus nullam laudem, nullum blandum verbum, nullum emolumentum temporale referas; & verò etiam à quorum pædore abhorreas; sed etiam, qui malum pro bono, conuicia pro benefactis reddant. Et quia ferè quotidianum est, vt morbidi etiam sint queruli & impatientes, atque molestiam,

quam

quam ex inualetudine ſentiunt, paſſim exerant, & omnia ſibi diſplicere oſtendant, quæcumque eorum curator in illorum gratiam & bonum facit; valde autem difficile eſt, curatorem ſanum, diligentem, amantem, ſi videat, nihil ſe proficere, omnia in partem deteriorem accipi ab ægroto, non fieri viciſſim impatientem, & deſerere eum, à cuius ingrata mente ſpinoſoque animo omnia beneficia tamquam maleficia accuſantur: idcircò exemplum apponam, ad animandos eos, qui talibus quoque ægrotis adeſſe coguntur, vt diſcant etiam ad hunc charitatis gradum aſpirare, & implere illud: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos. Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos.* Eſt autem hiſtoria à Palladio, aliјſque probatis Authoribus ſæpius recitata his verbis. Luc. 6, 27.

VI.

Plures diuerſis laborantes neceſſitatibus conuenerunt fratres ad S. Antonium, inter quos & Eulogius quidam monachus Alexandrinus, cùm aliquis elephantiaco morbo cruciabatur: quos illuc propter huiuſcemodi cauſam veniſſe memorabat. Hic Eulogius ſcholaſticus erat, ſecularibus litteris eruditus. Qui immortalitatis deſiderio captus, huic mundo renuntiauerat: diuiſiſq; rebus ſuis omnibus atque diſperſis, parum aliquid pecuniarum reliquerat ſibi: quibus quia per ſe operari non poterat, vteretur. Cùm igitur eum quadam animi defectio fatigaret, & neque cum multis in monaſterio degere, neque ſolitariam vitam poſſet ferre patienter, reperit quemdam publicè iacentem in platea, ita inualitudine illa, quam ſuperiùs dixi, impletum, vt ſine pedibus & manibus videretur: cui lingua tantummodo immunis à tantis cruciatibus erat, qua magis poſſet ab intuentibus malorum ſuorum remedium promereri. Cumq; eum aſſiſtens vidiſſet Eulogius, oratione facta ad Deum, & facta quadam cum Domino pactione, his allocutus eſt verbis: Domine, inquit, DEVS, in tuo nomine ſuſcipio iſtum tam immani valetudine præpeditum, vt propter iſtum poſſim, & ipſe ſaluari. Adſis ergo mihi Chriſte IESV, atq; patientiam in tali miniſterio largiaris, moxq; adjacentem illum ait: Vis frater, ſuſcipio te in domo mea, & quacumque potero ratione, ſuſtento? Cumq; hac ille libenter amplecti, ſi dignaretur, ſe diceret; vadam ergo, inquit, & aſinum, quo veharis, adducam. Cui vehementer exultans conſenſit ægrotus. Idq; mox fecit Eulogius, & memoratum ad hoſpitium ſuum

Pallad. c. 26. Paſch. c. 19. n. 3. & ex ijs Heribert. Roſvveid. l. 7. de vit. PP. c. 19 & lib. 8. cap. 26.

suum sine dilatione transuexit. Per quindecim igitur annos iugi curatione, & perpetua ei solicitudine seruiebat: per quod omne tempus & ille, cui tantum deferebatur obsequium, cum gratiarum actione cuncta tolerabat, & Eulogij manibus, & medicamentis, cibisq; & balneis, prout competebat valetudini, curabatur. Post quindecim verò annos instinctu dæmonis, supra dictus ægrotus immemor tot laborum Eulogij, tantorumq; meritorum cœpit ab eo velle discedere, multisq; iniurijs atq; opprobrijs increpare eum, dicens: Fugitiue, qui propriam domum deuorasti, furatusq; es alienam substantiam, in me occasionem salutis tuæ reperisse te credis? Eulogius autem rogabat eum, & satisfaciens animo eius dicebat: Noli, mi Domine, talia loqui, sed dic potiùs, quid te contristauerim, & emendo. Elephantiosus autem cum furore dicebat: Vade, nolo istas adulationes tuas; proijce me in publicum, refrigeratione tua non egeo. Eulogius autem: Obsecro te, inquit, placare: aut quid te contristauerim, venerande senex, edicito. Elephantiosus autem asperior in furore, dicebat ad eum: Iam fraudulentas irrisiones tuas non fero, adulationes, & subsannationes tuas non tolero, nec mihi hac arida parcaq; vita iucunda est: volo carnibus saturari. Cumq; ei exhibita à viro patientissimo Eulogio carnes fuissent, cœpit iterum proclamare: Non potes, inquit, meæ satisfacere voluntati, neq; tecum solitarius habitare praualeo: populum videre, ad publicum ire desidero. Dicit ei Eulogius: Ego adduco tibi multitudinem fratrum. Rursus ferocior ac pæne blasphemus ægrotus, Nec, inquit, faciem tuā videre volo, & adducis mihi similes tuos solius panis deuoratores: concutiensq; semetipsum inquieta voce clamat dicens: Hîc esse nolo, ad publicum ire desidero, O violentia! In eum locum me proijce, vnde me sustulisti. Tanta ergo erat eius insania, adeoq; sensus eius infirmi, quodammodo & mores peruerterat dæmon, vt & laqueo se fortè suspendisset, si manus, per quas facere hoc posset, habuisset. Ad monachos itaq; vicinos pergit Eulogius, ita dicens eis: Quid faciam, quia elephantiosus iste penitus desperare me fecit? Dicunt ei: Quam ob caussam? Respondit eis: Quia dura sunt quæ conatur mihi imponere, & quid agam ignoro: proijciamne eum? sed aliter Deo dexteras dedi: de hoc satis vereor. Non proijciam eum? sed tot ac tanta iterum dierum ac noctium mala ferre non possum, quid de ipso igitur à me fiat, ignoro. Ad quem illi his verbis loquuntur: dum adhuc viuit, & superest Magnus ille (sic enim vocabatur,

batur, Antonius, ascende ad eum, ægrumq; naui impositum, in mo-
nasterium eius defer, exspectans ibi donec speluncam suam egressus ad-
ueniat. Quem cùm videris, referas ista, quæ pateris, atq; ab eo con-
silium postulabis: quidquid tibi super hoc dixerit, facies, & eius admo-
nitionibus acquiesces, sciens à Deo iuberi tibi, quod ille præceperit. Mox
igitur sermonibus fratrum libenter instructus, supradictum ægrum
blandis precibus superans, littorali nauiculæ imposuit: sustulitq; de ci-
uitate per noctem, & ad discipulorum sancti Antonij habitaculum du-
xit. Euenit autem, ut alio die vespertinis horis superueniret illuc bea-
tus Antonius, referente mihi Cronio, quòd chlamyde ex pellibus facta
indutus aduenerit. Solebat autem veniens ad monasterium fratrum
vocare ex ipsis Macarium, eumq; his verbis interrogare: Venerunt
adhuc aliqui fratres? & ille venisse dicebat. De Ægypto, inquit, sunt,
an de Ierosolyma? hoc autem signum ab his iusserat dari, ut quoties
aliqui non satis digni colloquio ipsius venirent, aduenisse Ægyptij di-
cerentur: quoties autem sancti quidam, & spirituales viderentur vi-
ri, venisse de Ierosolyma nuntiarentur. Tunc ergo veniens iuxta con-
suetudinem suam, cum interrogaret, utrùm Ierosolymitæ illic fratres
essent, an Ægyptij? Respondit Macarius dicens: Ex vtroque illic
quosdam genere vidisse se. Cùm autem dixisset illi S. Antonius: Fac
illis lætitiam, & sumant cibum, & vnà cum eis, oratione completâ, ju-
bebantur discedere: at verò cùm Ierosolymitas venisse didicisset, per to-
tam noctem cum eis sedens, ea illis, quæ saluti eorum proficerent, lo-
quebatur. Memorata igitur nocte eum consedisse referebant, &
vnumquemq; ad se de his, qui conuenerant, euocâsse. Cumq; à nullo,
quis illic Eulogius vocaretur, audisset, ipse in tenebris propria voce sua
illum ter nomine vocauit. Cui cùm supradictus scholasticus non re-
sponderet putans, quòd alter aliquis Eulogius vocaretur, dicit ei rur-
sus: Te voco Eulogi, qui ab Alexandriâ ciuitate venisti. Dicit ei Eu-
logius: Quid, quæso, jubes? Et Antonius: Quid, inquit huc venisti? Re-
spondit Eulogius dicens: Qui tibi nomen meum reuelare dignatus est, ipse
etiam & aduentûs mei caussam proculdubio reuelauit. Tunc ille, Qua-
re, inquit, veneris scio, sed ante omnes hos fratres, ut omnes audiant,
refer. Iussus igitur à magno Antonio seruus Christi Eulogius, retulit an-
te omnes: Istum elephantiosum in platea publica reperi proiectum cuius
curam nullus hominum gerebat: & promisi Deo, ut deseruirem ægri- tudini

tudini eius quomodo possem, & ego per illum, & ille per me saluaretur. Ex quo autem pariter sumus, quintus decimus annus est, sicut & vestræ sanctitati credo omnia reuelata. Quia igitur post plurimos annos, cùm à me nihil mali pertulerit, varijs me procellis ac tempestatibus vexat: ob quod & ego ipsum à me proijcere cogitaui: propterea ad sanctitatem tuam veni, vt quid ex hoc faciam, digneris me tuis edocere consilijs, & orationibus adiuuare. Pessimis enim motibus totus fatigor, & crucior. Cui hæc tunc Antonius seuera ac iracunda voce respondit: *Tu illum à te proijcis, Eulogi? sed ille eum non proijcit, qui eum à se factum esse cognoscit. Proijcis eum? meliorem te inueniet, & eliget Deus, qui colligat destitutum.* Cumq; perterritus ad hæc Eulogius verba tacuisset, relicto rursus sanctus Antonius Eulogio, cœpit ægrotum proprijs sermonibus verberare, & hæc ad eum cum clamore maximo loqui: *Elephantiose, cœno & luto horride, nec terra digne, nec cælo, non desinis iniuriam Dei vociferari? Nescis quòd qui ministrat tibi, Christus est? Quemadmodum ausus es contra Christum talia loqui? nam propter Christum se iste seruitio tali & obsequijs subiugauit; quem & ipsum mendaci sermone laceratum reliquit.* Conuersisq; verbis ad alios fratres, ad vnumquemque ita, vt ratio singulorum exigebat, locutus, rursus ad Eulogium & ad ægrotum redit, dicitq; eis *Ne quis vestrûm, ô filij, quoquam se vertat, neuter ab altero separetur, sed ad cellam vestram, in qua per tantum tempus vixistis, redite in pace, omnem tristitiam deponentes. Iam nunc enim ad vos Dominus DEVS mittet: nam tentatio ista idcirco accidit vobis, quia ad finem vitæ ambo venistis, etiam vterq; vestrûm merebitur coronari. Nihil ergo aliter feceritis, ne si forte Angelus veniens, vos in eo, quem dixi, loco inuenire non possit, vtriq; coronis fraudemini.* Qui cùm ad cellam suam velociter redeundo redintegrata pace venissent, intra quadraginta dies prior Eulogius obijt, & post aliquot dies supradictus defecit ægrotus, animo vehementer incolumis.

VII. Hoc ægro eiusque ingrato animo atque impatientia vsus est DEVS, vt Eulogium ad huius vitæ perfectionem, ac dein ad cælestem coronam perduceret. Ad perfectionem autem illam, quod attinet, *inuenio perfectum multis modis accipi*, inquit Clemens Alexandrinus, *prout is est, qui in vnaquaque virtute se gerit. Perficitur itaq; & consummatur aliquis, vt pius ac religiosus, & vt tole-* Clem. Alex. lib. 4. Strom.

rans,

rans, & vt continens, & vt operarius, & vt Martyr, & vt cognitione præditus. In omnibus autem simul perfectus, nescio an vllus sit, qui est adhuc homo, nisi solùm is, qui propter nos induit hominem. Eulogius itaque, quia non sine quadam animi defectione fuit, vt *neq; cum multis in monasterio degere, neq; solitariam vitam posset ferre patienter*, aliam à DEO perfectionis viam oblatam acceptauit; & quidem nobilissimam. Etsi enim perfectionis nomen, varijs soleat virtutibus tribui, à S. Spiritu, tamen maximè tribuitur dilectioni DEI, proximi, & inprimis inimicorum. Siquidem Christus Dominus, postquam docuit, diligendos esse inimicos, hoc est, verbo & re illis benefaciendum, & pro illis orandum, mox subjecit: *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater cælestis perfectus* Matth. 5. 48.
est. In quo perfectus est? quia *solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super justos & injustos.* Benefacere ijs, qui nos diligunt, & beneficijs præueniunt, est aliquid: at bona pro malis reddere, quiddam est diuinum. Quàm diu Eulogius leproso seruiuit grato, & gratias agenti, beneficiumque agnoscenti, liberalis, munificus, misericors fuit, quod humanum est; quando autem impatientem, abire petentem, conuicia jacientem non deseruit; sed rogauit, sed veniam petijt, vbi non offendit, & mitia verba asperis; blanda furiosis reposuit, atque etiam nolenti, immò reluctanti, non minùs ac priùs, benefecit, consummatæ patientiæ virtutem exercuit, diuinumque quoddam opus fecit, constantiaque ista perfectioni suæ coronidem apposuit. Etenim tunc vnaquæque res dicitur perfecta, quando est cum fine suo coniuncta. Finis autem hominis est DEVS. Itaque perfectio sita est in conjunctione cum DEO, quanta quidem in hac vita obtineri potest. *Qui enim adhæret DEO, vnus spiritus est.* Quid au- 1. Cor. 6.
tem melius perfectiusque potest esse, quàm vt simus vnus spiritus cum DEO? aut ei toto affectu adhæreamus? Quod tunc fit, quando Conditori, Redemptori, Iustificatori, & Glorificatori nostro, per DEI, & proximi perfectam charitatem adhæremus. *Finis enim legis Christus*, & charitas *est vinculum perfectionis.* Quæ Rom. 10. 4.
si tanta est, vt eam etiam *aquæ multæ*, hoc est, multæ tribulatio- Colos. 3. 14.
nes *extinguere non poßint*; nec vllæ tantæ esse valeant injuriæ inimicorum, vt nos impediant ab inimicis diligendis, tunc profectò

est

est charitas perfectissima. Sicut in Christo fuit, & Stephano, quorum ille pro crucifixoribus, iste pro lapidatoribus suis orauit. Neque paruum exemplum in Eulogio DEVS demonstrauit omnibus, qui vel ægrotis, vel aliunde miseris, etiam ingratis, etiam querulis, etiam calumniosis, non solùm patienter seruiunt, sed etiam cum lætitia mentis ministrant. Quod facere possunt, qui manent in charitate. Cùm enim amoris vel charitatis propriũ sit, vnire amantem rei amatæ, vt docet S. Dionysius, quò maior est charitas, eò maior est vnio; & tanta esse potest, vt nihil sit, neque tribulatio, neque angustia, neque persecutio, neque gladius, quod eam queat separare. Hinc *charitas patiens est, benigna est*; etiamsi alter fremat, etiamsi manibus pedibusque reluctetur; etiam si lingua, pugnis, & calcibus repercutiat. Vnde normam habent charitatis suæ dimetiendæ, qui quocumque demum modo cum ægrotis agunt. Si citò fatigantur, si quolibet verbo ægroti offenduntur, eumque deserere statuunt, paruo charitatis vinculo ei fuerunt astricti. Magna charitas, magnum vinculum est, & ipso firmius nodo Gordio, quia neque gladio potest dissolui.

S. Dionys. Areopag. lib. de diu. nom. cap. 4.

Rom. 8. 35. 1. Cor. 13. 4.

CAPVT XXXVII.

Decima octaua morborum caussa, vt per eos naturalium remediorum, & medicorum potentia à Deo data inclarescat.

I.

S. Thom. 3. p. q. 80. art. 4.



INter eos, qui ægrotis maximè succurrunt, sunt & Medici, quorum & ars, & officium eò tendit, vt conseruent, aut reparent sanitatem. Sunt autem hi illis longè eminentiores. Hi venam explorant, vultum considerant, morbi initia, progressum, caussam indagant, postea salutaribus herbis, & succis remedium adhibent. Illi infirmum leuant dumtaxat, ei lectum componunt, cibum, potum, pharmacum afferunt, & Christo ipsi hæc fecisse dicuntur. Quòd si igitur rudium seruorum charitas, apud Deum tam est pretiosa; quanti erit docta charitas medicorum? Nam hic præcipuus debet eorum esse finis; etsi spes lucri temporalis, artisque & laboris merces comitetur. *Dat Galenus opes*, Apud Hieroclem, Scholasticus quidam

quidam medico obuiam factus, veniam rogabat, quòd tam diu non ægrotaſſet, neque ei ſtipendium lucrandi occaſionem præbuiſſet. Ridicula ea erat excuſatio, apud mortales. Nemo enim debet in gratiam medici ægrotare. Atqui apud Deum immortalem, inter ceteras cauſſas, ob quas hominibus morbos immittit, ſæpe etiam illa eſt vna, vt diſcant ad medicum recurrere, opemque illius implorare, atque inde diuinæ prouidentiæ conſilia agnoſcere, quæ non ſolùm morbos in mundum induxit, ſed etiam morborum medicinas. Ouid. lib. 2. de remed.

Mille mali ſpecies, mille ſalutis erunt.

II.

Neque prouidentia dumtaxat diuina hinc elucet, ſed etiam potentia mirificè inclareſcit. Duplex enim ratio eſt recuperandæ ſanitatis. Vna per vim naturæ, altera per miraculum & extraordinariam Dei poteſtatem. Ad quam agnoſcendam prædicandamque multi ægrotant, vt in Chriſto Domino apparebat, qui circuibat, *ſanans omnem languorem, & omnem infirmitatem.* Matth. 4. 23. Quid enim inde factum eſt? *Et omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* Luc. 6. 19. Et longè clariùs, quando diſcipuli interrogauerunt: *Rabbi, quis peccauit, hic aut parentes eius, vt cæcus naſceretur? Reſpondit IESVS: Neque hic peccauit, neque parentes eius: ſed vt manifeſtentur opera DEI in illo.* Ioan. 9. 2. Sed de hoc ſupernaturali ſanandi modo cap. ſeq. dicemus. Hîc priùs explicandum eſt, non ſolùm medicinam eſſe inuentam, & hominibus traditam, vt ea morbos pelleret, aut præueniret; verùm etiam morbos ipſos exiſtere, vt ad medici opem confugiatur, eiuſque ars, & in illa mirifica herbarum, radicum, florum, lapidum atque animalium natura, atque in his omnibus diuina potentia prædicetur. Si enim tantam vim rebus creatis indidit, quantam neceſſe eſt, in illa immenſa omnipotentia reperiri?

III.

Apud Pauſaniam, Æſculapij ſimulachrum ſedet in ſolio ſcipionem tenens, altera manu draconis caput premit, cane ad pedes decumbente. Paulan. in Corinth. Solium & virga typus eſt imperij, quod medicus gerit in ægros: draconis caput non vigilantiam dumtaxat ſignificat, ſed etiam venenum cui dominatur, immò quod in medicinam vertit: canis denique fidelem eiuſdem cuſtodiam repræſentat. Vt enim canis dominum cuſtodit, defendit, nec

deserit in discrimine; ita medicus cauet, ne quid mali accidat, aut si quid accidit patienti, ei adest vsque ad extremum spiritum, omniaque remedia tentat. Neq; sanè venena tantùm sub manu sua habet, sed ea etiam premit, & domat.

Virgil. lib. 7. Æneid.

Fortißimus Vmbro,
Vipereo generi, & grauiter spirantibus hydris,
Spargere qui somnos, cantuq; manuq; solebat,
Mulcebatq; iras, & morsus arte leuabat.

Medicorum enim est, serpentum ictus sanare, venenaque è corporibus extrahere. Enimuerò ipsæ febres & morbi, quid aliud sunt, quàm virulenti morsus? contra quos, Machaones isti remedia norunt præscribere. Audax dictum videri potest illud Propertij:

Propert. li. 2.

Omnes humanos sanat medicina dolores;

sed profectò à veritate non procul abit; vix est enim morbus, qui suo remedio careat; etsi vel ob morbi, vel ob remedij ignorantiam, quidam medici parum docti & satis seduli officiosissimè multos occidant. Si sederent, si vigilarent, si attenderent, si naturæ humanæ inconstantiam & varietatem considerarent, si locorum, temporum, siderum, mutationes cognitas haberent; si doctores, si libros, si experientias consulerent, haudquaquam tot mortales ad immortalitatem promouerent. Certè, vt medicina singulos humanos dolores sanet, fieri non potest, ita enim nemo moreretur, cùm *statutum sit hominibus semel mori.* Itaque saltem omnia genera humanorum dolorum sanat medicina. Quamobrem Architas Tarentinus tradidit, quinque species esse medicinæ: aliam dici Pharmaceutricem, quæ morbis medicata potione subueniat: aliam chirurgicam, quæ sectione & vstione curet: tertiam, quę sola victûs ratione & ordinatione arceat ęgritudinem, appellarique diæteticam: quartam, quæ ex celeri discretione morborum succurrat ægris, vocarique Νοσογνωμικὴν: quintam adjutricem dici, quòd strenuo auxilio doloribus continuò liberet.

Hebr. 9. 27.

Laërt. lib. 2. de vit. Philos.

IV. Vt vt sit de speciebus vel medicinarum, vel medicorum, clara certè laus istis à S. Spiritu tribuitur, in diuinis litteris: *Honora medicum,* inquit Ecclesiasticus, *propter necessitatem: etenim*

Eccli. 38 1.

illum

illum creauit Altißimus. A DEO enim est omnis medela. & à rege accipiet donationem. Disciplina medici exaltabit caput illius, & in conspectu magnatorum collaudabitur. Altißimus creauit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa. Nonnè à ligno indulcata est aqua amara? Ad agnitionem hominum virtus illorum. Et dedit hominibus scientiam Altißimus, honorari in mirabilibus suis. In his curans mitigabit dolorem, & vnguentarius faciet pigmenta suauitatis, & vnctiones conficiet sanitatis, & non consummabuntur opera eius. Huc alludit Marsilius Ficinus his verbis: *Ars medica, & diuinitus accepta est, & diuinitus exercetur. Atq; animus ex Deo, corpus pendet ex animo. Nonnè Raphaëlem Archangelum Hebræi volunt huius artis opus exercuisse? Mittamus reliquos. Christus ipse, tamquam generis humani medicus, ægros, ægrotosq;, quotcumq; offerebantur, curabat, discipulisq; tradidit potestatem medendi. Hanc igitur artem, vtpote nobilißimam, reges meditari, & exercere quendã nequaquam dedignabantur. Quales fuerunt Sabor, & Giges Medorum reges, Sabid rex Arabum, Mithridates Ponti rex, Ægyptiorum verò Hermes, Mesue regis Damasi nepos. Volunt nonnulli & Auicennam fuisse Corduba Principem. Democritus, Thimæus, Locrus, Plato, Aristoteles, Philosophi illustrißimi in hac arte scripserunt, innumerabilesq; alij Philosophi non ignobiles.* Hæc Marsilius; neque hîc omittendum memorabile quiddam ab Eusebio proditum in lib. de prisca historia, cuius verba refert Anastasius Nicenus: Ezechiam regem suppressisse libros Salomonis, in quibus disputabatur de natura plantarum, animalium, & de curatione omnium morborum: Propterea, quòd morborum medelas inde acciperet populus, & nihili faceret à Deo petere curationes. Cùm omnis medela, etiam per naturales medicinas quæsita, sine Dei benedictione, effectu careat. Hinc Ecclesiasticus, postquam & Medicos, & medicinas prolixè laudauit, mox subiecit: *Fili, in tua infirmitate, ne despicias teipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te.*

Marsil. Ficin. lib. 1. ep. ad Thom. Valer. Phys.

Anastas. Nic. q. 39. in Script.

Eccli. 38. 9.

V.

Licet vti medicina, par est, vt quærantur & adhibeantur remedia naturalia; sed semper vnà orandus est Dominus, qui per remedia illa infirmos curat. Illo manum subducente, vis omnis herbarum cadit, languent pharmaca, oleum & opera perduntur. Quod quia plurimi ignorant, vbi primùm morbum gliscere

gliſcere ſentiunt, ad omnes boni nominis Podalirios mittunt, eoſque ad ſe vocant, ſpemque omnem in humana arte collocant, neque exiſtimant, plus eſſe ſitum in auxilio diuino, ſine quo induſtriæ atque artes omnes mortalium in ventos, immò ſub terram & tumulum abeunt. Quocirca medicus quidem conſulendus eſt, sed ſimul etiam DEVS rogandus, vt conſilia, & manum medici dirigat. Hoc eſt, quod ait Scriptura: *Fili, in tua infirmitate, ne deſpicias teipſum, ſed ora Dominum; & ipſe curabit te.* Quo pacto autem orabit confidenter, & cum ſpe impetrandi, ſi ſciat ſe reum illorum peccatorum, ob quæ à DEO in morbum conjectus eſt? Itaque priùs quàm ſanitatem petat, veniam petat ſuorum delictorum, & pœnitentiam agat. Qua de cauſſa, paternè ibidem monet S. Spiritus: *Auerte à delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum.* Vult enim DEVS priùs ſanare animam, & per patientiam iri ad medicum ſummum. Inimico medico non fideres, & à DEO vis ſanari, quem ſcis tuum eſſe inimicum? Fac ex inimico amicum, & ille faciet ex ægro ſanum. Reprehenditur Aſa rex, quòd dolore pedum vehementer ægrotans, *nec in infirmitate ſua quæſiuit Dominum, ſed magis in medicorũ arte confiſus eſt.* Duos habes curatores, hinc medicum, inde DEVM. Túne medicum coles, DEVM ſepones? D. Baſilium audi. *Incolumitatis ſuæ ſpem omnem habere poſitam in manibus medicorum, planè jumentorum eſt ſimile; quod quidem vſu venire miſeris nonnullis animaduertimus, qui etiam non verentur apertè liberatores ſuos illos appellare.* Et paulò priùs. *Danda nobis ſtudioſè opera eſt, vt huiuſmodi arte, ſi quando res poſtulet, ita vtamur, vt nullo modo omnem ei proſperæ, aut aduerſæ valetudinis cauſſam aſſignemus.* Cogitandum nimirum eſt, eſſe aliquem & arte, & medico ſuperiorem, à quo immobili omnis rerum mobilium motus pendet. Rectè igitur medicos Caſſiodorus his verbis alloquitur: *Diſcite quidem naturas herbarum commiſtioneſq́ſ ſpecierum, ſollicita mente tractate: ſed non ponatis in herbis ſpem, non in humanis conſilijs ſoſpitatem. Nam quamuis medicina legatur à Domino conſtituta, ipſe tamen ſanos efficit, qui vitam ſine fine concedit.* Sine quo multi à regulis Hippocraticis non deuiant, & tamen aſſiduè ſunt infirmi. Quod & teſtantur vulgata Hadriani Imperatoris verba morien-

Eccli. 38. 9.
Eccli. 38. 10.
2. Paralip. 16. 12.
S. Baſil. reſp 55. reg. fuſ.
Caſsiodor. lib. diu. conſtitut. c. 31.
Dion. Caſsius

morientis, ante ipsum sepulchris inscripta: *Turba Medicorum interfecit Regem.*

in Hadriano. Plin. l.29. c.1.

VI.

Itaque qui DEVM timent, illud curæ habent, vt non antè ad medicos, quàm ad medicorum Conditorem recurrant, per pœnitentiam, per preces, per munera & vota. Laudabilisque est admodum mos ille Italorum, qui non permittit medicis curam ægrorum antè, quàm illis certum sit, etiam spiritualis medici opem implorari. Sic affecti non solùm sæculi principes, ac reges, maximis impensis, vt alibi docuimus, vsi sunt opera medicorum; sed etiam alij peculiares sancti, cùm ægrotarent, medicis paruerunt. In Prato Spirituali Stephanus senex Presbyter monachus, coactus est à medicis carnes comedere, & comedit. Cognouit autem frater eius, in visione quadam, eam obedientiam Deo placuisse. Apud Theodoretum Macedonius suadebat matri ipsius Theodoreti monasticam exercitationem amplectenti, vt cederet medicis. Palladius refert, in eremo quadam medicos & placentarios habitasse pro monachis cœnobij cuiusdam. Ne quidam non patres, sed tortores Religiosorum putent, ægrotos à se se tractandos, more ceterorum sanorum, inexperti ipsi, quid sit ægrotare, sed digni vt experiantur. Apud Ludouicum Blosium, cùm S. Brigitta jussu magistri spiritualis balneis (à quibus alioqui Religiosi valde abhorrent) esset vsa, probauit Christus obedientiam, atque inter alia hæc ait: *Multi electorum meorum medicinis carnalibus vsi non sunt; & illi fuerunt mihi accepti. Alij verò juxta locorum, temporum atque infirmitatum exigentiam adhibuerunt sibi medicamenta: & isti non mihi displicuerunt: quia hoc fecerunt ad honorem meum, vt mihi meliùs seruirent.*

Ioan. Euir. in Prato Spirit. cap. 65.

Theodoret. in hist. relig. cap. 13.

Pallad. hist. Lauf. cap. 7

Lud. Blosius Monil. Spirit. cap. 4.

Reuelat. extrauag. S. Brigit. cap. 60.

VII.

Quemadmodum autem hæc obedientia ægrorum, medico parentium Deo placet, ita displicet diabolo, qui mallet morbis Dei seruos impedire, ne tantam Orco cladem inferrent. Hinc omnibus modis laborat, ne consilijs salutaribus acquiescant. De Iordano Saxone Ordinis Prædicatorum Generali Magistro secundo hæc habet author in eius vita: *Cùm in Pedemontium aliquando vir sanctus deuenisset, diutino itineris labore defatigatus acutissimis febribus captus est. Diabolus verò non ferens sancti viri opera insignia, callidè ei est insidiatus. Audiens vrbis, quâ ægrotabat, Antistes,*

Sur. tom. 7. 13. Februarij. cap. 22.

ſancti Patris aduentum, hoſpitio eum recepit, & in cubiculum induxit, ac proprio cubili locauit, ſe ratus felicem, ſi tantum hoſpitem apud ſe haberet. Fortè cum venerando Patre erat, quidam Cœnobij cuiuſam Præſidens, quem Priorem appellant, Ordinis noſtri, vir diſertus, ſolers, prouidus, litteras callens, & moribus compoſitus, qui aliquando Medicinæ operam dederat. Is igitur Iordanis Patris animum haud ignorans, & ſciens eum in ægrotatione ſibi ipſi rigidiſſimum, dixit: Pater, oportet ægrotum in omnibus Medico ſe ſubijcere, ſi priſtinam nanciſci cupiat ſoſpitatem, quapropter ſis noſtræ Religionis Præfectus, & caput, ægrotus præfecturæ authoritatem dimittas, mihiq; te ſubdas, & obedias neceſſe eſt. Quod ſi feceris, haud vereor, quin in breui incolumis hinc exeas. Annuit Venerandus Pater humiliter. Præter ergo conſuetudinem Ordinis noſtri ſuper plumas ægroto quieſcenti (ſic enim Prior prudens juſſerat) nocte Diabolus, formam præſeferens Angelicam, apparuit, dicens veluti admirabundus: Eſtne hic Iordanes, famâ & opinione apud omnes tam præclarus? Præfectus, & Pater tam inſignis Prædicatorum Ordinis? Eſſem anceps, ni te diu ante hac noniſſem. O quàm vilis, & impudens factus es, qui quaſi vnus ex dominis Orbis terræ in ſtrato plumeo, & ſericis ornato quieſcis. O Infelix quale Ordini tuo, ac Fratribus exemplum præbes? Sed non eſt tui Deus in finem oblitus, qui ad te corrigendum me miſit. Surge igitur è grabato, terræq; protinus ſupplex inhæreas. Statimq; diabolo euaneſcente, perterritus Iordanes in terram corruit, & ſic jacens, poſtquam illuxit, à Priore, & fratribus inuenitur. Quem Prior ſeuerè corripiens coëgit ex merito obedientiæ in ſtrato præparato decumbere. Sequenti nocte iterum diabolus priſtinâ formâ aſſumptâ aſtitit, & duriùs, quàm antea redarguit, velut ſibi inobedientem, moxq; illum in ſolum deſilire præcepit. Quem cùm manè eius diei Prior iteratò ſuper ſolum jacere conſpexiſſet, apprimè indignatus dixit: Miror tuam ſimplicitatem, ne dicam inſcitiam, qui non ſolùm corporis, ſed & animæ præiudicium contra obedientiam facere præſumpſeris. Ego enim DEVM cæli, terræq; Dominum teſtor, quòd noluiſſem pro toto terrarum orbe ſic grauiter contra DEVM, & Ordinem deliquiſſe. Et hæc dicens in fletum maximum prorupit. Quod cernens Venerabilis Pater, & ipſe lachrymans procidit ad pedes eius, narrans ei viſiones, ſed magis illuſiones, & qualiter, vt conijcere poterat, diabolum illum fuiſſe, qui in Angelum

lucis

lucis fuerat transfiguratus. Prior verò captus admiratione, ac quadam commiseratione illius, aliquantulum lenitus jussit ipsum stratum ascendere. Ex hoc enim tantam membrorum debilitatem contraxerat, sicq; humores indurati fuerant, vt vix spiritum ad quiescendum haberet. Tertiâ nocte Diabolus, vt prioribus, adfuit: quem vt conspexit Vir sanctus (jam in increpationes proruperat) ait: O nequissime generis humani hostis, ô impudice canis, ô immunda bellua, quomodo meam ausus es simplicitatem deludere, ceu Zelum qualemcumq; erga Ordinem præ te ferens? & ego quidem nisi hoc Omnipotentis DEI dispensatio permisisset, sapientiùs aduertissem, quòd multò melior est obedientia, quàm stultorum victima: & in eius faciem exspuens eum fugauit. Post paucos autem dies conualescens, iter cœptum perfecit.

VIII. Nimirum corrumpitur atque dissoluitur imperantis officium, si quis ad id, quod facere jussus est, non obsequio debito, sed consilio non considerato respondet. At deceptus est Iordanus; ab Angelo se moneri putauit; & videbatur ad perfectiora ac rigorem moneri; denique ipse Generalis, ac proinde Prioris illius Superior erat: nihil ergo admodum referre putabat, si de molli lecto surgeret, & in terram se abijciens humi cubaret. Cùm ergo putaret se bene agere, malè agebat, quia non Deo, sed diabolo obediebat. Atque idcirco non ad sanitatem, sed in peius promouebatur; quemadmodum ille alter monachus, qui venam sibi valetudinis caussa curauerat aperiri, sine permissu Superioris, quod S. Odo illius Cluniacensis monasterij Abbas ægrè tulit. Quare monachus, fluxione sanguinis, qui nulla sisti potuit arte, obedientiæ violatæ pœnam obijt. In vtramque igitur partem vtendum, vel non vtendum est medicina; semper tamen obedientia comitante, quæ nos ducit ad vires, quibus Deo seruiamus; & consilia medicorum dirigit ad eos effectus, qui diuinam & potentiam & bonitatem, etiam in naturalibus auxilijs illustrent. Et illustrauit sæpe, apud eos, qui medicorum cura periculosis morbis liberati, Deo grati extiterunt; cùm & munera ad aras & templa ferrent; & votis se exoluerent; & pauperibus largitiones amplas facerent; aut denique etiam vitam, quam depositam jam deploratamq;, per industrias medicorum, non sine singulari Dei auxilio, recuperarunt, postea omnino diuino cultui consecrarent.

Ioan. Mon. lib. 3. vitæ S. Odonis c. 3. Sur 18. Nou.

Restat

IX. Restat vt medicos alloquamur, seu doctos & multa expe-
Matth, 25.25. rientia excultos, seu ineptos. Docti monendi sunt, ne talentum abscondant, quod à Domino acceperunt. Quibusdam satis est scire: itaque aut ignauia nolunt alijs succurrere; aut inuidia; aut odio: quia jam alios consultos fuisse medicos intellexerunt, aut insatiabili quadam auaritia, quia ægrotorum eos paupertas deterret; aut aliam atque aliam semper inuenit liuor diaboli
S. Chrysost. hom.12. ad pop. caussam. His S. Chrysostomus est opponendus, cuius ista sunt. *Ab ape disce charitatem, etenim illa, non sicut aranea, sibiipsi tantummodo laborat,* agit enim, *quod homini Christiano proprium est, non sua quærere, sed quæ sunt aliorum: sicut igitur illa circumuolat omnia prata, vt promptam alteri præparet mensam; sic tu homo, siue pecunias congreges, in alios extraneos expende, siue doctrinæ verba habeas, ne defodias, sed apponas indigentibus in medium; siue* artem, experientiam aut medicinam, aut *aliud peculiare habeas, indigentibus laborum tuorum vtilis fias. Non cernis quòd propterea animal gloriosissimum est apis, non quia laborat, sed quia alijs laborat? Aranea quidem laborat, & fatigatur, & tenues per partes extendit texturas omnem mulierum sapientiam excedentes, sed est ignobile animal, quoniam opus eius nobis nullatenus est vtile. Tales sunt sibi laborantes, & se defatigantes.* Quid enim proderit medico, qui nocturna diurnaque manu Hippocratem, Galenum, Celsum, Auicennam similesque Machaones versat, & neminem sanat? Præcipuus medicinæ finis est, non scire, sed facere. Ad quid scis, si non facis? Vtilitati, non curiositati creata est medicina. Quanti faceremus solem, si lucem in se resorberet, nec in terras refunderet? Quid de luna diceremus, si non vellet alijs splendere? Ad quid nubes sine imbre? agri sine messe? prata sine gramine? horti sine flore? arbores sine autumnitate? Ad praxin artes datæ sunt. Omnis
Luc. 11. 33. cognitio lux est. *Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neq; sub modio, sed supra candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant.* Accendit DEVS in multis magnum scientiæ atque experientiæ lumen, cur illud in abscondito ponunt? Nimirum, piget adire ægros; fastidiosum est consuli, & fatigari? O ignaue, quid præmij à DEO expectas, si non laboras? Nemó sibi natus est tantùm. Si tibi nemo succurreret, quàm multis rebus indigeres?

At

At times, ne ars tua alijs innotescat? inuidia igitur apud te plus valet, quàm charitas. Si sic tecum actum esset, numquam profectò tu artem hanc didicisses. Nemo enim tibi dixisset, si te discere noluisset. At odisti infirmum? Si ille te quoque odit, parum efficies. Nam, Seneca teste, *nihil magis ægris prodest, quàm ab eo curari, à quo volunt;* nec quidquam ita nocet, ac malè affectum esse erga medicum, suspecta enim tunc est etiam omnis medicina. Quòd si ille, quem tu odisti, te diligit, iam te longè est melior, & hoc ipso dignus, vt eum cures, qui, si posset, te in simili necessitate constitutum, ex animo curaret. Denique, ô capricorne, qui non vis curare, nisi quos soles amare, existimásne, ad te non pertinere illud Domini præceptum: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos?* At merces deest operi tuo? Pauper est, ad quem vocaris, non habet, quod refundat? Ad diuitem curris, equitas, volas. Itáne seruilis es? ita auarus? ita omnia vendis? ita solam mercedem in rebus tuis spectas? Forsitan & speras, vt diues infirmus te hęredem scribat? At nescis, sciri illud dictum: *Malè secum agit æger, qui medicum hæredem facit?* Nescis, alibi longè ampliorem sperari posse hæreditatem? Quid igitur? an putas Deo nullam esse mercedem, quam tibi, pro charitate tua, refundat? Crede mihi, si duos ægrotos habeas, vnum diuitem, qui tibi decem auri talenta (& quis id facit?) offerat, & alterum pauperem, qui protestetur, se ne teruntium quidem in loculis habere, libentiùs promptiúsque tibi pauper, quàm diues est adeundus. Hoc enim pacto centies, immò millies plus mereberis. Quanti enim æstimas cælum? Quo intuitu etiam nullum corporis aut contagionis periculum est recusandum. Hieron medicum tum demum ægroti amicum esse dicebat, cùm in extrema necessitate se diligentissimum ostendit. Immò non ægri tantùm, sed etiam Dei se amicum ostendit. Quo pacto Paulus II. Pontifex, teste Platina, adhuc Cardinalis, tantæ humanitatis fuit, vt in ægritudinibus curiales ipsos, qui aliquo in pretio erant, inuiseret, & quibusdam remedijs adhibitis, eos ad valetudinem adhortaretur. Semper enim domi habebat vnguenta Venetijs auecta, oleum, theriacam, & cetera id genus, quæ ad curandam valetudinem valent. Quin & Galenus Perga-

Senec. lib. 4. controu. 5.

Matth. 5. 44.

Anton. in Melis. p. 3. ser. 56.

Geſner. in vita eius.

Pergamenus medicus mirificam, etiam apud mortales, gloriam eſt conſecutus. Maximè enim ſibi plebis & tenuioris fortunæ hominum animos conciliauit, quòd medicamentis ſimplicibus vulgaribuſque, & paratu facilibus plurimùm vtens, & recta victus ratione, ſine pharmacis, vbi id fieri poterat, curans, eorum, quos ſuſcipiebat, facultates minimè opprimeret, contrà quàm faciunt plurimi noſtra ætate medici. Quin etiam vt meliori fide, ac ſumptu minore medicamenta haberet compoſita, ſuis manibus plerumque confecta officioſiſſimè ægris adminiſtrabat: in egenos interim non exiguam ſuarum facultatum portionem erogans, artemque ipſam, non auaritia ductus, aut quapiam cupiditate, ſed propter ſolam virtutem piè ſimul & religioſè exercens. Ægros moribus placidiſſimis ita exhilarabat, vt vel ſolo ſermone eos videretur reſtituere.

X. Sed doctis ſat eſt dictum. Indocti verbis etiam prolixè verberati vix ſapient. Hi in contrarium ſunt monendi, ne ſe propinent morbis ſanandis, quos ignorant; pluſque audeant polliceri, quàm ſperent ſe præſtituros. Nicocles, cùm malus quidam medicus diceret, ſe magnam habere poteſtatem: *Quid ni, inquiebat, iſtu dicere liceat, qui tam multos impunè ſuſtuleris?* Qua de cauſſa etiam, *Medicos felices nominabat, quoniam ſucceſſus quidem illorum ſol intuetur, errores autem tellus operit.* Diogenes profectò videns quemdam medendi artem iam profitentem, qui priùs fuerat palæſtrites, ſed ignauus, dixit illi: *An eos, qui te hactenus dejecerunt, nunc viciſſim deijcies?* Deijcit luctator, quem ſuperat: & deijcit medicus, quos in lectum conijcit, aut etiam in ſepulchrum. Inter tales medicos & veſpillones, nullum eſt diſcrimen. Vtrique enim ſepeliunt. Sed maiore pretio illi; enimuerò etiam maiore damno. Veſpillones ſepeliunt eos, qui ſepeliendi ſunt; medici illos; qui viribus reſtituendi, ne ſepeliantur. Hinc prudentes viri ſedulò attendunt, ne cuiuis vitam credant. Medicus quidam, teſte Plutarcho, inuiſebat Pauſaniam, dicebatque: *Nihil habes mali.* cui Pauſanias reſpondit: *Non enim te medico vtor.* Hoc ipſum, quòd nihil haberet mali, adeò non acceptum ferebat medicis, vt eos ſolos judicaret proſpera eſſe valetudine, qui medicis non vterentur. Id vt perpetuò verum

Max. ſerm. 50. Ant. ſerm. 56. part. 1.

Laërt. lib. 6.

Plutarch. in Lacon.

non sit, tamen extra controuersiam est, maximam malorum partem à medicis proficisci, vel quia sunt imperiti, vel quia negligentes, vel quia ambitione quæstúue corrupti. Hinc alius sapiens, cùm imperitus medicus ei dixisset: *Senex factus es*, respondit: *Bene quidem, & satis feliciter: medico enim non vsus sum.* [Anton. in Melis. p. 1. serm. 56.] Si medicum adhibuisset (vt delicatuli quidam, qui etiam sani bis in anno consulunt de vena secanda) forsitan in malum incidisset, qui eum non permisisset consenescere. Pæon medicæ artis peritissimus fingitur à Poëtis, post obitum, in Deorum numerum relatus, & ne otiosus esset, Deorum medicus constitutus, quasi & Dij ægrotarent, ac medico indigerent. Quamquam non hoc voluerunt fortasse Poëtæ, sed illud mihi videntur significare voluisse, à prudentibus, præstantissimos quosque esse eligendos; eos autem, qui profitentur, quod nesciunt, in scholam, immò ad ferulam remittendos, vt desinant occidere, & decipere. Nam, vt Plinius loquitur, [Plin. lib. 29. nat. hist. c. 1.] *in hac artium sola euenit, vt cuicumq; medicum se professo statim credatur, cùm sit periculum in nullo mēdacio maius. Non tamen illud intuemur: Adeò blanda est sperandi pro se cuiq; dulcedo. Nulla præterea lex, quæ puniat inscitiam capitalem, nullum exemplum vindictæ. Discunt periculis nostris, & experimenta per mortes agunt: medicoq; tantùm hominem occidisse impunitas summa est.*

XI. Quanta enim, ô Superi, audacia est, de vita alterius, perinde atque de nuce, aut testa ludere? Sartores non antè vestem conficiunt alteri, quàm altitudinem, amplitudinem, staturamque omnem diligentissimè dimetiantur. Calcearij quoque crepidas, & ocreas ad mensuram pedis accuratissimè accommodant. Neque architecti murum erigunt, quin lapides singulos ad perpendiculum examinent. Quæ igitur temeritas est, tot non medicos, sed medicastros, circumforaneos, agyrtas, reunctores, sine discrimine temporis, corporis, infirmitatis, obuium quoduis præscribere medicamentum, & pharmacum præbere, quod nesciunt, an sit nociturum? Tantíne est vita hominis? Ita nihili fit diuinum illud præceptum, NON OCCIDES? [Deut. 5. 17. Matth. 5. 21.] An fortasse solo gladio nefas est occidere? poculo licet? Quasi non &, qui venenum miscent, in hanc legem peccent. Et tamen quotusquisq; talis

talis medicus, ſe examinat, an conuenientem ægro quæſiuerit medicinam? quotus quiſque à ſe rationem exigit, an non ipſe ſua imperitia alteri fuerit cauſſa moriendi? Si vigilaſſet, ſi libros volutaſſet, ſi ſe peritiores interrogaſſet, defunctum in vita retinuiſſet. Si neſcitis, ô miſeri, etiam negligere, apud vos, eſt occidere. Et tamen quotus ſe quiſque de hoc homicidio, apud ſacerdotem accuſat? Ite ad cœmeteria, obite tumulos ſepultorum; epitaphia, cippos, & ſepulchralia ſaxa, atque in illis nomina legite mortuorum. Quoties conſcientia vobis dicet; *Etiam hunc curare debuiſſes, immò potuiſſes, niſi ad eum è conuiuio nimis ſerò, aut ebrius veniſſes?* Quòd ſi conſcientia veſtra tam eſt ſtupida, vt obmuteſcat, ipſos defunctos audite è ſepulchris ad vos clamantes: *Tu me occidiſti: Tua inſcitia, tua negligentia, tua inuidia, tua nimia cupiditas pecuniarum, mihi vitam ademit; quam ſi per te haberem, DEO ſeruirem, diuinam potentiam & benignitatem laudarem. Nunc hîc jaceo, & taceo inter ſilentes, tua victima; tuus error; tua* Pſal. 87. 12. *infamia; qui, ſi viuerem, tua gloria, tuus honor fuiſſem. Nam numquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione? Numquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua, & juſtitia tua in terra obliuionis?* Quamquam autem nemo nunc audiat defunctos ita è ſepulchris loquentes, certè tamen, ita loquentes ad diuinum tribunal, totus mundus eſt auditurus.

XII. Quamobrem ijs, qui medicinæ dant operam, ſeriò inculcandum eſt, ne putent eſſe rem friuolam, aut parui momenti. De vita hominis agitur. Itaque non perfunctoriè audiendi ſunt, neque quiuis, ſed excellentiſſimi in hac arte magiſtri. Quorum non ſatis eſt dictata legere, ſed etiam **conſilia** audire, obſeruare praxes, ijs adeſſe, quoties ægrotis **adſunt**; omniumque experientiarum cauſſas intimas curioſiſſimè indagare. Alioqui continget, quod dicitur duobus omnium mortalium ineptiſſimis medicaſtris contigiſſe. Aiunt enim, fuiſſe quempiam minimè callidum hominem, qui cùm in Rhetoricis ſcholis audijſſet medicos juriſconſultis longè fieri locupletiores, illico apud ſe ſtatuerit, per ſtudia medicinæ diteſcere. Emiſſus ergo è Gymnaſijs ad Academiam euolauit. Et quia illi ingenium pro Philoſophicis ſubtilitatibus non erat idoneum, omiſſa Logica, Phyſicis quoque

quoque ac Metaphysicis insuper habitis, statim animum appulit, ad Hippocratis & Galeni scita perdiscenda. Quoniam autem agnouit mentis suæ imbecillitatem, censebat, quod ingenio deerat, labore compensandum, eam igitur sequi voluit factionem, quæ ab experimentis se cognominat, empiricen. Rogauit itaque professorem suum, vt, si quando ad ægros vocaretur, se; seu comitem & Achatem, seu discipulum, seu etiam famulum, asciſceret, sineretque audire consilia, & remedia singula describere, & in librum ad id destinatum annotare. Facilè impetrauit, quod petijt mens tam alba, apud quàm nullius doli suspicio timebatur. Quid autem aliud ageret simplex homo, quàm vt Coum illum Hippocratem imitaretur? *Is, cùm fuisset mos, liberatos morbis scribere in templo (Æsculapij) quid auxiliatum esset, vt postea similitudo proficeret, exscripsisse ea traditur.* Pari pacto iste magistrum suum assidua vmbra sequebatur, & quidquid illum suadentem, vel dictantem audiebat, illico referebat in suum palimpsestum. Quem quidem intra paucos menses impleuerat. Libro pleno, jam & ipse plenus superbia, putabat se medicum factum. Itaque famam pariter & pecuniam aucupans, statim cœpit animas humanas negotiari. Nec defuerunt, qui decipi vellent. Miserum enim vulgus magna pollicentibus facilè credit. *Palamq́ue est, vt quisque inter istos loquendo polleat, imperatorem illico vitæ nostræ necisq́ue fieri.* Quod igitur ingenio defuit, linguâ compensauit; ipsa se fata regere posse professus. Sed non diu triumphat vanitas, nemine prodente agnoscitur. Primum remedium, quod à magistro ad dysentericum sanandum præscriptum annotârat, erant *pulli in ipso ouo decocti, admixta vini austeri hemina, & pari modo olei pollentaq́ue*: vocatus ergo scholasticus iste ad primum ægrum, vt ex veruecum patria esse deprehenderetur, primum à se notatum remedium præscripsit; &, quod erat absurdius, æger ad quem vocabatur, prorsus contrario malo laborabat, nam sedem diu nullam habuerat, ventris beneficio destitutus. Itaque ex ægro fecit ægriorem, & qui antea difficulter, jam nihil omnino poterat egerere. Ita etiam processurus erat cum alijs morbo affectis. Nam secundo, secundum à se notatum remedium, tertio tertium præscripturus erat, quocumque demum

Plin. lib. 29. nat. hist. c. 1.

Plin. lib. 29. nat. hist. c. 1.

demum morbi genere laboraret; niſi fama ad magiſtrum perueniſſet, qui eius inſcitiam ac ſtuporem acerrimis verbis caſtigauit; eumque poſthac non caſu, ſed ratione vti juſſit. Arripuit dictum ſolers diſcipulus, & vocatus ad podagricum, palimpſeſtum inſpexit, reperitque à magiſtro ſuo ſuaſum capite dolenti ex catarrho, vt pedes lauaret. Bene eſt, inquit, contraria contrarijs curantur. Magiſter meus capitis dolorem lotione pedum ſuſtulit, tu igitur, ſi pedum vis dolore leuari, caput laua. Voluit, credo, ei podagram in caput euocare. Cùm ergo etiam hîc ſe ridendum præbuiſſet, apud tertium exiſtimauit, falli ſe non poſſe. Nam ad eum adierat, cui jam dudum magiſter ſuus dederat pharmacum, quo ſumpto conualuit ægrotus. Recurrente ergo eodem morbo, idem ei pharmacum præbuit, quo priùs conualuerat. Sed ſine effectu, non enim ſenſit remedium ægrotus, ſed peiùs habebat. Admiratus ergo, quî factum eſſet, vt eadem medicina, quæ priùs depuliſſet morbum, poſtea magis aggrauaret, cucurrit ad magiſtrum, & cum eo expoſtulauit, quòd remedium ſibi non bona fide patefeciſſet. Cui ille, Fateor idem fuiſſe pharmacum, ſed ideò non profuit, quia ego non dedi. Indignatus magis diſcipulus, Ecquid, ait, manus mea æquè eſt bona, ac tua? Æquè bona, reſpondet magiſter, ſed non æquè docta; quia nondum didicit, quando, & quomodo danda ſint pharmaca. Quæ proſunt juueni, nocent ſeni; quæ juuant cælo tepido, lædunt frigido. Ad multas ars iſta attendere debet mutationes. Hæc vbi audiuit diſcipulus, animum deſpondit, atque ex medico factus eſt cadauerum funerator, Diaulus appellatus, vt homines innocentiùs ſepeliret: quem aiunt etiam reliquis abſurdis hoc addidiſſe, vt ex propriæ vrinæ inſpectione, de alienis morbis ariolaretur, putans, in medico, tamquam in ſpeculo, omnes omnium affectiones relucere.

XIII. Alter cum hoc de ſtupiditate certans, cùm vidiſſet, magiſtro ſuo ingens nomen accedere, ea cauſſa, quia plerumque explorato venæ motu, dicebat, quid noxium æger comediſſet. Hanc artem ab eo prece & pretio extorſit diſcipulus, ſed ſub arcani fide. Dixit ergo ei magiſter, ſe id non è vena, ſed aliunde ſcire. Si enim cortices peponum, pomorum, nucum, raporum,

rapha-

raphanorum, ac similes quisquilias sub lectica videat, facile esse conijcere, quòd ea æger degulârit. Lætus hac arte ingeniosus discipulus, cœpit & ipse eam profiteri, & exercere. Sed malè cessit ars, non bene applicata. Vocatus fortè fuerat ad agricolam decumbentem, cui rotundè dixit, non posse eum consequi sanitatem. Caussam rogatus respondit, quòd cibo inidoneo vteretur. Interrogatus porrò, quonam cibo? dixit, equum eum manducasse. Cachinnantibus ijs, qui aderant, maiorem præbuit ridendi caussam, quando explicata dicti sui caussa se se excusauit. Dixit enim, se ephippium sub lectica videre, vtique de equo manducato illuc projectum. Tales medici, sine numero occurrunt, à quibus nec hominibus salus, nec Deo gloria prouenit.

XIV. Esto enim sint fabulæ, quas memoraui, an non infiniti occurrunt, qui se medicos profitentur? non solùm illi, qui è scholis prodierunt medicorum, verùm etiam, qui rure nati litteras nullas didicerunt? Non enim iam loquar de circumforaneis, nec de illis, qui rem herbariam tractarunt, aut qui chartas aliquas remedijs plenas in foro scrutario emerunt & legerunt. Quæ anus tam est tremula, vt non audeat, etiam in periculosissimis morbis, medicinam polliceri? quæ ancilla, quis de triuio mendicus, aut Iudæus non consulit ægrotis? Ita vbique Asclepiades, aut Themison, aut aliquis Antonius Musa occurrit; ita putes in nullo non pago Cassios, Calpitunos, Aruntios, Albutios, Rubrios, Stertinios inueniri. Quam rem Gonella Italus, inter omnes sui tẽporis sanniones & facetos homines primas tenens, Nicolao Ferrariæ Duci aliquando luculentè demonstrauit. Incidit quæstio, cuiusnam generis hominum, Ferrariæ, maxima esset multitudo? Ibi alij alios opifices atque artifices nominabant; quidam dicebant, plurimos esse mercatores; Gonella autem contendebat, numerum maximum esse medicorum; cùm tamen constaret, vix tres aut quatuor medicos esse in tota ciuitate. Vt igitur paradoxi sui veritatem confirmaret, altero die, ante fores templi consedit, non sine focalibus, & fascijs circa malas obuolutis. Quoniam autem notissimus erat in tota ciuitate, nemo in templum intrauit priùs, quàm interrogaret, Ecquidnam illi

mali

mali accidisset? respondit singulis, dentes sibi dolere. Hîc nemo omnium fuit, cui non remedium in promptu esset. Vnus suasit, vt *vitiosum*, si quem haberet, *erui sineret*. Et cùm diceret, forcipem se pati non posse, mox alter adfuit, qui illud subijceret: *cauosos dentes extrahit amurca.* Et tertius superueniens aliud suggerebat, dicebatque: *Dentes sine vexatione extrahit radius pastinacæ.* Quid ergo, ait Gonella, si omnes dentes labent, an omnes suades euellendos? Nequaquam, ait quartus, siquidem ijs firmandis alia sunt remedia. *Nam mobiles dentes stabilit myrrha commanducata.* Enimuerò, ait quintus, *Mobiles dentes sistit succus colocynthidis cum aceto calefactus.* Excipit sextus, vt ego audiui, *confirmat dentes inula à jeiunis commanducata.* Immò, ait septimus, *confirmantur dentes ossibus pernarum combustis.* Aut *commanducata lapathi radix*, inquit octauus. Quòd si hæc omnia non juuant, ait nonus, *vinciendi sunt dentes auro.* Vix hi abierant, cùm decimus successit, qui, intellecto dolore eius, extemplo pronuntiauit antiquum illud: *Circumscalpti dentes, dolore liberantur.* Vndecimus autem, jussit eum *circumscarificare dentem.* Superuenit duodecimus, qui consultius putauit, si *infricaret dentes cinere cornu ceruini.* Hunc excipiens tertius decimus ait: *juuat dentes illitus cinis vermium terrènorum.* Decimus quartus, à certis eum jubebat cibis abstinere, illud addens: *Nocet dentibus & gingiuis Brassica.* Decimus quintus aiebat: *Dentium remedium est, corticis platani in aceto decoctum.* Sed mox & decimus sextus, meliùs sibi sapere visus, dicebat: *Dentes sanat radix anemone commanducata.* Compendiosius est, aiebat decimus septimus, *si cauis dentium cera includatur, ad vermiculum necandum.* Alius deinde post alium veniebat, qui se dentibus mederi posse profitebatur. Et quidem nonnulli quædam è iam dictatis repetebant, alij verò noua, nonnulli etiam superstitiosa afferebant. Nam fuit, qui diceret: *Dentibus remedio sunt panacis radix commanducata, præcipuè chironia, item succus collutis.* Alius: *Radix hyoscyami ex aceto manducata.* Alius: *Commanducantur & plantaginis radices, aut colluuntur in aceto decoctæ succo.* Quidam aiebat, anum se nosse, quæ recitatis aliquot carminibus, plumbum liquefactum infundat in aquam, & dentium dolores extinguat. Alius schedam è sinu extractam legebat, in

qua

qua hæc verba: *Erigeron à noſtris vocatur ſenecio. Hanc ſi ferro circumſcriptam effodiat aliquis, tangatq́ ea dentem, & alternis ter deſpuat, ac reponat in eumdem locum, ita vt viuat herba, aiunt, dentem eum poſtea non doliturum.* Talia ſexcenta, & ampliùs excepit in chartam Gonella, cum nominibus & cognominibus eorum, qui dictauerunt; venitque adhuc genis obuolutis, & capite infaſciato ad Nicolaum Ferrariæ Ducem prandentem. Ad cuius primum aſpectum exclamans Dux aiebat: Quid ita tibi, Gonella, quid accidit? Cui Gonella fractâ, & miſerabili voce reſpondit, dentes ſibi dentire. Vix dixerat, cùm Dux, ex intimo conclaui ſuo juſſit certam ſibi pyxidem afferri, quam Gonellæ porrexit, vt oleo illo dentes imbueret. Gonella pyxide accepta, atramentum & calamum popoſcit, quibus allatis, ipſius etiam Ducis nomen & remedium vltimo loco catalogi ſui appoſuit. Exhibitoq; ſyllabo omni, oſtendit, ſolorum dentium dolori pellendo, tot eſſe Ferrariæ medicos; neque dubium eſſe, ſi numerus iniretur medicorum, qui ceteris morbis remedia ſe habere exiſtiment, plures Ferrariæ medicos, quàm viros inuentum iri. Quod Ferrariæ oſtenſum eſt, poſſet in toto terrarum orbe demonſtrari. Vbique medici ſunt, ſed ſub ſcamno nati; qui tolerari poſſent, ſi in vulneribus ſanandis, aut quotidianis malis curandis ſe cohiberent. Nunc autem, quando non tantùm dentes, ſed intima quæque, & adeò ipſam vitæ ſedem aggrediuntur, cùm nec morbos nôrint, nec morborum medicinas, quid mirum eſt, tot paſſim efferri? cœmeteria ante tempus impleri? Nimirum remedia ſuggerunt? Ignoſcite, ô quotquot hîc temeritate veſtra rei eſtis; dura, ſed vera ſententia vos feriam; In grauibus & periculoſis morbis, vbi non agitur de dente, ſed de vita, homicidia ſunt remedia indoctorum.



CAPVT XXXVIII.

Decima nona morborum cauſſa, vt per eos ſupernaturalium remediorum efficacia, in primiſq; Chriſti gloria mundo pateſiat.

I. B eiuſcemodi imperitos circumforaneos, multi omninò à medicis abſtinent, & malunt mori gratis, quàm pretio mortis perſoluto. Idq; tantò libentiùs, quia etiam peritiſſimi in hac arte ſubinde errant; nec quiſquam eſt, cuius medicina, ſine diuina ope, ſit felix. Quod etiam expertorum medicorum periculum videns, S. Hieronymus ita ſcripſit: *Si felli prouideris temperando, pituita ſuccreſcit: Si humores ſiccare feſtines; inardeſcit ſanguis, bili vitiatus, & luteus color ora perfundit. Certè vt cunctam medicorum adhibeamus diligentiam, & caſtigatis vinamus cibis, & morborum fomitibus careamus, & cruditate; occultis quibuſdam, & ſoli DEO cognitis cauſſis, vel frigore inhorreſcimus, vel febre exardeſcimus, vel torminibus eiulamus, & veri medici Saluatoris imploramus auxilium, dicimuſq; cum Apoſtolis: Magiſter, ſaluos nos fac, perimus.* Plurimi ægrotorum à DEO curati ſunt ſine medicina; nullum medicina curauit ſine DEO.

S. Hieronym. lib. 3. aduerſ. Pelag.

II. Hinc ſancti quidam homines medicinas omnino repudiarunt, vt ſpem ſuam omnem in DEO collocarent. S. Diadochus de medicis ac medicinis agens, *Non oportet*, ait *ſpem ſanationis in illis collocare, ſed potiùs in vero Saluatore & Medico noſtro IESV Chriſto.* Hinc plerique veteres Eremitæ in ſolitudinibus degentes, medicos non habebant, quos conſulerent; immò nec medicinis, ſi quas fortè haberent, vtebantur. *Zachæus quidam Monachus, poſt longa continentiæ tempora, regio morbo correptus, ſequeſtratam habuit à fratribus cellulam totâ vitâ ſuâ pane tantùm, & ſale contentus. Semper autem pſiathios operabatur, tantamq; contritionem propter Dominum ſuſtinebat vt ſæpenumero funiculos intorquens, compungerentur manus eius, & ſanguinis guttæ effluerent: in tantum, vt ex ipſo opere magna viri tolerantia monſtraretur. In tantâ igitur infirmitate corporis conſtitutus, numquam fratrum collectam deſeruit: ſed ad explendas omnes diurnas orationes, ſolicitè conuolauit, adeò vt numquam dormiret interdiu. Conſueuerat autem per ſingulas noctes, priuſ-*

S. Diadoch. lib. de perfect. Spirit. cap. 53.

Heribert. Roſvveid. l. 1. de vit. PP. in vit. S. Pachomij. cap. 51.

priuſquam caperet ſomnum, quadam de Scripturis ſanctis meditari: totaq; membra ſua Chriſti ſignaculo muniens, glorificabat iugiter Dominum, & ita paululùm quieſcebat. Deinde circa noctis medium ſurgens vſque ad matutinas orationes alacer permanebat. Huius aliquando manus quidam frater inſpiciens, operis nimietate atque violentiâ fortiter ſauciatas, & reſperſas ſanguine, dicit ei: Quid ita, Pater, duriſſimo labore te diſcrucias, maximè tali infirmitate depreſſus? An fortè metuis, ne apud Deum contrahas offenſam, vel otij crimen incurras, ſi non ſedulò fueris operatus? Scit Dominus quid pateris, & quia nemo tantis tribulationibus afflictus, vllum valet opus attingere: præcipuè tu, qui nulla neceſſitate conſtringeris. Nam ſi peregrinis poſt DEVM ſufficientiam pauperibuſq; largimur, quantò magis tibi tanto Patri cum deuotione maximâ ſeruiemus? Ad quem ille reſpondit: Impoſſibile eſt mihi non operari. Et frater ait: Si hoc, inquit, tibi places, ſaltem manus tuas oleo perunge, ne tantum ſanguinem profluentes in labore deficiant. Qui conſilio eius acquieſcens fecit, quod hortatus eſt eum: & intantum vulneratæ manus eius grauatæ ſunt, vt nequaquam poſſet ferre cruciatus. Ad quem viſendum beatus Pachomius veniens, cauſſamq; cognoſcens, ait ei: Putabas frater, quòd te oleum poſſet iuuare? Quis enim te coëgit ita ſedulò laborare, vt ſub prætextu operis, in hoc viſibili oleo magis, quam in DEO ſpem tuam poneres? Aut numquid impoſſibile eſt DEO, ſanare te? aut ignorat ægritudines ſingulorum, noſtriſq; commonitionibus indiget? vel deſpicit nos? qui eſt naturâ miſericors? Sed vtilitatem conſiderans animarum noſtrarum, ſinit ad momentum nos pati triſtitiam, vt tolerantiæ perpetua præmia largiatur. Super ipſum igitur omnem curam noſtram ſolicitudinemq; iactemus: & quando voluerit, vel quomodo iudicauerit, ipſe terminum doloribus noſtris benignus imponet. Qui reſpondens ait: Ignoſce mihi, venerabilis Pater, & ora pro me Dominum, vt & hoc mihi delictum remittere pro ſua pietate dignetur. Aſſeuerabant etiam plurimi de hoc ſene, quòd per annum integrum ſe defleuit, poſt biduanum jeiunium parum cibi percipiens. Hunc S. Pachomius monachis proponebat, velut exemplum bonorum operum, firmamentumq; virtutum. Ad quem etiam eos, qui erant in mœrore poſiti, dirigebat: quia habebat & conſolatorium verbum, ſicut nullus alius. Qui vſq; ad finem fortiter decertans in ſenectute ſancta, pro doloribus tãtis æter-

na solatia recepturus, ad cælestia regna transiuit. Nimirum viri toti Deo dediti, etiam omnem spem in solo Deo reponunt.

III. Theodoret. hist. relig. cap. 26.

Hinc Simeoni Stylitæ illi magno, vt Theodoretus memoriæ prodidit, persuaderi non potuit, vt vlceri medicinam adhiberet, quod ex asperrimo cingulo contexto palmarum folijs, & nudis membris circumjecto contraxerat. A Petro Damiani laudi datur Leoni Eremitæ, quòd in omni vita sua (quæ fuit annorum centum quadraginta) numquam sanguinem minuerit, nũquam antidotum sumpserit. Et ecce, quàm ad magnam peruenit ætatem, cùm alij sperent, se medicinis vitam prolongaturos, quam plerumque decurtant. Idem ipse Petrus Damiani, cùm languescente stomacho, ex graui diuturnoque morbo alimenta capere non posset, & pisces omninò deessent, restitit importunis fratrum precibus vehementer flagitantium, vt triduò carnium esum reparationi tabescentis & effœti corporis indulgeret: *ne paulatim rigorem Ordinis in se suisq; laxaret.* Propior morti erat Martinus, & tamen in cinere & cilicio recubabat. Quem, cùm discipuli rogarent, vt saltem vilia sibi fineret stramenta supponi: *Non decet*, inquiebat, *fily, Christianum nisi in cinere mori. Cùm item à Presbyteris rogaretur, vt corpusculum lateris mutatione releuaret: Sinite*, aiebat, *sinite me, Fratres, cælum potiùs respicere, quàm terram, vt suo iam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur.* Adeò sancti viri Numinis & pœnitentiæ amore non solùm medicinas, sed etiam vel leuissima morbi solatia repudiarunt. Quamobrem etiam de S Fulgentio vitæ author ita scribit: *Persuadentibus autem medicis, vt lauacris balneisq; vteretur: Numquid balnea*, inquit, *facere poterunt, ne homo mortalis, expleto vitæ suæ tempore moriatur? Si verò proximam mortem nec aquarum calidarum possunt fomenta repellere, cur mihi obsecro persuadetis, vt rigorem diu seruatæ professionis in fine dissoluam?* Quod dictum diligenter memoriȩ infigant Religiosi balneatores, qui, nulla necessitate vrgente, non tam ad thermas, quàm ad delicias videntur proficisci. Pertinet ad hanc classem etiam Posthumius ille, qui, *si quando infirmitas febrium, aut stomachi dolores graui tormento eum afficerent, non dedit indulgentiam morbo infirmitatis, nec calidis vsus est rebus, nec jeiunia minorauit, æstimans, quòd si corpori calido cibo consule-*

Petr. Dam. epist. 118. ad Teuzonem.

Sulp. epist. 3.

In vita S. Fulgentij c. 30.

Heribert. Rosvveid. l. 1. de vit. PP. in vit. Posthumij. cap. 6.

consuleretur, à Domino redemptio animæ non daretur. Nam si aliquando valetudo grauis debilia genua fatigaret, ita vt ad vigilias Post-humius exurgere non valeret, orando & psallendo in stratu suo non desinebat. Si lingua præ siti siccaretur, cordis intima rugiebant, ne silentio eius hostis animæ diabolus lætaretur, aut in opere DEI vir sanctus negligens inueniretur. In Prato Spirituali legimus de Myrogene hydropico, & Barnaba Anachoreta, cuius pedi arundinis festuca infixa est, qui ambo malè affecti, nec medicum, nec medicamenta admiserunt. Hos tales imitati sunt Religiosi illi, de quibus his verbis Vmbertus: *Nota, quòd quidam Religiosi ex magno sanctitatis feruore, non curant vti medicinalibus, reputantes id carnalitatem: & imitari volentes B. Agatham, quæ dixit: Medicinam carnalem numquam corpori meo exhibui.*

Ioan. Euirat. in Prat. c. 8. & 10.

Vmbert. cap. 123. in regul. S. Aug c. 19.

IV.

Hoc in femina exemplum aliæ quoque sanctæ feminæ sunt imitatæ; & quidem illæ, quæ in delicijs enutritæ, ad sanctitatem transierunt. Quarum exempla tantò sunt fortiora, quantò in sexu imbecilliore splenduerunt. Paula Romana, mense Iulio, feruentissimis æstibus incidit in ardorem febris, & post vitæ desperationem, cùm DEI misericordiâ respirasset, & medici suaderent, saltem tenui & parco vino, ob respirationem opus esse, ne aquam bibens, in hydropem verteretur; S. Hieronymus clam Epiphanium Episcopum rogauit, vt eam moneret, immò compelleret vinum bibere. Quid S. femina fecit? an consilio medicorum, authoritate Episcopi, occasione morbi, vino inhiauit? Nequaquam. *Illa,* inquit S. Hieronymus, *vt erat prudens & solertis ingenij, statim sensit insidias; & subridens, meum esse quod ille diceret, intimauit. Quid plura? eum beatus Pontifex, post multa hortamenta exisset foras, quærenti mihi, quid egisset, respondit: Tantum profeci, vt seni homini penè persuaserit, ne vinum bibam.* De Galla nobilissima puella Romana, refert S. Gregorius, eam studio sanctioris vitæ monasticæ, respuisse conjugij medicinam, quam medici suadebant; ex ignea corporis conspersione, & morbos & barbam prædicentes, quæ quantum faciem virilem ornat, tantum muliebrem deuenustat. Nec vana fuit prædictio medicorum, nam & barba illi nata est, & vlcus cancri mamillam inuasit. Sed pluris illa fecit mentis, quàm corporis integritatem. Quemadmodum

S Hieronym. epist. 7. de Eustoch.

S Greg. lib. 4. dial. cap. 13.

Pallad. hist. Laus. c. 143. modum & Siluania virgo, quæ apud Palladium, hæc de seipsa narrat: *Præter extrema manuum mearum, non pes meus aquam tetigit, non vultus, neq; vllum ex membris meis; etiamsi me variæ innaserint ægritudines. Et cùm à medicis cogerer vti balneo, non induxi in animum carni reddere debitum; non in lecto quiescens, non lectica vsquam gestata ingrediens.* Ad quid his talibus feminis, & sanctis illis viris morbus? ad mortificationem carnis, & vt dolorem dolori adderent, maioremque patientiam exercerent. Sed ante omnes mirabilis exempli est Gorgonia, S. Gregorij Nazianzeni soror, quæ abreptione & raptatione vehiculi, ob mularum furorem confracta, immò multis partibus concisa medicum recusauit, vt ipse S. Gregorius testatur. (S. Greg. Naz. orat. 11. v. 19.) Qua autem hoc de caussa fecit? duas indicat S. Pater. Prima est, quòd ob modestiæ virtutem oculos & manus virorum erubesceret. Altera, quòd ab eo solo, cuius permissu in eam calamitatem inciderat, salutem quæreret.

V. Atque hæc est non minima caussa multorum morborum, vt homines discant, non in diuitijs, non in creaturis, non in humanis auxilijs omnem spem suam collocare; sed cogitationem, fiduciamque suam altiùs mittant, & ad Deum, ad Diuos recurrant, qui & prompti sunt ad opitulandum, & his ipsis auxilijs de cælo suppeditatis, coram toto mundo, inclarescunt; hisque ipsis etiam beneficijs homines trahunt, ad opem illorum inuocandam. (Matth. 4. 23.) Hoc est, quod suprà dixi, Christum *sanasse omnem languorem, & omnem infirmitatem.* (Luc. 6, 19.) Vnde *omnis turba quærebat eum tangere.* Hoc est, quod ipse Christus palàm indicauit, cùm à discipulis interrogaretur: (Ioan. 9, 2.) *Rabbi, quis peccauit, hic aut parentes eius, vt cæcus nasceretur?* Nam disertè respondit *IESVS: Neque hic peccauit, neque parentes eius: sed vt manifestentur opera Dei in illo.* (Matth. 9. 8.) Quemadmodum, quando paralyticum surgere iussit, *videntes turba timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.* At cur opera Dei, quæ alibi vbique magna sunt & mirabilia, in morbis erant manifestanda? Nimirum magnum quid erat, Christum, quem omnes hominem esse videbant, credere Deum. Magnum quid erat, Christum, quem tanta hominum multitudo vidit in cruce expirasse, credere tertia die resurrexisse

rexiſſe à mortuis, & cum carne ſua aſcendiſſe in cælum. Hæc
fieri & adeò credi non poſſe, dixiſſent mundi ſapientes, *niſi ea* S. Aug lib. 22.
fieri potuiſſe, atque facta eſſe diuinitas ipſius veritatis, vel veritas di- de ciuit. c. 7.
uinitatis, & conteſtantia miraculorum ſigna monſtrarent. Inter-
miracula autem, quæ maximè ſentiuntur, & æſtimantur ab ho-
minibus, ſunt ſubitæ & prodigioſæ morborum depulſiones.
Quantò enim dolorem vehementiùs auerſamur, tantò cupidiùs
optamus ſanitatem; quæ ſi non jam per medicinas naturales, ſed
ope cæleſti nobis reddatur; jam per beneficium, quod in corpo-
re accepimus, ad benefactorem ipſum amandum & venerandū
eleuamur. Itaque ægrotarunt multi, vt opem quærerent: quam
quia non inuenerunt in pharmacis naturalibus, de ſupernatura-
libus remedijs cogitauerunt. Immò, vt ſupernaturalia eſſe ſci-
rent, miraculoſa fuerunt, ac omnem naturæ vim ſuperantia.
Rectè enim S. Auguſtinus ait: *Hæc vt fidem facerent, innotuerunt;* S. Auguſt.
hæc per fidem, quam fecerunt, multò clariùs innoteſcunt. Nempe loc. cit.
per miracula fides, per fidem fiducia, laus, & actio gratiarum.

VI.

Hinc quis neget, Naaman principi militiæ regis Syriæ le-
pram profuiſſe? Hæc in cauſſa fuit, vt ad Eliſéum Prophetam
proficiſceretur. Hæc fecit eum obedientem, vt ſepties in Iorda-
ne lauaretur. Hæc depulsa eum & gratum, & fidelem reddidit.
Nam poſtquam *reſtituta eſt caro eius, ſicut caro pueri paruuli, &* 4. Reg. 5. 14.
mundatus eſt, reuerſus ad virum Dei, cum vniuerſo comitatu ſuo
venit, & ſtetit coram eo, & ait: Verè ſcio quòd non ſit alius DEVS in
vniuerſa terra, niſi tantùm in Iſraël. Vtique vtiliter ægrotauit. Si
morbum neſcijſſet, Deum neſcijſſet. Iam duplici malo libera-
tus eſt, cum lepra depoſuit infidelitatem. Nec fruſtra Prophetæ
data eſt ſcientia tam fœdum morbum abolendi, cum corpore
animam abluit Naaman: hoc beneficium ex beneficio eſt conſe-
cutus. In hunc ipſum finem Raphaël Tobiam minorem docuit,
ad quid prodeſſet fellis medicina. Per eam pater eius recepit vi-
ſum. Qui etſi antea jam Deum cognouit coluitque, tamen ſa-
natus & ipſe, & familia eius in laudes diuinas erupit. *Et glorifi-* Tob. 11. 16.
cabant Deum, ipſe videlicet, & vxor eius & omnes qui ſciebant eum.
Dicebatq́; Tobias: Benedico te, Domine Deus Iſraël, quia tu caſtigaſti
me, & tu ſaluaſti me. Taceo alios, in veteri Teſtamento, vel re-

ges, vel greges, corpore ſanatos, etiam mentis morbum depo-
Num. 21. 6. ſuiſſe. Murmurauerant Iſraëlitæ, in deſerto. *Quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes, ad quorum plagas, & mortes plurimorum, venerunt ad Moyſen, atque dixerunt: Peccauimus, quia locuti ſumus contra Dominum & te: ora vt tollat à nobis ſerpentes. Orauitq́; Moyſes pro populo & locutus eſt Dominus ad eum: Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno: qui percuſſus aſpexerit eum, viuet. Fecit ergo Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno: quem cùm percuſſi aſpicerent, ſanabantur.* Vides cur Iſraëlitæ percuſſi ſint à ſerpentibus: murmurando plagam meruerunt. Icti ſapere didicerunt, & confugerunt ad Moyſen; Moyſes ad DEVM; DEVS, vt catenam hanc texeret, ſerpentem erigi juſſit, &
Ioan. 3. 14. aſpici, vt in eo aſpicientibus ſanantē Filij ſui imaginem erigeret. Nam *ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto: ita exaltari oportebat Filium hominis, vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

VII.
Hebr. 9. 27. Totum genus humanum à ſerpente fuit percuſſum. Ictus lethalis erat. Inde *ſtatutum eſt hominibus ſemel mori.* Morti autem morbus viam ſternit. Vt autem mors eſt duplex, corporis vna, animæ altera; ita duplex morbus, quorum vnus corpus, alter animam ad mortem diſponit; ignorantia ſcilicet DEI &
Oſee. 13. 14. rerum diuinarum. De vtraque morte dictum eſt: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos; ero mors tua, ô mors, morſus tuus ero inferne.* Vt ergo à morte animæ homines liberaret Deus, à morbo animæ, hoc eſt, ab ignorantia eos liberauit, docuitque
Ioan. 17. 3. cognoſcere Redemptorem: *Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti* IESVM CHRISTVM. Cognitio hæc ignorantiam expulit. At cognitio per quid effulſit? per miracula varia quidem, ſed maximè ſanitatum. Morbis enim velut ſerpentibus percuſſi, ad eum tamquam ad æneum & peccati veneno carentem ſerpentem, aſpicientes, & concurrentes, ſanabantur. Vnde & corporis, & animæ ſuæ medicum ag-
Ioan. 10. 37. noſcebant. Ad quid enim miracula faciebat, niſi vt diuinitatem ſuam manifeſtaret? *Si non facio opera Patris mei,* ait, *nolite credere mihi. Si autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoſcatis, & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre.*

Nemo

Nemo enim tantum in vitam jus habuiſſet, niſi author vitæ. Matth. 11. 20.
Qua de cauſſa *cœpit exprobrare ciuitatibus, in quibus facta ſunt plu-* Matth. 12. 23.
rimæ virtutes eius, quia non egiſſent pœnitentiam. Aliquando *obla-*
tus eſt ei dæmonium habens, cæcus, & mutus, & curauit eum, ita vt
loqueretur, & videret. Et ſtupebant omnes turbæ, & dicebant: Num-
quid hic eſt filius Dauid? hoc eſt, Meſſias ille toties promiſſus,
tamque diu expectatus, qui ex genere Dauidis credebatur de-
ſcenſurus. Abrahamo enim potiſſimùm & Dauidi promiſſio na- Gen. 12. 13.
ſciturì ex ipſis Chriſti facta eſt: Abrahamo enim dictum eſt, *In ſe-* & 22. 18.
mine tuo benedicentur omnes gentes: quod D. Paulus de Chriſto in- Gal. 3. 17.
telligendum eſſe docet: Dauidi autem: *Iurauit Dominus Dauid* Pſal. 131 11. & 2. Reg. 7. 12.
veritatem, & non fruſtrabitur eum, de fructu ventris tui ponam ſu- 1. Paralip. 17.
per ſedem tuam, & alibi ſæpius. Ex miraculis ergo cognouerunt 11.
eum Meſſiam eſſe.

VIII.

Hinc & qui ad tantam lucem prodigiorum cæci manebant,
meritò reprehendebantur à Domino: *Væ tibi Corozain, væ tibi* Matth. 11. 21.
Bethſaida, vrbes Galilææ (in quibus frequentiſſimè Chriſtus, cum
diſcipulis ſuis, Euangelium prædicans, & miracula faciens, nihil
effecit) *quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt*
in vobis, olim (iamque dudum) *in cilicio & cinere pœnitentiam egiſ-*
ſent: quamuis ibi Gentiles, & idolis dediti, delicijſque & auari-
tia, & omni genere vitiorum corruptiſſimi fuerint. Quod etiam
hæreticis multis obijcietur, qui ad clariſſima miracula non con-
uertuntur: cùm barbari, cùm Æthiopes, cùm orientales & occi-
dentales Indi, ob eiuſcemodi prodigia, Chriſtum, Deum agno-
ſcant & adorent. Sed aranearum eſt, omnia in venenum com-
mutare. Ita & illi agebant, qui audito Domino dicebant: *Vnde* Matth. 13. 54.
huic ſapientia hæc, & virtutes? Nonnè hic eſt fabri filius? Nonnè ma-
ter eius dicitur Maria? & fratres eius, Iacobus, & Ioſeph, & Simon
& Iudas? & ſorores eius omnes apud nos ſunt? Vnde ergo huic omnia
iſta? Et ſcandalizabantur in eo. Erat enim Chriſtus *credentibus* 1. Petr. 2. 8.
lapis electus, & angularis, non credentibus autem petra ſcandali, &
lapis offenſionis. In quo autem ſcandalizabantur? in eo ipſo, in
quo alij ædificati, eum eſſe Filium Dei credebant. Sciebant enim
Nazareni iſti (nam apud eos hoc fiebat) Chriſtum litteras non
didiciſſe, vt dicitur alibi, *Quomodo hic litteras ſcit, cùm non didicerit?* Ioan. 7. 15.

Vnde credibile est, eos sapientiam & miracula, quæ in eo videbant, malis artibus tribuisse. Omnes enim Euangelistæ dicunt eos ipsius doctrinam admiratos, & simul etiam scandalizatos fuisse. Atqui non potuerunt, cùm admirarentur, scandalizari, nisi credidissent, quæ dicebat atque faciebat, diaboli operâ dicere & facere: quemadmodum illi, qui palàm ausi sunt dicere:
Ioan. 9.34. & 12. 24. *In principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* Meritò igitur *non fecit ibi*
Luc. 23. 8. *virtutes multas.* Quia, sicut & coram curioso Herode, frustra fecisset. Sunt enim multi adeò obstinati, vt neque signis credant, immò vt ea contemnant & irrideant, & dicant: *Vnde huic virtutes?* Enimuerò, vt si ea negare non possint, scandalizentur, & artibus magicis ascribant; quemadmodum nec Pharisæi tot miraculis crediderunt, sed ea malè interpretati sunt, atque ob hoc ipsum indigni miraculis extiterunt. Neque enim margaritæ sunt ante porcos proijciendæ. Quamobrem etiam hodie multi, qui maximè miracula videre volunt, minimè vident, quia scit Christus eos, etiam conspectis miraculis, non credituros. Sic enim &
Matth. 12. 39. Pharisæis signum videre volentibus respondit: *Generatio praua & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei.* Sæpiùs miracula, ad honorem Dei, aut etiam Sanctorum fierent, nisi increduli, & nasuti irrisores ea impedirent. Sanarentur & hæretici prodigiosè nonnumquam, nisi eorum incredulitas obstaret. Clarum enim est, ex Euangelio, Christum miracula facturum, plerumque fidem eorum, quibus facturus erat, priùs exegisse. Et licet fides sæpe ex miraculis sequatur, tamen minus meriti ha-
Matth. 9. 28. bet, si sequatur, quàm si præcedat. Apud Matthæum: *Accesserunt ad eum cæci. Et dicit eis IESVS: Creditis, quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: Vtique, Domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundùm fidem vestram fiat vobis. Et aperti sunt oculi eorum.*
Marci. 5. 36. Apud Marcum, cùm quidam dicerent: *Filia tua mortua est: quid vltra vexas Magistrum? IESVS, audito verbo, quod, dicebatur ait*
Marc. 9. 23. *Archisynagogo: Noli timere, tantummodo crede.* Et iterum, cùm pater pro filio à malo spiritu agitato orans diceret: *Si quid potes, adjuua nos misertus nostri: IESVS ait illi: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Et continuò exclamans pater pueri cum lachrymis aiebat: Credo, Domine, adjuua incredulitatem meam:* Apud

Lucam

Lucam ait ad Principem Synagogæ Saluator: *Noli timere, crede* Luc. 8. 50.
tantùm, & salua erit filia tua. Hinc discant hæretici, cur apud
illos non fiant miracula, cur non extraordinariæ eis conferantur sanitates; non credunt in Sanctos, non putant DEI Matrem posse esse eorum aduocatam: quid eis Sancti, quid DEI Mater faceret? quid ipse Christus miracula irridentibus, & Stygiæ arti ascribentibus exhiberet? Magnum est adjumentum ægris, etiam naturali arte curari cupientibus, si erga medicum benè afficiantur, & credant se ab eo consequi posse sanitatem. Cur non & Diui cælites idem petant? Cur irrisoribus suis benefaciant? Alioqui etiam recentes sunt historiæ & antiquæ non solùm hæreticorum, sed etiam Ethnicorum, qui audientes, quanta beneficia à Sanctis, à DEI Genitrice, ab ipso Christo alijs sint collata, credere, & eosdem æstimare, quin & inuocare cœperunt, & morbi remedium consecuti, tandem plenè ad nostram religionem transierunt; existimantes, cetera quoque dogmata fallere non posse eorum, quorum fides tam manifestis & luculentis miraculis confirmaretur. Ita lumen apud eos creuit; vt cùm fidei radicem accepissent, & potestatem Diuorum prodigia operandi credere cœpissent, tandem ad plenam lucem veritatis peruenirent.

CAPVT XXXIX.

Vigesima morborum caussa, vt per eorum sanationem, Apostolorum, Martyrum, aliorumq́; Sanctorum, de Christo testimonia firmentur.

HAc ipsa de caussa missurus Seruator Apostolos in vniuersum terrarum orbem, ad fidem de Messia DEO & homine pro nobis crucifixo disseminandam, *conuocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, vt ejcerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.* Quod futurum tamen antè & promiserat, & prædixerat, Christus: *Super ægros manus imponent, & benè habebunt.* Quemadmodum ex duodecim Patriarchis olim totus Iudaicus populus secun-

I. Matth. 10, 1.

Matth. 9. 5. Marc. 2. 9.

secundùm carnem propagatus est; ita totus populus Christianorum spiritualiter ex duodecim Apostolis genitus est, tamquam ex patribus. Apostoli enim patres fuerunt eorum, qui per eos
1. Cor. 4. 15. crediderunt, juxta illud: *Nam in Christo IESV, per Euangelium ego vos genui.* Itaque sicut per duodecim Patriarchas, tamquam per carnales Patres Iudæi, ita per duodecim Apostolos tamquam per spirituales Patres, Christiani sunt propagati. Quare in Apo-
Apocal. 4. 4. calypsi, per *viginti quatuor seniores* duodecim Patriarchæ, & duodecim Apostoli intelliguntur. Spirituales Patres, vt spirituales filios gignerent; non solùm doctrina instruendi erant; sed quia doctrina sublimis erat, etiam potestate miraculorum patrandorum. Quæ potestas illis inprimis fuit necessaria. Res docturi erant Apostoli prorsus magnas, incredibiles, & humanum captum superantes, DEVM pro hominibus crucifixum; DEVM mortuum, mortuum tertia die rediuiuum; tandemque gloriosè in cælum ascendentem. Hæc talia quo modo homines rudes non solùm rudibus, sed etiam doctis & Philosophis persuadere potuissent, nisi tot, & tam omnem naturæ vim excedentia miracula fecissent? Diuinum aliquid illis inesse oportuisse viderunt, qui viderunt illos, de filijs suis dæmonia eiecisse, morbos insanabiles pepulisse. Itaque manus dederunt, non corporibus dumtaxat, sed mentibus etiam persanati. Hæc est gratia sanitatum, vt dum membra salutem accipiunt, sanentur & morbi animarum.

II.
Act. 2. 41. Vsus est hac potestate vertex Apostolorum Petrus, & vsus est ad salutem animarum, ac gloriam Christi. Nam qui priùs varijs linguis prodigiosè loquens, tria millia animarum reti suo traxerat ad Christum, postea idem fecit, claudo sanitate collata,
Actor. 3. 5. quam ex vtero matris non habuerat; cui eleemosynam petenti & speranti dixit: *Argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine* IESV CHRISTI *Nazareni surge & ambula. Et apprehensa manu eius dextera, alleuauit eum, & protinus consolidata sunt bases eius & plantæ.* Quid ita in pedes erectus fecit? *Et exiliens stetit, & ambulabat, & intrauit cum illis in templum ambulans, & exiliens*, præ gaudio, *& laudans* DEVM.
S. Ambros. *Datur autem intelligi*, ait S. Ambrosius, *ad salutem inprimis necessarium*

sarium esse, vt claudicantibus in fide, ante omnia curentur pedes à Petro, quibus supra Ecclesiæ petram à Christo institutam valeant consistere, & bene ambulare. Effecit ergo Petrus, vt bene ambularet, qui antea ne claudicare quidem poterat; nam etsi *erat claudus ex vtero matris suæ, baiulabatur* tamen, & ponebatur ad portam templi. Iam autem non erat ampliùs portandus, sed cum lætitia exiliens, stetit, & benè ambulauit. Quia, duce Petro, ambulauit in templum, *laudans* DEVM (hoc est Christum, in cuius nomine jussus est surgere & ambulare) quod antè extra templum non fecerat. Vsus est autem, non sine caussa, Petrus iisdem verbis, quibus Christus vsus erat dicens: *Surge, & ambula;* quia hæc verba faciebant ad euidentem curationis probationem. Quid enim clariùs poterat ostendere perfectam curationem, quàm si impotens membrorum claudus, ac fortasse etiam paralyticus surrexisset, & ambulasset; immò & exiliisset? Hoc autem miraculo, non claudus tantùm credidit, & statim credidit (quod alterum miraculum esse putat D. Chrysostomus, *qui enim liberati sunt à diutinis morbis, vix credunt, etiam cùm viderunt*) sed etiam alij ad Petrum & Ioannem, atque per hos ad Christum tracti sunt. *Et vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deum.* Nam locus templi, & tempus Pentecostes, & hora quoque orationis nona magnam populi multitudinem exciuerant. Viditné autem populus tantùm? immò cum fructu vidit hoc prodigium. Quippe *cognoscebant illum, quòd ipse erat, qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam portam templi: & impleti sunt stupore, & extasi in eo, quod contigerat illi.* Alij enim cum timore, alij cum gaudio miraculum admirabantur, & veniebant in cognitionem Nominis IESV, cuius virtute claudus jussus erat surgere & ambulare. *Quo modo lux ista* (nominis instar olei effusi, ait S. Bernardus) *insplenduit ac perstrinxit cunctorum intuentium oculos, quando de ore Petri, tamquam fulgur egrediens, claudi vnius corporales plantas solidauit & bases, multosq; spiritualiter cæcos illuminauit. Numquid non ignem sparsit, cùm ait: In nomine* IESV CHRISTI *Nazareni, surge, & ambula?* Illuminatos & lucem secutos Lucas testatur illis verbis: *Cùm teneret autem* (cæcus præ amore) *Petrum & Ioannem, cucurrit omnis multitudo ad eos, ad porticum,* qua

serm. 8. in Psal. 118.

Actor. 3. 9.

S Bern. serm. 15. in Cant.

qua appellatur Salomonis, stupentes. Sanitas claudo data concursum fecit; concursus Petro occasio fuit, populo Christum prædicandi, authorem sanitatis, & vniuersæ salutis humanæ, longa sanè, & efficacissima oratione. Ita claudum fuisse non solùm ipsi claudo profuit, sed etiam populo vniuerso. Nam, vt postea
Actor. 4. 4. dicitur: *Multi eorum, qui audierant verbum, crediderunt: & factus est numerus virorum quinque millia;* nimirum propter miraculum claudi sanati, & verbum Petri concionati: qui tantæ efficaciæ fuit, vt in prima concione tria, in hac secunda autem quinque hominum millia conuerterit.

III. Quemadmodum autem claudum Iudæum, & ante Iudæorum templum mendicantem, sanando, Christo adiunxit Petrus, ita postea Æneam gentilem & paralysi, & gentilismo liberauit.
Actor. 9. 33. Lyddæ enim *inuenit hominem quemdam, nomine Æneam, ab annis octo jacentem in grabato, qui erat paralyticus. Et ait illi Petrus: Ænea sanat te Dominus* IESVS CHRISTVS: *Surge, & sterne tibi. Et continuò surrexit.* Gentilem fuisse hunc, nomen Gentilitium probabile facit. Nec dubium est, eum in IESVM CHRISTVM, à quo sanatus erat, credidisse. Quamuis, vt D. Chrysostomus obseruat, Petrus non exegerit priùs ab eo fidem, nec interrogauerit, velletné sanus fieri. Licet enim hoc miraculum etiam factum sit ad priuatam paralytici vtilitatem, magis tamen fiebat ad consolationem & conuersionem omnium. Hinc mox subjungitur miraculi fructus, cùm dicitur: *Et viderunt eum omnes, qui habitabant Lyddæ, & Sarona* (quam aliqui non solùm ciuitatem, sed etiam regionem esse scribunt) *& conuersi sunt ad Dominum.* Tanti occasio boni fuit paralysis Æneæ. In quem locum Oecumenius animaduertit, etiam Christum nonnulla in genere miracula edidisse, ad quæ non semper priùs fidem exigebat: quædam enim faciebat, ad consolationem jam credentium; quædam, vt per illa ipsa prodigia alij ad fidem attraherentur. Immò D. Chrysostomus monet, & Christum, & eius exemplo Apostolos, cùm primùm inciperent signa facere, non requisiuisse fidem, sed post aliqua miracula. Ita morbi miraculorum occasio, miracula fidei caussa extiterunt.

IV.
Actor. 9. 41. Tabitham idem Petrus, non solùm à mortuis excitauit,

quod

quod erat maius, sed etiam excitatam adhuc debilem, & necdum satis firmas vires assecutam, attactu manûs erexit, & ad pristinum vigorem reduxit. Quia non semper perfecta sanitas, etiã cum miraculo, tribuitur; vt, qui beneficium accipit, id pluris faciat, sicut in cæco, quem Christus sanauit, accidit. Nam ad primum Domini tactum interrogatus, *si quid videret*, *aspiciens dixit: Video homines velut arbores ambulantes. Deinde iterum imposuit manus super oculos eius: & cœpit videre, & restitutus est, ita vt clarè videret omnia.* Pari modo Tabitha primò ad vitam voce Petri, deinde etiam ad vigorem tactu eiusdem est reducta: hinc dicitur: *Dans autem illi manum, erexit eam.* Quo fructu? *Notum autem factum est per vniuersam Ioppen, & crediderunt multi in Domino;* sicut ob claudum & Æneam ab eodem Petro in nomine IESV sanatos, & ob eos, quibus vel vmbra Petri restituit sanitatem. Et decuit sanè insignem esse signorum perpetratione Petrum, quia *Iudæis, qui signa petunt*, peculiariter erat destinatus; quemadmodum Paulus, qui *Gentibus siue Græcis sapientiam quærentibus*, sapientiâ excelluit. Quamquam nec huic defuit potestas miraculorum, qua plurimos ad Christum adduxit. Marc. 8. 24. Act. 9. 41. 1. Cor. 1. 22.

V.

Diuisiones quidem *gratiarum sunt*, & *alij per Spiritum datur sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ secundùm eumdem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alij gratia sanitatum in vno Spiritu: alij operatio virtutum; alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult.* Vt vnus in hoc, alius in alio abundet. Ita Petrus gratia sanitatum excelluit, Paulus sermone sapientiæ & scientiæ. Neque tamen idcirco vel Petro sapientia, vel Paulo *gratia sanitatum* defuit, immò nec *operatio virtutum*, hoc est maiorum miraculorum, quæ non corpus & morborum dumtaxat curam, sed animam etiam & quæuis alia spectant, vt sunt dæmones eijcere, & incredulos impiosque per miraculum punire; quo pacto Elymam puniuit cæcitate, vt alibi diximus. Gratiam sanitatum eum habuisse, S. Lucas testatur, quando scribit non minùs ab eo, quàm à Petro claudum fuisse sanatum. *Et quidam vir Lystris*, inquit, *infirmus pedibus sedebat, claudus ex vtero matris suæ, qui numquam ambulauerat,* 1. Cor. 12. 4. Actor. 14. 7.

uerat. Hic audiuit Paulum loquentem: qui intuitus eum, & videns quia fidem haberet, vt saluus fieret, dixit magna voce: Surge super pedes tuos rectus. Et exiliuit, & ambulabat. Vides miraculum miraculo simile? immò claudum similem claudo? nisi quòd ille à Petro adiutus, & curatus est ad portam templi Ierosolymitani, &,

Actor. 3. 1. vt Beda ait: *ille Iudæorum, hic Gentilium typus est, qui à legalis templi religione remoti erant.* Quis autem fructus miraculi istius fuit? Duplex: primus in ipso claudo, qui cùm S. Paulum in publica platea audiret concionantem, vel spe miraculi sanitatisque consequendæ credidit. Hinc dicitur: *Et videns* Paulus, *quia fidem haberet, vt saluus fieret.* Vidit nimirum ex vultu, multoque magis ex reuelatione, claudum istum credere, sibi, per virtutem prædicati Christi, salutem tam animi, quàm corporis posse contingere. *Anima curata est priùs, quàm corpus*, ait S. Chrysostomus. Et Beda: *Prior claudus, Iudaico more pecuniam, iste ex fide salutem quærit ab Apostolis. Non petebat hic verbis, sed tacitis desiderijs, quæ etiam desideria vultus, oculi, gestus, attentio in audiendo satis prodebant.* Alter miraculi effectus erat, vt Lystrenses, Paulum & Apostolos, magnos; Christum autem longè maiorem discerent existimare. Tametsi enim ab initio, more Ethnicorum, errarent, & Paulum ac Barnabam nimis magni facerent, proque numinibus haberent; postea tamen, hac ipsa occasione, quis verus esset DEVS, docti sunt, à Iouis & Mercurij aliorumq; falsorum Deo-

Actor. 14. 14. rum vanitate absterriti. Dicebant enim: *Viri, quid hæc facitis, qui nobis tamquam Dijs taurum immolare vultis? Et nos mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis conuerti ad Deum viuum, qui fecit cælum & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt.* Inde ostenderunt, eos hucusque fuisse in errore, & vni DEO debere immolare, cuius virtute claudus rectè ambulauit.

VI.

Actor. 3. 12. Meritò cautiores fiunt & Petri, & Pauli exemplo, qui miracula perpetrant, ne ea suæ virtuti ascribant, aut idcirco sibi plaudant. Nam cùm omnis populus ad Petrum & Ioannem concurreret, claudo sanato, stuperetque, *Videns Petrus respondit ad populum: Viri Israëlitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abra-*

Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus Patrum nostrorum, Act. 14. 12.
glorificauit filium suum IESVM, &c. Paulus autem & Barnabas,
cùm audirent se pro Dijs haberi, viderentque tauros afferri, &
coronas, *conscissis tunicis suis exilierunt in turbas*, vt eas ab idolo-
latria hac compescerent, seque homines, non Deos esse demon-
strarent. Sic victa est superbia pariter, & mali dæmonis machi-
natio. Qui quia nihil profecit, diuinos Paulo ac Barnabæ hono- Act. 16. 16.
res deferendo, parciùs agendum censuit, eosque per *puellam ha-
bentem* spiritum Pythonem, aggressus est, contentus *Dei seruos*,
non Deos prædicare. *Hæc subsecuta Paulum, & nos*, ait Lucas,
*clamabat dicens: Isti homines, serui Dei excelsi sunt, qui annuntiant
vobis viam salutis. Et hoc faciebat
multis diebus* ancilla *femina ventriloqua*, vt eam Augustinus, & S Augustin. li. 2. de doctr. Christ. c. 23.
Tertullianus appellant. Tertull. lib. 4. contr. Marcion. c. 25.

Quid igitur num vel has laudes admisit Pau-
lus? Nec enim paruæ erant apud eam gentem. Nequaquam voluit à Dæmone nequam
laudari Apostolus, sciebat enim eum hac arte aliquid mali quæ-
rere, siue vt ijdem, qui laudabantur, hac laude tam speciosa sibi
placerent; siue vt alios ad sibi credendum magis alliceret, si tan-
ti viri istud tam luculentum testimonium admisissent; siue vt do-
micilium suum puellamque retineret, nec inde pelleretur, si illi
ea laude placati, ei pepercissent; siue, qua erat sagacitate, pro-
spexit, quàm pauci sanæ doctrinæ crediturі essent, vt ita aliquan-
do in diuino judicio, qui testis erat veritatis, aduersus perduel-
les, contemptoresque illius, testificaretur. Hæc talia, quia cogni-
ta erant Apostolo, *dolens, & conuersus spiritui dixit: Præcipio tibi
in nomine IESV Christi exire ab ea. Et exijt eádem hora.* Plures do-
lendi caussas habuit, puellæ calamitatem, prauam diaboli vo-
luntatem, fallacem artem magicam, quæ tam multis impone-
bat. Ejecit igitur dæmonem; & ejecit eo modo, vt constaret,
in cuius id nomine fieret. Sicut enim cacodæmon per pythonis-
sam, callidè tacuit de Christo, cuius nomen odio singulari exe-
crabatur; ita Paulus IESV Christi nomen disertissimè expressit,
vt ostenderet, viam salutis vitamque ipsam æternam consistere
in eo, vt omnes cognoscerent, missum à DEO vero, DEVM item
verum, IESVM Saluatorem, & Christum, aut Messiam adeò à Iu-
dæis expetitum, atque expectatum, cuius potentia soloque no-

mine impurus spiritus ab vsurpata sede se proripere cogeretur. Ita eliminatus è puella malus habitator, vel nolens nomen magnum fecit, in quo fuit eliminatus. Luculentiùs adhuc cæci, per nomen IESV, à Paulo illuminati exemplum recenset Hilduinus in vita eius, quod breuitatis caussa, omitto, quia vita illa est in manibus omnium.

Apud Sur. 9. Octob.

VII.

Longum esset, si vellem omnia Pauli miracula percensere, quibus animas ad veritatem Euangelij adjunxit. Paucis verbis multa significauit Lucas, vbi dixit, eum tum in synagoga, tum in schola Tyranni cuiusdam quotidie disputasse, & adjunxit: *Hoc autem factum est per biennium, ita vt omnes, qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, Iudæi atque Gentiles. Virtutesque non quaslibet faciebat DEVS per manum Pauli*; ne lingua sola minus virium haberet; sed vt à miraculis pondus accederet ad orationem illius. Qualis autem, & quanta miracula? *Ita vt etiam super languidos deferrentur à corpore illius sudaria, & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.* Vsq; adeò non manus tantùm illius salutiferæ erant, sed etiam panni. Sudaria Glossa Interlinearis intelligit, *quibus laborantium sudor extergitur.* Semicinctia Historia scholastica vult esse *vestes ex vno latere pendentes, vel zonas, siue vestes nocturnas, vel genus sudarij, quo Hebræi vtuntur in capite.* Differre hæc à sudarijs longè probabilius est, & videntur esse è lino, aut è pellibus, ea vela, quæ à renibus circumligando demittuntur, ab ijs, qui in opificio, aut alio ministerio versantur, ad cauendas & arcendas à vestibus sordes, & simul etiam ad extergendum subinde vultum, sicut opifices facere videmus. Quali fortasse linteo etiam Christus se præcinxit discipulorum pedes loturus. Quanta hæc potentia? *lintea ad humores faciei, vt sudores, muccos, lachrymas* abstergendas destinata; pannus manualis, corium sordibus maculatum, rapiuntur, & vulneribus, vlceribus, morbis imponuntur, fiuntque omni pharmaco efficaciora medicamenta. Nam quibus admouebantur, *recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.* Quis hîc videns tantam vim reliquiarum, non se jungat illi Ecclesiæ, quæ docet Sanctorum reliquias esse venerandas? S. Chrysostomus addit, Paulum sua vmbra non tantùm morbos æquè ac Petrum depulisse,

Act. 19. 10.

Ioan. 13. 4.

Actor. 19 12.

S. Chrysost. hom. 8. in ep. ad Rom.

depulisse, sed etiam mortuos suscitasse. Quod pium est credere etsi in Actibus Apostolorum non reperiatur.

Illud & de Petro, & de ceteris Apostolis legimus: *Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum, ac mulierum, ita vt in plateis eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, vt veniente Petro, saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.* Vnde ingens Apostolorum fructus & conuersorum multitudo colligitur. Nam *tot erant*, ait Caietanus, *vt nec commodè possent illos deferre ad Apostolos, nec Apostolis vacaret venire ad eos præ multitudine.* Hinc magna potestas Apostolis data, & inde gloria exurgens apparet. Quid enim sudarijs, quid semicinctijs, quæ ad sordes excipiendas portantur, immò quid ipsa vilius vmbra? Itaque ob hunc modum edendi miracula, D. Chrysostomus, illud Christi dictum: *Et maiora horum faciet*, exponit, aitque maiora ab Apostolis, quàm à Christo facta esse. Etsi enim spectata virtute actiua, quam infinitam esse & diuinam oportet, omnia miracula sint paria; tamen si res ipsas spectemus, quæ fiunt, quarum non eadem est natura & perfectio; aut si modum consideremus, qui in ijs faciendis adhibetur, miracula planè inæqualia sunt. Vnde mortui suscitatio maius quid est, quàm cæci illuminatio: & curare per solam vmbram longè mirabilius est, quàm per manus contactum, vel verbum. Obseruat tamen etiam Lorinus, vmbram non per se operatam fuisse, cùm sit priuatio, sed præsentiam Petri, ob quam curabantur infirmitates, siue ipse esset caussa moralis tantùm, siue etiam physica instrumentalis. Ex quo prodigio D. Augustinus ita argumentatur, etiam nostros hæreticos confutans: *Si tunc opem ferre poterat vmbra corporis, quanto magis nunc plenitudo virtutis? Si tunc supplicantibus proderat aura quædam pertranseuntis, quanto magis gratia nunc permanentis? Meritò per omnes Christi Ecclesias auro pretiosius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum. Si tam medicabilis fuit obumbratio visitantis, quanto magis catena vincientis? Vt vmbra venientis Petri obumbraret eos. Si inanis quædam species vacua imaginis habere potuit in se vim salutis: quantò plus de corpore meruerunt attrahere salubritatis ferreo pondere sacris impressa membris vincula passionis?* Quid

VIII.
Act. 5. 14.
Ioan. 14. 12.
S. Chrysost. orat. contra Gentes.
Lorin. in Act. cap. 5. 15.
S. Augustin. serm. 29. de Sanctis.

Quid clarius potest dici pro Reliquiarum honore ac veneratione? Quod argumentum etiam pro imaginibus sacris militat. Nam & vmbra corporis nonnè effigiatam velut similitudinem repræsentat? Nec aliunde, post Plinium & alios, Clemens Alexandrinus tradit, quàm ex huiusmodi per vmbram formatis imaginibus natam pingendi artem.

IX. Actor. 5. 16. Effectus porrò harum sanitatum pluribus explicatur in Actis Apostolorum, his verbis. *Concurrebat autem & multitudo vicinarum ciuitatum Ierusalem, afferentes agros, & vexatos à spiritibus immundis: qui curabantur omnes.* Complures caussæ fuerunt, ob quas tempore Christi & Apostolorum tot energumeni leguntur extitisse. (S. August. in Psal. 77.) Nam præter justitiam Dei, hominum peccata punientis, per Spiritum malum, tamquam per carnificem, de quare suprà egi, etiam erat hæc caussa, quia eo tempore vigebant Sadducæi, quorum vnus error erat, omnino nullum spiritum esse; & in primitiua Ecclesia, Tertulliano & Cypriano teste, (Tertull. in Apolog. Cyprian. ad Demetrianum.) multi per dæmones obsessi erant, quia similis tunc error fuit Peripateticorum, sicut nunc Atheismo ex Caluinismo repullulascente, tot passim sagarum & magorum ac veneficorum examina succisa multiplicantur, vt qui neget, esse dæmones, sagis ipsis sit peior. Fuerunt hæ similesque caussæ diuina sapientia & æquitate dignæ, vt propter eas tempore Christi & Apostolorum tot à dæmonibus insiderentur. Sed accessit ad has in primis etiam illa, vt expulsione dæmoniorum Apostoli, & per Apostolos Christus inclaresceret, à quo Apostoli potestatem acceperunt dæmones eijciendi. Quis enim non miraretur in rudibus illis piscatoribus, in homulis pauperibus & contemptis, tantam vim, vt imbecilles ipsi, fortissimos gigantes, & ipsum *patrem filiorum superbiæ* (Iob. 41. 25.) verbo de possessione sua expellere possint, & ad sordidissima quæque deijcere illum, *qui solium super Aquilonem conatus fuit locare?* (Isa. 14. 13.) Nec paruum erat beneficium, siue morbis, siue alijs doloribus ac molestijs *vexatos à spiritibus immundis* liberari, in nomine Christi. Quare meritò liberati, & Apostolorum doctrinam, & Christi diuinitatem crediderunt.

X. Talia etiam de alijs Apostolis legimus. Iacobus Zebedæi filius, Ioannis Apostoli & Euangelistæ frater, cui Samaria &

Iudæa prouinciæ obtigerunt, aduersarium maximè habuit Hermogenem magum, qui Philetum discipulum suum ad eum confutandum misit, comitantibus eum Pharisæis. Sed legatus iste ita à Iacobo confutatus est, vt ad Hermogenem rediens, hæc magnâ claraque voce, victus à veritate, dixerit: *Iacobum, Hermogenes, eum, qui se* IESV CHRISTI *& seruum & Apostolum esse confirmat, scito abs te vinci superariq; non posse. Nam & cacodæmones, eius appellato nomine, ex hominum corporibus eijci ac expelli; & cæcis pristinum oculorum aspectum restitui, & eos, qui elephantia infecti erant, purgari vidimus, &c.* Hæc & plura Philetus Hermogeni retulit, à quo magicis artibus ita fixus est, vt penitus se loco mouere non posset. Quod vbi per puerum Iacobo significauit, *Apostolus factus certior, ei puero sudarium suum ad Philetum perferendum dedit, vt eo accepto hæc diceret: Dominus* IESVS CHRISTVS *erigit elisos compeditosq; soluit &c. Philetus sudario accepto, cùm verba illa pronuntiasset, statim dæmonum fraudes, quibus vinctus tenebatur, solutæ sunt.* Quin & ipse paulò pôst Hermogenes à Dæmonum seruitute ad seruitutem Christi transiuit, in se & discipulis suis vim bacilli S. Iacobi, contra Tartarum expertus. Ob hanc Hermogenis conuersionem Iudæi Iacobo infensi mortem, procurarunt, ad quam ipsam tendens non desijt miraculosa sanitate Christo animas lucrari. Cùm enim *Herodis jussu, ad locum in quo eum feriri oporteret, duceretur, paralyticum in via vidisse dicitur orantem vt se curaret. Quod cùm ipse Christi nomine fecisset, Iosias scriba,* qui funem eius ceruicibus iniecerat, *eo extracto se ad illius pedes misit, magnis obtestans precibus, vt & sibi ignosceret, & se lauacro expiaret.* Quod lauacrum meliore modo impetrauit; nam sanguine suo ablutus, cum ipso Apostolo eodem martyrio potitus est.

Zachar. Lippel. 25. Iulij.

XI

Expulerat S Bartholomæus, cum imperio, malum spiritum ex quodam homine, in quo illum præsentia sua, mirum in modum cruciarat. *Fuit hoc continuò ad aures Polimij regis perlatum; qui mox filiam suam sæuo dæmonio miserè obsessam ad eum misit, rogans, vt quemadmodum Eustium (hoc enim viro illi recens curato nomen erat) ab eo morbi genere liberasset, ita & filiæ, quam charissimam haberet, subueniret. Itaque virgo, regis filia, catenis vincta, vt* in

Zachar. Lippel. 15. Augusti.

in Apostoli conspectum adducta est: jussit eam vinculis solui. Pernegarunt ministri, se facturos, quòd nemo ad eam accedere, nemo eam attingere auderet. Quos Apostolus primùm obiurgans, monet deinde, vt miseram soluant, ac postera luce ad se introducant. Illi tandem dicto audientes ad virginem accedunt; soluunt: quo facto, dæmon ita expulsus, eiectusq; est, vt nunquam deinde eam agitauerit. Rex ne tanto accepto beneficio, ingrati animi sceleri obnoxius videretur, confestim camelos auro, argento, gemmis, vestibusq; onustos ad Apostolum muneris loco misit; quæ Apostolus constanter reiecit, ac denuo ad regiam referri curauit. Insequenti verò luce regem ipsum adyt, & solus cum solo de humani generis redemptione per Christi in terras aduentum facta luculenter disseruit: Inde cuncta ferè Euangelij ac fidei nostræ mysteria ei exposuit, & regem Polimium vnà cum vxore & duobus liberis, & ingentem denique populi multitudinem aqua salutari expiauit. Quod Astyages regis frater, pontificum operâ vt intellexit, missa continuò militum manu, Apostolum ad se vinctum adduci præ-
Idem Zachar. *cepit, adductum fustibus cædi, & excoriari primùm, deinde securi fe-*
Lippel. 1. *riri.* Philippo Apostolo Asia obtigit. *Quam quidem tanta virtu-*
Maij. *te peragrauit, vt innumerabilem hominum multitudinem Euangelio genuerit, ac salutaribus aquis expiatos, regni cælestis consortes effecerit. Et quidem cùm mentes in scelere penitus obduratas, nulla verborum virtute emollire posset, facta admiranda adhibebat, prorsus vt omnia morborum genera, solo verbo, vel sacræ manus suæ contactu fugaret, dæmonesq; ex obsessis corporibus, non sine ingenti astantium stupore expelleret. His rebus fidei pietatisq; fundamenta egregiè collocabat, &*
Idem. 24. Fe- *aduersarios liuore & inuidia inflammatos confundebat; adeò, vt vel*
bruarij. *inuiti diuina virtutis testimonium Philippo præbere cogerentur.* Idem Author tradit similia de Mathia. *Nam cùm in partitione Prouinciarum, Iudæa ei nutu diuino obtigisset, multos partim doctrina, partim vita, quam integerrimam agebat, partim miris inusitatisq; operibus, quæ in profligandis ægrotorum morbis edebat, ad Christianam reli-*
XII. *gionem fidemq; traduxit.* Quod fecerunt ceteri Apostoli omnes.
Matth. 10. 1. Dedit autem hanc potestatem Christus non tantùm Apo-
Marc. 3. 15. stolis, vt est apud Matthæum & Marcum, sed etiam septuaginta
Luc. 10. 17. duobus discipulis, vt testatur Lucas, quo teste, *reuersi sunt septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia subijciuntur*

nobis

nobis in nomine tuo, quibus dixit inter cetera *Dominus. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* Enimuerò hac potestate vsus est etiam quidam, qui non sequebatur Christum, nimirum more aliorum, qui Christum sequebantur. Ioanne enim dicente: *Magister, vidimus quemdam in nomine tuo eijcientem dæmonia, qui non sequitur nos, & prohibuimus eum,* respondit IESVS: *Nolite prohibere eum. Nemo est enim, qui faciat virtutem in nomine meo, & possit citò malè loqui de me.* Quo loco non putandum est, hunc tantùm conatum esse dæmones eijcere, re autem ipsa non ejecisse. S. Ambrosius existimat, illum non quidem corpore, sed tamen fide Christum secutum esse, atque ita dæmones eijcere potuisse. S. Augustinus ait, eum neque corpore, neque animo, id est, fide, doctrinaque Christum secutum, tamen dæmones pellere potuisse, vt Christi etiam testimonio docemur. *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonnè in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia numquam noui vos.* Etsi enim hanc dæmones eijciendi potestatem initio, publicè & solenni quasi quodam ritu solis Apostolis, ac deinde etiam septuaginta duobus discipulis dederit; nullam tamen sibi legem indixerat, quò minùs alijs, quibuscumque vellet, dare posset, permittereque, vt quisquis eius nomine, certa fide, aut nulla etiam aliquando fide, dæmones eijcere conaretur, verè etiam eijceret, quò magis nominis sui vis & auctoritas palàm fieret: quemadmodum & Sacramentis gratiam promisit, sed non alligauit. Itaque, & Christus, & Apostoli, & septuaginta duo discipuli, quin & qui non erant discipuli, expulsione dæmonum, & operatione virtutum, nominis IESV gloriam, fidem de altissimis mysterijs valde arduam, ipsamque Ecclesiam propagauerunt.

Marc. 9. 39.

S. Ambros. in c. 7 Lucæ.

S. Augustin. lib. 4. de consent. Euang. cap. 5.

Matth. 7. 22.

XIII.

Vt hanc, de Christianis mysterijs, *nouam consuetudini, non contrariam rationi veritatem* etiam martyres propalarent, non sanguine dumtaxat suo illi subscripserunt, sed itidem etiam ostentis virtutum eam confirmârunt, *donec orbis terræ, quos persequebatur furore, prosequeretur fide,* vt ait S. Augustinus. Qui & illud alibi adiungit. *Cui, nisi huic fidei attestantur ista miracula, in qua*

S. Augustin. lib. 22. de ciuit. cap. 7.

Idem eod. lib. cap. 9.

qua prædicatur Christus resurrexisse in carne, & in Cælum ascendisse cum carne? nam & ipsi martyres, huius fidei martyres, id est, huius fidei testes fuerunt, huic fidei testimonium perhibentes, mundum inimicissimum, & crudelissimum pertulerunt, eumq; non repugnando, sed moriendo vicerunt. Pro istâ fide mortui sunt, qui hæc à Domino impetrare possunt, propter cuius nomen occisi sunt. Pro hac fide præcessit eorum mira patientia, vt in his miraculis tanta ista potentia sequeretur. Nam si carnis in æternum resurrectio vel non præuenit in Christo, vel non ventura est, sicut prænuntiatur à Christo, vel sicut prænuntiata est à Prophetis, à quibus prænuntiatus est Christus, quare martyres tanta possunt, qui pro eâ fide, quâ hæc resurrectio prædicatur, occisi sunt? Quanta autem possint, eorum gesta narrant, in quibus, per sanitates collatas, innumeri mortales conuersi memorantur. Eòdem pertinent omnia prodigia, quæ Confessores, quæ Virgines, quæ pij omnis generis homines, cum magno fidei fructu, in morbis pellendis perpetrauerunt. Nimis longa Iliade opus esset, si vellemus catalogum contexere. Ipsi libri, qui vitas Sanctorum scripserunt, pleni sunt miraculis sanitatum, per quæ vel Iudæi & Ethnici ad Christianismum, vel Hæretici ad Catholicam Ecclesiam, vel etiam Catholici peccatores ad pœnitentiam, per sanitatem miraculosè recuperatam, adducti sunt. Sufficiat lectorem remittere ad D. Augustinum, qui in vno capite, vbi hoc argumentum tractat, vel vnius S. Stephani plurima & luculentissima miracula recenset, quæ ipso viuente, immò & præsente contigerunt. Et nos passim talia, in toto opere isto, inspersimus: vt planè, si morbi nullum alium nanciscerentur effectum, vel hoc nomine, & mundo vtiles sint, & Deo sanctisque eius gloriosi. *Siue enim Deus ipse per se ipsum miro modo*, ait S. Augustinus, *quo res temporales operatur æternus, siue per hos ministros ista faciat: & eadem ipsa, quæ per ministros facit, siue quædam faciat etiam per martyrum spiritus, sicut per homines adhuc in corpore constitutos; siue omnia ista per angelos, quibus inuisibiliter, immutabiliter, & incorporaliter imperat, operetur: vt quæ per Martyres fieri dicuntur, eis orantibus tantùm & impetrantibus, non etiam operantibus fiant: siue alia fiant istis, alia illis modis, qui nullo modo comprehendi à mortalibus possunt: ei tamen attestantur hæc fidei, in qua carnis resurrectio in æternum prædicatur.*

S Augustin: lib. 22. de ciuit. cap. 8.

S. Augustin. lib. 22. de ciuit. cap. 9.

Talia

Talia porrò miracula etsi sat multa adhuc, hinc inde, contingant, itaque euidentia, vt negari non possint; non sunt tamen ita frequentia, vt in primitiua Ecclesia, & apud infideles: vnum tamẽ remansit, quod Tertullianus, Ambrosius, Cyprianus, Lactantius, Iustinus, aliique Patres, tamquam insignem Ecclesiæ notam, & singulare priuilegium meritò exaggerant, nempe potestas dæmones exorcizandi; quam Christus in cælum abiturus pollicitus erat, & quidem primo loco, inter ea signa, quæ illos, *qui crederent in ipsum*, erant secutura, apud Marcum. *In hoc enim apparuit Filius Dei in mundo, vt dissoluat opera diaboli.* Reliqua miracula credentibus non sunt ita necessaria, hoc autem in Ecclesia numquam cessat, quia contra hostes incessanter nobis insidiantes est necessarium. Quod ipsum etiam multum facit ad fidei propagationem; vt apud Iapones, & Sinenses experti sumus, qui à dæmonibus dirè vexabantur; à nostris autem Sacerdotibus, cùm magna Christianæ fidei authoritate sunt liberati. Non obiter autem considerandum est, hoc loco, licet dæmonis pellendi potestas, quia donum est gratis datum, ab infidelibus etiam, aut improbis exerceri queat, vt & de Iudæis sui temporis Christus affirmat: haudquaquam tamen, per inuocationem falsi Dei, aut ad falsum dogma confirmandum, dæmones eijci posse. Quo argumento Tryphonem, aliosque Iudæos valde vrget Iustinus; idque ipsum Gentilium Philosophis obiecit Antonius: obijci potest & hæreticis, de quorum irrito conatu impotentiaque infrà agemus. Si illis vel semel ad suas sectas confirmandas hoc miraculum successisset, quantùm triumpharent? Nunc quia non successit vmquam, jure triumphantur.

Tertull. in Apologet. c.23. 26. Arnob. l.8. cōtrà Gent. Cyprian. ad Demetrian. Lactant. li. 4. c. 27. Iustin. in Tryph. Hieronym. contr. Vigilant.

Marc. vlt. 17. 1. Ioan. 3. 8.

Matth. 7. 22.

S. Athanasij in vita S. Antonij.



CAPVT XL.

Vigesima prima morborum caussa, vt per eos non solùm ad supernaturalia remedia, sed etiam ad varia virtutum, & pietatis, ac religionis opera incitemur.

I. S.Gregor.l.2. dial. c.30.



S Gregorius, cùm ex eo quæreretur, Sanctíne miracula *virtute semper orationis impetrent, an aliquando etiam solo voluntatis exhibeant nutu?* respondit: *Qui deuota mente DEO adhærent, cùm rerum necessitas exposcit, exhibere signa modo vtroq; solent, vt mira quæq; aliquando ex prece faciant, aliquando ex potestate.* S. Augustinus plures modos indicat, dum ostendit, non tantùm tempore Christi & Apostolorum, sed etiam postea, sanitatum miraculis, fidei nostræ mysteria fuisse confirmata: ita enim loquitur: *Etiam nunc fiunt miracula in eius nomine, siue per Sacramenta eius, siue per orationes, vel memorias Sanctorum eius.* Nos ex supradictis plures modos enumerabimus, aut classes spiritualium remediorum, vt optio sit, pro cuiusque conditione, eligendi, aut exercendi, sanitatis impetrandę gratia, pietatem.

S.Augustin. lib.22. de ciuit. cap.8.

II. Suprà cap 38. §. 8.

1. Itaque suprà docuimus, CHRISTVM plerumque fidem exegisse ab eis, qui sanari cupiebant. Immò hoc ipso, quia petierunt, crediderunt. Cur enim peterent id, quod fieri non posse crederent? Crediderunt ergo aliquam supernaturalem esse in Christo sanandi potestatem; siue simul, siue postea etiam crediderint conjunctam illi potentiæ diuinitatem. Ne ergo morbus à satana immittatur, vel vt immissus excutiatur, fortissimum antidotum est Catholica fides. Ita docuit Magnus Antonius, cuius ad fratres hæc vox fuit: *Magna, dilectißimi, aduersus dæmonem, arma sunt, vita sincera, & intemerata in DEVM fides.* Fides, ne tela Orci vulnerent, scutum est, lorica est; medicina, si vulnerarunt. Istud Apostolus Ephesios docuit, his verbis: *Induite vos armaturam DEI, vt poßitis stare aduersus insidias diaboli, &c. in omnibus sumentes scutum fidei, in quo poßitis omnia tela nequißimi ignea extinguere*; si quem ea iam incenderunt. Sunt

S:Athanas. in vita S. Antonij.

Ephes. 6. 16.

enim

enim non tantùm suggestiones diaboli ignea, seu instar ignis ardentia & penetrantia tela, sed ipsi etiam morbi igniti. Quibus ne ab hoste è Tartareis flammis veniente lædamur, etiam lorica fidei induenda est, quod Thessalonicenses monuit Apostolus: *Nos*, inquit, *qui diei sumus, sobrij simus, induti loricam fidei.* Quod remedium sapienter Ephesijs, & Thessalonicensibus præscripsit Apostolus, apud vtrosque enim & diabolus, & diabolicæ artes plurimùm valuerunt. Neque enim magi Thessaliam dumtaxat, sed Ephesios etiam Ephesiæ litteræ infamauerunt. Quamquam non intra hos se se veneficia terminos continuerunt. Itaque vbique fides, tamquam scutum, aut lorica vsurpanda est; immò & tamquam medicina. Duobus rem exemplis confirmo, de milibus. 1. Thessal. 5. 8.

III. Primum scribit Cornelius Kempensis, circa tempora Lotharij Imp. fuisse passim, in Frisia, multa laruarum infernalium spectra, quæ in paruo quodam supereminentis collis supercilio subterraneum habebant specum, absque humana ope, artificio præstigioso extructum, in quo residebant, quas antiqui vocabant Albas Nymphas. Harum speciem adumbratam, non veram fuisse, constat. Hæ solebant nocturnos viatores, gregumque & armentorum intentos excubijs, & puerperas, cum infantibus sæpissimè in abdita sua, & subterranea antra clanculum abducere; in quibus subinde subterranei murmuris sonus, atq; etiam vagitus infantium auditi sunt; & præterea etiam ingens fletus & gemitus hominum, & quandoque musarum concentus, & voces dubia aure colligebantur. Qua de caussa magna fiebat custodia prægnantium mulierum & paruulorum infantium, ne ab istis Nymphis infernalibus clam abriperentur. Quæ omnes dæmonum illusiones, post agnitum sincerum Dei Euangelium (erant enim tunc Frisij Sabellij & Arij erroribus dementati) euanuerunt, & in nihilum redactæ sunt. Scripsit enim S. Odulphus contra eiusmodi illusiones dæmonum chartam de SS. Trinitate, quam per Ecclesias & Parochias Frisiæ Sacerdotibus misit, vt in populo frequenter legeretur. In vtraque India non solùm præstigiæ, & oracula, sed etiam visibilia spectra Indos mirabiliter verberantia & vexantia passim erant, quæ fide Christiana

Cornel Kempens. lib. 3. de origin. & situ Frisiæ. cap. 31.

stiana illuc introducta, magna ex parte cessauerunt: nimirum Euangelica luce præsente facilè fugantur principes tenebrarum.

IV. Alterum exemplum ostendit, fidem etiam contra morbos sæpe validum esse medicamentum, refertur autem à Gregorio Turonensi, qui scribit, Charrarici cuiusdam regis Galliciæ filium ita grauiter ægrotasse, vt solo spiritu palpitaret. Pater autem eius Ariana hæresi erat infectus, ad quam impiam sectam etiam subditos traxerat. Mentis infectionē, sequebatur infectio corporum. Nam in nulla alia regione plures lepra aspersi inueniebantur. Rectè dixit Propheta: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine.* Hoc & regi huic euenit, qui cùm videret, filium suum in vltimo esse vitæ discrimine, è ministris suis remedium quærens dixit: *Martinus ille, quem in Gallia dicunt, multis virtutibus effulgere, cuius, quæso, religionis fuerit, enarrate.* Responderunt: *Catholicæ fidei populum pastorali cura in corpore positus gubernauit, asserens, cum Patre & Spiritu sancto Filium æquali honore venerandum.* Qui adhuc hodie non cessat de cælo mortalibus benefacere. Hac re audita, aurum argentumq; ad filij ægroti pondus pensatum misit ad D. Martini sepulchrum, illud adijciens, si sanitatem, qui missi erant, filio impetrarent, se idem, quod Martinus credidit, crediturum. Ierunt, munera detulerunt, miracula complura coràm viderunt, sed filio regis sanitatem non integram impetrârunt, rege adhuc etiam non integra fide credente. *At ille intelligens, non antè sanari posse filium, nisi æqualem cum Patre crederet Christum, in honorem B. Martini fabricauit Ecclesiam, miroq; opere expeditâ, proclamat: Si suscipere mereor viri iusti reliquias, quodcumque sacerdotes prædicauerint, credam.* Dixit, & alia ad D. Martinum donatiua misit. Legati, oblatis muneribus, & reliquijs sancti viri obtentis cùm redirent, vnà cum sacris ossibus etiam sanitatem & filio, & regno regis retulerunt. Quippe ea *pignora*, vt ait S. Gregorius, *cum summa veneratione suscipientes, fidem miraculis firmant. Nam filius regis dimissa omni ægritudine, sanus properat ad occursum: Rex verò vnitatem Patris, & Filij, & Spiritus sancti cōfessus, cum omni domo sua chrismatus est. Squallor lepræ è populo pellitur, & omnes infirmi saluantur;*

S. Greg. Tur. lib. 1. mirac. S. Martini cap. 11. Baron. Tom. 7. An. 560.

Psal. 82, 17.

nec

nec vmquam ibi vsque nunc super aliquem lepræ morbus apparuit. Quis vmquam Hercules adeò fuit alexicacus, vt Sanctus iste? Sed fidem exegit: & fidem integram antè habere voluit, quàm conferre integram sanitatem. Est quidem ita, non omnes, qui vera fide credunt in Christum, morbis liberantur, quia non omnibus prodest; attamen multos legimus, quibus etiam ad sanitatem profuit, credidisse; in hæresi autem obstinatis si talia non contingunt, quid mirum? Miracula contemnentibus non prosunt. Maneant ergo leprosi, si nolunt esse miraculosi.

V.

2. Ostendimus, Apostolos, ne propriæ virtuti miracula tribuerent, sanitatem disertè, non in suo; sed *in nomine* IESV CHRISTI *Nazareni contulisse*. Et quando sacerdotes super claudo sanato *statuentes eum in medio, interrogabant* Petrū & Ioannem: *In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos? Tunc repletus Spiritu sancto Petrus dixit ad eos: Principes populi, & seniores audite: Si nos hodie diiudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste saluus factus est, notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israel: quia in nomine Domini nostri* IESV CHRISTI *Nazareni, quem vos crucifixistis, quē* DEVS *suscitauit à mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus.* Hæc est compensatio, nominis exaltatio. CHRISTVS *humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine* IESV *omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus* IESVS CHRISTVS *in gloria est* DEI *Patris.* Hinc damnati Spiritus ad hoc nomen contremiscunt. Hinc morbi & dolores cedunt. *Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* In quam rem insignis historia narratur à Nicephoro, vel ideò non omittenda, quia demonstrat, non solùm morbos hoc nomine depulsos, sed etiam ea ipsa depulsione regem, & reginam, & totum populum fuisse ad Christum conuersum.

Suprà cap. 39. §. 2. & 6.
Actor. 4. 7.
Phil. 2. 8.
Actor. 4. 12.

VI.

Iberi, inquit Nicephorus, *gens barbara & bellicosa, Christiani facti sunt, Constantino Romanum Imperium administrante. Habitat autem hæc natio in intentiore Armeniæ parte ad Septemtrionem & Euxinum versus. Sunt autem Iberorum in Hispania coloni. Praiit*

Nicephor. l. 8. hist. Eccl. cap. 34.

eis

eis in Religione colendâ captiua quædam mulier: quæ cùm aliàs semper pudicè casteq́ue vixerat, tum captiua quoq́ue nihil de pietate sanctioreq́ue instituto remisit. Nam diu noctuq́ue pietatis exercitia exhibebat, jeiuniis plurimùm vacabat, continueq́ue precationibus insistebat. Itaque Barbari, nouo vitæ instituto viso, eam admirari, &, quanam de caussa hoc sic faceret, percontari. Illa porrò candidè, & simpliciter, sic CHRISTVM FILIVM DEI *coli oportere, dicebat. Tum Barbari & nomine, & religione eius, qui sic coleretur, audito, obstupuerunt. Interea accidit, vt Regis filius etiamnum infans grauiter ægrotaret, & mater patrio quodam more ad alias eum mitteret mulieres, quò faciliùs remedium mali reperiri posset. Vt autem puer à nutrice circumlatus est, neque meliusculè habuit, tandem etiam ad captiuam illam deportatus est. Quæ in multorum præsentia, nihil sanè ex materiâ aliquâ compositi remedij admouit, neque enim se quidquam eiusmodi scire affirmauit: sed puero in linteolo, quod ei è pilis contextum erat, jam lacerum, reposito, simplicem ei fecit medicinam, nomine Christi super eo inuocato. Et ecce qui in ea erat expectatione, vt protinus moreretur, quàm primùm precatio est facta, liber à periculo fuit. Ex eo tempore præclara eius mulieris fuit fama, matriq́ue pueri, & aliis fœminis innotuit. Nec ita multò pòst, & eam ipsam pueri matrem incurabili oppressam morbo, eodem restituit modo: eamq́ue exhortata, vt ei deinceps diuinum præstaret cultum, gratiamq́ue haberet, qui bonorum conciliator, veraq́ue salutis, vitæ, & regni sit dator. Eum esse Christum, verum* VERBVM, *& post ea quotidie ad eam frequentans, salutaria ei veræ pietatis exhibuit medicamenta. Quapropter Regina re ipsa dictorum veritate in se ipsa cognitâ, hominem in magno habuit honore; sed enim Rex, cùm è coniuge, & celeritatem, & rationem remedij intellexisset, donis mulierem munerari voluit. At illa nihil sibi opus pecuniis esse dixit, cui abundè in Christo suppeterent opes omnes: sibiq́ue ingentis muneris loco fore, si & ipsi eumdem Numinis cultum complecterentur. His ita dictis munus satis grande ad Regem remisit.* Cuius loco longè plus reportauit, etiam in terris. Nam Regina primùm, postea & Rex Christo nomen dederunt, & rege præeunte populus vniuersus. Sic inualitudo remedium quærere; remedium & fidem & sanitatem, in nomine IESV, docuit inuenire. Vtinam scirent homines vim huius Nominis contra stygem, contraque aduersa omnia!

omnia! profectò numquam illud ex corde dimitterent, sæpius
etiam ore inuocarent. Sed de eo multa dixi in proprio libro
de Nomine Iesv.

3. Docuimus, fieri sanitatum miracula non solùm, per- VII.
nomen Iesv, sed etiam *per memorias Sanctorum eius*, vt D. Au- S. August. lib.
gustinus loquitur, hoc est, per nomen, templa, sepulchra, aras, 22. de ciuit.
reliquias, inuocationemque Deiparæ, Diuorumque ceterorum. cap. 8.
Nam Devs etiam in Sanctorum suorum honoribus honoratur;
immò ipse Sanctos suos miraculis honorat, dum ad eorum no-
men, opemque inuocatam, morbos pellit, vt illis, apud homi-
nes, & honorem conciliet, & authoritatem. Nec enim sine
caussa dictum est: *Nimis honorificati sunt amici tui DEVS.* In- Psal. 138. 17.
primis autem Mater Dei, quæ vitam salutemque in Christo
reduxit, sicut Eua mortem morbosque induxit. Ideoque S. Atha- S. Athanas. in
nasius ait: *Quandoquidem ipse Rex est, qui natus est ex Virgine,* Euang. de
idemq; Dominus & DEVS; eapropter & Mater, quæ eum genuit, Sanctiss. Dei-
& Regina & Domina, & Deipara propriè, & verè censetur. Ista noua para. Vide Petr. Canis.
Eua Mater vitæ appellatur, variegataq; permanet, ad primitias vitæ lib. 5. cap. 30.
immortalis omnium viuentium. Vt enim, per eius preces speremus
vitam immortalem, sæpe per illam Devs, multis grauibus morbis Baron. Tom.
abactis, vitam prolongat mortalem, restituitque ad eam con- 9. Anno. 727.
fugientibus incolumitatem. Ioanni Damasceno Leo Isaurus n. 4. seqq.
Iconoclasta manum abstulit; retulit restituitque Maria. D. Ber- VVilhelm.
nardus grauiter decumbens, fratrem ad aram Mariæ ablegauit, Abb. in vita
pro se oratum. Eâdem hora adfuit viro Dei Maria, SS. Lauren- S Bern lib. 1.
tio & Benedicto stipata, *imponentesq; ei manus & loca doloris atta-* cap. 12.
ctu piissimo lenientes, omnem protinus ægritudinem depulerunt. Sicca-
tus est enim illico phlegmatis riuus, & dolor omnis abscessit. Fulberto Baron Tom.
Abbati Carnotensi Dei Mater ægrotanti apparuit per visum, ape- 11. An. 1028. 5.
ruitque sacratissima vbera, quæ præbuit illi sugenda. Post san-
guinem Seruatoris, nulla neque dulcior, neque efficacior inueni- Sur. 23. April.
ri potuit medicina. Adalbertus, qui primus ferè postea Bohe- & Petr. Cani-
mis, ac deinde Polonis Euangelij lucem intulit, atque etiam sius. lib 5. de
martyr Christi factus est, adhuc puerulus, graui, eoque admo- Deipar. c. 28.
dum periculoso morbo affectus est. Ipsum ita laborantem, Dei
Matri commendârunt in hunc modum: *Non nobis, Domine non*
nobis

nobis viuat puer iste; sed clericus in DEI Matris honorem portet iugum tuum. Qui ergo præcepit nobis, vt parentes nostros honoremus, vt ipse quoque, in exemplum nobis Matrem suam honoraret, ad istud votum illico effecit, vt in ictu oculi vis omnis doloris ab Adalberto recederet. Restitutus valetudini puer, in eum virum euasit, qui duo regna Christo subijcere aggrederetur.

Rutilius Benz. Episc. Lauretan. l. 1. disq. 3. q. 2. Addamus martyrem martyri. Graues dolores patiebatur ardentissima febre perustus Andreas Trapezuntius, cùm superos mortalibus potentiores esse sciret, ad cæli Reginam confugit, votoque perpetui cælibatus illi facto, mox è mortis janua, ad limina vitæ est reuocatus. Vt autem voti facti memor existeret semper, albis vestibus amictus incessit. Nec satis fuit eum Deiparæ opem expertum contra febres, etiam expertus est contra carnifices. Nam postea cùm pro Christo multa atrocia tormenta subijsset, flagellisque, pectinibus, ferreis vngulis ac scorpionibus sic esset dilaniatus, vt pedibus consistere nequiret; cumque maiora ei tormenta die altera pararentur, ad carcerem ductus, ferreisque catenis ligatus, Virginis MARIÆ nomine inuocato, mox stupentibus omnibus persanatus est. Vtque admiratio cresceret, cùm, die altero, accensus rabie carnifex, immani ictu maxillam martyris decussisset, dentesque illius denudasset, fideles que maxillæ carnem è terra sublatam, odoribusque miris refertam, in templo S. Francisci reuerentia summa asseruassent, atque etiam interea fortissimus heros maiora passurus in Tullianum carcerem detrusus esset, altera illucescente die, productus, omnibus attonitis, & acclamantibus, lætus sanusque apparuit. Sed quis finis esset, si in hunc dicendi campum ingredi vellem? Tota volumina plena sunt beneficijs Marianis. Videatur Petrus Antonius Spinellus in Maria Deipara Throno DEI, tractatu de exemplis ac miraculis Deiparæ; Ferreolus Locrius in Maria Augusta; Horatius Tursellinus in historia Lauretana, Cæsarius, Thomas Cantipratanus, Ioan. Bonifacius, Vincemala, Iustus Lipsius in Virgine Aspricollensi, & alij, qui de Monte Serrato, in Hispania; de Maria Eremitana in Heluetia; de Oettingana in Bauaria, deque mille alijs miraculosis seu statuis, seu templis illius scripserunt.

Pari

VIII.

Pari modo infinitum negotium esset, miracula sanitatum à ceteris Sanctis, eorumque imaginibus, templis, reliquijs obtentarum colligere; & vtique vnus codex, quantumuis ingens, ea non caperet, quæ in tot voluminibus testatissimè narrantur. Nulla ferè est vita Sancti vllius, quæ eiusmodi historijs non abundet; & vel ea, quæ de S Stephano à S. Augustino recensentur, suprà à nobis citata, multas paginas implent. Rectè S. Ioan. Damascenus Sanctorum reliquias appellauit *fontes salutiferos, ex quibus plurima ad nos beneficia mânent, suauissimumq; vnguentum proflaat.* Vt de ceteris taceam, Thomas Fazellus testatur, ad solum D. Philippi Apostoli sepulchrum, quotannis in Sicilia plurimos energumenos diro hospite liberari; ac Anno quidē 1541. ducentas feminas diabolica seruitute fuisse solutas. Eamdem virtutem attribuit Rupertus Tuitiensis Abbas, S. Heriberti Coloniensis Episcopi sepulchro, & Wertenses Monachi S. Lutgero Monasteriensi Episcopo; & Albinus Flaccus S. Richario. *Quod idem hodie cernimus fieri, in Belgio, vt in Brabantia Gela, ad S. Dympnæ ossa, & Rothnaco Flandriæ, ad reliquias D. Hermetis,* ait Ioan. Busæus. Ac, ne longiùs eamus, in vicinia nostra, hoc est, in Monte sancto, Andex dicto, quot, & quanta, singulis annis, annotantur, & (more antiquo, quem S. Augustinus laudans ipse vsurpauit) publicè peregrinis illuc vndique, vel voti, vel pietatis caussa, confluentibus miracula sanitatum recitantur? Enimuerò, ne extra vrbem ire necesse sit, quàm multa & luculenta, dum ego hîc Monachij versor, vel in crypta Beatissimæ Virginis, vel ad S. Bennonem, vel etiam ad aram & lampadem S. Ignatij Loyolæ miracula contigerunt? Quid, quòd ferè singuli casus, singuli morbi, singula membra suos habent patronos? In periculis fluminum, non solùm S. Petrus, aut S Paulus, sed etiam S. Nicolaus, S. Claudius, S. Franciscus Xauerius; quin in primis etiam *maris stella* MARIA inuocatur vtiliter. In periculis incendiorum, S. Florianus; Aëre infecto, & pestilentia grassante, S. Sebastianus, S. Adrianus, S. Antonius, S. Rochus, S. Carolus Borrhomæus, S. Rosalia: In alijs febribus D. Petrus, & S. Genouefa: In doloribus oculorum, S. Lucia, & S Ottilia: In dentium cruciatu, S. Apollonia: In angina S. Wigbertus: Si officulum

S. Ioan. Damascen. li. 4. de orthod. fid. cap. 2.

Rupert. in vita S. Heriberti. cap. vlt. VVertens. l. 3. vit. S. Lutgeri Abin. in vit. S. Richarij.

Ioan. Busæus in Panario. verb. veneficia.

S. Augustin. lib. 22. de ciuit. cap. 8.

vel ſpina in faucibus hæſit, S. Blaſius: In gangræna, ſiue cancro, S. Agatha: In calculo & renum doloribus, ac hernia, S. Drogo: In puerperio S. Ignatius Loyola: Deniq; in his & alijs morbis Diui, quos hac ipſa de cauſſa Auxiliatores, maiores noſtri nominauerunt. Horum aliorumque Sanctorum auxilia tam ſunt multa, vt non poſſint numerari; tam manifeſta, vt nequeant negari. Ob quem fructum, meritò laudanda & imitanda eſt SS. Patrum, Nectarij, Ephrem, Nazianzeni, Nyſſeni, Ambroſij, Chryſoſtomi, Hieronymi, Auguſtini, aliorumque, & totius Eccleſiæ vetus conſuetudo, dicentium *S. Maria, ora pro nobis. S. Petre ora pro nobis;* ceteroſque Sanctos, in quacumque neceſſitate, atque etiam extra neceſſitatem, inuocantium. Certè è Scripturâ conſtat, pium ac vtile eſſe, inuocare Sanctos in hac vita exiſtentes; quod ipſe

Coloſſ. 4. 2. 2. Theſſ. 3. 1. Paulus fecit: *Orationi inſtate, orantes ſimul & pro nobis:* item, *Fratres, orate pro nobis, vt ſermo DEI currat, & clarificetur.* Si pium & vtile eſt inuocare iſtos, cur non etiam illos, qui cum Chriſto regnant? Si non eſt injurioſum Chriſto & DEO, inuocare mortales, cur ſit injurioſum, inuocare immortales? An plus poſſunt in terris militantes, quàm triumphantes in cælo? Si inuocare Sanctos in terra, non eſt diffidere DEO & CHRISTO, cur eſt diffidere DEO & CHRISTO, inuocare Sanctos in cælo? Si veteris Teſtamenti animæ vel in limbo, vel in inferno exiſtentes nō ſciuerunt, quid apud viuos ageretur, non tamen conſequens eſt, etiam illos, qui iam cum CHRISTO regnant, id ignoraſſe. Ac ſanè tot & tam manifeſta eorum beneficia clarè oſtendunt, nec latere eos noſtras preces, neque preces noſtras fruſtra ad eos fundi.

IX. 4. Itaque vel hinc conſtat, tria bonorum operum genera, in morbis vtilia eſſe remedia, orationem, jeiunium, & eleemoſynam; ſiue orationes ad DEVM ipſum, ſiue ad Sanctos dirigantur. De oratione ſatis dictum eſt, cùm & inuocatio Sanctorum, ſit oratio. Sed nominatim hoc in morbis pharmacum eſſe adhibitum, oſtendit D. Chryſoſtomus, qui Monachorum ſuorum inſtituta recenſens ait: *Quòd ſi quis infirmatus fuerit, non lamenta, non lachrymæ, ſed perpetuæ funduntur preces. Non ibi medicorum operatur manus, ſed fides ſæpe ſola ſanauit infirmum. Nempe & ſi opus fuerit medicus, magna & hîc oſtenditur Philoſophia, ingenſq;*

S. Chryſoſt. hom. 14 in 1. Tim.

oſtendi-

ostenditur tolerantia. Illustre eiuscemodi exemplum legimus in vita Pachomij de quodam fratre. *qui patientia senis æmulus & imitator erat, is, cùm staret ad orationem, percussit scorpius pedem eius, & adeò virus infudit, vt vsq; ad cor eius dolor excurreret & spiritum paulò minùs exhalaret. Qui licet sit affectus extremo cruciatu, non tamen se commouit a loco suo donec finiretur oratio: pro quo statim Pachomius preces* CHRISTO *fudit, & pristinæ sanitati restituit.*

Heribert. Rosvveid. l. 1. de vit. PP. in vita S. Pachomij. c. 50.

Itaque non solùm sanctum, sed etiam expeditum infirmitatis remedium est oratio quæ tam habetur in promptu, quàm lingua. Ora tu Sanctum, non segniùs orabit Sanctus DEVM. Orationi subinde jungendum est jeiunium, præsertim, quando contra cacodæmonem ferociorem res gerenda est, vt monuit ipse Dominus Apostolos, dicens: *Hoc autem genus non eijcitur, nisi per orationem & jeiunium.* *Vide,* ait S. Augustinus, *quanta sit jeiuniorum virtus, vt id facere jeiunia valeant quod Apostoli nequiuerunt.* & S. Athanasius: *Vides quid faciat jeiunium? morbos sanat, distillationes exsiccat dæmones fugat,* à quibus multi morbi procurantur, vt in Iob apparuit. Et infrà: *Quisquis ab immundo spiritu vexatur, certum habere debet, hoc pharmaco jeiunij statim spiritus malos afflictos abscedere, vim jeiunij metuentes.* Denique S. Gregorius Nazanzenus, exponens, quibus armis sancta Virgo diabolum, magicasque artes à se repulerit, *jeiunij,* inquit, *& humicubationis pharmacum objecit.* Notum est enim, ad jeiunium, humicubationes, flagella, & cilicia ceterasque arbitrarias corporis castigationes reuocari.

Matth. 17. 20.
S. Augustin. serm. 65. de temp.
S. Athanas. lib. de Virginit.
S. Greg. Naz. in orat. de laudib. Cypriani.

Iam ad tertium bonorum operum genus quod attinet, quis dubitet, misericordes misericordiam cõsequi, & eleemosynis redimi peccata, ob quæ sæpe nobis morbi infliguntur? Disertissimis verbis testificatur Petrus Damiani, se ægrotante, fratri cuidam nomine Leoni virum splendidum in somnis apparuisse, & inter alia jussisse, vt hæc ægroto referret: *Nullam in medicis spem ponat, centum tantummodo pauperes pascat, & protinus se conualescere de languore, quem patitur, non diffidat.* Quo facto, est sanitas consecuta. In qua historia diuites obseruare debent, non satis esse, si, vt sanentur, duo minuta dent, aut vnicum panis frustum pauperi per fenestram proijciant excipiendum. Petrus Damiani, pius alioqui vir, *centum pauperes*

Petr. Dam. epist. 170. ad Rodul.

Tob. 4. 9. *pascere* jubetur. Et Tobias ad filium suum ait: *Quo modo potueris, ita esto misericors: si multum tibi fuerit, abundanter tribue.* D. Chrysostomus ait: *Non dare, sed cum copia dare, eleemosyna est;* additq; ideò eos, qui dicunt: *Miserere mei DEVS, secundùm magnam misericordiam tuam*, debere etiam misereri pauperum, secundùm magnam eleemosynam suam. Quantum pecuniarum effunditur sæpe in medicos? quantum in pharmacopolas & medicinas? & misera illa mulier, *quæ in medicos erogauerat omnem substantiam suam, nec ab vllo potuit curari*, ideò coacta est aliud remedium quærere. Nonnè rectè quæsiuit apud CHRISTVM? Quærite & vos, diuites, apud CHRISVVM, cui datur, quidquid pauperi datur. At quando pauperi datur tantum, quantum in medicos expenditur & medicinas? piaculum putaretur, si quis suaderet, tantumdem in egenos opulento ægroto, quantum in medicos esse exponendum. Nimirùm plus spei ponitur in arte medici, quàm in opere virtuteque CHRISTI; & multis chariores sunt opes, quàm bona valetudo; hinc malunt diuites ægrotare, quàm aliquid de opibus perdere caussâ sanitatis. Qui efficaci exemplo instruendi sunt, quid eleemosyna cum jeiunio possit, quod à fideli eius temporis Scriptore, atque inde à Baronio Anno 959. his verbis narratur.

S. Chrysost. hom. 37. ad pop.

Luc. 8. 43.

Apud Sur. Tom. 5. 3. Octobr c. 2.

X.

Baron. Tom. 10. An 959. n 3.

Per hoc tempus Arnulphus Marchio Flandriæ dominabatur, vir valde opulentus quouis genere diuitiarum, vti hodieq; claret in ditiore eius sobole. Is morbo grauißimo vexatus, nullam ex tantis opibus ei potuit adhibere curationem: rectè enim quadrabat versus ille:

Æger diues habet nummos, se non habet ipsum.

perpetuis enim cruciamentis conficiebat eum calculus, morbus intolerabilis, vrinæ meatus obstruens. Multi quidem ad eum aduolabant medici, suam peritiam egregiè jactantes, vt scilicet à pecunioso homine nummos, & lautas epulas emungerent. Aiebant illi incisione opus esse, & sine ea nullam posse ei fieri medicinam: sed Princeps veritus, ne dum remedia vitæ captat, vitam prorsus amittat, non patitur se vlla ratione incîdi. Porrò medici ei animum addere volentes, illo inspectante, octodecim eodem morbo affectos inciderunt, eosq; omnes, dempto vno, qui mortuus est, breui curârunt. Sed ille vnus è vita ablatus facilè confirmauit

firmauit Comitis animum, ne se pateretur incidi. Tandem DEO illi suam gratiam aspirante ad se reuersus, spem, quam inconsultè in hominum arte posuerat, in eo collocat, qui omnia curat solo sermone. Hausto enim bono odore famæ B. Gerardi, præsertim ex illuminatione cæcæ mulieris: submissè admodum, per celerem nuntium, eum rogat, vt ad ipsum venire minimè grauetur. Venit ille, & Princeps honorificè occurrit venienti, eumq;, vt par erat, officiosissimè excipit: indicat cum lachrimis morbi acerbitatem: orat vt pro ipso DEVM omnipotentem deprecetur. At vir DEI, crede mihi, inquit, mi frater, non ego tanta mihi virtutis ac meriti conscius sum, vt tu quidquam huiusmodi à me homine vilissimo debeas exspectare; perfectorum istud est, eorum maximè, qui jam corpore exuti Domino semper assistunt. Ego verò quisnam sum, vt à me homine vilissimo rem tam difficilem exigas? Si vis, perfectam Domino committe medelam. At Comes è diuerso: Sentio, inquit, mi pater, quid velis: occasionem quæris ne id mihi præstes beneficij. Sed, quæso te, præpotentis D E I benignitate fretus, ne mihi differas afferre remedium, quod ego certissimè mihi in tanta doloris acerbitate per tuas preces affuturum, polliceor. Noli, obsecro, inhumanum te mihi exhibere, sed miserere mei hominis moribundi, vt tui quoque Deus misereatur. Vt misericordes, ita exorabiles sunt Sancti. Itaque, *Beatus vir sic respondit lachrymanti: Ne videaris frustra à me petijsse remedium, indicabo tibi, quod facias: Iacta semper in Dominum cogitatum tuum, & quia multis auctus es diuitijs, aliquid ex eis erogato in pauperes, & poteris abolere enormitatem scelerum tuorum: propter peccata enim huiusmodi mala interdum accidunt. Vbi verò hac ratione, tibi Christum propitium reddideris, etiam optatam licebit recuperare salutem. Ad hæc Comes: Gratissimum est, inquit, quod hortaris, serue DEI, modò possim Christi experiri clementiam. Ecce, instar Zachæi illius euangelici, dimidium bonorum meorum do pauperibus, si tamen sopiri queat morbus grauissimus me miserè depascens. Deinde præcipit domesticis suis, vt fideliter sancti viri consilium exequantur.* Facile enim merces iactantur, alioqui cum vita deserendæ, si naufragium instat. *Porrò autem indicit ei vir D E I, triduanum jeiunium, ipse pariter cum eo ieiunans, vt ea victûs parsimonia purificati, immò spirituali refectione recreati digni ad percipienda Christi mysteria ambo accederent. Eo ieiunio religiosè, vt res exigebat,*

gebat, expleto sanctorumq; suffragijs lachrymosè imploratis, vir DEI diuinis accingitur armis, Missamq; suo more lachrymabũdus celebrat. Cumq; jam sacram sumpsisset Eucharistiam, & Marchioni quoq; inhianter exspectanti eam impertijsset, confestim reddendi lotij appetitu Marchio corripitur. Itaque secedens, cum vrina, nullo negotio, calculum ejcit, & pristinæ sanitati mirabiliter restitutum se gratulatur. Quæ illius animum tum exultatio obtinuerit, quas DEI laudes omnes illi fauentes deprompserint, quanta erga virum DEI extiterit veneratio, nemo ni fallor requirit, cùm nulla id possit a nobis ratione explicari. Subdit author de eiusdem S Gerardi contemptu diuitiarum, cùm ab offerente Arnulpho ingentem pecuniæ thesaurum accipere noluit. Suscepit verò laborem, nempe oblatam curam monasteriorum totius Flandriæ, quæ reuiuiscere fecit monastica disciplina. Ipse verò Comes curatus corpore, & anima pariter conualuit, pristinæ vitæ renuntians, ne quid deterius illi contingeret. Quid enim juuat, corpus sanari, animo ægrotante? Morbum radicitus curat, qui caussam morbi tollit. Quid autem caussam morbi tolleret, optimè sciuit S. Gerardus, qui Marchioni sanguinem misit, dum per eleemosynas pecuniam minuit.

Eccli. 3. 13.
Luc. 11. 41.

Siquidem *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.* Plus dicit Seruator: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Mirissimum mirum est, tam multos esse, quibus cùm anima jam in labijs exitum expectat, tamen non incidit, pecuniam & opes suas alioqui deferendas, si non pro corporis, saltem pro animæ salute in pauperes, aliosque pios vsus esse collocandas. Malunt scilicet eam incertis, & fortasse etiam ingratis hæredibus relinquere, quàm in commodum suum conuertere. Vsque adeò homines letho & Lethæis aquis, immò flammis vicini, suimet obliuiscuntur.

XI.
S Augustin: lib. 22. de ciuit. cap. 8.
Idem lib. de cura pro mortuis gerenda. cap. 12. & 13.

5. Docet D. Augustinus, sanitatis, & omnis generis miracula vniuersim, fieri etiam *per Sacramenta* CHRISTI. Et quidem, vt a Baptismo incipiamus, scribit idem S. Pater, & prolixè disputat, de quodam Curma, Municipij Tulliensis, quod Hipponi proximum est, qui, *cùm ægrotaret, ablatis sensibus, penè mortuus jacuit aliquot diebus.* Is multa mira vidit: *Deinde vt a me baptizaretur,* ait S. Augustinus, *admonitus, iam factum esse, respondit. Cui rursus ille:*

ille: qui cum eo loquebatur, Vade, inquit, verè baptizare, nam illud in visione vidisti. Post ista conualuit, perrexit Hipponem, Pascha iam appropinquabat, dedit nomen inter alios competentes, pariter cum plurimis, incognitus nobis: nec ille mihi visionem, nec cuiquam nostrorum indicare curauit. Donec, Augustino id aliunde audiente, vocatus ipse rem totam narrauit. Luculentius est, quod in vita Valen- Sur. Tom. 1.
tini Episc. Interamnensis, in hunc fere modum refertur. *Fuit Ro-* 14. Febr.
mæ Craton quidam summis oratoriæ facultatis laudibus ornatissimus, cui filius erat Cheræmon nomine, qui iuuenis admodum eam incurrerat ægritudinem, vt incuruato dorso caput inter genua deprimeretur, tantaq; erat eius calamitas, vt nulla medicorum arte vel industria curari posset. Cumq; pater omnem salutis spem de filio abiecisset, extitit quidam Fonteius Tribunitius, qui eodem, & grauiore etiam malo germanum suum vexatum fuisse dicebat, curatumq; à quodam Episcopo Valentino ciue Interamnensi, viro magnæ sanctitatis, opinione celebri, & virtutum omnium splendore mirificè ornato. Craton Valentinum Romam vocari curat, ei filium & pecuniam offert. Episcopus pecuniam pauperibus dari jubet, sibi exigit animam Cratonis, vt, spretis Idolis, fidem Christi & baptismum suscipiat. Quæ & suscepit cum coniuge & tribus discipulis, postquam Chæremonem ex curuo rectum, ex muto loquentem, ex idololatra Christianum recepit. Quàm malè faciunt, præsertim magnates, qui pompæ parandæ caussa, liberorum suorum baptismũ in multos dies, immò hebdomades differunt, eosque interim diaboli insidijs expositos relinquunt, qui sicut per baptismum arcetur, ita ante baptismum ad filios originali peccato inquina- Iac. Victo-
tos, vel inficiendos, vel necandos inuitatur. Certè Maria riac. Card.
Ogniacensis, cùm puer, ad ostium Ecclesiæ baptizaretur, vidit lib. 2. vitæ
cacodæmonem à puero recedentem, eiusque loco Spiritum san- Mariæ Og-
ctum in animam eius descendentem, Angelosque jam aquis lu- niac.
stralibus mundatum stipantes. Protogenes certè, vt de eo re- Theodoret.
fert Theodoretus, à multis vocatus, vt eorum infantes sanaret, hist. Trip 7.
protestatus est, Se auxilio eis non priùs esse posse, quàm ægri di- 33.
uinum subirent lauacrum. Constat de Constantino Magno le- Niceph. li. 7.
pra fœdissimè cooperto, non cæsorum infantium sanguine, sed hist c. 33. &
sacro baptismatis rore mundato, quod remedium ei in somno Baron tom. 3.
sugge- ad An 324.

suggesserunt SS. Apostoli Petrus & Paulus. Quale exemplum etiam legitur in vita S. Gaugerici Cameracensis Episcopi, de lepra per lustrales vndas, velut in Iordane abstersa. Multi scabiem ponunt in thermis; Cephisia, Larine, Callirhoë, aut aliæ aquæ salutares alijs varia mala corporis pepulerunt; longè salubrius est sacri baptismatis balneum, cuius vis vtriusque hominis & interni, & externi morbos potest abluere & sanare: vt complura testantur exempla ab alijs commemorata.

Sur. Tom. 4. 11. Augusti.

Vide Ant. Dauroult. c. 5. tit. 7. Catechismi hist.

XII.

6. Sacramenti Confirmationis, quod in fronte recipitur, quanta sit contra dæmonem vis, luculentè demonstrat Lactantius his verbis. *Quanto terrori sit dæmonibus hoc signum, sciet, qui viderit, quatenus adiurati per Christum, de corporibus, quæ obsederint, fugiant. Nam sicut ipse, cùm inter homines ageret, vniuersos dæmonas verbo fugabat; hominumq́ mentes emotas, & malis incursibus furiatas, in sensus pristinos reponebat: ita nunc sectatores eius, eosdem spiritus inquinatos, de hominibus, & nomine magistri sui, & signo passionis excludunt. Cuius rei non difficilis est probatio. Nam cùm Dijs suis immolant, si assistat aliquis signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant. Nec responsa potest consultus reddere vates. Et hæc sæpe caussa præcipua iustitiam persequendi, malis regibus fuit. Cùm enim quidam nostrorum, sacrificantibus dominis assisterent; imposito frontibus signo, Deos eorum fugauerunt; ne possent in visceribus hostiarum futura depingere. Quod cùm intelligerent aruspices; instigantibus ijsdem dæmonibus, quibus prosecrârant; conquerentes, profanos homines sacris interesse, egerunt principes suos in furorem; vt expugnarent Dei templum; seq́ vero sacrilegio contaminarent; quod grauissimis persequentium pœnis expiaretur. Nec tamen ex hoc ipso cæci homines intelligere possunt, aut hanc esse veram religionem, cui ad vincendum tanta vis inest; aut illam falsam quæ subsistere, aut congredi non potest.* Itaque, ait paulò pòst: *Quoniam neque accedere ad eos possunt, in quibus cælestem notam viderint; nec ijs nocere, quos signum immortale munierit, tamquam inexpugnabilis murus; lacessunt eos per homines, & manibus persequuntur alienis, quos profectò si esse confitentur, vicimus. Necesse est enim veram esse hanc religionem, quæ & rationem dæmonum nouit, & astutiam intelligit, & vim retundit; & eos spiritalibus armis domitos, ac subactos,*

L. Coel. Lactant. lib. 4. diuin. Instit. cap. 27.

cedere sibi cogit. Si negant, testimonijs Poëtarum, ac Philosophorum refellentur. Quòd si esse, & malos esse, inficias non eunt; quid superest, nisi vt alios dicant esse Deos, alios dæmones? Hoc igitur potest signum Christi, quod in fronte recipitur, seu character Sacramenti Confirmationis, vt non tantùm pellat dæmones, sed etiam, vt homines illuminet, doceatque, dæmones non esse Deos. Nec verò tantùm mentis cæcitatem tollere potest hoc Sacramentum, sed etiã corporis oculos illuminauit. Ita cæcus in Suecia, per sacrum Chrisma, à S. Remberto secundo Bremensis Ecclesiæ ArchiEpiscopo, ante annos circiter octingentos, luminis vsuram recepit. Sur. Tom. 1. 4. Febr. in vita S. Remberti. Ita & alius cæcus, cùm à B. Farone Meldensi Episc. sacro Chrismate vngeretur, solem, quem numquam viderat, cœpit intueri. Sur. Tom. 5. in vita eius. 28 Octob. c. 6. Lunaticum mentis cæcitatem deposuisse, cùm à S. Malcho Ep. D. Bernardi præceptore susciperet hoc Sacramentum, testatur ipse S.Bernardus. S.Bern. in vit. S.Malchiæ. cap. 5. Quæ omnia heterodoxos quoque deberent illuminare, vt manuum impositionis ab Apostolis factæ meminissent, neque hoc Sacramentum à se eliminarent. Sed nolunt confirmari in fide, qui obdurati sunt in errore.

XIII.

7. SS. Eucharistia, quid non posset contra inualetudinem, cùm sit potentissima contra dęmonem inualetudinis non rarò authorem? Apud Cassianum, quidam à Stygijs laruis grauiter infestatus, cùm ex seniorum consilio, salutari SS. Eucharistiæ medicina vsus esset, *ita omnis diabolicæ tentationis scena detecta est, vt mox virtute Dominici corporis protegente, illa præterita illusionis consuetudo cessaret.* Cassian. collat. 22. c. 6. S.Macarius palàm affirmauit, incantationem magicam, in illam mulierem, quam à maleficio liberauit, vim habuisse, quòd S. Eucharistiam sumere, multis diebus, neglexisset. Pallad in hist. Lausiac. c. 19. Enimuerò S. Bernardus pauperem quemdam, impositâ tantùm Eucharistiâ in eius caput, ab humani generis hoste, miseraque & diuturna vexatione, per vxoris odium illatâ, liberauit. In vita S. Bernard lib. 1. c. 10. Guilh. Idem lib. 2. Valde luculentum autem est illud, quod idem Bernardus Mediolani fecit cum matrona honorata à dęmone insessa, & miris modis diuexata, quam ad altare adduci iussit, vt ipse, & populus pro ea oraret. Postquam autem, inter sacrificandum, cruce non minùs nec rariùs super dęmonem, quàm hostiam facta, diu damnatum spiritum cruciauit, efficaciùs eum aggressurus, patenæ calicis

corpus Domini imponens, & mulieris capiti superponens; ita illum est allocutus: *Adest, inique Spiritus, judex tuus, adest summa potestas; iam resiste, si potes; adest ille, qui pro nostra salute passus, nunc, inquit, Princeps mundi eijcietur foras. Hoc illud corpus est, quod de corpore Virginis sumptum est; quod in tumulo jacuit; quod de morte surrexit; quod, videntibus discipulis, ascendit in cælum. In huius ergo maiestatis terribili potestate, tibi Spiritus maligne, præcipio, vt ab hac ancilla eius egrediens, contingere eam deinceps non præsumas.* Dixit, & sacrificio nondum finito, Alastor fugit, feminâ Deo & Bernardo liberatori, gratiãs ingentes agente. Nimirum, *cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet. Si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet.*

Luc. 11. 21.

XIV.

S Greg. Naz. in orat. de funere patris. Idem orat. in laudem Gorgoniæ.

Innumera sunt consimilia. Nec deest copia eorum, qui non à dæmone quidem, sed à veris morbis, per SS. Eucharistiam sunt sanati. Hoc patri & matri suæ contigisse, testatur S. Gregorius Nazianzenus. Hoc idem refert euenisse sorori suæ Gorgoniæ, membrorum omnium dissolutione, & grauissimis cruciatibus laboranti, cùm ad S. Eucharistiam oraret. Graphicè rem ipse describit in hunc modum. *Ad omnes huius miraculi fama permanauit, atque hæc historia cum admirandis alijs DEI operibus, & viribus in omnium linguis auribusque versatur. Ægro erat soror mea Gorgonia corpore, pessimeque affecto, ac morbus insolens erat, ac prodigiosus, & velut ebullitio quædam & feruor sanguinis, ac deinde eiusdem concretio, & torpor pallorque incredibilis, ac mentis membrorumque dissolutio; idque non per locorum interualla, sed nonnumquam etiam admodum continuè: nec malum hoc humanum esse judicabatur. Nec verò tum separatim, tum etiam inter se de morbi ratione consultantiũ ars & industria depellendo dolori par esse poterat, nec parentum lachrymæ, quæ multùm sæpe valuerant, nec publicæ preces & supplicationes, quas vt pro sua quisque salute, vniuersus populus faciebat: omnes enim eo animo erant, vt illius salutem suam esse salutem ducerent: quemadmodum contrà communem illius morbum, communem omnium morbum & calamitatem. Quid igitur magna illa anima, maximisque digna facit, & quam dolori medicinam adhibet? hîc enim iam arcanum situm est. Desperatis aliorum omnium auxilijs, ad mortalium*

omnium

omnium medicum confugit, noctisq́; intempesta caligine obseruata, cùm
leuiùs aliquando morbus vrgeret, ad altare cum fide procumbit, eumq́;,
qui super illud colitur, cum magno clamore obtestans, omnibusq́; nomi-
nibus appellans; atq; omnium rerum, quas vmquam mirificè gesserat,
commonefaciens (nam vtriusq; Testamenti historias callebat) tandem
pia ac praclara quadam impudentia effertur: eam, qua CHRISTI
fimbriam tangens sanguinis profluuium compresserat, imitatur: quid
fecerit, audite. Caput cum pari clamore, vberrimisq́; lachrymis, mu-
liercula illius instar, qua olim CHRISTI *pedes irrigârat, altari admo-*
uens, nec se antè ab eo discessuram minitans, quàm sanitatem consecuta
sit; ac deinde hoc suo pharmaco totum corpus perungens, & sicubi quip-
piam Sacramenti pretiosi corporis & sanguinis manus condiderat, id
lachrymis admiscens (rem admirandam!) protinus se liberatam morbo
sentit; atq; & corpore, & animo, & mente leuis abscedit, hanc spei
mercedem consecuta, vt quod sperauerat, obtineret, animaq́; firmi-
tate corporis firmitatem compararet. Quid ni altaris attactu spe-
raret mulier sanitatem, in quo Eucharistia adorabatur, quæ vitę
fontem continebat? Nec vitæ tantùm, sed etiam omnium ope- S.Greg. lib.3.
rationum vitæ debitarum. S. Gregorium audiamus, *Exigente* dial. c. 3.
caussa Gothorum, vir beatissimus Agapitus, huius sancta Romana Ec-
clesia Pontifex, cui, DEO dispensante, deseruio, ad Iustinianum
Principem accessit. Cui adhuc pergenti quadam die in Graciarum
partibus, curandus oblatus est mutus & claudus, qui neq; vlla ver-
ba edere, neq; ex terra vmquam surgere valebat. Cumq́; hunc pro-
pinqui illius flentes obtulissent, vir Domini solicitè requisiuit, an cura-
tionis illius haberent fidem? Cui dum, in virtute DEI ex auctoritate
Petri fixam salutis illius spem habere se dicerent, protinus veneran-
dus vir orationi incubuit, & Missarum solemnia exorsus, Sacrificium
in conspectu DEI Omnipotentis immolauit. Quo peracto, ab altari
exiens claudi manum tenuit, atq; assistente, & aspiciente populo, eum
mox a terra in proprijs gressibus erexit. Cumq́; ei Dominicum Cor-
pus in os mitteret, illa diu muta, ad loquendum lingua soluta est. Mi-
rati omnes, flere pra gaudio cœperunt, eorumq́; mentes illico metus, &
reuerentia inuasit, cùm videlicet cernerent, quid Agapitus facere in
virtute Domini, ex adiutorio Petri potuisset.

8, Præstantissimum contra morbos antidotum est Sacra- XV.
men-

mentum pœnitentiæ, quod etsi præcipuè & peculiariter à Christo institutum est, ad morbos animi curandos, vt tamen peccata remouet, quæ plurimùm sunt caussa corporalium morborum; ita etiam non rarò remouet morbos quoque ipsos, qui à nobis non alijs rebus, quàm peccatis nostris ascribendi sunt. *Sæpe domum quis suam egressus*, ait S. Chrysostomus, *hominem vidit monoculum, vel claudicantem, & ominatus est. Hæc est pompa satanica. Non enim hominis occursus malum facit esse diem; sed in peccatis viuere. Cùm igitur domo exieris, id vnum solùm custodi, ne occurrat tibi peccatum: hoc enim est quod supplantat: præter hoc verò, nec ipse diabolus nos quippiam lædere poterit.* Cauendum igitur est peccatum, ne in morbos conijciamur, ob illud; aut si in peccatum lapsi sumus, atque idcircò etiam in morbum (quis autem, si ægrotat, sibi promittere potest, se id malum peccando non meruisse?) illico ad pœnitentiæ subsidium, animum applicemus, & *confiteamur peccata nostra, fidelis est, & justus, vt remittat nobis peccata nostra.* Nec vllus peccator in tam profundum mali vllius barathrum cecidit, vnde per pœnitentiam emergere non possit. *Qui hucusque*, ait S. Augustinus, *in istis diabolicis rebus, captiuum diabolo tradidit se, toto corde pœnitentiam agat, & illa sacrilegia supradicta cum omni horrore fugiat, & contemnat, vt illi DEVS & indulgentiam dignetur dare, & ad æternam beatitudinem, ob gloriam nominis sui, faciat peruenire.* Exemplis plurimis res est demonstrata. Ioan. Diaconus tria commemorat eorum, qui à dæmone occupati, mox vt peccatum S. Gregorio Magno confessi sunt, & hospitibus illis fæuissimis, & pœna liberati fuerunt. Quorum vnus, cùm octies negasset, octies à dæmone, renouata vexatione, tortus est; nona demum vice, quâ furtum fassus, percepta absolutione penitus diabolicam euasit seruitutem. Scripsit Petrus Cluniacensis Abbas, æqualis S. Bernardi, monachum quemdam truculentis modis à Stygio veteratore vexatum; & postquam fassus est, id malũ, neq; oratione, neq; aquæ lustralis aspersione tolli potuisse, adjecit caussam his verbis. *Sed ne miretur aliquis benedictâ aquâ aspersione dæmonem non fugatum: agnoscat tabe interiùs latente vnguenta exteriùs adhibita nihil proficere posse. Tabem autem voco lethale peccatum, quod quàm diu in interioribus quibuslibet latuerit, nullius exteriùs*

S. Chrysost. hom. 22. ad pop.

1. Ioan. 1. 9.

S. Augustin. serm. 241.

Ioan Diac. in vit. S. Gregorij lib. 3. c. 11. 12. 13.

Petr. Clun. l. 1 mirac. c. 6.

teriùs

terius Sacramenti perceptio ei prodesse poterit. D. Gregorius Turonensis Archidiaconum narrat, ob adulterij negati crimen, ad S.Maximini cryptam protinus febri ita correptum, vt à morte propè abesset; qui *statim, vt confessus fuit, ab impulsu febris erutus, sui Antistitis est in charitatem receptus.* In vita S. Francisci refert S. Bonauentura, militem quemdam Gerardum nomine, vtroque oculo cæcum, quia duos è fratribus minoribus hospitio exceperat, atque in honorem S.Francisci peramanter tractauerat, ita fuisse sanatum. Cùm redijssent domum fratres illi, vni eorum apparuit D. Franciscus, jussitque eum surgere, & beneficium beneficio rependere, & cæco dicere, ob peccata illi sua id malum accidisse, quæ pœnitentiâ delere non curârit. Indicauit hæc frater cæco, qui dum scelera sua sacramentali confessione deleuit, etiam cum diuina gratia recepit lumen oculorum. O miseri mortales, qui corpori vestro tam soliciti estis, vt habeat incolumitatem, cur animam vestram negligitis? Nonnè anima plus est quàm corpus? satis est corpori prouisum, si illi prouidetis; nequaquam autem putandum est vicissim, illico bene esse animæ, si corpori sit bene. *Quærite primùm regnum Dei, & justitiam eius: & hæc omnia adijcientur vobis*, si quidem animæ non obsint. Sæpe enim animæ prodest, si corpus ægrotet, juxta illud: *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt.* Et hæc diuinæ prouidentiæ rota, vt infirmitas trahat ad pœnitentiam; pœnitentia rursus, in multis, tollat infirmitatem. Sic ex morbo ipso, velut è vipera, fit medicina animæ; & sanitas corporis sequitur animæ sanitatem. Quod Thomas Cantipratanus in hoc exemplo ostendit. *Erat vir multis notus & clarus in Burgundiæ partibus, qui quidem aliquanto tempore in iuuentute sinceriter conuersatus, postea à virtute tepescens, cœpit ad vitia declinare. Nec mora, squalenti mente tabescens, incidit in languorem, nec tamen Dei manum castigantis agnouit, sed mala malis accumulans, pallore vultûs & macie, quasi homo ignis æterni, miserabiliter habilitabatur ad pœnam. Cumq; nulla medicorum cura proficeret, nec saltem ei languentis vitæ caussam aliquis aperiret, tandem in se reuersus, solam miseriæ corporalis caussam, languorem animæ, diuinâ miseratione præuentus, pœnitens intellexit. Confessus ergo cum* lachry-

S. Greg. Tur de glor. Confess. cap. 93.

S. Bonau. in vita S. Franc. cap. 5.

Matth. 12. 33.

Psal. 15. 3.

Thom. Cantipr. l. 2. apum cap. 50. §. 2.

lachrymis cuidam sanctißimo Sacerdoti, statim vbi beneficium absolutionis accepit, similitudinem ferè bufonum habentia in facie, sed diuersificata posteriùs, septem animalia cute teterrima, & parua, quasi vitiorum septem dæmonia, de ore simul eiecit. Mira res, vix modico temporis spatio interiecto, in tabem animalibus resolutis, reflorere cœpit caro prorsus & facies pœnitentis, menteq́; & corpore integerrimè sospitatus, multis postea profuit ad exemplum. Hæc de duplici remedio Pœnitentiæ, cuius vis tanta est in animam, vt se etiam in corpus possit effundere.

XVI. 9. De extremæ vnctionis Sacramento, quid opus est diu disputare, cùm id non solùm oleum infirmorum vocetur, ab Episcopo benedictum, vt ex diuina institutione eo vtamur, in extrema, ad luctam cum morte ineundam, vnctione, sed etiam sit ad corporis sanitatem institutum? Clarissima sunt verba S. Iacobi. *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.* Ob quam solam caussam, omnibus votis hoc Sacramentum expetendum esset; sed tanta est Dei bonitas, vt ei etiam alium effectum adiunxerit, si quidem ægro ita conducat. Non rarò enim etiam prodest corporis sanitati, cùm tamen non pauci eò vsque se sinant excæcari à principe tenebrarum, vt putent, sibi vel idcirco moriendum, si inungantur. Vnde & ab hoc Sacramento abhorrent, & id ita differunt, vt omnino negligant. O ignorantia diuinorum remediorum! Beda memorat, monialem energumenam à dæmone grauiter vulneratam, Sacerdoti hoc consilium dedisse: *Si oleum pro infirmis consecratum medicamento asperseris: sicq́; me perunxeris, statim sanitati restituar. Nam vidi quondam per Spiritum in quadam longiùs posita ciuitate, quam numquam corporalibus oculis vidi, puellam quamdam pari calamitate laborantem, taliter a Sacerdote curatam. Fecit, vt illa suggesserat, statimq́; vlcus remedium, quod antè respuerat, accipere consensit.* Beatus certè Auxentius Archimandrita non aliter morbis à Tartareo hoste illatis legitur solitus medicari, quàm oleo sancto. Quo eodem vnguento Eucheria vxor Agapij, veneficio attentata, cùm ei intestina roderentur à S. Parthenio est sanata.

Iac. 5. 14.

V. Beda in cap. 8. Lucæ.

Metaphrast. 14. Febr. Idem 7. Febr.

sanata. Similis huius olei effectus, in Annalibus nostris Anno 1599. Lugduni reportatus memoratur. *Æger magno febris æstu conflictatus, inter confitendum, vrgente morbo, de potestate mentis exierat. Iam de sua salute actum esse, sempiternis se supplicijs, apud inferos, damnatum clamitabat, nullius orationem auribus admittebat. Sacerdos, qui aures ei dabat, vbi furorem eius animo obstrepere animaduertit, ad diuina præsidia, vbi deessent humana, confugiendum existimauit. Ita domesticos monet, vt sacrum oleum, quod æger, priusquam insaniret, postulauerat, celeriter adferendum curarent. Mira dictu visuq; res! simul atque sacro ritè inunctus est oleo, mentis sanitatem, paulò pòst etiam corporis valetudinem recuperauit. Ita in extremæ Vnctionis Sacramento extremum salutis auxilium inuenit.* Quod etiam alij inuenirent, si in sacris potiùs, quàm profanis medicinis remedia quærere didicissent. Litt. An. Soc. Iesv. An. 1599. Lugduni.

XVII.

10. Præter dicta Sacramentorum remedia, sunt alia, quæ ab Ecclesiastica Clauium potestate, id est, ab authoritate remittendi peccata, quam Ecclesia habet, sunt ad remissionem peccatorum Venialium instituta, vt aqua benedicta, benedictio Episcopalis, Oratio Dominica, Confessio generalis, Oratio in Ecclesia consecrata, Tunsio pectoris, &c. quæ omnia vocari solent *Sacramentalia* quædam; quorum vsu, quando est cum aliqua erga Deum reuerentia, & si saltem implicitè refertur ad eum finem, ad quem sunt instituta, peccata quidem Venialia primariò remittuntur, faciunt tamen etiam ad alios fines, vt ad diabolum impediendum, eijciendum, cruciandum, ad morbos pellendos. Constat hoc ex vsu, & antiquissima traditione Ecclesiæ, contra quam disputare, *insolentissima insania est*, teste S. Augustino. Porrò num hæc talia deleant peccata venialia *ex opere operato*, vel excitatione pij alicuius motûs, non est huius loci discutere. Illud huc spectat, vt doceamus, etiam per talia morbos subinde tolli. Aqua benedicta duplex est, nimirum baptismalis, in vigilia Paschæ & Pentecostes consecrari solita, quæ iure Canonico est comprobata; & lustralis, quæ singulis Dominicis diebus benedicitur, tum ad supradictum finem venialium peccatorum abolendorum, (vnde diligenter est vsurpanda) tum nominatim etiam ad dæmonis insidias & artes auerruncandas; de qua aqua extat

S. Thom. 3. p. q. 87. a. 3. Gregor. Val. 3. p. disp. 7. q. 4. p. 3.

S. Augustin. epist. 118.

c. in Sabbato de cons. d. 4.

epistola

S. Clem. Rõ. lib. 8. Constit Apostol. c. 35. Baron. Tom. 1. Annal. Sur. in Chron.

epistola Alexandri I. Papæ; & constitutio S. Matthæi Apostoli, apud Clementem Romanum ista. *De aqua, & oleo ego Matthæus constituo, vt benedicat Episcopus aquam aut oleum: sin verò non adierit, benedicat Presbyter, præsente Diacono. Cùm autem Episcopus aderit, aßistant Presbyter & Diaconus. Dicat autem in hunc modum: Domine Sabaoth, Deus virtutum, creator aquarum, & largitor olei, miserator & amator hominum, qui dedisti aquam ad bibendum & abluendum, & oleum ad exhilarandum faciem in exultationem lætitiæ: ipse etiam nunc sanctifica per Christum hanc aquam & oleum ex nomine eius, qui obtulit, vel quæ obtulit, & tribue ei vim sanandi & depellendi morbum, fugandi dæmones, expellendi insidias, per Christum spem nostram, cum quo tibi gloria, honor, & cultus, ac sancto Spiritui in sæcula. Amen.* Valere hanc consecrationem, experientia testatur.

XVIII. B. Theodor. lib. 5. hist. cap. 21.

Hanc autem contra dæmonem experientiam quotidianæ historiæ plurimæ ostendunt. Marcellus Episcopus, apud B. Theodoretum, Iouis Apameni fanum diruens, vidit Spectrum Acheronticum obstare, ne materiam ligneam ignis consumeret. Quare crucis signaculo aquam benedixit, qua flammam aspersit accenditque, & spectrum fugauit. Iosephus quidam, apud Beatum Epiphanium, cùm adhuc Iudæus esset, hominem insanum, aquæ benedictæ aspersione restituit sanitati; vti & Macarius, pristinæ formæ feminam, quæ magicis præstigijs in equam fuerat transformata, effusâ dumtaxat aquâ sacrâ in caput eius. Immò S. Eligius Nouiomensis Episcopus quinquaginta Energumenos simul, porrecta eis aqua benedicta, liberauit. S. Anno Arhiepiscopus Coloniensis, in Germania, S. Maclouius in Gallia, S. Laurentius Dublinensis in Britannia, Wilibrordus, Hubertus, Vrsmarus, Theodorus, & alij passim Sancti, hoc rore sacro malignos Spiritus perexcruciarunt, fugarunt. Anno Christi 1628. ego ipse in sollenni processione, die Veneris sacro, Ingolstadij, quemdam è Societate nostra Patrem, collegam meum, ac Theologiæ Professorem, multa jam nocte comitatum sum, in quem è spectatorum turba audax quædam femina inuolauit, eiusque brachium aliquoties plana manu permulsit, quasi ei blandiretur. Vix manum reduxerat, cùm ingens, eodem in brachio

B. Epiphan. hæres. 31. Pallad. in hist. Lausiac. cap. 19.

Audoen. l. 2. cap. 20.

brachio dolor Patrem inuasit, quem vsque ad finem supplicationis coactus est tolerare. Vbi domum rediit, aqua benedicta brachium abluit, simulque dolorem ex tempore abstersit. Dicebant omnes, me tunc ad hoc malum fuisse destinatum, quòd ea quadragesima, pro concione, vehementiùs in Sagas dixissem. Sed Devs sciens infirmitatem meam, succidaneam substituit hostiam, me patientiorem. Nec mirum est harum muliercularum artes aquam pati non posse, cùm ignibus debeantur. XIX.

Neque valet tantùm contra diabolica, sed etiam contra naturalia morborum mala lustralis hæc aqua. Antiochiæ, An. Domini 390. illustris quædam mulier, cui nomen Euclia, quatuor iam filios amiserat, iamque etiam quintus ardenti febre laborans morti proximus erat. Mater itaque illius sollicitudinis plena ad S.Chrysostomum aduolauit, eumque ardentissimis precibus, pro filij sanitate rogauit. Ille autem, vbi diuinitus vidit, parentum peccata filijs mortem accersere, *Hunc quoque,* dixit: *quintum, nisi eorum, quæ fecistis, vos subierit pœnitentia, videbitis è vestigio mortuum, & exanimem.* Quo audito, parentes veram, & sinceram pœnitentiam promiserunt. Itaque Chrysostomus, aquam jussit afferri, quam, cùm ter signasset in nomine SS. Trinitatis, & ter eâ aspersisset ægrotum, à morbo liberum, prorsusque sanum parentibus restituit. Simile miraculum patrauit idem Diuus, ante fores templi, quò mulier Marcionis hæresi infecta, & intestinorum tormina patiens, immò iam non patiens, est deportata. Nam cùm eam, eiusque maritum de errore suo grauiter admonuisset, illique traditam à parentibus hæresin ejurassent, flexus eorum oratione Ioannes, *jussit aquam afferri, cui cùm diuinum signaculum injecisset Pontifex, mulieri infudit in Christi nomine. Quod quidem cùm factum esset, quæ in lecto decumbebat, statim surrexit sana, & cum marito, & ciuibus, vna voce, vnanimes Christũ magnificabant.* Magnificarent fortasse & nostri hæretici, si similem aquę benedictę fructum experirentur; enimuerò fortasse experirentur, si magnificarent. De Malachia Hiberniæ Episcopo S. Bernardus hæc refert. *Malachias profectus à nobis prosperè peruenit in Scotiam: & inuenit Dauid regem, qui adhuc hodie superest, in quodam Castello suo, cuius filius infirmabatur ad mortem.*

Metaphrast. 13. Nou. in vita S. Ioan. Chrysost. An. Domini. 390.

Idem. & refert etiam Leo Imp. in orat. de laud. Io. Chrysost.

S. Bernard in vita S. Malachiæ. Sur. 3. Nou. An. 1148.

mortem. Ad quem ingressus honorificè à rege susceptus, & humiliter exoratus, vt sanaret filium suum, aquâ, cui benedixit, aspersit iuuenẽ, & intuens in eum, ait: Confide, fili, non morieris, hac vice. Dixit hoc, & die sequenti secundùm dictum Prophetæ, secuta est sanitas, sanitatem lætitia Patris, clamor & strepitus totius exultantis familiæ. Et pertransiens Scotiam, in ipso introitu Angliæ diuertit ad Ecclesiam Gisisburnensem, vbi habitant viri religiosi, canonicam ducentes vitam, ab antiquo familiares ei pro suâ religiositate. Ibi adducta est ad eum mulier patiens morbum, quem Cancrum vulgò appellant, ipso horrendum visu, & sanauit eam. Nam vbi aquâ, cui benedixit, aspersa sunt vlcerum loca, dolorem non sensit. Die verò sequenti vix vlcera apparebant.

XX. S Greg. Tur. in vit. S. Quintiani. An.Dom.506. Paria scribit S.Gregorius Turonensis de S. Quintiano Aruernensi Episcopo, Hortensium senatorij Ordinis virum, cum omni domo sua, ob superbam calumniam, maledicente; nam cùm omnes febri corriperentur, Hortensiúsque ipse sibi metueret, veniam supplex petiuit. *Quam ille breuissimè indulgens, benedictum aquam domui transmisit: illaq; per parietes respersâ, omnis ægritudo protinus est depulsa, ac magna ibi virtus apparuit: nam &, qui morbum incurrerant, sanati sunt: & qui sanati erant, vltra non incurrerunt.* S Greg lib. 1. dial c.10. Baron. Tom. 7. An. 537. 11. Paria refert D.Gregorius de S. Fortunato à quodam Gotho duos pueros abductos repetente; qui quia reddere eos recusauit, lapso equo coxam bis fregit. Itaque ictus sapiens pueros reddidit, diacono dicens: *Vade, & dic Domino meo Episcopo: Quia maledixisti mihi, ecce percussus sum: Sed pueros, quos quæsisti, recipe, & pro me, rogo, intercede. Susceptos itaq; puerulos Diaconus ad Episcopum reduxit, cui benedictam aquam venerabilis Fortunatus statim dedit, dicens: Vade citiùs, & eam super iacentis corpus projice. Perrexit itaq; Diaconus, atque ad Gothum introgressus, benedictam aquam super membra illius aspersit. Res mira, & vehementer stupenda! mox vt aqua benedicta Gothi coxam contigit, ita omnis fractura solidata est, & saluti pristinæ coxa restituta, vt horâ eâdem de lecto surgeret, & ascenso equo ita cœptum iter ageret, ac si nullam vmquam læsionem corporis pertulisset. Factumq; est, vt qui sancto viro Fortunato pueros cum pretio reddere obedientiæ subjectus noluit, eos sine pretio pœna subactus donaret.* Ven.Beda l.5. Paria tradit Venerabilis Beda de B. Ioanne

Ioanne Episcopo Eboracense, qui Comitis cuiusdam vxorem grauissimo morbo liberauit, missâ aquâ benedictâ, quam in dedicationem Ecclesiæ consecrauerat, eamq; iusserat ab ægra gustari, nec non, vbi dolor vehementissimè sæuiebat, eádem aqua lauari decumbentem. Quo facto, femina illicò integris viribus surrexit. Paria memorat Petrus Damiani de S. Odilone Abbate Cluniacensi, qui Gerardum puerum lunaticum, magno sæpe impetu humi cadentem, & instar mortui jacentem, porrecta aqua benedicta, protinus persanauit. Paria testatur Edinerus de S. Anselmo Cantuariensi ArchiEpiscopo, qui impresso signo crucis, & aqua sacra super oculos cæci aspersa, eum illuminauit. Eiusdem generis, in vitis Sanctorum innumera sunt, quæ enumerare velle, est velle Nilum exhaurire.

hist. Angl. c. 4. An. Dom. 721.

Petr. Dam. in vita S Odilonis. An. Dom. 1048.

Edin. Angl. l. 2. vit. S Anselmi. Ann. 1106.

XXI.

Hæc autem ipsa satis multa libuit, è probatis Authoribus afferre, non solùm ad cæcitatem ex oculis hæreticorum amouendam, sed etiam ad ipsos Catholicos excitandos, vt tam antiquum, & non solùm animæ, sed ipsi etiam corpori salutarem Ecclesiæ ritum, sua negligentia non sinant abrogari; sed maiorum suorum laudabili more, singulis diebus Dominicis, aquam è templo lustralem secum domum referant, ad egressum cubiculi, & hypocausti suspendant, eaque aspersa, se se contra omnes diaboli insidias muniant, & dum in vasculum illius digitum intingunt, putent se cum S. Thoma digitum in vulnera Christi, manum in latus Saluatoris immittere, & diuino sanguine petant, iam hanc, iam illam sibi negligentiam, culpamque ablui. Vt verò aqua benedicta valida est contra dæmones, & maleficia, ita & prodest benedictio salis, panis, vini, olei, cereorum, herbarum, palmarum, &c. mera enim sunt remedia ista spiritualia, etiam corporis vtilia incolumitati. *Quia omnis creatura DEI sanctificatur, per verbum DEI & orationem.* Hinc & illæ ceræ, quas Agnos Dei vocant, certis temporibus à summo Pontifice consecratos; reliquiæ Sanctorum, symbolum Apostolorum, initium Euangelij S. Ioannis, similiaque sacra amuleta, ab Ecclesia vsurpari solita, omni falsitate, vanitate, & superstitione carentia, non debent in desuetudinem deuenire. Profani sunt, qui sacra negligunt; impij, qui contemnunt. Exempla passim occurrunt,

1. Tim. 4. 4.

& à

Mart. Delr. 3. p. Disquis. & à Delrio recitantur. De Agnis Dei integer Vincentij Bonardi liber extat. Vnicum hîc exemplum interseram, in quo vnico varia remedia cacodæmonis pellendi, per Exorcismos, per peregrinationes, per D. Virginis patrocinium, per orationes piorum, &c. indicantur; sed præcipuè, quàm cauendæ sint imprecationes, & diabolorum inuocationes: quod à me ad populum aliquando, non sine fructu, est recitatum.

CAPVT XLI.

Dæmonis, Oetingæ in Bauaria ejecti, luculenta historia, qua ostenditur, DEVM non tantùm, per hunc spiritum, plectere peccantes, sed etiam vim suam, suorumq́, & maximè B. Virginis Mariæ demonstrare.

I.  Martinus Eisengreinius in lib. de veteri sacello B. Virginis apud Oetingam c. 14. Valentin. Leichtius in Viridario regio lib. 2. c. 111. alijque scribunt, quod ego ipse adhuc puer sæpius audiui referri à compluribus, qui interfuerunt, & iam narraturus sum. Anno 1570. Augustæ, apud perillustrem Dominum Marcum Fuggerum seniorem, in gynęcéo, Virgo nobilis septemdecim circiter annorum fuit, nomen illi erat Anna de Bernhausen, cui nec auorum prosapia, nec frontis forma defuit. Verè 1. Cor. 2. 11. dicitur: *Quis hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est?* Heu quoties latet anguis in herba? quoties sub clypeo absconditur sica? sub Angeli vultu diabolus? Nam etiam illa puella aliud vultu præ se tulit, aliud in pectore circumtulit; quæ octo totis annis, & adeò ab anno nono ætatis, à diabolo infessa fuit. Diu versipellis latuit, donec & potestas, & numerus malorum hospitum cresceret. Nam, vt in Euangelio de alia quapiam legimus, septem in illam nequam spiritus intrauerunt. Hi, possessione accepta, varijs ex ea linguis loqui, occulta hominum peccata pandere, jácere scommata, reuelare absentia, non rarò etiam puellam humi affligere, aut de terra in altum rapere solebant, vexatamq; non rarò pro mortua relinquere. Miseranda res fuit,

nobilem

nobilem puellam, innocentiæ años vix egressam videre tam metuendis modis tortam; spumantem, eiulantem, & cùm ad se rediret, suam miseriam acerbissimis lachrymis deplorantem. Cùm enim à Furijs Auernalibus agitaretur, attentè noctes diésque custodienda fuit, ne vel seipsam, vel alios læderet. Quæsita sunt varia remedia. Lectæ pro ipsa Missæ, datæ eleemosynæ; vota Superis facta; quin & ipsa, cùm quietior esset, DEVM orauit ardenter; confessa est de peccatis assiduè. Eucharistiam summa cum pietate sumpsit. Omnia frustra. Non omnis morbus ex omni curatur medicina, nec omnis diabolus, omni modo pellitur. *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur, nisi per orationem & jeiunium.* Matth. 17.20. Itaque quidquid remedij adhiberetur, semper redijt diabolus, & cum diabolo tormenta quoque. Exorcismi ipsi diu frustra tentati. Donec vir notæ non minùs pietatis, quàm eruditionis, Petrus Canisius Soc. IESV Sacerdos, post jeiunia & orationes multas, exorcizando tandem sex ex ea Augustæ dæmones ejecit; septimus pertinaciter hæsit, quem ipsa DEI MATER, puellę in deliquio jacenti apparens, dixit, non nisi in Oetingano suo sacello exiturum. Ita nimirum DEVS voluit MATREM suam honorare. Quam rem puellæ domini, quo erant zelo, censuerunt non negligendam.

II. Igitur Anno 1570. die 21. Ianuarij Perillustris vir Marcus Fuggerus eiusque coniux, P. Petro Canisio comitante, sub vesperam, Annam Bernhaussianam, Oettingam adduxerunt, spe pleni, Diuina gratia & Deiparæ auxilio, illam dæmone liberandam. Vt primùm è curru descensum, itum est ad sacrum sacellum, vbi Lauretanæ B. V. Litaniæ decantatæ sunt. Nec eo die quidquam aliud tentatum. Sequenti, hoc est 22. Ianuarij die, Fuggerus, coniux & alij, facta confessione, & sacra synaxi refecti, Deum, pro liberatione puellæ, sub duobus sacris, enixè rogarunt. A prandio Canisius, in eodem sacello, præsentibus 14. vel 15. non infimæ notæ viris feminisque, varia cum infessa colloquia habuit, eamque commonuit apparitionis factæ, in qua B. V. ei promiserit liberationem; si Oettinganam voueret peregrinationem, cum calice offerendo. Tum omnes flexis genibus diuinam opem inuocârunt; &, præeunte Canisio, Confessionem genera-

generalem, orationem Dominicam, & Angelicam salutationem, aliasque pias orationes publica clara voce recitarunt. Omnia huc vsque quieta. Ast vbi ad Litanias Lauretanas peruentum est, ibi dæmon cœpit impatienter murmurare; nec voluit vllo tolerare modo vt diceretur, *S. Maria Mater Dei ora pro nobis.* Quare, per os puellæ palàm contumaciterque professus est, se id nolle dicere: & cum dicto puellam retrorsum immaniter in terram applausit. Ergo eam suo gremio excepit Fuggerus, tenuitque, cui à dextris adstitit in auxilium Canisius, à sinistris Fuggeri vxor, & alius Sacerdos, qui omnes vix summa vi puellam potuerunt cohibere intemperijs exæstuantem, atque elabi conantem. Ibi itaque Canisius exorcismum cœpit, atque in Nomine Domini eiusq; diuinæ Matris, furentem in puella Spiritum interrogauit: Quot adhuc socios dæmones secum haberet: Mox ille, non molli & consueta feminæ, sed rauca & boante voce respondit adiuratus, se nullum ampliùs secum habere sociorum, sed solum è septem superesse: ac idcirco tantùm pati, quod solus pateretur; Nouisse benè se, si in hunc locum ventum esset, coactum iri ad omnia, quæ interrogaretur, fatenda, ac denique cedere debere. Quare minaciter edixit, sese dirissimis modis adhuc puellam torturum. Quoties? ait Canisius. Adhuc 24. vicibus, respondit: septies, ob eius parentes; septies, ob eius dominos; quinquies ob gentẽ Fuggericam totam, & insuper adhuc quinquies. Ita sibi mandatum esse. Mox ergo puellam mediam ex manibus tenentium arreptam in altum extulit, atque extentam ita ad terram allisit, vt quinque homines maxima contentione vix impedire potuerint, ne penitus contereretur. Quod septies fecit. Ite parentes, educate vestros filios & filias negligenter, comite, ornate, instruite in omnem vanitatem; en vt negligentiam, vel nimiam in luxu diligentiã vestram luere debent. Post hæc lignea B. Virginis imago, quæ inibi colitur, à tergo capiti puellæ est imposita: quod ita sensit diabolus, vt omnibus, qui aderant, in faciem spuerit, ac identidem miserabiliter clamauerit: *Dimitte me, meretrix, quàm duriter me calcas?* Canisium autem, per ludibrium nominis sæpius canicidam vocauit. *Quin ego, ait Canisius, Tartareum hunc Cerberum cruciabiliter excoriabo.*

His

His vltro citroque dictis, Stygius tortor mox iterum interrogatus: Et quandonam vellet exire? dixit: Vel jam me dimittite, ibo. Sed respondit Canisius, id non in sua, sed in Dei, & Matris DEI manu esse. Cui mox iterum diabolus dixit: *Cras exibo, postquã eam satis cruciauero.* His ita peractis, cessatum est eo die.

Die 23. Ianuarij totum tempus matutinum in templo ac precibus est consumptum, & à prandio, hora vndecima, eòdem rursus ventum, puelláque initio tranquillâ, hesterno modo actum, atque oratum est. Sed denuo vbi ad Litanias Lauretanas itum, noluit diabolus pati, vt diceretur, *S. Maria Virgo, ora pro nobis.* Vide vt non possit pati Litanias. Tunc enim, ita fremuit, vt puellam, iuxta Fuggerinam genua flectentem, crudelissimè retro egerit. Adeoque iterum coactus est Marcus Fuggerus, puellam tenere, reliquis adiuuantibus. Exorzismo iterato, vsque ad duodecimam horam, quasi nihil sentiret, ad omnia cachinnauit dumtaxat dæmon. Hora autem duodecima vbi audita est, rursus ita puellam cruciauit, septiesque in terram allisit, vt, nisi diuinitus seruata fuisset, vel afflicta, vel lacerata perijsset. Omnibus certè, qui aderant, hoc tormentum vberes lachrymas excussit, puellam autem ipsam morituræ similem reliquit; aliquamdiu certè jacuit immota, ac velut sensûs expers. Postquam verò, remigrante animo, ad se redijt, interrogata, vbi fuerit, aut quid ei euenerit? Dixit, tacita & placabili voce, B. Dei Matrem cum duobus sibi Angelis spectabilem adfuisse; quorum alter dixerit: Etsi, justo Dei judicio, adhuc decies crucianda foret, tamen ob præsentium preces ei aliquid remissum; itaque quinquies posthac dumtaxat esse torturis agitandam, neq; deinde ampliùs dæmonem de vlla re interrogandum; sed cum authoritate iubendum, vt flexis humi genibus, quinquies Pater & Aue recitet, & coram omnibus septies terram osculetur; reuocetque ignominiam, quam Matri Dei, blasphemo ore, intulisset. Iussus ergo consurgere contumax Spiritus, & in medio sacelli perficere, quæ Deus mandârat, inuitus admodum paruit: nam auerso ab altari, & ad januam conuerso vultu stetit. Iussus à Canisio se vertere, coactus est & hîc obsequi, quod dum faceret, vlulans truculentè cœpit ex ore puellæ vociferari: *Væ mihi, Væ mihi, Væ mihi!*

mihi! &c. nullus omnium dæmoniorum à 20. jam annis adeò diriter tortus est, vt ego jam, Neque interim ipse tortus desijt vicissim miseram virginem torquere. Postquam in hunc modum quinquies illam excruciauit, jussus est à Canisio facere, quod Angelus mandauit, ac Deo, eiusque Matri, in quam contumeliosè dixerat; honorem reddere. Tum adactus puellæ brachia vtrimque extendens, astantes ita allocutus est: *Videte Christiani, nos diaboli ipsi cogimur Deo eiusq; Matri obedire; & vos quid facitis!* His dictis, mox in genua procubuit; & quinquies orationem Dominicam recitauit, & singulis petitionibus subiunxit: *In honorem primi vulneris Redemptoris & Saluatoris* Iesv Christi, &c. Postea quinquies etiam salutationem Angelicam dixit: cùm autem dixisset: *gratia plena* interposuit, hæc verba; *tua gratia & misericordia sit cum omnibus, qui adsunt in hoc sacello*: ac tandem ita finiuit: *O Maria Mater Dei, ora pro eis*. Quàm sincera mente, & libenter hoc fecerit, vos cogitate. Nam is qui odit Devm, qui honores Matris execratur, qui salutem nostram impensissimè impugnat, contrarium tamen facere coactus, infernum, pro sua superbia, passus est, omni Inferno grauiorem. Et præsertim quia tandem adactus est à Deo, Deiparam summis laudibus extollere, eique titulos honoris splendidissimos, verbis quàm ornatissimis, dare. Posthæc Canisius in Nomine Altissimi eum jussit excedere. Cui diabolus truci voce dixit: *Adhuc priùs cogor terram septies osculari*, quod facere permissus, interrogatus est, cur fecerit? Respondit: Ad honorem Matris Dei id facere coactus sum, cuius honorem blasphemè læsi. Post hæc sublatâ in altum puellâ, immani clamore vociferans, jussus cedere, cessit intra secundam & tertiam horam pomeridianam. O quanta tum omnium lætitia & gratulatio, qui aderant! quantæ Deo & Deiparæ laudes persolutæ! Quantum liberatæ puellæ gaudium!

IV. In hac historia planè regnum Dei explicatur, hoc est, modus, quo Deus in hoc Mundo regnat. Nempe per misericordiam & judicium. Sicut enim seueritas quædam est, permittere diabolo, vt in hominem insiliat, eumque tam crudeliter discerpat; ita misericordia & liberalitas Dei est, dare hominibus potestatem, malos Angelos è corporibus eijciendi. Neque enim Chri-

stus

ftus tantùm in digito Dei dæmonia eiecit, sed eamdem potesta-
tem etiam dedit Apostolis. *Et exeuntes prædicabant, vt pœniten-* Marc. 6. 13.
tiam agerent: & dæmonia multa eijciebant. De qua re & gauisi le-
guntur. Nec Apostolis tantùm data est ea potestas; sed etiam
vt suprà ostendimus, alijs postea Apostolorum successoribus:
immò omnibus Exorcistis. Quin omnibus, credentibus. *Signa*
autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia ej-
cient: nisi alio obstaculo dæmoni ansam præbeant non cedendi.
Nonnè magna hæc potestas? Vnus Angelus fortior est toto Mun-
do, quem euertere posset, si Deus permitteret. Et homo terræ
filius ad eam dignitatem promouetur, vt Angelo possit impe-
rare.

V. Esset vel hæc sola diuinæ potestatis, per exorcistas osten-
dendæ, sufficiens caussa, sed ecce aliam significat mihi Lucas; qui
postquam historiam de ejecto dæmone à Christo retulit, subiun-
xit, extulisse vocem quamdam mulierem de turba, & dixisse illi:
Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti. Ecce eiectio Luc. 11, 27.
dæmonis occasionem præbuit vt Mater Christi laudaretur, quæ
Mundo scilicet talem peperisset Saluatorem. Videtis quò res
etiam miserrima spectet? Deus vult suam Matrem vbique lauda-
ri. A Deo illi laus summa est, qui eam in Matrem elegit. Lau-
data est & ab Angelo, qui eam salutauit, *gratiâ plenam.* Lau- Luc. 1. 42.
data est ab Elisabetha quæ eam vocauit & *benedictam inter mulie-*
res. Laudatur in cælo ab omnibus sanctis. Laudatur ab Apo-
stolis, à SS. PP. à tota Ecclesia, & est mirabile nomen illius in
vniuersa terra. Beatam illam dicunt omnes generationes. Ad-
huc longiùs voluit Deus laudes illius extendere. Passus est plu-
rimos à dæmonibus insideri, vt etiam in Inferno, atque ab ipsis
dæmonibus laudaretur vel inuitis, dum illi eius nomine, in eius
templis, ad eius imagines, expelluntur. Præstantissimorum me-
dicorum est, etiam de pessimis venenis optimas côficere medici-
nas. Deus ex ipsis diabolis nouit laudem educere suæ Matris.
Nónne hæc bonitas est? Immò ipse diabolus coactus est eam
dilaudare. Sed videte mihi, quàm clarè diuina potentia hinc
elucescat. Ea enim, ni adegisset, vtique numquam Mariam hostis
illius infensissimus laudauisset, quæ caput illi toties contriuit, &

quam adeò odit, vt castissimam Virginem, & quouis lilio puriorem, vocârit *meretricem*. Videtis discrimen Dei & diaboli? Ille Matrem suam honorat; iste honorem illius sauciat. Et vel discite discrimen eorum, qui Deo, aut qui diabolo seruiunt. Omnes Dei amici, amant, honorant, venerantur Dei Matrem: hostes Dei, sunt etiam hostes Matris Dei. Sed quod maximè ex hac historia est discendum, monuit Canisius, qui Oetingæ in sacello, expulso dęmone, grauem habuit ad populum exhortationem, in qua ostendit, Devm non injustum fuisse, dum puellam nouem annorum, castam, pudicam, B. Virgini deuotam, nobilem, & hominibus charam, permisit à tam tetro hospite occupari, per 8. annos, &, maximè sub finem, dirissimè etiam cruciari. Quid eam fecisse putatis? In ea concione palàm, ipsa præsente puella, caussam edixit: nempe illam alioquin, sicut ab alijs audiuerat, temerè erupisse dixisseque: *Si non est verum, quod dico, diabolus me rapiat.* Nam quàm primùm hoc dixit, diabolus cum alijs tribus illam inuasit. Cùm 12. postea esset annorum, alij adhuc tres accesserunt.

VI. Hîc mihi, Auditores exemplum accipite, hîc mihi veniam date, si ego hodie non vnum, non septem; sed septem millia eijcio dæmoniorum. Nam quid vsitatius, quàm vt diabolus

Matth. 12. 34. quàm plurimis sit in ore? &, si ex abundantia cordis os loquitur, etiam in corde diabolos loquentium diaboli nidulabuntur. Ergo ex corde & ore vestro illos eijciam. Si quis computet, quoties vno anno, vno mense, hebdomade, die, diabolum nominet, imprecetur sibi & alijs; immò sæpe mille diabolos: quantę diabolorum legiones colligentur ab vno? Quid si jam tota domus, & mille homines hanc habeant consuetudinem? Quot diabolis vrbs implebitur? Angelis vrbs esset tradenda; citari diabolus non debet, est impudens, vltrò venit, quòd si etiam vocatur, potestatem accipit veniendi largiorem. Si in oculo tuo festucam sentis, si in pede spinam impressisti; si in ore malum dentem geris, vis vtique extrahi, eijcique. An non deterior in corde & ore dęmon? an non patieris hunc exturbari tibi? Agyrtæ sæpe equinum stercus rusticis in os ingerunt; quàm citò illud egeritur? Immundus spiritus longè immundior est omni immunditia, cur

ergo

ergo eum toties ore voluis? & illo, quo CHRISTVM suscipis ore. In inferno est habitatio illius; & quantum laboratur, vt ex homine expellatur? tu autem eum vltrò accersis? Immò tuis seruis, filijs, vxori, marito; immò tibi ipsi imprecaris? Scis, quid sit imprecari, vt diabolus aliquem rapiat? Si imprecareris morbum, si paupertatem, si vulnera, si fracturam ossis, si mortem ipsam, nihil est comparatione huius: nam quem diabolus rapit, & sauciat vnguibus, & spoliat, & valetudine, & vita priuat; denique flammis æternis addicit. Cur tantum teipsum odisti, vt talia impreceris tibi? immò quid vel inimicissimus tam atrox potest perpetrare, vt tantis velis supplicijs compensare? Quantum displiceat DEO, patet exemplis, nam si mitissimè punit, immittit tales tortores. Innocens puella, semel jurauit, fortè quia ita à parentibus audiuit: & ecce propter parentes septies illam à dæmone torqueri permittit DEVS; & in illam immittit tales tortores. Putas, vllum carnificem tam esse crudelem? Quid continget illis, qui non semel, non innocentes, sed fœdi, millies sibi, alijsque diabolum imprecantur? O qualis eorum tortura erit in inferno; si sic, cùm parcit & miseretur DEVS, diras has punit in hoc mundo? Iuuate me parentes, vos meliore exemplo præite; tum filios, seruos, ancillas acriter increpate diabolum imprecantes. Olim non nominabatur expresè, sed generali voce *Malus* vocabatur, si aliquid coram liberis de eo fuerat loquendum; hæc, obsecro, consuetudo reducatur. Eius autem loco dulcissimum nomen IESV sæpe inuocetur, vt insuescamus, in agone mortis id nominare & inuocare, quod in vita sæpiùs vsurpauimus. Multi auditi sunt, morientes dæmonem inuocare. Hæc exempla nos moueant, vt sapiamus; ne os fœteat instar sepulchri patentis, & instar Acherontis. Idcircò exempla fiunt, vt alij cauere discant malo alieno.



CAPVT XLII.

Vigesima secunda morborum caussa, vt probentur homines, diligántne DEVM, an ad remedia illicita confugiant?

I.



Rouidè simul & paternè olim DEVS commonuit Israëlitas, his verbis: *Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atque portentum, & euenerit, quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus, & sequamur deos alienos, quos ignoras, & seruiamus eis: non audies verba Prophetæ illius, aut somniatoris: quia tentat vos Dominus DEVS vester, vt palàm fiat, vtrùm diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima vestra.* Hæc monitio ægrotis etiam atque etiam est inculcanda. Sæpe orant, vt sanentur; &, quia illis id non prodest, non exaudiuntur: sæpe neque alijs à nobis commemoratis spiritualibus remedijs iuuantur, postquam naturalia omnia in cassum adhibuerunt. Imitantur ergo illam insanientis artem, & dicunt:

Deuter. 13, 1.

Virgil. 1. Æneid.

Flectere si nequeo superos, Acheronta mouebo.

II. Esse tales, & esse superstitiosos, & malè agere, docet egregiè S. Augustinus his verbis: *Superstitiosum est, quidquid institutum est ab hominibus, ad facienda, & colenda idola pertinens, vel ad colendam, sicut DEVM, Creaturam, partémue vllam Creaturæ, vel ad consultationes & pacta quædam significationum cum dæmonibus placita atque fœderata, qualia sunt molimina Magicarum artium, quæ quidem commemorare potiùs, quàm docere assolent Poëtæ. Ex quo genere sunt, sed quasi licentiore vanitate, Aruspicum & Augurum libri. Ad hoc genus pertinent omnes etiam ligaturæ, atque remedia, quæ Medicorum quoque disciplina condemnat, siue in præcantationibus, siue in quibusdam notis, quas characteres vocant, siue quibusdam rebus suspendendis atque ligandis, vel etiam saltandis quodammodo, non ad temperationem corporum sed ad quasdam significationes aut occultas, aut etiam manifestas: quæ mitiore nomine Physicam vocant, vt non quasi superstitiosè implicare, sed naturâ prodesse videantur: sicut sunt inaures in summo aurium singularum, aut de struthionum ossibus ansulæ in digitis, aut cùm tibi dicitur singultienti, vt dexterâ manu*

S. Augustin. lib. 2. de doctrin. Christian cap. 20.

manu sinistrum pollicem teneas. His adjungunt millia inanissimarum obseruationum, si membrum aliquod salierit, si junctim ambulantibus amicis, lupus, aut canis, aut puer medius interuenerit. Denique quid est, in quo aniculæ, vt scire aliquid videantur, non excogitent superstitiosam aliquam medicinam? Ita insaniunt, vt omnes sanando, sanent nullum.

III. S. Augustino assonat S. Chrysostomus, qui insuper & modum exaggerat eorum, qui Dei nomen admiscent, quo decipiunt S. Chrysost. quorumdam simplicitatē. Ita enim talibus remedijs vtentem al- hom. 23. ad loquitur: *Non ligaturas verò tantùm, sed etiam excantamenta tibi* pop. *conducis, vetulas ebrias, & titubantes in domum agens. Nec confunderis, nec erubescis, post tantam ad hæc trepidans disciplinam: & quod grauius est, errore, quando hæc admonemus, & dissuademus, putantes se excusari, dicunt: quòd Christiana est mulier hæc excantans, & nihil aliud loquitur, quàm DEI nomen. Propterea namque magis ipsam odi & auersare, quòd DEI nomine ad contumeliam vtitur: quòd se dicens esse Christianam, gentilium opera facit. Etenim & dæmones Dei nomen fatebantur, sed tamen erant dæmones, & ita Christo dicebant: Nouimus te, quoniam es Sanctus DEI, & tamen ipsos increpauit, & ejecit.* Quare non idcircò remedium aliquod sanctum est, quia sancta admiscentur, sed quia sanctè vsurpatur. Immò tantò maius flagitium est, si sacra sacrilegijs profanentur. Quid enim indignius, quàm vt crux, nomen Dei, ipsum corpus Christi, ad perniciem animarum adhibeatur, & diuina bonitas cogatur seruire malitiæ atque artibus diabolorum?

IV. Itaque hi tales, qui eiuscemodi remedia vel quærunt, vel admittunt, alijs remedijs indigent, ne ad illicita remedia anhelent. Quorum primum est, valde hoc peccatum Deo displicere quod & tam seuerè prohibuit. *Non declinetis*, inquit, *ad magos,* Leuit. 19. 31. *nec ab ariolis aliquid sciscitemini, vt polluamini per eos. Ego Dominus Deus vester.* Et alibi vbi eadem, repetit, ait Scriptura: *Omnia hæc abominatur Dominus.* Quæ sæpius repetit. S. Paulus, Deuter. 18. 10. *Nolite locum dare diabolo,* ait; & rursum: *Nolo vos socios fieri dæmoniorum.* 2. Cor. 10. 20. Dant autem locum diabolo, & socij fiunt dæmoniorum, S. Chrysost. quicumque artes diabolorum vsurpant, vt sanentur. *Si le-* orat. 5 aduers. *ni aliquo morbo tētatus illico resiliens à Domino,* ait aureum os, *ad dæ-* Iudæos.

mones

mones accurras, quam tandem veniam consequêris? quo pacto illum valebis denuo tibi propitium reddere? Quin potiùs nec alius quisquam pro te deprecari poterit, etiamsi tantum valeat auctoritate apud Deum, quantum Moyses. Non est, inquam, quisquam, qui hoc facere poterit. Non audis, quid Deus loquatur ad Ieremiam de Iudæis? Ne depreceris pro populo isto, quoniam si surrexerit Moyses & Samuel, non exaudiam illos, adeò sunt peccata omnem remissionem superantia, quæq; nullam recipiant excusationem. Itaque, ne tantam in nos prouocemus iram, etiamsi videantur aliqui febrem incantamentis sedare: non enim verè sedant, tamen aliam in conscientiam inducunt febrem, ratione ac conscientia quotidie flagellante, & *dicente: Impiè fecisti, iniquitatem perpetrasti, violasti fœdus cum* CHRISTO *ictum, ob paululum bonæ valetudinis pietatem deseruisti. Num tu solus hæc passus es? an non alij multò, quàm tu, acerbiora passi sunt? Attamen nullus illorum tale quid ausus, tu verò mollis ac dissolutus animam tuam (dæmoni) oppignorasti. Quomodo excusaberis Christo? quomodo illum implorabis precibus? quâ conscientiâ posthac ingredieris Ecclesiam? quibus oculis videbis Sacerdotem? quâ manu sacram attinges mensam? quibus auribus audies Scripturas, quæ illic leguntur? Quum his stimulis quotidie ratio te punget, vrgebitq;, cùm conscientia flagellabit, rursus ipse dices: Quæ hæc est sanitas, quum intus tam multas habeam cogitationes accusatiuas?* Hæc D. Chrysostomus, pro primo remedio.

V.

Leuit. 20. 6. Secundum est remedium, quòd non irascatur tantùm, sed etiam minetur, & puniat tales Deus. *Anima, quæ declinauerit ad magos, & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam eam de medio populi sui.* Si quis exemplum huius desiderat, clarum habetur illud in historia regum.

4 Reg. 1. 2. *Cecidit Ochozias per cancellos cœnaculi sui, quod habebat in Samaria, & ægrotauit: misitq; nuntios, dicens ad eos: Ite, consulite Beelzebub deum Accaron, vtrùm viuere queam de infirmitate mea hac. Angelus autem Domini locutus est ad Eliam Thesbiten, dicens: Surge, & ascende in occursum nuntiorum regis Samariæ, & dices ad eos: Numquid non est Deus in Israël, vt eatis ad consulendum Beelzebub deum Accaron? Quam ob rem hæc dicit Dominus: De lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* Consimile quid contigisse,

tigisse, narrat B. Gregorius Turonicus, cum puero ægro, qui hariolo traditus fuit, vt ab eo sanaretur. Sed malè cessit remedium malum. Hariolus enim per incantationes, & ligaturas, non vitæ eum, aut sanitati restituit, sed Libitinæ victimauit. Vt autem nox ipsa diem commendaret, & Sanctorum opera, juxta Belial, magis clarescerent, tradit idem author, alium eádem lue laborantem, pulueribus è S. Martini sepulchro sumptis, sanitati restitutum. Ad Sanctos ergo & sancta, ad Deum verum, non ad Deum Accaron, ægrotis est confugiendum; vt morbi pietatis sint caussa, non occasio impietatis.

S. Gregor. Turon. lib. 2. de glor. Martyr. c. 45.

VI.

S. Chrysost. orat. 5. contra Iudæos.

Non audisti quid dicat Scriptura? ait S. Chrysostomus, *Fili, si accedis seruiturus Domino, præpara animam tuam ad tentationem: dirige cor tuum, & perdura in morbo ac paupertate: in illo fidens esto. Sicut in igne probatur aurum, sic homo probatur in camino deiectionis. Si tu famulum flagris cecideris, & ille triginta aut quinquaginta plagis acceptis, illico prouocet ad libertatem, aut deserat tuum dominium, & ad alios se conferat, qui te oderint, eosq; in te concitet: dic mihi num is abs te veniam impetraturus sit? an quisquam pro illo poterit esse patronus? nequaquam. cur ita tandem? quoniam officium est heri, punire talem famulum. Non ob id tantùm, verùm etiam ob hoc; quòd si fugiendum erat, non ad hostes & osores domini prioris oportebat fugere, sed ad amicos & cognatos. Proinde tu quoque, si videris te puniri a Deo, ne profugias ad inimicos Iudæos, ne magis etiam illos in te prouoces, sed ad amicos illius Martyres, ac Sanctos, qui illi placuerunt, quiq; multam apud illum habent auctoritatem. Sed quid loquor de famulis & heris? Filius non poterit hoc facere, nec abnegare cognationem quam habet cum patre. Nam & naturæ leges, & leges ab hominibus institutæ sic præscribunt: etiamsi flagris cædat pater, si à mensâ depellat, si ædibus exigat, si quocumque modo puniat: jubent, omnia fortiter perpeti, nec vllam illi veniam concedunt, ni paruerit, pertuleritq; Etiamsi filius casus innumeras querimonias deplorans proferat, hæc verba audit ab omnibus: Pater est, qui cecîdit, ac Dominus, habétque potestatem in te quod vult faciendi, & oportet omnia placide ferre. Ergo famuli quidem ferunt dominos, filij parentes, frequenter & præter æquum punientes: tu verò non sustines Deum te corripientem? qui plus habet in te juris, vt pote verè Dominus, qui plus te*

te diligit, quàm pater, quique nihil per iracundiam, sed omnia facit in tuam vtilitatem.

VII.

Tertium remedium est, expendere, quis sit Author superstitiosorum remediorum? Nempe spiritus malus, qui est iuratus generis humani hostis. Dona hostium non sunt dona, vt vetus docet verbum. Sed huius hostis maximè, omnia beneficia sunt maleficia. *Diaboli verba,* ait Maximus Taurinensis, *esse solent non religionis verba, sed fraudes: Et beneficia eius omnibus sunt nocentiora vulneribus,* inquit Leo. Et S. Augustinus: *Dum beneficia præstat, magis nocet, & veneno incantationum mel interdum nominis Christi, falsisq; vera admiscet, vt homines assuefaciat illi credere, cùm quædam nonnumquam ab ipso vera prolata deprehendunt.* Addit S. Thomas, vt ita *perducat in aliquid humanæ saluti nociuum;* nec nociuum tantùm animæ, sed etiam corporis sanitati. Sic homines perdit, teste Euthymio, *huiusmodi quasi esca inescatos.* Nihil igitur auxilij, exitij multum ab hoc hoste debet expectari. Porrò hunc hostem esse authorem remediorum superstitiosorum, & cur ea promittat, non obscurè testatur D. Cyprianus, suprà à nobis citatus, in quinta morborum caussa. Nam & per se ipsum, in corpora hominum ingressus, torquet miseros mortales; non secus atque ex idolis, & statuis deorum, stolidum vulgus decipit: &, per veneficos ministrosque, morborum & tormentorum genus omne disseminat, quibus creaturæ Dei, ratione præditæ crucientur. Sic odij sui sitim explere conatur. Sic perditus perdere cogitat. Sic veritatem opprimit, & ipse diuinitatis opinionem affectat; dum per statuas vaticinatur, & dolores membrorum, quos ipse infert, quando vult mitigat. Sic damnationem solatur, dum pœnarum socios efficit. Sic innumeros decepit. Mirissima & lenitas, & vanitas est, credere patri mendaciorum.

Max. Taur. hom. 4. de tent. Christi. Leo serm. 19. de Passion. Dom. S. August. 8. de ciuit. c. 24. S. Thom. 2. 2. q. 95. art. 4. Euthym. in c. 1. Marci. S. Cyprian. de idol. vanitate. Suprà à nobis cap 19. §. 1. & 2. citatus.

VIII.

Quod facit magister, etiam discipuli imitantur: vt in falsam sectam homines inducant, falsa miracula promittunt. Legerunt illa Saluatoris: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eijcient.* Vt ergo errores suos confirmarent, tentarunt & ipsi dæmones ex hominibus pellere. Sed malè cessit conatus malus. Anno 1545. Lutherus voluit eijcere dæmonem, sed dæmon illum in maximas angustias, atque

Marc. vlt. 17.

ad

ad alui profluuium redegit, vt testatur tunc maximus eius Secta-
tor Staphylus, & post eum Lindanus alijque. Nimirum meruit
impurus exorzista à spiritu immundo contaminari. Neque se-
cus parocho Lutherano (quem dæmon contempsit & afflixit, à
Franciscano facilè eiectus) euenisse anno 1582. Birgellis; atque
æquè frustra Anno 1583. Augustæ Vindelicorum in illo labora-
tum à pluribus Ministris Confessionis Augustanæ (quem Do-
ctor Simon Pastor Catholicus expulit) narrat Bredenbachius.
Vt autem etiam Caluini virtutem in dæmonibus abigendis mun-
dus agnosceret, Anno 1566. ex ore energumenæ Landunensis,
tota Gallia, ac toto orbe Christiano celebratissimæ, Dæmon Cal-
uinianos irridens clamabat cunctis audientibus, *nihil sibi, ab illis
metuendum, quoniam amici essent, & fœderati.* Sicut testantur
acta Gallice scripta, summa fide, & Faius in Energumeno, seu
Alexicaco. Quo successu viuum à mortuis conatus sit reuocare
Caluinus, constat. Igitur verè de hæreticis affirmare licet, quod
Tertullianus dixit, *vt de viuis mortuos fecerunt, ita eos, in homi-
num corpora dæmones immisisse; cùm Catholici hos eiecerint, & de
mortuis viuos reddiderint.*

Staphyl. in absoluta respons. contr. Smidel. Lindan. in Dubitantio dial. 3.c.1. Bredenbach. lib. 7. Collat. c.40. Bredenbach. l.lib. 7. collat. cap. 42, & 43. Vide Delr. lib. 3. disq p.1.q.7. sect. 1.

Tertull. lib. de Præscript. cap. 30.

IX.

Quartum remedium itaque est, vt ab hoste & hostilibus
remedijs abhorreamus, atque ad Deum Diuosque recurrentes
dicamus: *Dominus firmamentum meum, & refugium meum, &
liberator meus: Deus meus adiutor meus, & sperabo in eum.* Neque Psal. 17. 3.
satis est, ab hoste, sed etiam ab omnibus, quæ hostis sunt, vel
fuerunt, abhorrere. Etiam *muscæ morientes perdunt suauitatem
vnguenti.* Quod docuit B. Glyceria martyr, è cuius corporeis Eccles. 10. 1.
exuuijs, vnguentum suauissimum, & omnibus morbis saluberri-
mum fluere solebat. Aliquando Episcopus Perinthi inscienter
argenteum vasculum emit, quod antè magicis ministerijs fue-
rat adhibitum. Quod vbi factum, statim desijt sacri fluor vn-
guenti. Adeò non conuenit inter cælum & orcum. *Quare noua,*
vt scribit Nicephorus, *perculsus Antistes ad preces confugit, diuinoq;
impulsus Spiritu vas nouum amouit, & antiquum reposuit, ac proti-
nus vnguentum, sicut priùs, scaturire cœpit. Quocirca rem diligentiùs
inquirens, comperit, vas illud nefandis rebus seruijsse. Quod simul atq;
ad aures Imperatoris peruenit, habita quæstione, tanti criminis reum,*
vti

Niceph. l. 18. hist. cap. 52.

vti par erat, supplicio affici jussit. Vsque adeò & Imperatores in terris, & Diui in cælis à rebus magicis abhorruerunt. De D. Bernardo dicitur in vita eius: *Cùm Bernardus adhuc puerulus graui capitis dolore vexatus in lectulum decidisset, & mulier quadam dolorem carminibus mitigatura ad eum accessisset, ille acri indignatione commotus, incantatricem clamoribus à se repulit, abegitq́: & impetu quodam Spiritûs è lecto exiliens, mox diuinitus ab omni dolore se liberatum agnouit.* Nimirum meretur Numinis auxilium, qui dæmonis spernit obsequium. Malè Deo adhæret, quem quiuis ventus ab eo auellit, & ad hostem Dei potest impellere.

Guilielm. Abb. Bonæuallis in vita S. Bernard. apud Sur. 20. August.

X. Fortiùs Dauid, fortiùs alij ægroti cum Conditore suo fuerunt coniuncti, quos nulla solicitudo, nullus dolor potuit à charitate Domini sui separare, & ad deos alienos inuocandos transferre. *Dauid rex*, inquit S. Chrysostomus, *diligebat filiolum ægrotum, & in sacco quidem, & cinere jacebat: verùm neq; diuinos, neq; incantatores adduxit; quamquam tum tales essent, id quod in historia Saulis liquet. Sed Deo supplicauit. Vt vt diligas filium, non tantum diliges, quantum ille tum diligebat.* Et in oratione aduersus Iudæos: *Ille 38. annis detentus fuerat infirmitate sua, singulis annis currebat ad piscinam, & singulo quoque anno repellebatur, nec assequebatur sanitatem, in perpetua paralysi manens. Nec tamen confugit ad diuinos, non adijt incantatores, aut prosilijt ad eos, qui per applicaturas promittunt sanitatem, sed exspectauit diuinam opem, eoq́; tandem admirandam quamdam, & inauditam sanitatem adeptus est. Lazarus autem cum fame, cum morbo, cum solitudine, per omnem vitam colluctatus est, non triginta & octo annos versatus in his, sed per omne vitæ tempus. Sic igitur & exspirauit in diuitis vestibulo jacens, contemptus, irrisus, esuriens, canibus pabulum objectus. Sic autem illius corpus debilitatum erat, vt nec canes irruentes, vlceraq́; illius lingentes, posset abigere. Haud tamen quærebat incantationem, non petala circumligauit, non expertus est imposturas, non veneficos ad se vocauit, nec aliud quidquam vetitarum artium tentauit, sed prius habuit illis immori malis, quàm vlla parte deserere pietatem. Quam igitur veniam nos impetrabimus, qui, cùm illi in tantis malis perdurarint, ob febriculam, aut leue vulnus procurrimus ad synagogas Iudaicas, veneficos, & impostores in ædes nostras accersimus?*

S. Chrysost. in epist. ad Coloss. hom. 10.

Adeò constanter nonnulli in Dei cultu atque amore perseuerarunt, vt etiam, quando licitis, & verò etiam sanctis remedijs, vel à se, vel ab alijs charissimis amicis morbum excutere potuissent, tamen id facere nollent, si maius aliquod animæ lucrum inde sperarent. Nam alij, per morbos, à peccatis præseruantur; alij gratiam & gloriam augent; alij pro peccatis satisfaciunt, & Purgatorium extinguunt; omnes in infirmitate patientes, Christo conformes fiunt, qui nostros languores ita tulit, vt à Propheta *vir dolorum* appelletur. Isa 53. 3. Feci iam aliàs mentionem de S. Petro, quem S. Marcellus in vita eius testatur, etiam propriam filiam S. Petronellam febri æstuantem sanare noluisse, quòd id faceret ad virginitatem conseruandam. Itaque gratia diuina fuit, eam ad breue tempus sanatam, in morbum recidisse. Quemadmodum etiam illi, de quo in vita S Thomæ Cantuariensis legitur, illum valetudinis impetrandæ caussa sepulchrum Archi-Episcopi adijsse, votique compotem factum: Deinde dubitare cœpisse secum, num sanitas æquè, ac prior morbus, ad animæ salutem proficua foret. Qua de caussa idem ad S. Thomæ sepulchrum reuersus, martyrem rogauit, si sanitas non prodesset, in morbum vt pristinum relaberetur. Quod etiam impetrauit, vt corpore malè affecto, spiritus saluus fieret. *In monte Nitria fuit vir admirabilis, qui vocabatur Beniamin, qui rectè, & ex virtute vitam egit annis octoginta. Qui cùm summè virtutem exercuisset, dignatus fuit gratia curationum, adeò vt cuicumque manus imposuisset, aut quod benedixerat oleum dedisset, qui laborabat, liberaretur ab omni ægritudine. Hic, qui tanta gratia dignus fuit habitus, octo mensibus ante obitum fuit hydropicus, & eius corpus vsque adeò intumuit, vt propter dolores inueniretur alius Iob, nostri temporis. Cùm nos autem assumpsisset Episcopus Dioscorus, qui tunc erat Presbyter montis Nitriæ, me, inquam, & beatum Euagrium, dicit nobis: Adeste, videte nouum Iob, qui in tanto corporis morbo, & tanto tumore immensam habet patientiam cum gratiarum actione. Accedentes ergo vidimus tantam molem eius corporis, vt paruum eius digitum non possemus complecti digitis duarum manuum. Cùm autem morbi grauitatem non possemus fixis oculis intueri, nostros oculos auertebamus. Tum dicit nobis beatus ille Beniamin: Orate filij, ne meus internus homo*

Heribert. Rosvveid. l. 8. de vit. PP. ex hist. Lausiac. cap. 13.

sit hydropicus. hoc enim corpus, neque cùm benè se haberet, mihi quidquam profuit, neque cùm malè, me læsit. Illis ergo octo mensibus facta est illi sella latißima, in qua sedebat aßiduè, vt qui non posset in lecto accumbere; propter ea, quæ sunt corpori necessaria. Cùm autem laboraret hoc morbo immedicabili, medebatur alijs, qui tenebantur quibusdam ægritudinibus. Necessarium itaque duxi, morbum huius Sancti exponere, ne nobis alienum videatur, si viris iustis aliquis casus accidat. Egregio ergo illo viro mortuo, sublatum est limen ostij & postes, vt posset corpus efferri ex cella. Tanta erat moles corporis beati & inclyti Patris Beniamin.

XII. Quantum hi tales bonum in morbis esse crediderunt, qui non solùm nulla contra eos remedia à dæmone, sed ne à DEO quidem petière? immò cum S. Romito doluerunt, quòd non dolerent, more consueto; aut etiam, tamquam pro maximo beneficio, gratias egerunt? Plus dico, qui, tamquam inter delicias, &, velut cygni, morti proximi, lætissimè cecinerunt? *In Homilijs quoque Euangelij iam narrasse me memini*, ait S. Gregorius, *quòd in ea porticu, quæ euntibus ad Ecclesiam beati Clementis est peruia, fuit quidam Seruulus nomine, cuius te quoque non ambigo meminisse: qui quidem pauper rebus, sed meritis diues erat, quem longa ægritudo dissoluerat. Nam ex quo illum scire potuimus, vsque ad finem vitæ paralyticus jacebat. Quid dicam, quia stare non poterat, qui numquã in lecto surgere, vel ad sedendum, valebat, numquam manum suam ad os ducere, numquam potuit se in latus aliud declinare? Huic ad seruiendum mater cum fratre aderat, & quidquid ex eleemosyna potuisset accipere, hoc eorum manibus pauperibus erogabat. Nequaquã litteras nouerat, sed Scripturæ sacræ sibimet codices emerat, & Religiosos quosque in hospitalitatem suscipiens, hos coram se studiosè legere faciebat. Factum est, vt juxta modum suum plenè sacram Scripturam disceret, cùm, sicut dixi, litteras funditus ignoraret. Studebat semper in dolore gratias agere, hymnis DEO & laudibus diebus ac noctibus vacare. Sed cùm iam tempus esset, vt tanta eius patientia remunerari debuisset, membrorum dolor ad vitalia redijt. Cumq; iam se morti proximum agnouisset, peregrinos viros, atque in hospitalitatem susceptos admonuit, vt surgerent, & cum eo psalmos pro exspectatione sui exitûs decantarent. Cumq; cum eis & ipse moriens psalleret,*

S. Gregor. lib. 4. dial. cap. 14.

ret, voces psallentium repentè compescuit, cum terrore magni clamoris, dicens: Tacete. Numquid non auditis, quantæ laudes resonent in cælo? & dum ad easdem laudes, quas intus audierat, aurem cordis intenderet, sancta illa anima carne soluta est. Quâ scilicet exeunte, tanta illic fragrantia odoris aspersa est, vt omnes, qui illic aderant, inæstimabili suauitate replerentur: vt per hoc patenter cognoscerent, quòd eas laudes in cælo suscepissent. Cui rei monachus noster interfuit, qui nunc vsque viuit, & cum magno fletu attestari solet: quia, quoadusque corpus eius sepulturæ traderent, ab eorum naribus odoris illius fragrantia non recessit. XIII.

Hic odor etiam ad nos peruenire debet, vt morbos discamus patienter tolerare, nec ad illicita remedia nos conuertamus. Tunc etiam cum magno gaudio meritoque apud DEVM, & gratulatione piorum hominum, victoriam ex hoste reportantes, mortem expectabimus. Ad hoc nos exhortatur aureum os, his verbis: *Quòd si perduraueris paulisper, eos, qui vel incantationem aliquam canere voluerint, vel applicationes aliquas adhibere corpori, multa etiam cum contumelia tuis ex ædibus ejeceris, protinus ab ipsa conscientia refrigerationem acceperis. Etiamsi millies exurat febris, anima tua quouis liquore, quauis irroratione meliorem, vtilioremque mitigationem adducet. Quemadmodum enim postquam receperis incantationem, sanusque factus fueris, miserijs affectus es ijs, qui febre laborant, dum tecum reputas peccati magnitudinem: sic nunc quoque etiam si febricitteris, innumeraque patiaris mala, repulsis impijs illis, quouis sano meliùs affectus eris animo gestiente præ gaudio conscientia, ac laudante te, probanteque ac dicente, euge euge, heus homo,* CHRISTI *seruus, fidelis vir, atletha pietatis, qui malueris molestijs immori, quàm deserere tuam pietatem proximo secundùm Martyres loco stabis illa die. Quemadmodum enim Martyres præoptârunt cædi flagris, torquerique, vt ad honorem peruenirent; ita tu quoque hodie præoptâsti flagellari, torquerique à febri, ne abijceres pietatem. Nam etsi te non auferat hæc febris, alia prorsus auferet, & si nunc non moriamur, posteà moriemur.* Et mox pòst. *Cùm ejeceris incantationes multa cum contumelia ex ædibus tuis, omnes hoc audito collaudabunt, mirabuntur, & inter se dicent: Ille ægrotans plurimis hortantibus, incantantibus, consulentibus, vt magicis quibusdam incantamentis vteretur, non*

S.Chrysost. orat.5.aduers. Iudæos.

non assensit, sed respondit: Satius est hoc pacto mori, quàm deserere pietatem. Ad hæc consequentur multi plausus ab his, qui audierint, cunctis stupentibus, Deumq; glorificantibus. Hoc quot statuis erit tibi honorabilius? quot imaginibus magnificentius? quanto honore insignius? omnes laudabunt, omnes tuam felicitatem prædicabunt, omnes te coronâ dignum judicabunt. Præterea ipsi quoque meliores fient, ac vicissim tuum exemplum æmulabuntur, imitabunturq; fortitudinem, & si quis aliis tale quippiam fecerit, tu mercedem feres, qui exempli fueris auctor. Neque tantùm consequentur laudes rectè factorum, verùm etiam celerrima morbi leuatio, quum ipsa tua præclara voluntate conciliante tibi DEVM ad maiorem beneuolentiam, tū Sanctis omnibus gratulantibus, tum promptitudini atq; ex intimo corde pro te preces fundentibus. Quòd si hic talia sunt præmia fortitudinis huius, cogita quantas illic recipies coronas, cùm Angelis omnibus præsentibus, omnibus Archangelis, CHRISTVS *adueniens prehensa manu tua in medium illud theatrum te produxerit, cunctisq; audientibus dixerit: Hic homo, cùm aliquando febre correptus esset, multis exhortantibus, vt à morbo liberaretur, propter Nomen meum, ac reuerentiam, quam habet erga me, ne quid offenderet meam bonitatem, omnes, qui pollicebantur ipsi, damnatarum artium præsidio, sanitatem, repulit, cumq; ignominia rejecit, ac præoptauit potiùs emori,*
Psal. 33. 22. *quàm meam deserere amicitiam.* Hactenus ille. Nos ad mor-
psal. 115. 15. tem transeamus, quæ, vt *peccatoribus* ex merito est *pessima*, ita Sanctis omninò contingit *pretiosa*.

CAPVT XLIII.

Assiduam mortis meditationem veram Philosophiam esse.

I. 
QVanta Numinis æquitate, mortis sententiam acceperit, atque etiam executionem expectet homo, tam ex natura illius, quàm ex culpa, à nobis demonstratum est, cùm de caussis morborum ageremus. Iacta est alea. Deliqui-
Hebr. 9. 27. mus, moriendum est. *Statutum est hominibus semel mori. Omnes vna manet nox,*
Horat. 1. carm. 28.

Et calcanda semel via lethi.

Lucan. lib. 9. *Nullum sæua caput Proserpina fugit.* Et, vt alius Poëta ait: *pauido fortiq;*

fortiq; cadendum est. Se ipsum accusat, qui naturam accusat suam. Naturæ hoc est opus. Qua de caussa Socrates animaduertens amicos, qui eum in carcerem sequebantur, lugere: *Quid hoc est* inquiebat, *nonnè jam dudum sciebatis, me, ex quo genitus eram, ab ipsa natura morti fuisse damnatum*? Anaxagoras quoque, vt refert Laërtius, ab Atheniensibus absens morti addictus, id nuntianti, *Iam olim*, aiebat, *istam sententiam tulit natura aquè in illos, atq; in me*. Ad naturam, ni peccasset primus homo, à morte diuino priuilegio eximendam, postea accessit ira DEI, qua *statutum est hominibus semel mori*. Manet diuinæ justitiæ decretum. Meruimus pœnam, queri non possumus; superest, vt illam in medicinam conuertamus. Quod fiet, si & illius certitudinem, & loci, temporis, ac modi incertitudinem assiduè nobis antè oculos ponamus; nec obliuiscamur, quò mortales hæc *vltima linea rerum* humanarum ducat. Neque enim sine caussa legimus illud Chilonis, apud Ausonium: *Viue memor mortis, uti memor sis & salutis*.

Xenoph. in apol.

Laërt, lib. 2.

Horat. 1. ep. 16.

II. Hæc omnium sapientum est sententia; immò, si Platoni credimus, ipsa *Philosophia, mortis est meditatio*. At, Plutarcho teste, *sola Philosophia medetur animi motibus, atque ægritudinibus*. Quare huic Philosophiæ operam dederunt omnes sapientes. *Platonis sententia est*, ait S. Hieronymus, *omnem sapientium vitam meditationem esse mortis. Laudant hoc Philosophi, & in cœlum vsque ferunt*. Non dixit, præcipuam vitæ partem, sed prorsus omnem sapientium vitam, quanta, quanta est, esse mortis contemplationem. Phœdonem Platonicum consulat, qui pluribus vult scire, quid in hac re senserit Plato vir sapientissimus, & eruditissimus temporum suorum, qui, teste D. Augustino, ita locutus est, vt quæcumque diceret, magni fierent. Ne autem Platonis dumtaxat, & Academicorum hunc fuisse sensum putemus, fuit idem sensus etiam Stoicorum. Senecæ verba sunt: *Egregia res est, mortem condiscere. Superuacaneum forsitan putas, id discere, quo semel vtendum est? Hoc est ipsum, quare meditari debeamus. Semper discendum est, quod an sciamus, experiri non possumus. Qui mori didicit, seruire dedidicit*. Et alio loco: *Nihil æquè tibi proficiet ad temperantiam omnium rerum, quàm frequens cogitatio breuis æui, &*

Plutarch. in opusc. de educand. liberis.

S Hieron. ep. 3. ad Heliodor. in epitaphio Nepotiani.

S. Augustin. lib. 3. contr. Academ. cap. 17.

Senec. ep. 26.

Idem. ep. 25.

huius

Max. serm. 36. *huius incerti, Quidquid facies, respice ad mortem.* Hinc Musonius interrogatus. *Quis optimè extremum diem claudere posset?* respondit: *Qui semper postremum vitæ diem sibi instare proposuerit.*

III. Sentiunt cum Philosophis etiam SS. Patres. Siquidem S. Bernardi illa est gnome: *Summa est Philosophia meditatio mortis.* Itaque non Philosophiam tantùm, sed *summam Philosophiam* vocat *meditationem mortis.* D. Petrus Chrysologus conuersionem peccatoris, *Philosophiam mortis* appellat, ita enim Zachæum alloquitur: *Festinans descende, vt expeditiùs intres Philosophiam mortis.* S. Pachomij, in exhortatione etiam illud monitum fuit: *Ante omnia præ oculis habeamus vltimum diem, & momentis singulis æternorum dolorum supplicia formidemus. His enim caussis anima se consueuit agnoscere, corpusq; proprium jeiunijs, ac vigilijs deprimens, ipsa in mœrore luctuq; continuò perseuerat.* Qua ipsa de caussa Marcellam viduam laudauit S. Hieronymus. Ita enim de ea scripsit: *Annis plurimis sic suam transegit ætatem, vt antè se vetulam cerneret, quàm adolescentulam fuisse meminisset; laudans illud Platonicum, qui Philosophiam meditationem mortis esse dixit: Vnde & noster Apostolus: Quotidie, inquit, morior.* Eusebius Philosophus, inter disputandum cum D. Basilio, interrogauit: *Quæ est definitio Philosophiæ, Basili?* Respondit ille: *Prima definitio Philosophiæ, meditatio mortis.* Quam responsionem confirmat etiam senex ille, de quo Ioan. Moschus hæc habet: *Duo Philosophi venerunt ad senem, & orabant eum, vt eis verbum ædificationis diceret. Senex verò tacebat. Rursum Philosophi dixerunt: Nihil respondes nobis, pater? Tunc senex dixit eis: Quòd studiosi quidem sitis eloquentiæ, scio; quòd autem non veri sitis Philosophi, affirmo. Quàm diu enim loqui discitis, quasi loqui nesciatis? Sit ergo Philosophiæ vestræ opus, semper meditari mortem, silentioq; & quieti vos assuefacite.* Certè hoc faciunt, qui verè Philosophantur. Hinc inter duodecim Anachoretas, qui inter se congregati, singulos jussêre in medium dicere, quid quisque meditaretur, quintus dixit: *Ego Angelos aspicio ascendentes, & descendentes ad vocationem animarum, & semper finem meum opperior, dicens: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Nimirum libenter morti obuiam eunt, qui illam sibi cogitatione familiarem effecerunt; & cum sapientibus virginibus parati

S. Bern. in fine speculi Monachor.
D. Petr. Chrysol. serm. 54.
Rosvveid. l. 1. de vit. PP. cap. 46. vitæ Pachomij.
S. Hieron. ep. 16. in epitaphio Marcellæ.
1. Cor. 15.
Amphilochius in vit. S. Basilij. c. 2.
Ioan. Mosch. cap. 156.
Heribert. Rosvveid. l. 7. de vit. SS. PP. cap. 44.

sunt ad sponsi aduentum. *Vigilate itaque,* ait Dominus, *quia ne-* Matth 25.13.
scitis diem, neque horam. Et hoc quidem facere Sanctos non est
inexpectatum.

IV.

Magis mirum est, apud profanos eamdem Mortis memoriam viguisse. Refert Curopalates, Orientis Imperatores, pro regio ornamento, solitos sinistra in manu textile ferre aureum, in quo inclusus aggestusque puluis continebatur; non alia de caussa, quàm vt præclaro hoc documento testarentur, habenas Imperij ab eo teneri cum laude, qui mortis recordationem, pulueris gestati aspectu identidem renouaret; eumque dignum esse, qui imperaret, cui puluis ac cinis esset pro sceptro. Similem barbarorum haudquaquam barbarum morem recenset Ioannes Boderus de Tartaris, apud quos ea ipsa die, qua Princeps suscipit imperij habenas, solenni quoque ritu mortis memoria inducitur; quasi non aliunde, quàm ex consideratione mortis, gradus fieri debeat ad supremi fastigium dominatûs. Siquidem priùs, quàm coronetur Imperator, super rudi gausape nigri coloris, circumstantibus proceribus regni, pulla veste indutis, in morem jacentis cadaueris stratus solem jubetur respicere: vel quia mores sceptro & purpura dignos, alio præceptore faciliùs percipi posse minimè credunt, quàm hominum patre; vel certè, quia ad pompam regiæ magnificentiæ quemquam, regio licet sanguine clarum, euehi putant nulla ratione posse, nisi præconcepta animo mortis recordatione, quæ quasi ad regale solio manu ducat. Neq; aliò respicit stuppa, in consecratione Summi Pontificis, accensa, & momento relucens, rursusque euanescens, qua subitam flammam jaciente clamatur: SIC TRANSIT GLORIA MVNDI. Frænum honoris est humilitas, humilitatis mater est memoria mortis. Neque humilitatis tantùm, sed etiam pœnitentiæ, & ferè omnium virtutum reliquarum. Nam & castitatem tuetur. In vitis Patrum: *Frater quidam dixit seni: Quid facio, quia occidit me sordida cogitatio? Dicit ei senex: Mulier quando vult ablactare filium suum, amarum aliquid superungit vberibus suis; & cùm venerit infans, ex consuetudine sugere lac, sentiens amaritudinem refugit. Mitte ergo & tu in cogitatione tua amaritudinem. Dicit ei frater: Quæ est amaritudo, quam debeam mittere? Dixit ei senex: Cogitationem*

Ioan. Boder. lib. 1. dict. memor. vir. illustr. 1.

Heribert. Rosvveyd. l. 5. de vitis PP. libel. 5. n. 30.

mortis & tormentorum, quæ in sæculo futuro peccatoribus præparantur. Ex huius ergo sententia senis, contra corruptionem carnis, remedium est meditatio corruptionis. Cur enim animam immortalem obijciamus tormentis numquam desituris, propter corpus morte periturum? Nonnè hoc est, ærea, immò lutea aureis permutare?

V. Ob hanc igitur tam vtilem mortis memoriam diuinæ bonitatis prouidentia vbique mortis nostræ monimenta collocauit. Quantum enim & Mundus nos decipiens, & diabolus nos seducens, qui initio hac fraude Euam fefellit, cùm diceret: *Nequaquam morte moriemini*; & denique caro blandiens laborant, ne ad finem vitæ aspiciamus: ita vicissim DEVS, & bonus Angelus, & sapiens intellectus, nobis ingerunt fragilitatis & mortalitatis nostræ recordationem. Neque omni cura ac sollicitudine hostes nostræ salutis satis cauere possunt, vt mortis indicium nullum intelligamus. *Tres sunt nuntij mortis*, ait Hugo: Casus, Infirmitas, Senectus. *Casus dubia, Infirmitas grauia, Senectus certa denuntiat. Casus nuntiat mortem latentem; Infirmitas apparentem; Senectus præsentem. Ex hac incertitudine mortis, timor; Ex grauitate dolor; Ex certitudine senectutis, non obstinatio, sed humilitas, & afflictio sequi debet.* Abenner rex Indiarum quantum laborauit, ne quis talis nuntius filio suo in oculos veniret; & tamen Angeli custodis solertiam impedire non potuit, quin tales nuntios ad eum perduceret? S. Damascenum audiamus, iam alibi nobis ex parte citatum; qui, postquam narrauit, regi illi Indiarum natum insignem filium, quē Iosaphat appellârit; cui futura quinquaginta circiter annos Chaldæi, è siderum positura, interq; eos vnus ex horoscopo infantis, etiam Christianum fore, prædixerint, hæc addidit: *Rex autem, vt hæc intellexit, eiusmodi nuntium grauiter ac molesto animo excepit, voluptatemq; suam mœstitia interrumpi sensit. Nihilominus tamen in priuata quadam ciuitate, pulcherrimo palatio extructo splendidaq; domo elaborata, illic filium collocauit, jußitq; vt exactis primis ætatis annis nullus ad eum accessus pateret. Atq; Pædagogos ipsi & ministros ætate florentes, eximiaq; forma præditos constituens, hoc ipsis mandauit, vt nihil eorum, quæ in hac vita molesta sunt, perspectum ipsi facerent, non mortem, non senectu-*

Gen. 3. 4.

Hugo de claustro animæ. lib. 2.

S. Ioan. Damascen. de Barlaam & Iosaphat. c. 3. § 6.

Hoc Tom. 4. cap. 2. § 2.

nectutem, non morbum, non paupertatem, non quidquam aliud mole-
ſtiæ, quodq; ipſi oblectationem interpellare poſſet: verùm omnia jucunda,
& cum ſuaui fructu conjuncta proponerent, vt in his ipſius animus
cum voluptate ac delicijs verſans, nihil omnino rerum futurarum
cogitatione complecti poſſet, ac ne verbo quidem tenus de Chriſti reli-
gione, ipſiusq; decretu quidquam audiret. Nam hoc præ omnibus re-
bus ipſi occultare in animo habebat, Aſtrologi nimirum vaticinium
veritus. Quòd ſi miniſtrorum aliquem in morbum incidere contigiſ-
ſet, eum ſtatim illinc eijci jubebat: alterumq; nitidum optimeq; valen-
tem ipſi ſubſtituebat: vt ne quid omninò ſalebroſi; atq; acerbi in filij
oculos incurreret. Ad hunc modum ſe rex gerebat, atque hac cogita-
bat, & agebat. Videns enim non videbat, & audiens non intelligebat.
Nam cum hac induſtriâ adhibitâ, non effecit rex, ne quis filio
leproſus, & cæcus, aut capularis ſenex occurreret; è cuius miſe-
rando aſpectu, nempe rugata facie, fractis ac diſſolutis tibijs, curuo
corpore, capite prorſus cano (qui præterea dentibus carebat, atq; con-
ciſum quiddam, & interruptum loquebatur, atque fortaſſe etiam
grallis vtebatur) ingenioſus adoleſcens veniret in cognitionem
humanæ mortalitatis: quæ cognitio illi viam ad virtutem & cæ-
lum aperuit. VI.

Itaque quotieſcumque ſenem, quotieſcumque debilem,
claudum, cæcum, leproſum, rugoſum, ſcabioſum, vel quocum-
que modo infirmum aſpicimus, mortis eſſe nuntium putemus:
quoties caſum, vel domi, vel belli, miſerabilem audimus acci-
diſſe, mortis memoriam in nobis excitari exiſtimemus; cogite- Eccli. 38. 23.
muſque, nobis dici: Mihi heri, & tibi hodie. Ad hanc cogitatio- Senec. ep. 77.
nem ducit etiam Philoſophus, dum ita ſcribit: Nemo tam impe-
ritus eſt, vt neſciat ſibi quandoq; moriendum: tamen cùm propè ac-
ceſſerit, tergiuerſatur, tremit & plorat. Quid fles, miſer? quid tre-
pidas? omnes hac neceſſitate ducuntur: Eò ibis, quò omnia eunt. Ad
hanc legem natus es: hoc patri tuo accidit, hoc matri, hoc maioribus,
hoc omnibus ante te, hoc omnibus poſt te. Quantus te populus mo-
riturum ſequetur? quantus concomitabitur? Fortior, vt opinor, eſ-
ſes, ſi multi tibi commorerentur. Multa millia hominum, hoc ipſo
momento, quo tu mori dubitas, animam varijs generibus emittunt.
Tu autem putabas te ad id aliquãdo peruenturũ, ad quod ſemper ibas?
Nullum ſine exitu iter eſt.

VII. Quin etiam nullum iter sine periculo, aut monimento mortis. Vt enim è domo, ita è vita exibis. Vix pedem effers ex vrbe, & patibulum cernis. Quid in patibulo, nisi mortui? Puta igitur, patibulum esse cathedram, è qua tibi suspendiosi, aridi illi, & muti oratores, de morte concionentur, dicantque non loquendo, sed pendendo, cum Biante, eam mortem hominibus nequaquam formidandam, quæ secundùm naturæ leges inuadit mortales; sed illud genus lethi malum esse, *Quod legibus constitutum est*, & improbi delictis, turpiter, & ignominiosè promerentur. Quòd si vlteriùs progrederis, haud procul à cœmeterio transibis, ibi tot assurgentes tumuli, tot cruces, tot saxa sepulchralia, tot ossa craniaque mortuorum, quid aliud clamabunt, quàm: *Mihi heri, tibi hodie?* Itaque, *si de diuitijs & honoribus, & morum nobilitate te iactas,* ait S. Augustinus, *de patria, & pulchritudine corporis, & honoribus, qui tibi ab hominibus exhibentur, respice te ipsum, quia mortalis terra es, & in terram ibis: Circumspice, qui similibus fulsere splendoribus. Vbi sunt, qui ambierunt currum potestatis? Vbi insuperabiles Imperatores? Vbi sunt, qui conuentus disponebant, & festa? & equorum splendidi nutritores? vbi nunc vestes, & ornamenta peregrina? Vbi seruorum turba? vbi iocus & lætitia? Vbi exercituum Duces? Vbi satrapæ, & tyranni? Nonnè omnia puluis & fauilla? Nonnè in paucis versibus eorum vitæ patet memoria? Respice eorum sepulchra, & vide, qui seruus, & qui dominus; qui diues, qui pauper. Discerne, si potes, victum à rege, fortem à debili, pulchrum à deformi. Vide si est aliquod in eo signum iactantiæ suæ. Memorare vtiq; naturæ, ne extollaris.* Tertullianus quoque scribit, Celtas, apud virorum fortium sepulchra obnoctare consueuisse, eaque ratione professos esse, se percipere germanam rerum abditarum cognitionem, quam nullis ceteroqui laboribus, nullo studio, quantumuis assiduo, percipere potuissent. Perceperunt nimirum, se sicut omnia mortalia, finem habituros, & post hunc finem alia expectanda. A Galeno memoriæ proditum est, aues nonnullas reperiri nuncupatas *sepulchrales*; eò quòd sepulchrum in capite ferant. *Haud dubitem*, ait recens Author, *his auibus adumbrari homines sepulchrum gerentes in capite, dum mortem memori versant animo, quo fit, vt*

Maxim. serm. 36.

Eccli. 38. 23.

S. Augustin. lib. de nat. & gratia.

Tertullian. lib de anima. c. 57.

Galen lib. 11. de simp. medic. facul.

Alexād. Pellegrin in c. 2. S. Matthæi Paradox. 13.

volucrum in morem pennis præpetibus se credant cælo, sideribus inferant, supra sordes abjectæ mortalitatis volitent expeditissimè contemplatricis beneficio Philosophiæ. Quod innuere voluisse Zoroastrem veteris Theologiæ auctorem eminentissimum testatur Cælius Rhodiginus lib. 16: lect. antiq. cap. 18 in fine: ait enim: Hoc Zoroastrem significasse arbitror, cùm esse alatam animam comminisceretur, ac confractis alis labi in corpus præcipitem: rursumq; lætiùs plumantem, ac denuo factam volucrem superna repetere. Si quæras, quid sibi velit, denuò plumas induere, respondebit cit. Author, significari, speculandi compotem scientiam, & disciplinam Philosophiæ: cuius institutionibus, à sensibus abducimur longiùs, & quodammodo ab humilibus nostræ mortalitatis auolamus. Id porrò fiet, si sepulchrum geramus in capite, hoc est, mortem attentè, & continuò meditemur. Hæc ille.

CAPVT XLIV.

Quanta vbique sit occasio mortis assiduè meditandæ?

I.



T autem id agamus, non tantùm cùm ex domo, vel vrbibus egredimur, aut reos supplicio affectos, in rota jacentes, vel è furca pendentes intuemur; aut cùm ibi prætërimus, vbi alij jacent sepulti, mortis memoria nobis renouatur; sed etiam quando per illos campos ambulamus, in quibus aliquando vel prœlia commissa sunt, vel quidam duellis, aut latrocinijs occubuerunt, vbi sepulti, vbi occisi; seu saxis notati, seu viridi cespite obruti. O quoties pedem terræ imponimus, & nescimus, cuius tumulum calcemus! Fortasse etiam hac ipsa de caussa Solon jamjam diem obiturus (obijt autem apud Cyprios ætatis suæ anno 80.) seriò suis diserteque mandasse fertur, vt, corpore in cineres redacto, eosdem suorum ossium cineres, per prouinciam vndique disseminarent. Quia enim vir erat sapientiæ amantissimus, dispicere non potuit, qua ratione posteris meliùs prodesse posset, quàm si & domum mortuus non reportaretur, & foris vbique & nusquam sepultus, per cineres suos hinc, & inde dispersos, homines doceret adhuc philosophari. Nihil enim Philosophiâ tam dignum, nihil rectè philosophari cupientibus tam congruum & salutare, quàm viua semper & præ oculis habita mortis recordatio.

Diog. Laërt. lib. 1. in Solone.

II. Pier. Valeriã. lib. 52. Hæc ne desit, etiam siluas de campo intrantibus occurrunt imagines mortis. Ibi Cypressus arbor olim, in ostentis; mortis indicium fuit: vnde mortis esse hieroglyphicum nonnulli affirmauerunt. Quod etiam de pinu arbore tradit Pierius: nam de hac arbore obseruatum est, illam semel excisam, numquam suppullulascere.

Pier. loc. cit.

Propert. li. 4. eleg. 12.

Cùm semel intrarunt infernas funera leges,
Non exorato stant adamante via.

Et, vt alius Poëta canit:

Catull. 5. epigr.

Soles occidere, & redire possunt,
Nobis cùm semel occidit breuis lux,
Nox est perpetua vna dormienda.

Sapi. 2. 1. Ita dixerunt & illi: *Non est, qui agnitus sit reuersus ab inferis*: quin & illud præmiserunt: *Exiguum, & cum tædio est tempus vitæ nostra.* Idem natura nobis dicit in pinu, quam vel in nemore, vel in monte stantem videmus. Multò autem clariùs, si eam vel bipenni, vel vento deiectam aspiciamus. Immò de omni ligno non reuirescente cogitatio hæc oriri potest, quę orta est regi illi, qui apud Principem Poëtam ita loquitur:

Virgil. lib. 12. Æneid.

Vt sceptrum hoc (dextrâ sceptrum nam fortè gerebat)
Numquam fronde leui fundet virgulta, nec vmbras:
Cùm semel in siluis imo de stirpe recisum
Matre caret: posuitq; comas, & brachia ferro,
Olim arbos: nunc artificis manus ære decoro
Inclusit, patribusq; dedit gestare Latinis.

Sapi. 2. 1. Ad eumdem modũ homo, Platoni inuersa arbor, vbi semel fuerit excisus, non reflorescet. *Non est, qui agnitus sit reuersus ab inferis.* Etiamsi, instar cypressi extulerit caput, humiliabitur, & deijcietur in terram; quare arbor omnis agit mortis præconem, siue in siluis, siue in hortis aspiciatur. Occurrit enim cernenti illud Ecclesiastæ: *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumq; loco ceciderit, ibi erit.* Quin & si finem illius stragis intueamur, in mentem veniet, illud lignum vel in capulum futurum, vel etiam pabulum ignis. Neque suo dumtaxat casu, aut senio, & ariditate nos erudiunt arbores, sed omnibus per orbem redeuntibus autumnis. Tunc enim, sicut homi-

Eccl. 11. 3.

ni

ni senescenti defluunt capilli, ita bruma arborum comas decu-
tit. Quot folia, tot cadauera humi iacent. Sic idololatras com- Isa. 1. 29.
parauit Isaias, quibus dixit: *Erubescetis super hortis, quos elegeratis,* Iob. 13. 25.
cùm fueritis velut quercus defluentibus folijs. Sic seipsum Iob no-
minans dixit: *Contra folium, quod vento rapitur, ostendis poten-
tiam tuam.* Sicut enim alia folia, dum flaccescunt, sponte deci-
dunt; alia siluifragis flabris vexata violenter à ramis abripiun-
tur: ita alios homines leuis aura afflat, & necat; alios autem
balistæ, aut tormenta bellica, aliáue mortis arma è medio tol-
lunt. Denique quid horrentes altorum nemorum vmbræ aliud
nos iubent cogitare quàm cum Dauide: *Humiliasti nos in loco af-* Psal. 43. 20.
flictionis, & cooperuit nos vmbra mortis? Si enim Ethnicus Cicero Cic. lib. 1. de orat.
scripsit: *Me hæc tua platanus admonuit, quæ non minùs ad opacan-
dum hunc locum patulis est diffusa ramis, quàm illa, cuius vmbram
secutus est Socrates* (admonuit autem ad disserendum) cur nos
arborum siluarumque non admonerent vmbræ, ad philosophan-
dum de morte? *Hesterni quippe sumus, & ignoramus quoniam sicut* Iob. 8. 9.
vmbra dies nostri sunt super terram.

III. Quòd si flores in pratis, fructus in ramis, flammas in focis, vndas in fluuijs intueamur, quid aliud, quàm quædam simulachra mortis videmus? De floribus Iob in hunc modum pronun-
tiat: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis* Iob. 14. 1.
miserijs, qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & numquam in eodem statu permanet. Et profanus quispiam de se ait:

Nos quoque floruimus, sed flos fuit ille caducus.

Atque alius. *Collige, virgo, rosas, dum flos nouus, & noua pubes,*
Sed memor esto æuum sic properare tuum.

Quantum enim non properant ad interitum flores?

Florent lilia manè, nocte flaccent.

Ob quam ipsam caussam etiam Seruator dixit: *Considerate lilia* Matth. 6. 28.
agri. Quid ni & gramina, è quibus fit fœnum? *Omnis* enim *caro* Isa. 40. 6.
fœnum. Quid ni & spicas in altum surgentes, quæ desinunt in Iob. 13. 25.
stramen, & *stipulam siccam*, qualem se patientiæ exemplar nominauit? An non & Tarquinius, cùm in horto virgâ decuteret summa papauerum capita, filio per tabellarium mortem Princi-

pum

pum significauit? Taceo rosas Adonidis sanguine purpuratas; taceo Narcissos: taceo Hyacinthos. Nec ipsi morte sua carent *immortales amaranthi.* De fructibus, & flammis Tullium audiamus: *Adolescentes*, inquit, *sic mori videntur, vt cùm aqua multitudine vis flamma opprimitur. Et quasi poma ex arboribus si cruda sint, vi auelluntur; si matura & cocta, decidunt: sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas.* Et quoties lucernam, facem, vel aliam flammam aspicis aut flatu oris, aut fluctu maris extingui, cogita vitam tuam citiùs extingui posse: & præsertim, si impius es, quia *lux iustorum lætificat, lucerna autem impiorum extinguetur.* Poma quoque, siue vi excutiantur, siue sponte cadant, casus humanos significant, quorum alij mortem inferunt violentam, per *vncinum pomorum* indicatam à Propheta Amos, & toleratam à Druso Claudij Imp. filio, qui pyro in sublime jactato, quod hiante ore excepit, suffocatus est: alij casus saltem repentini sunt, si non violenti, significati per *naues poma portantes.* Ait enim ille: *Dies mei velociores fuerunt cursore: fugerunt, & non viderunt bonum. Pertransierunt quasi naues poma portantes, sicut aquila volans ad escam.* Quàm citò enim naues poma, aliasq; merces auferunt? Et quamquam poma odorem aliquem post se relinquant, odor tamen ille ipse quàm velociter euanescit? Iam aquæ ipsæ, siue per riuos fluant, siue ruant per torrentes, tamen in continuo sunt motu, neque vnquam in eodem statu permanent. Mulieris, sed sapiens sententia est: *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur.* Eleganter Eucherius ad Valerianum scribit: *Velut ex alto vndarum fluctus, alijs atque alys superuenientibus in littoris extrema franguntur: ita in terminum mortis succiduæ alliduntur ætates.* Assonat Eucherio vir æquè sanctus ac doctus, Idiota, cuius hæc sunt verba: *Mors portus est, ad quem, in his mundi calamitatibus miseri nauigamus omnes: ad quem quò citiùs peruenerimus, eò celeriùs liberabimur.* Et infrà: *Sicut aqua dilabens in terram, à terra absorbetur, ita quòd ampliùs non videtur: sic homo in terram per mortem cadens, ita consumitur & destruitur, quòd numquam ampliùs in hac mortalis sortis condicione inuenitur.* Rursumque alibi: *Vt omnia flumina intrant in mare: sic quoque in hanc fluctuosam vitam qui veniunt, mare, id est, amari-*

Cic. lib. 1. Tuscul. quæst.

Prou. 13. 9.

Amos. 8. 1.

Iob. 9. 25.

2. Reg. 14. 14.

Eucher. ad Valer.

Idiota lib. de contempl. mortis. §. 8.

Idem §. 10.

Idem §. 13.

amaritudinem mortis necessariò subintrant. *Mors enim est omnium amaritudinem mortis necessariò subintrant.* Mors enim est omnium pœna, omnium tributum, omnium carcer, omnium domina, omnium receptaculum.

IV.

Igitur, ne mortis immemores essemus, naturâ eius signum nobis in terrâ per tumulos mortuorum, per árbores & siluas; per folia & gramina; per flores & fructus; in aqua per fluctus & portus; per naues & descensum; in ipsa etiam flamma, per eius extinctionem impressit. Quid ni etiam in aëre, & vapore per aërem ascendente, ventisque ibi dominantibus? De vapore S. Iacobus ait: *Quæ est vita vestra? vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* Iac. 4. 14. Vapor ex aqua in altum ascendit, nec diu ibi perseuerat, sed in pluuiam resolutus, delabitur in terram. Extolluntur multi eò vsque, vt se digito nubes attingere, vel ipsum cęlum sublimi vertice ferire arbitrentur: at eò profundiùs cadunt, quò altiùs ascenderunt. De vento Iob loquatur. *Memento,* ait, *quia ventus est vita mea.* Iob. 7. 7. Cur ventus? quia ventus est velocissimus, fuga & lapsus irreuocabilis. Vnde legimus: *Recordatus est, quia caro sunt, spiritus vadens, & non rediens.* Psal. 77. 39. Quippe ventus numquam reperit suam originem, vnde erupit, & à qua incitatus est; sed *lustrans vniuersa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur.* Eccles. 1. 6. Hinc suprà citatus Idiota: *Ventus est vita nostra, quia inuisibiliter & incessanter, ac sine reditu transit.* Idiota de contempl. mort. §. 14. Quadrat etiam huc alia lectio: *Spiritus est vita mea,* quod Græci pro respiratione, & spiritu, quem ducimus, accipiunt, cui magna est cum ventis similitudo. Cessant subitò venti: cessat subitò respiratio, cùm homo expirat. Quin & nubes nobis transitum nostrum indicant. Sicut enim *in conspectu eius nubes transierunt,* Psal. 17. 13. ita & nos transimus, qui sumus *nubes sine aqua, quæ à ventis transferuntur,* Iudic. 12. nec in vno loco diu perseuerant; quia *non habemus hîc manentem ciuitatem.*

V.

Ex aëre oculos ad ipsum cælum mittamus, etiam immortales illi orbes, & splendidissima ætheris lumina transibunt, immò in hoc etiam quotidie transeunt & óccidunt, vt moneant nos quoque vergere ad occasum: Appositè doctissimus Idiota ait: *Sicut omnes stellæ, quæ ab oriente veniunt, quamuis sint magnæ celeritatis & virtutis, tendunt tamen ad occasum, & ibi secundùm* Idiot. lib. cit. §. 1. *diuersos*

diuersos circulos, aliæ tardiùs, aliæ ocyùs sese à nostris aspectibus abscondunt: sic etiam homines vniuersi, ab Oriente, id est, per natiuitatem intrant in mundum, quamuis ibi aliquamdiu rutilent, & clarescant, necesse est tamen, quòd tandem ad Occasum mortis, alij tardiùs, alij citiùs, secundùm cursum durationis, quam à DEO acceperint, veniant, decidantq;, & à mundi aspectibus se se subtrahant, & recedant. Quòd si in cælo signa sunt interitus, cur non etiam in terra passim occurrant signa mortalitatis? *Vt nemo miratur, liquefactum, quod potuit liquescere;* ait Plutarchus, *sectum, quod erat sectile; exustum, quod erat exustibile: ita mirandum non est, mortuum esse, qui erat mortalis.* Mortale autem est, quidquid sub sole est.

Plutarch. in Moral.

VI. Hinc & marmora rumpuntur, & saxa dissiliunt, & ipsum æs non ita perennat, vt non tandem rubigine exedatur. Neque palatia vlla, aut turres vllæ ita fuerunt firmæ, vt non tandem senescant, & fatiscentes collabantur. Quin integræ vrbes sua fata ferunt, & ibi aratur, vbi ante Principes Regesque habitauerunt. *Omnes, quæ vsquequaq; ponuntur, vrbes, vbi fuerunt, aliquando quæretur*, ait Seneca, *& vano excidij genere tollentur. Alias destruent bella, alias desidia, paxq; ad inertiam versa consumit, & magnis opibus exitiosa res luxus.* Bello destructa est Sichima, quam cepit Abimelech, destructaque est ita, *vt sal in ea dispergeret.* Pari modo; post quatuordecim annorum obsidionem, euerterunt Numantiam Romani. Nam P. Africanus duos terrores Imperij Romani, etiam Carthaginem deleuit. Quod & decantatæ illi Troiæ accidit. Si de luxu quæramus, Pentapolis sit exemplo, & incendium Sodomitarum, vbi omnis humo fumat terra. Hæc cadauera vrbium, & tot mœnium cineres, quid aliud clamant, quàm & homines casuros, morte decinerandos?

Senec. ep 71.

Iudic 9. 45.

Flacc. lib. 2.

Cic pro Muræna.

VII. Quòd si in vrbes ipsas ingrediamur, quot non occurrent occasiones mortis animo recolendæ? Ipse Saluator *cùm appropinquaret portæ ciuitatis* (Naim) ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ, & hæc erat vidua: & turba ciuitatis multa *cum illa.* Triplex mortis admonitio: defunctus filius; vidua, cuius maritus fuerat defunctus; & populus defunctum pullatis vestibus lugens. Itaque quotiescumque funus nobis; aut vidua,

Luc. 7. 12.

vel

vel viduus; vel quispiam longo pallio atratus; aut quædam femina peplo velata occurrit, mortis nuntium nobis occurrere existimemus. Nec mortuos, aut mortuorum comites occurrere est necesse, viui vegetique nos satis commonent mortis venturæ. Ingressus quidam ciuitatem haud incelebrem, cōspexit ad ipsum ingressum pro foribus proximæ domûs tres mulieres ad colum considentes, & fusum torquentes, illicò ad socium suum conuersus dixit: *Ecce tres Parcas. O quæ, aut quando meæ vitæ filum abrumpet!* Neque sanè abs re. Siquidem viri eruditi tradunt, (Pier. Valer. lib. 48.) colum atque pensa, staminibus abruptis, mortis continere significationem, ex fabula Parcarum, quarum, apud Poëtas, munus est, suum vnicuique rei finem præscribere. Quin & Iob ipse similem videtur voluisse cogitationem, cuius hæc vox erat: *Dies* (Iob. 7. 6.) *mei velocius transierunt, quàm à texente tela succiditur.* Neque opus est, circuire per plateas: ipsæ domus aspicienti mortuos & mortes ingerunt. Nam si quæras, quis hanc, quis illam ædem extruxerit, paucas nouas inuenies, veterum autem ferè omniū ædificatores dicentur esse mortui. Enimuerò, qui decem, vel viginti annis à patria sua abfuit, quàm paucos redux inueniet, qui eum nôrint, aut quos ipse nôrit? Si quærat, vbi est iste? vbi ille? vbi tertius? vbi quartus? ad cœmeterium ablegaberis, vt in tumulo eum quæras iam dudum sepultum. Nimirum. (Ouid. ad Liuiam.)

Tendimus huc omnes, metam properamus ad vnam:
Omnia sub leges mors vocat atra suas.

VIII. Quid, quòd neque in epulis deest tempus, aut locus de morte cogitandi? Cæsaribus certè ipsis, & Principibus nō defuit; qui inter conuiuiorum lautitias & lætitias, mentionem mortis inijcere non dubitarunt. Iulius Cæsar, cùm inter cœnandum (Plutarch. in apoph.) ortus esset sermo, *quod genus mortis esset optimum?* incontanter respondit, *inopinatum.* Et, quod optimum iudicauit, ipsi contigit. Respondit scilicet, vt homo Ethnicus, de anima ad mortem parata non solicitus: ob quam curam Christiani orant, *A subitanea & improuisa morte, libera nos Domine.* Interim ex eo ipso Iulij Cæsaris responso discimus, sermonem, memoriamque de morte, ipsis Principum mensis non fuisse inconsuetam. Apud Ægyptios, inter pocula, circumferebatur scéletus, hoc (Herodot. lib. 2.)

est, corporis ossea dumtaxat compage extantis effigies; seu cadauer ligneum, aut etiam argenteum, vel etiam cerea imago, aut laruæ; quas vocabant oscilla, & in medium conuiuium jaciebant, è quibus Rex conuiuij figuras exprimebat, & maximè signum mortis, sed quàm proximè ad verum effictum. Caussam alij aiunt fuisse memoriam Mancrotis, Isidis (vt aiunt) alumni, quem annis innocentibus immaturâ morte fata præripuerunt. Alij scribunt, eum, qui scéletum circumtulit, ostendisse illud simulachrum singulis, ac dixisse: *In hunc intuens, pota, & oblecta te, talis post mortem futurus.* Et dubium est, quo animo id fecerint, vtrùm vt moderatiùs fruerentur epulis, voluptatibusque, condicionis suæ memores: an auidiùs licentiosiusque, vtpote mox abituris; quasi dicerent, *Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas*: & sicut illi, quorum vox est: *Comedamus & bibamus: cras enim moriemur.* Meminit huius moris, in Satyrico etiam Petronius; qui versus ad hoc spectaculum cantatos affert istos:

Vide Turnebum. lib. 7. c. 20. & l. 20. c. 24. Delriũ in Senec. Hippol. act. 2. Pamelium in Tertull. de pallio. cap. 1. n. 18.

Esa. 22. 13.

Eheu nos miseros, quàm totus homuncio nil est!
Sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus.
Ergo viuamus, dum licet esse benè.

Hæc est conclusio impiorum, & nihil in futura vita sperantium.

IX.

Aliud, morte considerata, statuunt ventura prospicientes, nam, dum lucem habent, bona volunt operari, &, post mortem quia sciunt aliam superesse mortem, contremiscunt. Quid ni Numinis cælestis sententiam magis formidarent, quàm quidam leguntur terreni Principis arcana consilia formidasse? Xiphilinus est author, Domitianum aliquando Senatorum primoribus, atque alijs equestris ordinis viris conuiuium in eum modum fecisse, vt funebrem cœnam non posset funestiùs extruxisse. Ædes enim jussit apparari, vndique ex omni parte tristissimas. Erant atra laquearia, parietes, pauimentum, & sedes, mensæque adeò ipsæ nigro panno integebantur. Quibus rebus ita paratis, conuiuas de nocte introduci jussit, famulis, comitibusque cunctis destitutos. In Tænarum se ingredi arbitrabantur. Vbi accubuerunt, juxta vnumquemque columnam collocauit, factam instar sepul-

Xiphilin. in Domitiano.

sepulchri, in qua nomen eius ascriptum erat, pendebatque de ea lychnuchus paruus, vt assolet in monumentis. Proserpinæ conuiuium dixisses. Ita illis sedentibus, pueri vestibus exuti, sed atramento obliti, tamquam Acherontica quædam spectra, ingressi sunt, hospitesque horribili saltationis genere, taciti silentesque circumiêre. Choro lugubri absoluto, ante conuiuantiũ pedes constitêre. Vno verbo, omnia, quæ in exequijs mortuorum adhiberi aliàs solebant, in vasis eis apposita sunt. Cœna interim, sine clamoribus, magno cunctorum silentio peragebatur, vt qui timore pęnè exanimati essent. Vtque metus augeretur, Domitianus solus verba faciebat, neque aliud, quàm de ijs, quæ ad mortes & funera pertinebant, loquebatur. Quem sensum tunc senatoribus fuisse putemus? nonnè in ea cœna mortis memoria & imago fuit accuratè expressa? Non sapiunt lautitiæ, vbi tales sunt scenæ.

Sed sine eiuscemodi theatrali apparatu alij Principes, Re- X.
gesque, immò & tyranni ipsi, inter epulandum, mortis meminerunt. Damocles Philosophus assentator, vt Cicero, in Tusculanis, refert, cùm Dionysij Syracusani tyranni potentiam & opes extolleret, beatamque diceret eius vitam, in tanta rerum opulentia; Dionysius eumdem perendie vocauit ad cœnam, gladiumque seta ligatum supra caput eius appendi iussit. Quo ille statim intra cœnam conspecto, præ nimio superemimentis periculi metu, regalibus mensis abstinuit. Hoc pacto Dionysius tyrannos viuere, ac inter magnificos apparatus, imminentibus periculis cruciari, significauit. Ostendit igitur, qualis tunc Damoclis, sub stricto ense, cœnantis cogitatio esset, talem esse quotidie tyrannorum, mensæ accumbentium. Numquam enim sunt securi, an aliquis vel ferro, vel veneno illis mortem machinetur. Semper itaque, vel epulantes mortis memoriam habent ante oculos collocatam.

At neque gladio è laquearibus suspenso opus est, qui eden- XI.
tes, & bibentes imminentis mortis admoneat. Quidquid sit, quidquid apponitur in mensa, est quoddam mortis monimentum. Neque jam de illis Religiosis loquar, quorum mos est, clepsydram in mensa ponere, proprium Symbolum mortis, cuius

cuius hora, omni hora expectanda eſt. Seneca Ethnicus hoc pacto mortem conſiderauit: *Quemadmodum clepſydra*, inquit, *non extremum ſtillicidium exhaurit, ſed quidquid ante defluxit: ſic vltima hora, qua eſſe deſinimus, non ſola mortem facit, ſed ſola conſummat.* Siue ergo horam cœnæ, ſiue moram vitæ clepſydra metiatur, ſemper eſt mortis monimentum. Enim verò & principium, & finis menſę, & omnia, quæ in menſam inferuntur, poſſunt nos, ac debent admonere de noſtra mortalitate. Cur enim accumbimus, niſi vt vires reſtauremus, lapſuras & morti ceſſuras, niſi reficerentur? Rurſum, quoties eſt finis menſæ, toties in mentem quibuſdam venit, fore etiam finem vitæ, quo ceſſabit comedendi & neceſſitas, & poteſtas. Iam ſi ad ea oculum dirigamus, quæ menſis imponuntur, quid aliud aptiùs occurrere poteſt, quàm memoria mortis? Vitrum manu tenes? vita tua fragilior eſt vitro. Nam ſi vitrum diligenter aſſerues, ſponte numquam diſſiliet. Serua te, quàm diligenter cumque potes, ſponte fatiſces, nemine tibi crus, aut ceruicem frangente. Bellè Bobadilla noſter, cùm in menſa magnatis cuiuſpiam ſcyphus cryſtallinus, magno pretio elaboratus, per imprudentiam frangeretur, dixit:

Senec. ep. 24.

Res tanti ſteterat, tamq; caduca fuit?

Quoties, inter conuiuandum, euertitur poculum, effunditur vinum, in omen vitæ noſtræ ſic effundendæ? Propinationes autem ipſæ crebriores, & hauſtus ſanitatum, quid aliud volunt, quàm alios vino ſepelire? immò etiam reipſa, & terrâ? Ita enim loquitur S. Ambroſius: *Vocatis vt amicos, dimittitis vt inimicos: quantò meliùs in terram tua vina fudiſſes? Quid te delectant damnæ ſine gratia? rogans ad iucunditatem, cogis ad mortem.* Non opus eſt veneno ad alterum interficiendum, vino id fieri poteſt, ſi id eſt nimium. Herculem, comminiſcuntur Poëtæ, cymba pro ſcypho, & ſcypho pro cymba vſum fuiſſe, vt per Stygem ad inferos nauigaret; heu quàm multi ex hac fabula hiſtoriam faciunt! veriſſimè enim per ſcyphos ad Tartara vehuntur. Atque vt conſtet, eos ex lethęo flumine bibiſſe, altero die, quid in conuiuio dixerint, aut fecerint, non recordantur. Iam à potu ad cibum tranſeamus. Quidquid comedimus, vixit. Vixerunt herbæ;

S. Ambroſ. lib. de Elia, cap. 14.

bæ; vixit frumentum; vixit bubula; vixerunt capones & gallinæ; vixit ceruina, & aprugna caro; vixerunt perdices & phasiani; vixerunt pisces & omnis generis aues. Hæc omnia occisa sunt, vt homines viuerent mortibus aliarum creaturarum. Quid autem hoc aliud est, quàm etiam inter esculenta & poculenta, memoriam mortis refricare? Itaque dum ficedulam, alaudam, turdum comedis, puta tibi has aues oscines esse, & mortem occinere. Sicut enim tu illas, tui caussa interemptas, hodie degulas; ita te quoque Mors cras, aut perendie deuorabit. Tales cogitationes existimo etiam Iobo pransuro incidisse, qui illud non frustra dicebat: *Antequam comedam, suspiro.* Iob. 3. 24.

XII. At quid opus est, extra hominem, & in conuiuijs quærere memoriam mortis, quam in nobis ipsis circumferimus? Quoties vel spiramus, vel suspiramus, mors ipsa ad aurem nos admonet, venturum aliquando tempus, quo expiremus. Apud Iobum, vbi legimus: *Ventus est vita mea*, legunt Septuaginta: *Spiritus est vita mea*, quod Græci pro respiratione, & Spiritu, quem ducimus, accipiunt, non solùm, quòd flatu, & respiratione videatur humana vita, in prima sua origine constitisse; nam afflatus est spiritus in naribus hominis, cùm *spirauit in illum* DEVS, *spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Sicut ergo spirando Creator noster vitam nobis inspirauit; ita nos eamdem expiramus. Expiramus autem, non tantùm, quando animam vltimò efflamus, sed quoties spiritum, quem attraximus respirando reddimus. Quod quia singulis ferè fit momentis, semper occasionem habemus de morte cogitandi: nedum singulis diebus, de quibus ita loquitur Philosophus: *Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ; & tunc quoque, cùm crescimus, vita decrescit. Infantiam amisimus; deinde pueritiam, deinde adolescentiam: vsque ad hesternum, quidquid transit temporis, perit. Hunc ipsum, quem agimus diem, cum morte diuidimus.* Qua de caussa Persij admonitum est:

Iob. 7. 7. — Gen. 2. 7. — Sen. ep. 24. — Pers. sat. 5.

Viue memor lethi: fugit hora: hoc, quod loquor, inde est.

Quoties ergo horologij sonitu nobis indicatur hora, sciamus, etiam illam horam de vita nostra decessisse. Quod faciebat Carolus V. qui annulum gestabat, in quo pro adamante, horo-

logium

logium erat, à quo singulis horis admonebatur cogitare, quod quaque hora S. Theresia sponte & cogitabat, & dicebat: Iam vnâ horâ vicinior sum patriæ, vicinior æternitati. Idem nobis in mentem venire debet, quoties horam vel videmus, vel audimus de vita nostra decessisse. Immò quoties ambulamus, existimemus nos singulis passibus morti factos esse propinquiores. Hoc insignis ille Idiota docuit, qui cùm dixisset, *vitam nostram comparari vmbræ, quæ semper sequitur corpus*, subjunxit: *Nec aliud est vita nostra, quàm cursus ad mortem. Et quamuis homines laborent, vt diu viuant, nihil tamen est aliud viuere, quam ad finem currere. Quare ipsi ambulant, quò peruenire nolunt; ac currunt voluntarij ad terminum, quem refugiunt.* Quin homines siue se ferro arment, siue vestibus ornent, tam in telis, quàm in velis, mortis memoriam circumportant. Quid enim aliud sunt gladij, hastæ, pugiones, & sagittæ, quàm, vt Scriptura loquitur, *vasa mortis?* Enimuerò, in diuinis litteris, framea atque alia telorum genera, pro hieroglyphico mortis habentur; nec aliud, quàm mors intelligitur illo loco Psalmi: *Erue à framea, Deus, animam meam;* teste Pierio; qui etiam obseruat, apud Scythas (qui multa Ægyptiorum more, à quibus instituti sunt, finxerunt) *gladium* fuisse mortis symbolum. Quorsum enim arma gestãtur, nisi ad occidendum? Quòd si autem vestes hominis intueamur, ad quid eæ induuntur, nisi partim honestatis, partim defensionis gratia? Multi enim tegumentis destituti, frigore perierunt. Quin immò calceos tuos intuere, etsi vel sicionia sint, & Adonidis cothurni, tamen corium sunt ex mortuo animali. Ipsę exuuiæ leonis, quas sibi Hercules circumdedit, quid aliud sunt quàm belluæ pellis, & belluæ ab homine interfectæ? Qualem etiam ouibus demptam Devs primis parentibus injecit: siquidem fecit *Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos*, vt aspecto amictu suo mortis recordarentur.

Idiota lib. de contempl. mortis.

§. 14.

Psal. 7. 14. Pier. Valer. lib. 42.

Psal. 21. 21.

Gen. 3. 21.

XIII.

Vno verbo, siue vigilet homo, mortis caussa vigilare jubetur, quia nescit, *quâ horâ Dominus venturus sit;* siue dormitum eat, illud vel à Poëta audit sibi insusurrari,

Ouid. lib. 6. de arte el 9.

Infelix, tota quicumq; quiescere nocte
Sustinet, & somnos præmia magna vocat.

Stulte,

Stulte, quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago?
Longa quiescendi tempora fata dabunt.

Virgil. lib. 6. Æneid.

Et alius Poëta ait: *pressitq; iacentem*
Dulcis & alta quies, placidæq; simillima morti.

Quam similitudinem vt exprimerent ijdem vates, haud inscitè finxerunt somnum esse mortis fratrem.

Volucer matris genus Astreæ,
Frater duræ languide mortis,

Senec. in Hercule furen. act. 4.

ait ille. Hinc est illud Sinopæi Cynici, qui, cùm esset vicinus morti, & præter solitum somno premeretur, medicusque ipsum subinde expergefaceret, ac dehortaretur: *Ne mireris*, inquiebat, frater fratrem anteuertit; vt memorat Laërtius, apud quem etiam Secundus Philosophus ab Adriano Imperatore interrogatus, *Quid esset mors?* Respondit: *Æternus somnus, dissolutio corporum, diuitum pauor, pauperum desiderium, ineuitabilis euentus, incerta peregrinatio, latro hominis, somni pater, fuga vitæ, viuorum discessio, resolutio omnium.* Cetera sunto. Est mors somnus, sed *non æternus.* Veriùs ergo à Ioan. Dugone Philonio dictum est: *Si rem exactiore pensites iudicio, nihil aliud est mors corporũ nostrorũ, quàm somnus diuturnior solito. Neq; tamen diutiùs, quàm ad nouissimum* CHRISTI *aduentum duraturus. Hoc nomine sacræ litteræ, quos alij, vulgari more, mori, & mortuos, ipsæ dormiturire, ac dormientes dicere solent. Cuius rei non ignarus, bono esse debes animo. Cubitum eo, non occubitum. Non interit, qui rediuiuus aliquando resurgit.* CHRISTVS *Author est nobis benè sperandi: exemplo suo docens, vt, quemadmodum ipse corporis mortem passus, resurrexit, ita & nos resurrectionis futuræ spem certam habeamus.*

Ioan. Dug. in Tiliano, vel scientia benè morata.

XIV.

Ne autem excusationem habeamus, si dicamus obliuionem mortis non permittere, vt in nosmet ipsos mentem reflectamus, ecce totus Mundus est præco mortis. *Xerxes ille magnus Rex*, ait S. Hieronymus, *potentissimusq;, qui subuertit montes, maria constrauit, cùm de sublimi loco infinitam hominum multitudinem, & innumerabilem vidisset exercitum, fleuisse dicitur, quòd post centum annos nullus eorum, quos tunc cernebat, superfuturus esset. O si possemus super talem ascendere speculam, de qua vniuersam terram sub pedibus cerneremus! iam tibi ostenderem totius Mundi ruinas, gentes gentibus*

S. Hieronym. ad Heliodorum.

gentibus, Reges Regibus, Regna Regnis collisa. Alios torqueri, alios necari, alios absorberi fluctibus, alios in seruitutem trahi. Hic nuptias, ibi planctum; illos nasci, istos mori; alios affluere diuitijs, alios mendicare. Et non tantùm Xerxis exercitum, sed totius Mundi homines, qui nunc viuunt, in breui spatio defuturos. Vincitur sermo rei magnitudine, & minus est quod dicimus. Redeamus igitur ad nos, & quasi è cœlo descendentes paulisper nostra videamus. Sentis, obsecro te, quando infans, quando puer, quando senex factus sis? Quotidie morimur, quotidie commutamur, & tamen æternos nos esse credimus. In nos ipsos ergo redeamus, & in rebus omnibus, quod caducum est, caducum esse agnoscamus.

XV. Tot nobis occasiones mortis contemplandæ offert DEVS, tot natura ipsa; quia ex hac contemplatione veri efficimur Philosophi, veri Christiani, veri DEI serui. Hæc enim meditatio, nos nobismet ipsis proponit cognoscendos: hæc fastum & superbiam nostram deprimit, ne nos, supra quàm sumus, efferamus terræ filios, & in terram reuersuros: hæc efficit, ne rebus caducis & fluxis, quæ aliquando deserendæ sunt, adhæreſcamus: hęc monet, vt peccata in ipsis miserijs nostris defleamus: hæc impellit, vt quid post hanc vitam futurum sit cogitemus: vno verbo, hæc caussa est, vt in omni negotio, loco, hora vigilemus, & expectemus Domini nostri aduentum. Quòd si vel memoria mortis tantas parit vtilitates; dubium non est, ipsam quoque vtilem mortalibus esse. Nam omnes è corpore, velut ex carcere emittit; omnes liberat vitæ huius calumnijs & calamitatibus; omnibus beneficium præstat, impijs quidem, ne peccata peccatis cumulando, maiora in inferno tormenta patiantur; probis autem & DEVM timentibus, ne ampliùs DEVM possint offendere. *Mortem*, ait S. Gregorius Nazianzenus, *vt peccati præcisionem homo elucratur, ne malum immortale esset. Ita pœna ipsi in misericordiam cessit.* Quid multis opus est? Per mortem tenditur ad vitam. Ita pariter, per mortem, & satisfit naturæ humanæ, & diuinæ justitiæ misericordiæque. Si *oportuit pati* CHRISTVM, *& ita intrare in gloriam suam*, cur seruus CHRISTI recuset per eamdem viam ambulare? *Nimis faciles sumus ad accusandam naturam*, ait Petrarcha, *nemo deflet, quòd nascitur: nemo, quòd viuit:*

S Gregor. Naz. orat 38.

Luc. 24. 26.

Petrarch, ep. 19. de reb. famil.

at quòd egestatem sentit, quòd labores patitur, quòd senescit, quòd ægrotat, quòd moritur, quisq; conqueritur, quasi secundùm naturam minùs ista, quàm illa sint: & nasci & viuere, & comedere & esurire, & dormire, & mori naturalia sunt, vt nemo his mortalium vacet, nisi cui fortè senescendi necessitatem, laborumq; molestias & ægritudinum, necessitas mortis præcipitata remiserit. Quid igitur inutiles querelas effundimus? an quia nobis solis ista contingunt, solis nobis lugere permisimus? an quia omnibus cunctorum simul in nos lamenta transfundimus, & veluti humani generis procuratores, naturam accusamus immeritam? Odiosum sanè negotium & importunum: illa enim mitissima, nos beneficia eius per impatientiam exacerbauimus, in parentem optimam ingrati, in nosmetipsos impij.

CAPVT XLV.

Ratione Loci, in quocumque quis moriatur, neminem conqueri posse. I.

TRia potissimùm circa Mortem in quæstionem venire possunt, Locus, Tempus, Modus moriendi. Locus quidem, vt sciatur, cur aliqui domi, in patria, atque inter suos, alij foris, apud alienos, & ignotos, ex hac vita migrare cogantur: Tempus autem, vt cognoscatur, quare alij in infantia, in juuentute alij, alij in sera ætate moriantur? Modus duo inuoluit, vnum ex parte corporis, ex parte animi alterum. Primum varia genera mortium, secundum diuersa genera tentationum complectitur. Ad locum morientium quod attinet, non est profunda quæstio. Nam quòd aliqui peregrè, aliqui in patria; quidam sub tecto, quidam in plateis & medio foro è viuis excedant, quidam in munitis, quidam in apertis locis & campis vltimum diem claudant, Mortis jus est, à quo neminem Natura excipit. Si vllus in Mundo locus esset à Morte immunis, omnes eò vellent confugere, quantumcumque distaret. In Paradiso talis locus fuit; sed illa immunitas non tam ad locum, quàm ad
arboris fructum pertinebat. Quare postquam mortis reus factus Gen. 3. 22.
est Adam, ex eo loco expulsus est, dicente Domino: *Ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat*

in æternum. Ejecitq; Adam, &, ne postliminiò reuerteretur, collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atq; versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ. Reliquus totus Mundus exilium Adami fuit, in quo, tamquam proscriptus, Mortis potestati traditus fuit, contra quam nullum vel illi, vel posteris eius asylum datum est. Nulla vrbs tam munita, nulla mœnia tam firma, nulla turris tam alta est, vt Mors longis suis cruribus ascendere non possit, & domino eius fatale telum infigere.

II. Est quidem vna terra alterâ melior, vna aura alterâ salubrior, vnum cæli clima altero præstantius, atque hæc sanè faciunt ad sanitatem, quin & ad vitam prolongandam; nequaquam tamen ad consequendam immortalitatem. Quamobrem rectè Martialis de Curiatio Tiburtinum cælum quærente scripsit.

Martial. li. 4. Epigr. 60.

Ardea solstitio, Pæstanaq; rura petantur,
Quiq; Cleonæo sidere feruet ager.
Cùm Tiburtinas damnet Curiatius auras,
Inter laudatas ad Styga missus aquas.
Nullo fata loco poßis excludere: cùm mors
Venerit, in medio Tibure Sardinia est.

Sicut enim saluberrimus locus est Tibur, ita Sardinia mediterranei maris insula notata est à veteribus ob cæli grauitatem. Qua de caussa Tacitus narrat, sub Tiberio Senatusconsultum fuisse factum; *vt Iudæorum & Ægyptiorum quatuor millia in insulam Sardiniam veherentur, qui si interijssent, ob grauitatem cæli, facilem jacturam, & vile damnum futurum.* Quò alludit & Suetonius his verbis: *Iudæorum iuuentutem, per speciem sacramenti, in prouincias grauioris cæli distribuit.* Graue cælum est, vbicumque quis moriatur. Nec sequi mortem, necesse est; nec vtile, fugere, nisi vbi contagio suadet esse fugiendam; & neque tunc quidem mortem euades insidiantem; hinc Poëta dixit:

Tacit. lib. 2. Annal.

Sueton. in Tiberio. c. 36.

Nec quamuis fugias ad Tanaim, effugies.

quia vbicumque tecum circumfers tuam mortalitatem.

III. Quòd si igitur vbique terrarum homines tandem mors inuenit, quid refert, vbi inueniat? Philosophicè Diogenes, lugente

Ant in Meliss. part. 1. serm. 58.

gente quodam, quòd in peregrina terra moriturus esset, dixit:
Quid luges, ô stulte? Vndecumq; eadem est via ad sepulchrum. Quæ-
uis terra idonea est, ad cadauer tegendum. Idem responsum
aptari potest, seu pius quis fuerit, seu impius. Si pius, cogitet,
vndecumque eamdem esse viam ad cælum: si impius, sciat, *vnde-
cumque eamdem esse viam ad Orcum.* Ast aliud est, decedere do-
mi, inter suorum manus, & auxilia, aliud inter peregrinos &
exteros? Aliud prorsus est, sed fortasse mereris, ad tuos non re-
uerti: fortasse tui merentur te ampliùs non videre. Fortasse ti-
bi & illis vtile est, vt inter ignotos moriaris: quia si parùm ho-
nestè moreris, & tuo pudori consulitur, & tuorum; certè cog-
natis & amicis tuis mitior plaga infligitur, si te non videant in
oculis suis morientem; minùs enim feriunt vulnera venientia
à longè; quia tempore ipso & morâ languescunt. Mittuntur
multi foras, vt discant vanitatem, occumbunt igitur foris, vt
luant vanitatem. Multi domi & mortales, & immortales offen-
dunt, contingit illis igitur illud: *Et eiecit eos de terra sua in ira,* Deuter. 29.
& in furore, & in indignatione maxima, proiecitq; in terram alienam. 28.

Quamquam ea est varietas ingeniorum, vt quod vni est IV.
exilium & pœna, alteri sit gaudium & patria, hinc delectabilis
est illis peregrinatio, & sicut cochleæ semper domum suam se-
cum circumferunt, quia vbique sunt domi. Enimuerò Demo- Stob. serm.
critus, quamlibet terram homini sapienti peruiam esse dicebat: 38.
animæ namque fortis vniuersus mundus patria est. Vbique ergo
libenter, & tamquam in patria viuit. Quid ni igitur vbique li-
benter & tamquam in patria moriatur? cùm præsertim ipsa illi
patria exilium sit. *Quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur* 2. Cor. 5. 6.
à Domino. In quem modum Seneca ait: *Patriam meam transire* Senec. de
non possum omnium vna est, extra hanc nemo proijci potest. Non pa- Remed. Fort.
tria mihi interdicitur sed locus. In quamcumq; terram venio, in meã Plut. lib de
venio, nulla exilium est sed altera patria est. Patria est, vbicumq; be- exilio.
ne est. Illud autem, per quodcumq; bene est, in homine, non in loco est. Cic. lib. 5.
Si enim sapiens est, peregrinatur; si stultus, exulat. Hercules certè Tuscul. qq.
interrogatus, Argiuusne esset, an Thebanus? respondit: *Non* Plutarch. in
vnam curo patriam iactare: omnis Græcia mihi patria est. Simili Lacõ. Apophthegm.
sensu Socrates, apud Ciceronem, rogatus, cuiatem se esse dice-
ret?

ret? mundanum se esse pronuntiauit, totius enim mundi se incolam & ciuem arbitrabatur. Cui subscribens S. Gregorius Nazianzenus orat. 28. dixit: *Nobis omnis terra, & nulla terra patria est.* Adde quòd quibusdam sit magis gloriosum extra patriam & viuere, & mori. Alexander, in Olympijs præconio jus fecerat omnibus exulibus in suam cuique patriam redeundi, præterquam Thebanis: Tum Eudamidas, *Infortunatum*, inquiebat, *præconium, sed vobis, ô Thebani, gloriosum. Solos enim vos metuit Alexander.* Ad consolandos Thebanos, sic interpretatus est vir animi solertis. Etenim qui permittit exulibus reditum in suam patriam, non metuit, ne moliantur vindictam. A Thebanis igitur solis metuebat. Si Thebanis gloriosum, extra patriam mori, cur non & Christianis? præsertim si patriam pro patria relinquant militando; aut multò magis Euangelium dissemi-
Matth. 19. 29. nando? Nam his dictum est: *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam aeternam possidebit.*

V. Qui autem Apostolorum vult esse imitator, de quibus di-
Psal. 18. 5. citur: *In omnem terram exiuit sonus eorum*, quò longiùs à patria sua proficiscitur, eò Christi nomen prædicando clarior euadit. Ignis instar vehementer ardentis erumpere cuperet, si in angu-
Laërt. lib. 6. stias includeretur. Quem in modum etiam Diogenes, cuidam per conuitium dicenti, *Sinopenses te exilio damnarunt*, *Ast ego*, inquiebat, *illos mansione*, significans se, quòd solum vertere juberetur, nihilo infeliciorem esse his, qui in patria mortem expectarent, nec exilium æquo animo pati possent. Non minùs enim miserum est, manere domi coactum, quàm coactum esse, foris exulare. Philosophus, cui quæuis terra patria est, si jubeatur ire exulatum, vnius tantùm ciuitatis exul est. At qui nusquam potest vel viuere, vel mori, nisi in patria, plurimarum regionum exul est. Itaque ex Plutarchi sententia, Diogenes mutarat patriam, nempe Pontum, & extremi Euxini littora, sed in melius; siquidem infelici alicui regioni ascripti potiùs censendi sunt exulare. Præstat igitur non astringi patriæ, præsertim calamito-
Erasm. lib. 6. sæ. Qua de caussa argutè Stratonicus Musicus Seriphi agens,

hospitem

hospitem suum percontatus est, ob quam caussam illic homines Apophtheg. ex Plutarcho.
juberentur vertere solum? cumque ille respondisset, *Flagitiosos,*
apud Seriphios exilio mulctari: *Quin tu*, aiebat, aliquid flagitij
committis, vt ex his loci *angustijs emigres?* notans regionem esse
incommodam, & oppidum frigidum. Tantum abest, vt sit mi-
serum, extra patriam vel viuere, vel mortem præstolari, etiam,
vt sæpe contrarium sit calamitosum. VI.

Et quid verò amittitur, si quis extra patriam mortem op-
petat? Solatia, an lamenta amicorum? Bis moritur, qui morte
sua videt etiam amantes suos occidi. Quid ergo amittitur, extra
patriam? an virtus? an diuitiæ? an bonus aër? Nequaquam.
Sæpe hæc etiam alibi augentur. Itaque Stilpo cuidam noxium Stobæus serm. 39.
esse exilium affirmanti, respondisse fertur: *Quibus tandem, &*
qualibus bonis priuat exilium, animine, an corporis, an fortunæ? An
judicandi, agendiq; dexteritatem, aut felicitatem aufert? haud sanè.
An fortitudine, justitia, aut alia quapiam virtute priuat? Ne id qui-
dem. Sed nec vllo fraudat corporis bono. An non æquè licet in aliena
terra benè valere, viribus pollere, acutùm cernere, & audire acutè;
interdum verò multò magis, quàm si in sua terra quis maneat? For-
tuna verò bonis exilium neminem exuit. An non visum est, multos
tum demum, cùm exules sunt facti, potitos fortunæ bonis splendidio-
ribus? vt Phœnix, Themistocles. Hic enim, teste Plutarcho, cùm Plutarch. in Apophtheg.
pulsus primùm Athenis, & mox tota Græcia, venisset ad Persa-
rum Regem, ditissimus ab eo factus est. Quare magnifica dona,
quibus à Rege honoratus erat, intuens dixit: *O pueri! periera-*
mus, nisi perijssemus. Sicut ergo multis feliciter cessit, etiam te-
staceum flagellum, seu ostracismo in exilium ejectis, extra pa-
triam viuere, ita & mori procul à suis vtile fuit; sic fortasse sal-
uantur, qui domi perijssent.

Patriâ igitur carere non est malum, quia forti viro omnis VII.
locus patria est: immò sæpe bonum est, etiam eo nomine, quia
multi domi ea carent & libertate, & authoritate, qua pollent
foris. Hinc *Socrates*, teste Gellio, *non stultè exilij libertatem, do-* Gell. l. 13. c. 57
mestica seruituti anteposuit. Et de authoritate loquens Dominus
ait: *Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua.* Matth. 13. 57.
Quod alius Euangelista subiunctum esse testatur illis verbis: *Vti-*

que

que dicetis mihi hanc similitudinem: Medice, cura te ipsum: quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. Sed respondit, morem esse, vt plerumque homines, & hominum facta domi non sint accepta, immò contemnantur, quæ alibi sunt grata & meliùs collocantur. Quod etiam confirmat duobus exemplis, dum ait: *In veritate dico vobis, multa viduæ erant in diebus Eliæ in Israël, quando clausum est cælum annis tribus, & mensibus sex, cùm facta esset fames magna in omni terra: & ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ, ad mulierem viduam. Et multi leprosi erant in Israël sub Eliséo Propheta, & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.* Quemadmodum ergo olim propter Iudæorum incredulitatem, neq; Elias ad vllam Iudæam viduam missus fuit, neque Eliséus vllos Iudæorum leprosos curauit, ita neque ipse Christus voluit in patria homines tunc curare; miracula enim illius maiorem habuerunt, apud exteros, fidem atque authoritatem. *Cur igitur*, inquit in eum locum S. Ambrosius, *non curabat fratres, non curabat ciues, non sanabat Propheta consortes; cùm sanaret alienos sanaret eos, qui obseruantiam legis, & religionis consortium tum habebant; nisi quia voluntatis est medicina, non gentis, & diuinum munus votis eligitur, non naturæ jure defertur? Disce, Christiane, rogare, quod cupias impetrare; fastidiosos viros cælestium profectus munerum non sequuntur.* Multorum quoque aliorum insignium virorum familiaritas gignit domi fastidium; notitia, apud alienos admirationem.

Luc, 4. 25.

VIII. Verum est, non solùm nobis nati sumus, ortusque nostri partem patria vendicat, partem amici; & quidam dicebat, *Patria nihil dulcius, nihil charius in vita esse debet. Nullus locus est domestica sede iucundior. Chari sunt liberi, propinqui, familiares: sed omnes omnium charitates patria vna complexa est, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus?* Ita planè est, & nonnullis solatium est, in suorum manus animam effundere: atque cum suis maioribus sepeliri. Quod petiuit & Ioseph, & pater eius Iacob, cui magno solatio fuit, habere præsentes filios, illisque vltimùm valedicere. Sed sæpe etiam Deus amicissimis suis hoc beneficium non concedit, vt maius largiatur. Vnde dixit ad Abram: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de do-*

Gen. 50. 24.
Gen. 49.
Gen. 12, 1.

mo patris tui, & veni in terram, quam monstrabo tibi. Faciamq; te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisq; benedictus. Euocatus igitur Abram e patria sua Chaldæa in Chanaan, hoc est, è media Chaldæorum infidelitate, varias benedictiones est consecutus. 1. Factus pater & princeps magnæ gentis, instar stellarum, & arenæ maris multiplicatæ: *Faciam te in gentem magnam.* 2. Frugum diuitiarumq; copia: *Et benedicam tibi.* 3. Nominis celebritate & gloria: *Et magnificabo nomen tuum.* 4. Complexione omnium bonorum: *Erisq; benedictus.* 5. Etiam benedictione amicorum: *Benedicam benedicentibus tibi.* 6. Maledictione inimicorum: *Maledicam maledicentibus tibi.* 7. Omnium gentiũ benedictione: *In te benedicentur omnes generationes terræ,* Gal. 6. 16.
quia ex te descendet CHRISTVS, in quem credentes omnes gentes justificabuntur, fientq; amici, & filij DEI, indeque hæredes regni cælestis. Ita enim Abram per CHRISTVM Filium suum pater factus est omnium fidelium & electorum. Quæ est spiritualis & maxima benedictio. Has omnes benedictiones consecutus est Abram, quia, DEO vocante, exiuit è patria sua, de Vr Chaldæorũ.

IX.

Similes benedictiones vidimus multas in ijs, qui ne hæretici fieri cogerentur, exierunt de patria sua, vel ad illam non redierunt, alibi ad Religionem Catholicam conuersi; & idcircò, qui domi in sordibus jacuissent, peregrè floruerunt, sibi & alijs vtiles. *Magno animo nos,* ait Seneca, *non vnius vrbis mœnibus clausimus, sed in totius orbis commercium emisimus; patriamq; nobis mundum professi sumus, vt liceret latiorem virtuti campum dare.* Nempe κοσμοπολῖται sumus, non vni vrbi, sed toti orbi nati. Vbi DEVS est, nullo loco illi non possumus vel viuere vel mori. Alexander Magnus nobis est imitandus, qui Persis deuictis, Macedonibus matrimonio junxit Persides puellas; tum enim vniuersis mandauit, *vt Mundum pro patria, castra pro arce, bonos pro cognatis, malos pro peregrinis agnoscerent.* Eiusdem sententiæ fuit S. Augustinus, cuius hæc sunt: *Omnis, qui ad supernam pertinet ciuitatem, peregrinus est Mundi: & dum temporali vtitur vita, in patria viuit aliena; vbi inter multa illecebrosa, & multa fallacia, DEVM nosse, & amare paucorum est.* Hinc non curant Sancti, vbi, sed quo modo viuant. Hinc Pontius in vita S. Cypriani,

Senec. lib. de Tranquill. cap. 3.

Plutarch. in Alexand.

S. Augustin. in sentent. sent. 17.

S. Greg. Nazianz. orat. 20

Christiano, inquit, *totus hic Mundus vna domus est*, Hinc S. Basilius Præfecto Valentis Imp. exilium minitanti respondit: *Exilium se non cognoscere, qui nullo loco circumscriptus esset*. Hinc etiam S. Cyprianus, cùm Proconsul itidem ob fidem Christi ei exilium minitaretur, dixit: *Exul non erit, qui DEVM in mente habebit: quia Domini est terra, & plenitudo eius*. Quare talis neque in exilio morietur, vbicumque tandem moriatur. In compendio, & contra metum, & contra querelas eorum, qui non libenter extra patriam suam viuunt, ne extra patriam suam obeant, optimum præscribit remedium Hugo Victorinus, his verbis: *Magnum virtutis principium est, vt discat paulatim exercitatus animus visibilia hæc & transitoria primùm commutare, vt possit etiam postmodum derelinquere. Delicatus ille est adhuc, cui patria dulcis est: fortis autem, cui omne solum patria est: perfectus verò, cui totus Mundus exilium est. Ille Mundo amorem fixit; iste sparsit; hic extinxit.*

Hugo Victor. lib. 3. Didasc. erud. cap. 20.

CAPVT XLVI.

Immatura morte aliquos, licet innocentes, occultis, sed justis & clementibus DEI judicijs obire.

I. DE loco mortis suæ nullam esse vlli mortalium justam querelam ostendimus, quia vndecumque relinquitur, quod est fluxum; vndecumque itur ad sepulchrum; vndecumque iter est in domum æternitatis. At de tempore mortis fortasse caussæ sunt murmurandi contra vitę Dominum? *Abbas Antonius, deficiens in consideratione profunditatis judiciorum DEI, postulauit, dicens: Domine, quo modo aliqui in paruo tempore vitæ suæ moriuntur, & aliqui vltra decrepitam veniunt senectutem: & quare quidam egestuosi sunt, alij autem facultatibus ditantur: & quomodo injusti opulenti sunt, justi verò paupertate premuntur? Et venit ei vox, dicens: Antoni, ad te ipsum intende; hæc enim judicia DEI sunt, & te scire ea non conuenit.* Volebat nimirum sapientissimus Mundi Rector, eum in simplicitate degere, neque arcana prouidentiæ consilia curiosiùs scrutari, quæ alijs, inter homines degentibus sæpiùs reuelauit, vt non solùm eius æqui-

Heribert. Rosvveid l. c. de vit. PP. libell. 15. n. 1.

tatem agnoscerent, verùm etiam justitiam timerent; immò amarent bonitatem. Neque enim dumtaxat Nathan dixit ad Dauidem: *Quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur*: sed ingens etiam innocentum parentum & innocentum filiorum numerus ac multitudo ab Herode jussus est contrucidari, quorum sine dubio multi damnati fuissent æternùm, si adoleuissent. His ergo beneficium fuit, non supplicium, in tenera ætate fuisse vitâ spoliatos, sicut & omnibus, post baptismum, in cuna defunctis. Sed viris quoque in medio vitæ cursu, quamuis justis, morte sublatis, mors sua & vtilis fuit, & gloriosa.

2. Reg. 12. 14. Matth. 2.

II.

Sic DEVS dilexit Mundum, vt Filium suum vnigenitum daret: ad quid? vt, *sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto, ita exaltaretur Filius hominis*. Iudicauit ergo, ipsum Filium suum in florentissima ætate, dandum ad crucem & necem. Quid meruit Christus, *qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius*? Itáne trigesimo tertio vitæ suæ anno, etiam carnificum crudelitati fuit subijciendus? ita virgis, spinis, clauis lacerandus? ita diriter interimendus? Ita sanè, vt Iustitiæ & dilectioni Diuinæ satisfieret, & genus humanum, quod diligebatur, saluaretur. Crudeles tunc fuerunt homines, qui eum tradiderunt; crudeles, qui falsis criminationibus accusârunt; crudeles, qui more latronis innocentissimum, trucidârunt. An etiam crudelis Pater cælestis? an ipse crudelis, qui traditus est, *quia ipse voluit*? Nemo hoc dixerit. Immò bonus & misericors fuit, quia sua morte nos redemit, & mortuus est ad tempus, ne nos æternùm moreremur, sic sibi gloriam, nobis gratiam meritus, mortem habuit in lucro. Quòd si ergo non injustè DEVS Filium suum ipsum morti addixit, quis eum injustum vocabit, si purum hominem, immò impurum, vel in juuentute, vel nondum senilibus annis, sed cùm maximè viget, valetque, jubeat è vita excedere? Absolutissimum habet in omnes dominium, sine vlla injuria & culpa potest cuiuis vitam, quocumque tempore, auferre, qui cuiuis eam dedit. Et quamuis sine culpa auferat vitam, non tamen sine caussa; siue bonos, siue malos jubeat hinc emigrare, semper bonus. An injuriam facit, qui alterum è luto in pratum; ab exilio in patriam, è serui-

Rom. 3. 14.

1. Petr. 2. 22.

è seruitute in libertatem, è carcere in regnum transfert, immò è terra in cælum? Nequaquam injuriam facit, sed maximi amoris exhibet argumentum. Certè Matrem suam non odit CHRISTVS, & tamen eam (quæ ratione temperamenti diutissimè prouiuere quiuisset) mori voluit, vt è bello ad pacem, à laboribus ad mercedem, à pugnis ad præmium & coronam, eam euocaret. Quò vt perueniret Paulus alijque Sancti, tam incensis desiderijs cupiuerunt *dissolui, & de corpore mortis huius liberari.* Rom. 7. 24. Tantum abest injuriæ similitudo, vt etiam dilectionis indicium censeatur, si animam tollat, cerui instar, Christum, tamquam fontem aquarum viuentium, feruidissimè sitientem; aut etiam aliàs peiùs perituram. Quod cùm ita sit, plurimùm errant, qui casu acerbo allisi, aut in lethalem morbum lapsi, aiunt: *Heu quàm me Angelus meus custos deseruit?* Quasi Angelus custos, aut non amet clientem, aut negligat, aut conseruare non possit. Potest omnino, & negligens non est, neque enim dormit vmquam, neque distrahitur, neque se occupat alio custodiendo; sed sæpe ex amore, sæpe, ex DEI voluntate, permittit hominem periculis vitæ, vt merendi præmia, vel luendi delicta habeat occasionem. Sæpe & ipso DEI mandato occidit hominem, ne peccet. Præstat enim vel millies mori, quàm DEVM, non iam grauiter, sed vel leuissimè offendere. Quis magis hominem amat, quàm Angelus hominis? non frater, non soror, non ipsa mater. Nullus tam assiduè nobiscum est pædagogus; nullus tam sedulò attendit Argus; nullus DEO nos adducere magis satagit. Quòd si ergo ille ipse mortem pupilli sui, aut certè hominis innocentis subinde promouet, profectò indicium est amantis, nō odio persequentis. Dabo historiam, quam etiam è vitis PP. recitat Albertus Patauinus in hunc ferè modum.

III. Vitæ PP. l. 5. ex Albert. Patauin. Dominic. Passiō.

Simplicis ingenij monachus vitam solitariam in Ægypto agebat, qui identidem Deum orando dicebat: DOMINE OSTENDE NOBIS IVDICIA TVA. Simplicium preces exaudit DEVS; quare Angelum illi suum aliquando permisit vultu habituque longæui senis apparere, qui eum per speciem visitantis comiter inuitauit, vt secum alios, per eremum, Patres vellet adire, à quibus salutaribus monitis imbuerentur, benedictionemque, de

more, referrent. Consensit facilè minimè malus Asceta. Itur. post prolixam viam, se se tandem offert spelunca potiùs, quàm casa, regum tamen palatijs pretiosior. Dant signum ante fores, egreditur capularis senex, longâ cæsarie, hirsutâ barba, sed multa charitate vegetus, multa sanctitate diues, quare etiam hospitalitatis exercendæ occasione lætus comibus eos verbis rogat, vt diuertant; introgressis pedes lauat, mensam, quàm potest lautissimè apparat; herbulas, radices, salem apponit, catinum ad nitorem repurgat, neque quidquam omittit eorum, quæ pertinebant ad sincerissimam humanitatem. Domi natam condiebant cœnam colloquia è cælo petita. Quod reliquum erat noctis, somno relictum est, & quieti. Sole reuecto, non sine osculo pacis dimissi sunt. Dum abirent, Angelus catinum, præcipuam hospitis supellectilem, clam secum abstulit. Quod cùm in via videret factum simplex ille, animo cœpit turbari, atque tacitis cogitationibus intra se se dicebat: *Ecquid accidit huic seni, vt pro vice charitatis, hospitijq; lautissimi loco, viro sanctissimo catinum vellet asportare?* Hæc eo cogitante, superuenit anhelo cursu eos assecutus spiritualis filius, aut discipulus Eremitæ nocturni hospitis, qui catinum cùm abesse cerneret, eum misso post illos hoc nuntio repetiuit. Inquiebat igitur iuuenis: *Reddite catinum, quem sustulistis vobiscum.* Cui Angelus, *Ante nos est, cui eum dedi,* aiebat, *Veni & recipe eum.* Adhibuit verbis fidem nuntius, quem haud diu vnà ambulantem impulit ex improuiso Angelus per immane præcipitium, vt fœdè confractis omnibus membris, momento miserè expiraret. Quod vbi rursus conspexit simplex ille Monachus, expalluit, & animo grauissime offensus ita secum est locutus: *Heu mihi quid contigit mali homini tam bono? Nempe non sufficiebat illi catinum subduxisse, etiam charissimum illius pignus interfecimus? quod crudelius factum potuit excogitari? furtum homicidio cumulatur? Etiamne Deus ista permittit, & bonus vocatur?* Aucta est hæc solicitudo tertio inde die, quo in alia cella senem longè moribus alium repererunt, duobus discipulis stipatum. Alijs quippe ab eo verbis salutati, alia ratione accepti sunt. Cùm enim aduenientes è superiore fenestra interrogasset: *Qui nam essent, aut cuius rei gratia id loci versarentur?* demississimè responderunt,

derunt, fatigatos se prolixa via adesse, benedictonemque illius flagitare, & salutarem cupere audire exhortationem. At ille, truci barbaroque mandato, exesse eos actutum jubet, non sibi nunc vacare. Instant, & oppidò se se delassatos de via esse, etiã atq; etiam vt suscipiat rogant. Ille autem nihil motus, quasi cautẽ in pectore gereret, abscedere eos ocyùs iubet, insuperque verbis asperis, tamquam vagos errones, increpat; manereque, post- hac domi in cella, non foris circumcursare jubet. Verùm ipsi vel patientiâ diuersorium meriti, tertiò flagitant vnius noctis hospitium, cùm & vespera sit diei, & periculum à feris immi- neat, sub dio mansuris. Expugnata tandem hominis duritia est, sed ea condicione annuit, vt non nisi in angulum aliquem sta- buli à discipulo abducerentur. In stabulo igitur, apud asellum, soli absque alloquio relicti, vt hospites ingrati, nocte jam se se intendente rogarunt, vel modicum lucernæ sibi lumen ministra- ri, ad locum cubandi explorandum. Negatum est & istud. Ite- rum post semihorulam, vel ob Dei amorem, pauxillum aquæ sibi porrigi petierunt. Ad quam vocem discipulorum alter motus, & aquam, & aliquid panis de suo illis dimenso attulit, impensè rogitans, ne id Abbas resciret; quem immittem sciuerat esse at- que immisericordem. Ita haud sanè lautè refectis, tota nocte humi, sine folijs, sine stramine cubandum fuit. Vicina jam erat dies, cùm Angelus juniori ad se vocato dixit, se habere, quod Abbati pro gratia hospitij offerret, si quidem eius compellandi daretur facultas. Quod vbi è superiore loco audiuit suspicax & attentus senex, accipiendi spe descendit, catinoque, à sancto illo priore sene furtim ablato, remuneratus, ire eos vias suas jus- sit; ac se mox, ne salute vlteriùs data, in domum suam reclusit. Quid putatis hîc simplicem his tam mirabilibus rebus visis au- ditisque cogitasse? quos motus, quas turbas animi sensisse? Non potuit rem diutius dissimulare; erupit in verba diu pressa indig- natio. Quia enim nesciebat, Angelum esse, qui hæc fecerat, cum magna vehementia dixit. *Facesse hinc, non enim amplius pos- sum tecum ambulare. Nam ecce quàm atrocia fecisti illi sancto, qui tanta nos charitate complexus, amicißimè habuit! catinum ei clepsi- sti, Filium eius innocentem naso ductum in præceps, & exitium egisti; & nunc*

& nunc malè de nobis meritum, pessimum istum hominem, qui nec DEVM timet, nec humanitatem colit, eodem catino locupletasti: vel sapere te parum oportet, vel esse patronum flagitiosorum. Dixit, & vultum auertit, aliò abiturus. Sed lacinia prehensum Angelus retraxit. *Nonnè tu,* inquiens, *apud DEVM supplicâsti, vt iudicia sua tibi demonstraret? Ad ea monstranda ego missus sum. Ea igitur intellige. Catinus, fidei erat non bonæ; non decebat ergo, vt malum apud tam bonum virum maneret. Itaq; translatus est ad malum, vt haberet qualemcumq; exiguorum operum suorum mercedem. Filium autem illum idcirco innocentem interfeci, quia proxima nocte ipse Patrem suum interfecisset, atq; ita beneficium vno facto exhibui duobus.* Hæc vbi simplex audiuit, in terram se ad pedes Angeli abjecit, veniam precatus sui erroris. Precantis ex oculis Angelus euanuit, non euanuit tamen è memoria. Statuit enim posthac de nullius morte sinistrum aliquid, contra DEI iudicia, cogitare. Siquidem intelligebat, non solùm differri, in seram ætatem, quorumdam mortem, vt tandem pœnitentiam agant, sed etiam mortem in multis accelerari, ne agant pœnitenda.

IV.

Quod simplex iste ab Angelo didicit, vtinam discant etiam Mundi sapientes. Ad hoc enim in oculis Eremitæ occisus est adolescens, vt esset in diuinæ prouidentiæ exemplum; quin etiam vt ipsi via occluderetur, quia in malum erat iturus. *Placens Deo factus est dilectus, & viuens inter peccatores translatus est, raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.* (Sap. 4. 10.) Quo loco S. Spiritus ostendit multis hominibus hominem modicæ ætatis, sed studiosum, si à vita discedat, non ante tempus obire. Quia innocens numquam immaturus est cælo, quare quandocumque moriatur, non est mors intempestiua. Siquidem, *iustus, si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* (Sapi. 4. 7.) Nemo æstuans siti, queritur, se frigido & optato haustu nimis citò refrigerari. Parato mori mors non est inopina; optanti mori, non est ingrata. Ideò ait: *Anima mea in manibus meis semper:* (Psal. 118. 109.) hoc est, vitam meam semper in manibus fero, vt eam ad nutum Domino meo offeram, quem *prauideo in conspectu meo semper*, & (Psal. 15. 8.) adeò habeo familiarem mortis meditationem, vt ei obuiam eam, nedum vt illa me occupet. Narrat Holcot, quemdam eruditũ homi- (Holcot. lect. 47. in Sap.)

hominem, inter libros mortuum esse repertum: qui eum inuenerunt, attoniti diu & velut in stuporem dati spectatores steterunt; sed tandem magno solatio perfusi sunt, cùm mortui digitum deprehenderunt in hanc ipsam sententiam (*Iustus, si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit*) intentum. Quare etiam cùm infantes in cunis moriuntur, qui per se peccare nondum poterant, laudandus est Deus: rapuit enim in gratia existentes. Non est eorũ mors coram Deo immatura; solum vulgus imperitum ita judicat, quia mors citiùs aduenit, quàm ætas aut optima valetudo exigere, aut parentes timere videbantur. Hoc argumento & Scripturæ loco solatur Fulgentius Gallam de morte junioris mariti; & Paulinus Pammachium super cita vxoris morte. Numquam pij decedunt tempore non suo; numquam impij suo. Quando impijs mors veniret non immatura? si Nestoris annos viuerent, si Mathusalem ætate superarent, si macrobij & longæui, super omnes essent, tamen dicerentur *dies suos non dimidiare*, semper enim diutiùs vellent vitam producere, semper ergo illis mors est immatura. Si quæras, quomodo justus morte præoccupatus sit in refrigerio, quia sæpe talis in Purgatorium priùs mittitur, quàm in cælum. Respondeo, etiam in Purgatorio esse refrigerium, propter certitudinem de salute, propter suffragia viuorum, propter consolationem Angelorum. Et sanè præstat ibi ignibus teneri, quàm hîc in charitate refrigescere, aut de ea perdenda periclitari.

Sapi. 4. 7. Fulgent. ep. 2. cap. 4. Paulin, epist. 35. Psal. 54. 24.

V. At priuantur honore senectutis, qui in flore ætatis è medio tolluntur? Et dici ad talem potest, quod Dauid vsurpauit: *Heri venisti, & hodie compelleris egredi?* Primùm nemo queritur, si citò è carcere liberatur: immò, qui sapit, id optat: *Infelix ego homo*, ait ille, *quis me liberabit de corpore mortis huius?* Quin & Publij Mimi de bono mortis c. 2. sententia est: *Heu quàm multa incurrunt pœnitenda viuendo diu!* Et Seneca lib. de consolatione c. 28. *In hoc tam procelloso, & in omnes tempestates exposito mari nauigantibus, nullus portus, nisi mortis est.* Ita, *si quis*, vt idem ait ep. 71. *in mortem ante primos annos delatus est, non magis conqueri debet, quàm qui citò nauigauit.* Deinde, qui senium suspici honorarique videt, & illo honore priuari citò morientes durum

2. Reg. 15. 20. Rom. 7. 24.

putat,

putat, nosse debet, virtuti honorem tribui, non ætati. Siquidem senes non honorantur, nisi propter scientiā & virtutis opinionem. Si senex est nequitiosus ob experientiam, nequitiâ alios longè antecellit, atque ob hoc contumeliâ dignus. Itaque *senectus venerabilis est, non diuturna, neq; annorum numero computata. Cani autem sunt sensus hominis.* Senex igitur est, qui multum sapit, non qui multum viuit. Et vita breuis, si bona est, præferenda est vtiq; longæ malæ. Malum quò maius, eò peius. Vita igitur hominis mali, quò longior, eò deterior est. Vnde etiam malo prodest citò mori, ne peior fiat; bono, ne malus fiat. Multa in hanc rem scribit Bernardus ad Romanum Romanæ curiæ Subdiaconum. Qui etiam alibi docet, nullam ætatem Dei gratiæ præmaturam, sicut nec seram, nec juxta Apostolum, adolescentiam esse contemnendam Doctoris; præferendos & bonæ indolis adolescentes *inueteratis dierum malorum*, qualem etiam Christus puerulum prætulit, cùm talium dixit esse regnum cælorum. Alioqui Isaias ipsos etiam deliros senes, bis pueros vulgò, *centum annorum pueros* vocauit. At Samuel quàm præstans erat puer, quàm promptus Dei auditor? Denique, teste Hieronymo, *non sunt à vetustate hominum æstimanda ingenia, sed à probitate, eruditione, morum grauitate.*

S Bernard. ep 305. & ep. 42.
1. Tim. 4. 12.
Dan. 13. 52.
Isa 65. 20.
1. Reg. 35.
S. Hieronym. epist. 114.

VI.

Ostendimus hucusque nullum immaturum mori. Maturus est morti, quisquis vel inferno dignus est, vel cælo. Scriptura indicat clarè, etiam amorem Dei, caussam esse mortis maturioris: *Placens DEO factus est dilectus, & viuens inter peccatores, translatus est.* Rapta fingitur, in fabulis, à Plutone Proserpina, à Ioue Ganymedes, quia turpiter falsis Dijs placuerunt; cur non & verus DEVS ad se raperet, qui illi castè placent? Sic *& Enoch placuit DEO, & translatus est in Paradisum.* Addit Scriptura & hanc caussam mortis velocioris, ne diutiùs *inter peccatores viuens*, malis aliorū exemplis ac suasionibus, varijsq́, occasionibus innocentiam perdat. Paulinus scribit postulâsse Dauidem, notum sibi fieri finem suum, & numerum dierum: & quoniam didicerat, prorogata sibi tempora, ingemuisse: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* quia nimirum habitabat cum tabernaculis Cedar, id est, cum tenebris Mundi. Quid prodest viuere in perniciem

Gen. 5 Hebr. 11. 5.
Paulin. ep. 35.
Psal. 38. 5.
Psal. 39. 5.

Matth. 24. 22. niciem aut suam, aut alienam. An non & illud legimus, *nisi breuiarentur dies* extremæ tribulationis, quòd *non fieret salua omnis caro*? Nec probabile tantùm est periculum, sed infallibiliter
Sapi. 4. 11. certò scit Devs, hunc vel illum periturum: si ergo eum rapit, *ne malitia mutet intellectum eius, aut ne fictio decipiat animam illius*, an non eum eximiè amat? Tunc non amaret, si seniorem fieri
Matth. 2. sineret. An injuriam fecit Devs innocentibus, quos Herodis permisit immanitati? an Stephano, quem è saxis non eripuit? an Martyribus, quos crudelissimè etiam sæpe juuenes permisit mactari? Si Devs id peculiari fauore permisit, immò voluit, cur Angeli vellent obsistere, qui sanè vtique suis viribus suos clientes possent contra inuasores defendere, aut medicinis sanare, sicut Raphaël nouerat, sed nolunt id facere cælestes isti custodes, ne amando noceant, & mortis corporalis impedimento, salutem impediant sempiternam. Siquidem diu viuere,
S. Cyprian. serm. 2. de mortal. est diu periclitari. Quare meritò D. Cyprianus exclamat: *Tot persecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus vrgetur, & delectat hîc, inter Zabuli gladios, diu stare?*

VII. Quid, quòd innocenti mors beneficium est, non solùm ne peccet ipse seductus, sed etiam ne intersit peccantibus, videatque
Isa. 57. 3. suorum calamitates? An non Isaias ait: *A facie malitiæ collectus est justus*? An non Iudas Machabæus ita suos adhortatur:
1. Machab. 3. 59. *Melius est nos mori in bello, quàm videre mala gentis nostræ*? Sic sæpe felices eos vocamus, qui ad tempora nostra non prouixerunt, ne miserias nostras intuerentur. Possidonius memorat,
Possid. in vit. S. Augustin. cap. 28. 29. D. Augustinum, ex hac vita abijsse, tædio malorum patriæ suæ, præsertim Hipponensis ciuitatis, cùm à Deo dimissionem, ex hoc sæculo, poposcisset. Anastasium Papam refert S. Hieronymus idcirco raptum, atque translatum esse, ne caput sub tali Episcopo truncaretur, & ne semel latam sententiam precibus suis flectere conaretur. O quantam crucem haberent sæpe parentes, si superuiuerent, & filiorum suorum dedecora aspicere cogerentur! Quamquam non raró ipsi in caussa sunt, vt liberis priuentur. Sicut enim ob derisum Dauidem ante arcam saltan-
2. Reg. 6. 23. 2. Reg. 12. 14. tem, *Michol filia Saul non est natus filius vsque in diem mortis suæ*; ita

& ipsi

& ipsi Dauidi filius natus vitam amittens, orbitatem intulit, vt sequenti capite dicemus, & suprà iam attigimus.

Noli ergo offendi judicijs diuinis, quisquis vides, vel juuenem mori, vel innocentem. *Placita enim erat DEO anima illius: propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum. Populi autem videntes, & non intelligentes, nec ponentes in præcordijs talia,* judicant, quod ignorant. Imperita enim & simplex multitudo, solam in defuncto juuene intuetur ætatem, non autem moriendi rationem. Hinc contra DEVM quiritatur, hinc plorat, hinc capillos lacerat. Et quidem tum maximè, cùm talis juuenis maximè fuit pius; ait enim, hinc apparere, quàm inutile sit studium pietatis. Neque vulgus tantùm eiuscemodi pulsatur tentatione, ipsum Dauid, Ieremiam, Habacuc, & Iob talis cogitatio pulsauit. Omnem scrupulum tollit, qui diuinam prouidentiam credit. Tam sapiens illius est amor, vt ab insipientibus crudelitas putetur. Nescit DEVM, qui justum nescit. Hæc est fides recta, credere, *quoniam gratia DEI, & misericordia est in Sanctos eius, & respectus super electos eius.* Non ergo crudelitas est martyrijs exponere, aut morti tradere innocentes, sed *gratia DEI & misericordia.* Videri potest S. Ambrosius de bono mortis, Victor Vticensis, & Saluianus, qui in hoc genere disputationis & pij extiterunt, & diserti.

VIII. Sapi. 4. 14. Psal. 72. 2. Ierem. 12. Habac. 1. 13. Iob. 21. 7. Sap. 4. 15.

IX.

At cur innocentes tolluntur, cùm impurissimi viuant; & illi triumphent, qui nec digni sunt, vt à terra sustineantur? *Si irascitur DEVS, statim debuit vindicare; & pro merito quemque punire,* ait nonnemo apud Lactantium l. de ira DEI c. 20. cui ipse respondet. *At enim, si id faceret* (vt statim puniret DEVS) *nemo superesset. Nullus est enim, qui nihil peccet; & multa sunt, quæ ad peccandum irritent; ætas, violentia, egestas, occasio, præmium. Adeò subjecta est peccato fragilitas carnis, qua induti sumus; vt, nisi huic necessitati DEVS parceret, nimiùm fortasse pauci viuerent. Propter hanc caussam patientissimus est, & iram suam continet. Nam quia perfecta est in eo virtus, necesse est patientiam quoque eius esse perfectam; quæ & ipsa virtus est. Quàm multi ex peccatoribus justi posteriùs effecti sunt, ex malis boni, ex improbis continentes? Quàm multi in prima ætate turpes, & omnium judicio damnati, postmodum tamen laudabi-*

les extiterunt? quod vtiq; non fieret, si omne peccatum pœna sequeretur. Et infrà. *In tanta igitur impietate hominum, tantisq; peccatis id assequitur patientia DEI, vt se ipsi homines, damnatis vitæ prioris erroribus, corrigant.* Accedit, quòd impij justos exerceant, virtutemque illorum reddant splendidiorem. Quòd si duo in vno lecto sint, quorum vnus innocens moriatur, alter nocens in vita

Ibid. vers. 16. relinquatur, hoc ipsum non fit sine caussa. Nempe quia *condemnat justus mortuus viuos impios, & juuentus celeriùs consummata longam vitam injusti.* Ita est, videmus pessimos in longam sæpe viuere senectutem; sed vel ipsa maturata mors justi eos damnat, indicatque mercedem in hac vita recipere. Condemnat item, quia accusat, tamquam, qui caussa sunt, cur justus è vita

Apoc. 6. 9. hac euocetur, aut eijciatur. Certè animæ interfectorum propter verbum DEI, vindictam clamant. Et mali quò diutiùs supersunt, eò sibi iram DEI grauiorem thesaurizant; qui quia sic

Sapi. 4. 17. viuere, bonum judicant, malum censent mori. Itaq; *videbunt finem sapientis, & non intelligent, quid cogitauerit de illo DEVS, & quare munierit illum Dominus. Videbunt & contemnent eum: illos autem Dominus irridebit.* qui non solùm non intellexerunt, sed

Ep. Iud v. 10. etiam, quæ non intellexerunt, blasphemârunt spernendo, atq; condemnando, dum submissa reuerentia, DEI consilium, non, vt par erat, sunt venerati.

X. Laudent ergo DEVM etiam in innocentum morte, qui DEVM credunt; neque Angelo suo negligentiam impingant, si eos à morbis, si à vulneribus, si quando à casibus repentinis, si à morte non defendit. Potest illud facere, sicut Israëlitas, in columna, defendit à Pharaone; sicut Tobiam à pisce, sicut à leonibus Danielem; Iuditham ab Holoferne; tres pueros in ipso incendio fornacis, & sanè quotidie millies id facit; sed quando contrarium prodest magis, quando Christus ait: *Sinite paruulos,* per mortem, *venire ad me, talium enim est regnum cælorum,* tum DEI cursum non impediunt, neque manum inijciunt diuinæ gubernationi; immò tum maximè suum officium exequuntur.

Exod. 23. Vt enim Angeli illius officium præcipuum fuit, non solùm, *vt custodiret in via, sed etiam, vt introduceret in locum, quem* Israëlitis DEVS præparârat, hoc est, in terram sanctam; ita

nostri

nostri custodis officium est, vt nos in terram viuentium introducat, quò introitus non patet, nisi per mortem. Maximè igitur curat nos in morte, quam conatur in conspectu Domini facere pretiosam. Iubet Christus, si pes vel manus nos scandalizet, eas abscindere; si oculus, illum nos eruere. Si nos ipsi nobis parcere non debemus, cur Angelus in pædagogum datus parcat, & morbum tollat, per quem mors venit, quæ nos ad cælum transmittit? Docet S. Thomas, Christum non habuisse Angelos custodes, sed ministros: nam vt Deus, erat ipse custos Angelorum, vt homo secundùm animam fuit beatus, & ita non indiguit custodibus secundùm corpus, satis superque à Verbo diuino hypostaticè vnito protegebatur. Poterat igitur se etiam contra mortem, & multò validiùs, quàm vllus Angelus custos, si quem habuisset, protegere, & tamen id non fecit, sed sponte morti se obtulit, dicens: *Ego animam meam pono*. Cur? quia *sic oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam* corporis sui: immò sic & nostras animas in eamdem gloriam introducere. Tantum ergo abest à sæuitia Dei, mors innocentum, vt etiam à fauore & amore illius proficiscatur: non quòd tales morte, sed quòd vitâ dignos judicet meliore. Non aufert talentum plumbi, qui talento id auri commutat. Non injuriam, sed gratiam facit, qui morbis, qui catenis, qui carcere liberat, qui valetudinem, qui libertatem donat. Si laboranti grata est quies, si ambulanti jucundum hospitium; si seminanti messis optata; debet etiam mors homini non grauis videri, per quam ad quietem, ad mansionem, ad messem præmiorum peruenitur. Loquimur enim de morte hominis innocentis, qui quia in benedictionibus seminat, de benedictionibus & metet.

Matth. 18.

S Thom. 1. p. q. 113. art. 4. ad. 1.

Luc. 24. 26.

CAPVT XLVII.

Multos immaturam mortem obire, qua, ob delictum, digni, & non iam innocentes sunt.

I. Etrus & Charon duo sunt piscatores hominum: vterq; suam cymbam, vterque suos pisces habet: ille filios Ecclesiæ, iste filios mortis, vehit siue sint filij Ecclesiæ, siue

siue non. De Ethnicis, quidam mortem indignè tulerunt, voluissentque numquam mori; at cur illi semper viuerent, si Christiani debent mori? In Ecclesia autem, sicut in reti pisces, quidam sunt boni, quidam mali. Boni mortem optant, vt portum, mali formidant, vt principium calamitatis, quare & ipsi vellent semper viuere. Sed meritò non annuit eorum votis Dominus. Nam si justos atque innocentes, sine injuria, immò peculiari gratia misericordiaque Dei, ante tempus, vita priuari constat, quid iam dicemus, si impios subinde celeriter emori videamus? Nemo indignatur magistratui aut Principi, cùm audit ab eo furem ad patibulum, latronem ad rotam, veneficam ad rogum esse condemnatam; quis Deo succensebit idem facienti? Ipsæ sæpe matres filijs suis mortem optant, cùm malè se gerunt; & natos numquam fuisse cupiunt: quid mirum est, si DEVS mortem illis infert, qui mortem & mille grauiora meruerunt? Profectò, sicut justos ad præmia, ita impios rapit ad supplicia, quandocumque illi videtur. Tu ipse gallinam, quæ oua non parit, mactas: arborem, quæ fructum non facit, exscindis; & te DEVS non exscindat, tot annis nullum fructum facientem? Narrabo, quod docti pijque Authores his verbis narrauerunt.

II. Ex Limonario Ioan. Euirati refert Matth. Rader. part. I Virid. Annot. ad 1. Febr.

Pœmen religiosissimus erat Anachoreta, ad quem, conscientiæ tranquillendæ caussâ, venerat Agathonicus Præses Cœnobij S. Sabbæ, quem nocte appetente in proximum dimisit Spelaum. Saniebat tam atrox hiems, & Agathonicus per noctem frigore obriguerat. Posterâ luce conuenit illum Pœmen, ad quem Agathonicus: Ignosce Pater: & Pœmen: Quid est fili? & Agathonicus: Duram pertuli noctem, frigore concretus propè perij: Ego, inquit Pœmen, frigus nullum sensi. Quid ita, inquit Agathonicus, non frixisti? etiam nudus? Leo, inquit Pœmen, juxtim ad latus accubuit, & me calefecit. Enimuerò à feris olim discerpendus sum. Nam cùm pastorem ouium quondam agerem, vidi peregrinum à canibus inuadi, discerpi & deuorari, nec succurri misero, cùm possem, nec prohibui. Decretum ergo diuinitus est, vt ego quoq; pari mortis genere, occumbam. Post triennium inde discerptus interijt. Miraculo par erat, inter leones, Danielis instar, dormire. Hoc miraculum, aut certè calefacientis leonis beneficium ingenuè confessus est Pœmen. Ne tamen superbè illud

jactare

jactare videretur, etiam illud alterum adjecit, nempe reuelatum sibi esse crudele, sed justum, mortis suæ genus, vt, quâ mensurâ mensus erat, eâdem & ipse sentiret sibi à Deo remetiri. Porrò illud seu miraculum, seu calefacientis leonis beneficium etiam istud habebat, vt quotidie illum aduentans bestia mortis suæ commoneret, à qua, cùm statutum diuinitus tempus immineret, erat lacerandus. Quis hîc crudelem vult Deum potiùs, quàm justum appellare? permisit illum à leonibus occidi, qui fratrem suum permiserat occidi à canibus.

III.

An non & Prophetæ leonem immisit? Prophetam de Iuda Prophetes de Bethel deceperat, & Dei authoritate interposita ad comedendum secum impulerat. *Cumq; sederent ad mensam, factus est sermo Domini ad Prophetam, qui reduxerat eum. Et exclamauit ad virum Dei, qui venerat de Iuda, dicens: Hæc dicit Dominus: Quia non obediens fuisti ori Domini, & non custodisti mandatum quod præcepit tibi Dominus Deus tuus, & reuersus es, & comedisti panem, & bibisti aquam, in loco in quo præcepit tibi, ne comederes panem, neque biberes aquam, non inferetur cadauer tuum in sepulchrū patrum tuorum. Cumq; comedisset, & bibisset, strauit asinum suum propheta, quem reduxerat. Qui cùm abijsset, inuenit eum leo in via, & occidit, & erat cadauer eius proiectum in itinere: asinus autem stabat juxta illum, & leo stabat juxta cadauer.* Mirum quàm velit præcepta sua custodiri Deus. Propheta iste, fuit vir Dei; missus est à Deo in Bethel; liberè, quæ Deus mandârat, coram Ieroboam edixit, de sacerdotibus excelsorum ipsis immolandis. Iussus comprehendi à rege manum extendente, miraculo obrigentis brachij regis, iterumque restituti, liberatus est; inuitatus ad prandium & munera capienda à rege, constanter repudiauit, dixitque: *Si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco isto: sic enim mandatum est mihi in sermone Domini præcipientis.* Hic talis propheta, qui jam abierat, in via deprehensus ab alio Propheta Bethel & inuitatus, denuo negauit se venturum, & caussam addidit, prohibitionem Domini; *non possum reuerti* inquiens; hic, inquam, talis deceptus redijt non ante, quàm alter dixit: *Et ego propheta sum similis tui: & Angelus locutus est mihi in sermone Domini*

3. Reg. 13. 20

mini dicens: Reduc eum tecum in domum tuam, vt comedat panem, & bibat aquam. Quid faceret, existimans mandatum esse Domini? Rediuit, & ecce ille ipse, qui eum fefellit, mortem ei prædixit; & mortem horrendam à terribili bestia inferendam. Ita nimirum peccata, quæ apud homines parui fiunt, aut etiam omnino excusantur, graui tamẽ morte digna sunt in judicio diuino.

IV.
Actor. 5. 5.

Quis non horruit mortem Ananiæ & vxoris eius Sapphiræ, ante pedes D. Petri cadentium, & repentina morte expirantiũ? Non indicarunt totum pretium agri, & mendacem fraudem

Sapi. 1. 11.

morte subita luerunt. Quid mirum? dudum monuit diuinus Spiritus: *Os quod mentitur, occidit animam*, vt adeò illud ipsum os, quo spiramus, mortis caussa efficiatur. Non occidit autem

S.Greg. li. 2. dial. cap.30. Cassian. li. 7. Instit. c.40.

hos coniuges Petrus ferro, sed verbo, nam, vt D. Gregorius ait: *increpando vtrique coniugi vitam abstulit, qui reddidit Thabitæ orando.* Idem videtur, aut fortasse plus dicere Cassianus, dum ait, *ore Apostolico* eos occisos. Alij aiunt, Ananiam coniugemque eius ab Angelo percussos. Ita mentiendo meruerunt. Quare D. Petrus non imprecatus est mortem, sed Spiritu Prophetico judicium Dei dumtaxat annuntiauit, vt S. Hieronymus sentit, contra Porphyrium Petro calumniam crudelitatis impingentẽ. Quin, vt etiam in hac ipsa tam terribili morte diuinam agnoscas bonitatem, sunt, qui doceant, Ananiam ac Sapphiram morte temporali & extemporali affectos, vt æternam euaderent.

Orig. Tract. 8. in Matth.
Petr. Dam. epist. 15.

Digni erant, inquit Origenes, *in hoc sæculo recipere peccatum suum, vt mundiores exeant ab hac vita mundati, castigatione sibi illata, per mortem hominum, quoniam credentes erant in Christum.* Petrus Damianus, tamquam nouos credentes, morte corporis tantùm plexos scribit his verbis: *Et quidem illi, vtpote rudes, & ad fidem de nouo venientes, necdum fortasse ad plenum Euangelica præcepta didicerant; nec dum enim sacri nouæ doctrinæ codices ad publicum in commune processerant: attamen qui in ipso Fidei tyrocinio quodam modo simpliciter peccauerunt districto quidem, sed pio judicio sola, vt credimus, sunt corporis morte mulctati.*

S.Augustin. lib.3. contr. Parmen. c. 1.
1.Cor. 5. 5.

Fauet huic sententiæ etiam D. Augustinus, dum simul agens de Corinthio, quem Paulus *tradidit Satanæ in interitum carnis*, ita à pari ratiocinatur. *Quid ergo agebat Apostolus, nisi vt per interitum carnis, saluti spirituali consule-*

consuleret, vt sine aliqua pœna, vel morte corporali, sicut Ananias & vxor eius ante pedes Apostoli Petri ceciderunt, siue per pœnitentiam, quoniam Satanæ traditus erat, interimeret in se sceleratam carnis concupiscentiam. Quod si ita est, quàm benignum fuit judicium Dei, quo pænā æternam alioqui debitam temporali morte compensauit? Quò etiam tendere videtur S. Hieronymus, cùm declarans, *bis Deum non punire in idipsum*, probabile ducit, non paucos de submersis in diluuio, vel mari rubro, & de crematis in Pentapoli, mortem æternam euasisse. Hoc, inquam, si ita est, quis non intelligit, quanta sit puniendi clementia, loco æternæ mortis, plectere morte temporali? Quòd si etiam omnino contrarium sentire placet, sufficientem Deus habuit caussam, hos coniuges vtraque morte puniendi, ad exemplum primitiuæ Ecclesiæ, ne leue putaretur esse, si quis Spiritui sancto mentiatur.

S. Hieronym. in cap. 1. Nahum.

V.

Quædam poma cortice sunt eleganti, cùm parte rubent, parteque flauent altera, sed intus verminant. Sunt & homines quidam, externo vultu habituque, sanitatem corporis, aut virtutem præ se ferentes, intus autem pleni sunt morbis & vitijs animi, velut ossibus mortuorum, instar sepulchri dealbati; qui pelle ouina lupum tegunt, & angelico vultu Alastorem abscondunt. Illi si subito casu pereant, si fluctibus hauriantur, si de fenestra cadant, si præcipitentur per scalas, si cum equo labantur, & opprimantur, si globo traijciantur plumbeo, si alio quouis infortunio intereant præter hominum opinionem; possunt fortasse ita tegere ac dissimulare vitia sua foris, vt hominibus videantur innocentes (quod etsi essent, Deo tamen vt suprà dictum est, caussæ essent, eos è vita euocandi) reipsa tamen sæpissimè non sine delicto sic extinguuntur. *Leges publicæ*, ait Lactant. lib. de ira c. 20. *manifestos reos damnant: sed plurimi sunt, quorum peccata occultantur; plurimi qui delatorem comprimunt aut precibus aut præmio; plurimi, qui judicia eludunt, per gratiam vel potentiam. Quòd si eos omnes, qui humanam pœnam effugiunt, censura diuina damnaret; esset homo aut rarus, aut nullus in terra. Sed cùm maxima & vtilissima sit Dei patientia; tamen quamuis serò noxios punit, nec patitur longiùs procedere, cùm eos inemendabiles esse prouiderit.*

VI. Multa occurrunt alia in diuinis libris exempla, Dei reos
viuere vlteriùs non patientis, sed vel hominum manu, vel be-
Num. 15. 32. stiarum sæuitiâ punientis. Pauperculus in sabbato ligna per so-
litudinem collegerat, & in carcerem coniectus, iussu Domini la-
Num. 26. 61. pidatus est. Nadab & Abiu filij Aaron perierunt, quia igne
2. Reg. 6. 7. alieno sacrificauerant. Oza, ob Arcæ contactum, percussus est:
1. Reg. 4. 18. Heli, ob nimiam in filios indulgentiam, sella cadente, extinctus
Num. 16, 31. est. Dathan & Abiron humo absorpti sunt, quia in Moysen per-
Iof. 7. 25. uicaces fuêre. Achan, ob anathema furto reconditum, lapidi-
bus obrutus est. Dan. 13. si quis non vidisset, duos senes pec-
cauisse, quis eorum lapidatione non fuisset commotus? At Da-
niel eorum facinora egregiè detexit. Post Vriæ homicidium, &
adulterium cum vxore eius, cùm ad exprobrantem Propheta
2. Reg. 12. 13. Nathan diceret Dauid: *Peccaui Domino: dixit Nathan ad Dauid:
Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris.* Ergo
moriturus fuerat, nisi pœnitentiam egisset. Nec tamen omnino
impunitus fuit, addidit enim Nathan: *Verumtamen, quoniam
blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui
natus est tibi, morte morietur. Et reuersus ëst Nathan in domum
suam. Percussit quoque Dominus paruulum, quem pepererat vxor
Vriæ Dauid, & desperatus est. Deprecatusq; est Dauid Dominum pro
paruulo: & ieiunauit Dauid ieiunio, & ingressus seorsum, iacuit super
terram.* Neque cum senioribus quidem voluit comedere. Hunc
luctum ille intulit, cuius fuit homicidio cumulatum adulterium
punire.

VII. Ex quo exemplo discunt parentes, etsi sine propria culpa
moriantur eorum infantes, non tamen mori sine culpa aliena.
Atque hæc est malitia etiam in peccato parentum, quòd pœna
illorum etiam in filios redundet; vix tamen vmquam id paren-
tes agnoscunt, vix ea caussa dolent, aut in confessione sese accu-
sant. Accusabunt autem eos filij in iudicio, qui etsi, ob baptismi
gratiam, salutem sunt consecuti, non tamen peruenerunt ad il-
lum gloriæ gradum, quem consequi potuissent, si vita illis fuis-
set prolongata. Addo igitur etiam de hoc tristari debere paren-
tes, quòd si non cultro, nec veneno, tamen sceleribus suis pro-
prios liberos occiderint. Ob quæ autem peccata parentum,

filij moriuntur? 1. Ob adulteria, vt Dauidis paruulo contigit. Dolent sæpe patres, quia putant suos; gauderent si scirent eos alienos: non vult Deus, vt decepti alant adulteris cuculis suos fœtus. 2. Ob vota, quæ alteruter coniugum emissa violauit matrimonio ineundo. 3. Ob impedimenta occulta etiam matrimonij ex affinitate, vel consanguinitate. 4. Ob iram matris in filium redundantem. 5. Ob nimium amorem in filios, propter quos parentes damnarentur, & sæpe peccant illos nimis comendo, illis thesaurizando, &c. 6. Ob gulam prægnantium, dum noxia vorant, dum intemperanter bibunt. 7. Etiam ob aliam Dei admonitionem, ne in delictis pergant. Hæc agnoscere & considerare deberent; sed non faciunt. Addo eam esse hominum peruersitatem, vt, si chara sua pignora amittant, Deo peccata vindicante, non solùm non agnoscant, se id apud Deum meruisse: verùm vt etiam de alijs id ipsum occisorum filiorum suorum crimen suspicentur & judicent. Iam enim hunc se suspectum habere dicunt, jam illum; nunc isti tamquam veneficæ, nunc illi tamquam maleuolæ caussam ascribunt. Sibi ascribere deberent, cùm nôrint Deum etiam totum genus humanum, ob peccata primorum parentum morte puniuisse. *In* Gen. 2, 17.
quocumque die comederis ex eo (ligno scientiæ boni & mali) *morte morieris.* Innumeræ occurrunt historiæ eorum, qui ob peculiare delictum morte non solùm à magistratu ciuili, sed etiam à Deo puniti sunt, quemadmodum & tempore D. Pauli, qui de eiuscemodi judicio loquens indignè SS. Eucharistiam sumentium scribit: *Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat &* 1. Cor. 11. 30.
bibit, non dijudicans corpus Domini. Ideò inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Nam dormire, significat, hoc loco, mortuum esse. Vitam ergo alijs afferens panis vitæ, indignè sumentibus in caussam mortis conuertitur, tanta scelerum malitia existit. Viderint ergo qui Iubiléo abusi non communicarunt dignè, an non vitam sibi ipsis abbreuiârint? Videant, qui longam vitam optant, an non Pœmenis talione; Prophetæ de Iuda inobedientiæ mantelum quærentis; Ananiæ & Sapphiræ Petro Summo Pontifici mendacio dicto, in dispensationibus impetrandis; ligna colligentis & festum frangentis; Nadab, Abiu,

Ozæ, Achan, irreligiositate, Heli indulgentia mortem promoueant.

CAPVT XLVIII.

Alia caussa, ob quas juuenes moriuntur sæpe ante senes, tum ex natura, tum è diuina justitia petita.

I. Nimi caussa quidam rei rusticæ ignarus ex vrbe in rus ambulauit, ibi villicum vidit gramina metentem. Vno ictu variæ herbæ floresque varij cædebantur, & procumbebant. Nam herbarum aliæ jam adoleuerant; aliæ lactentes quodammodo, & tenellæ erant. Florum nonnulli folia omnia explicauerant, alij in suis adhuc folliculis contecti se se colligebant. Denique & eminentes, & vix è terra emergentes plantæ eádem falce secabantur. Quo viso imperitus ille, villicum messorem incusare cœpit, tamquam imprudenter, vno ictu, & matura pariter, & immatura meteret. Existimabat enim, herbas nouellas nondum exscindendas, donec in parem cum alijs magnitudinem excrescerent. Plus enim tunc villicus fœni collecturus videbatur. Villicus accusationem audiens risit, & vicissim accusatorem de inscitia rei rusticæ accusauit. Quæ enim falx id discrimen faceret, vt humilioribus parceret herbis, & altiores segregaret? Ita natura exigit, & ars præscribit, vt parua magnaque germina, nullo discrimine habeantur. Idem facit
Isa. 40. 6. mors, quæ *sceptra ligonibus æquat.* Nam *omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos, quia spiritus Domini sufflauit in eo. Verè fœnum est populus, exsiccatum est fœnum, & cecidit flos.* Vt ergo in fœno omnis generis herbæ sunt & flores, sic inter eos qui mortis falce succiduntur, omnis generis & ætatis homines esse oportet. Mors à Poëtis, per antiphrasin Parca vocatur, quia nemini solet parcere. Nulli itaqua sexui, nulli condicioni aut fortunæ blanditur. Non illam vires superant, non diuites pecunijs corrumpunt; pueros rapit & adultos, viros ac feminas, dominos & seruos; diuites & pauperes; doctos & indoctos. Qui igitur aliquem mori dolet, genitum quoque fuisse dolere debet. Natura hæc est, nascimur vt moriamur; immò, vt quidam dixit: *Nascentes morimur, finisq; ab*

origine pendet. Talis fuit ille, qui ex Naim efferebatur: *Filius* Luc. 7. 14.
vnicus matris suæ. Erat enim juuenis, immò adolescens. Nam
ita CHRISTVS dixit: *Adolescens, tibi dico: surge.* Illum CHRISTVS
non magis jusserat surgere, quàm priùs mori. Moriebatur enim
vt resurgeret, miraculo CHRISTVM illustraturus. II.

Quin ideò quoque obierat adolescens, sicut multi quotidie,
vt error illorum tolleretur, qui existimant, idcircò se diutissimè
victuros, quòd juuenes sint; aut quòd sint chari, aut quòd opu-
lenti. Adolescens ille & juuenis erat, & vnicus vtique charus
matri suæ; quin & opulentus, alioqui non tot habuisset funeris
sui comites. Nam *turba ciuitatis multa* funus comitabatur.
Itaq; neq; eum matris amor, nec populi fauor, neq; medicorum
ars, neque diuitiæ, neque fletus amicorum, neque immatura ætas
contra mortem defendit; sed tristis eius casus palàm ostendit,
verum esse illud dictum: totidem vitulorum, quot vaccarum
pelles ad forum portari. Mors sine auribus pingitur, non sinit
se placari precibus, inexorabilis est. Effossis est oculis, cæco ictu
obuia quæque metit. Viscera non habet, vt moueatur. Ossea
est & dura, non flectitur. Longis cruribus, assequitur omnes,
passus enim ingentes facit. Falcem denique stringit in omnes.

Quid igitur? num DEVM arguemus crudelitatis? At DEVS ho-
minem creauit à morte exemptum. *Deus mortem non fecit, nec læ-* Sapi. 1. 13.
tatur in perditione viuorum. Quis ergo mortem fecit? *Per vnum* Rom. 5. 12.
hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors.
Non ergo Deus accusandus est, sed homo, qui se ipsum morti
subjecit, à qua se exemptum sciuerat, si non peccauisset. Nunc
ergo *statutum est hominibus semel mori.* Nullus ampliùs eximitur. Hebr. 9. 27.
Seriùs, aut citiùs metam properamus ad vnam. Adeò vt etiam,
qui, neque actuali, neque originali peccato contracto, prorsus
innocentes erant, CHRISTVS Dominus ac Mater eius sanctissima,
tamen mortem, tamquam naturæ humanæ, ob Adami pecca-
tum decretam, subierint. Hæc ergo prima moriendi caussa.
Vixissent homines semper, si numquam peccauissent. CHRISTVS
non peccauit, peccati tamen, cum natura nostra assumpsit
pœnalitates.

At, si moriendum est, cur tam juuenes moriuntur? Qui III.
Mun-

Mundum condidit, eumdem gubernat. Quòd si igitur non vult eumdem destruere gubernando, necesse est, eum diuersis rerum naturis conuenienter gubernare. Quin & ad infinitæ illius sapientiæ authoritatem pertinet, cursum naturæ non impedire, ne quod sapienter condidit, retractare videatur. Itaque quidam flores ephemeri, & vnius diei sunt, alij diutiùs durant; quædam arbores etiam tota hieme virent, vt abies, buxus, cedrus, hedera, cùm interea etiam ipsæ quercus folia amittant; quædam animalia longæua, vt cerui, cygni, corui, cornices; quædam admodum breuis vitæ habentur, ob variam corporis constitutionem. Quin & in eádem specie vnus equus, vnus asinus diutiùs vitam produxit, quàm alter, vel ob generosiores natales, vel ob casus quosdam extraordinariosque labores. Ita inter homines etiam ipsos contingit. Omnes similes sumus in natura; moribus & ingenio, & valetudine dissimiles. Lampas, quæ plus olei habet, diutiùs lucet: citiùs extinguitur, in qua oleum deficit. Oleo comparari potest humidũ radicale, quod in vno magis abundat, quàm in altero. Cuius rei caussa sunt vel illorum sidera & complexio, vel illorum parentes morbidi, vel ipsimet.

IV. Quare nullus juuenis, longiores annos sibi promittat sene. Nescit, quantum olei supersit. Quo consumpto, alij deinceps *vitai lampada tradet.* Et numquid non æquè subest diuinæ prouidentiæ imperio ac senex? Illa cùm quibusdam longam, quibusdam breuem vitæ periodum præscripserit, illis certam olei mensuram longeque, quàm istis, capaciorem attribuit. Quis autem in diuinæ prouidentiæ librum inspexit? quis sibi notam esse dicere potest illam mensuram? Hoc vnum scimus, nos morituros; diem aut horam, immò annum nescimus; vt semper vigilemus. Thomas Morus, elegantis vir ingenij, hominem diu victurum, & hominem citò moriturum comparare solebat, duobus furibus, qui ad idem patibulum ducuntur, alter via longa, alter compendiosa, hac condicione, vt neuter sciat aut breuitatem viæ, aut prolixitatem. Iuuenis & senex ad eamdem mortem trahuntur, cuius tempus vtrique ignotum est. Vnde ergo tu scis, ô juuenis, te longiore potiùs via ducendum? Quoties de funere audis adolescentis, cogita eum tibi esse admonitorem. Sequêris,

Lucret. lib. 2.

& fortè citiùs, quàm credas. Monet te natura; monet fragilitas; monent socij; moneris iam per iocum; iam seriò. Multi per somnia instigantur, vt tibi dicant, vltra duos, tres, aut quatuor annos te non superuicturum; tempus esse conuasandi. Multi (vt Caiphas) nescij prophetant, multi quoties pro te DEVM orant, tacitè impelluntur, vt te moneant, ne differas de die in diem conuerti ad Dominum. Quin tibi ipse Angelus tuus custos sæpius eiuscemodi inijcit cogitationes. Si non sapis, si non nouissima prouides, quomodo te excusabis? Sed sunt quidam, qui *instar serpentis obturantis aures suas*, auditum auertant & fugiant Psal. 57. 5.
monere cupientes; digni, quibus & CHRISTVS aures suas occludat, dicatque: *Vocaui, & renuistis. Ego quoque in interitu vestro* Prouerb. 1. 24
ridebo.

V. Quando DEVS extra naturæ ordinem non agit, sed communi lege omnia fieri permittit, tria sunt, quæ tam iuueni, quàm seni mortem accersant, duo interna, contrarietas qualitatum, & calor; tertium externum nocens. Nam primò constant copora humana rebus valde contrarijs, & inter se pugnantibus, nempe quatuor elementis, quatuor humoribus, partibus heterogeneis contrarias naturas includentibus, & se se mutuò atterentibus. Cerebrum frigidissimum; cor calidissimum; mollis est humidaque caro, os durum & siccum. Cùm ergo contrariarum rerum consociatio non possit esse perpetua, fit, vt tandem dissoluantur. Atqui dissolutioni huic æquè iuuenis ac senex obnoxius est. Quin haud raro periculosiore in statu res sunt iuuenum, quàm senum: siquidem in senibus firmam quamdam stabilemq; temperiem mutua collisione acquisiuerunt illa contraria; quæ in iuuenibus omnia ardentiùs, & quasi secundùm vltimum potentiæ agunt. Duo infirmi, & longo bello exhausti debilitatique hostes, non tantum sibi mutuò nocumenti inferunt, quantum duo alacres & viribus integris præditi; multoque citiùs hi se expedient, quàm illi. Ita & in iuuenibus fortiores sunt pugnæ & conflictus virium adhuc non refractarum. Hinc illæ febres ardentes, hinc phreneses puerorum. Secundò, Ipse calor quo viuimus, nempe naturalis ille corporibus insitus, qui animæ ad omnes functiones, vt naturale & generale instrumentũ datus,

humori natiuo cohæret, tamquam pabulo quo pascitur & sustentatur, sicut ignis lignum, ita humorem illum identidem depascitur & conficit. Tamesi autem assidua vegetatione resarciatur, non tamen resarcitur secundùm eam vim ac puritatem, quam primò habuit; itemque, quia omne agens naturale, dum agit, etiam vicissim patitur, fit vt semper magis ac magis debilitetur. Vnde ortum habet corruptio sanitatis, infirmitas virium, sensuum imbecillitas, incommoda senectutis, & tandem mors. Hæc itidem caussa non minùs locum habet in iuuenibus, quàm in senibus; aliquando etiam magis. Nam quò vehementior est in iuuene calor, eò plus natiui humoris deuorat & absumit; vt natura tantum non possit semper restituere, licet alioquin plus restituat, vnde in maius crescere & augmentum accipere possint. Ea de caussa vidimus sæpe fortissimos ac robustissimos citissimè interire; & si pinguem ac validum inuadat febris, aiunt Medici, eum grauiùs laboraturum, quàm, si febris nihil in eo alimenti reperisset. Interim frequenter debiles admodum, & qui semper habent aliquid in corpore reficiendum, in multos annos viuunt; nempe, quia in istis longè intensa minùs est actio caloris, quàm in validis illis Trossulis & Entellis.

VI. Tertiò, mortis caussa sunt ea, quæ extrinsecus homini perniciem exitiumque moliuntur; vt aër pestilens, aqua suffocans, terra obruens, ignis adurens, sæua & venenata animalia, homines inimici, quin & inimici dæmones, & mille alia talia. Quid enim hominem occidere non potest? *Aut vbi mors non est, si iugulatis aqua?* ait ille de stiria decidente, & iuuenem perimente; quid non possit mortem inferre, si vuæ acinus suffocauit Anacreontem? Si araneæ gutta, si viperæ denticulus vitam euertit? Si tot hastæ, tot mucrones & pugiones, si tot sclopi & tormenta bellica in mortes hominum præparantur? Alij saxis, alij tegulis compluuntur. Plurimi impressione aciculæ perierunt. Quòd si igitur hanc tertiam caussam spectemus, fatendum erit, his omnibus tantò magis obnoxios esse iuuenes, quantò minùs cauti pericula quæque aggrediuntur, iisque etiam se vltro ingerunt atque immiscent. Senex experientia longa doctus, omnia metuit, omnia circumspicit, & didicit se se contra omnia discrimina con-

Martial. li. 4. ep. 28.

na con-

na conseruare; scit quid vitandum, quid in opem vocandum sit. Iuuenes è diuerso, omnia tuta putant, quia nondum sciunt anguem in herba latere. Quæ ergo non vident, non timent. Quæ non timent, etiam vltro appetunt & sectantur. Quin & viribus ac valetudine freti, omnia audent. Dum ergo senex sibi attendens parciùs bibit; iuuenis intrepidè cymbium Herculis exhaurit. Non illum aër, non aquæ terrent; volat, natat, nullum metuens profundum; subit aggeres, excipit ignes; & si hostis deest, hostem sibi facit prouocando. Quare sicut infantes sine nutrice citò cadunt, ita iuuenes sine solicitudine periculi periculis se permittunt. Nutrix si adest, tenet ruentem; sic senes ipsa sua se cura retinent in vita; dum iuuenes incurij obuijs casibus capiuntur. A cocis solet peti similitudo. Illi si ollam habent veterem, debilem, exustam, attentissimè eam tractant, leni motu, & vtráque manu foco apponunt, ne frangatur: at nouam ac recentem dum fidentiùs incuriosiusque reponunt, frangunt. Sic senex, vt olla vetus, sibi ipsi attendit; iuuenis vt olla recens, sibi ipsi fidit, vnde multa audet, multa tentat. Quid mirum si citiùs frangatur? Nonnè plures natando iuuenes pereunt, quàm senes? nonnè plures saltando rumpuntur in iuuentute, quàm senectute? Qui pluries duellis cadunt? qui bellis? nonnè iuuenes?

Qui tamen hoc non credunt, nempe se magis de vita peri- VII.
clitari, sed imaginantur sibi omnes longiorem vitam. Quibus
errorem suum robustis verbis inculcat S. Iacobus. *Ecce*, inquit, Iacob. 4. 13.
qui dicitis: Hodie aut crastino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & lucrum faciemus: qui ignoratis quid erit in crastino. Quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. Cur autem hoc non credunt adolescentes? cur se in Italiam, Galliam, Hispaniam ituros, magnos in aulis futuros sperant? ob multas rationes. Nam primò ea, quorum nullum adhuc indicium sentimus, non solemus curare; præsertim si adsint in contrarium argumenta. Cùm ergo adolescens sanum se ac robustum videt, statim conijcit, non tam subitò se moriturum. O puer imprudens, cur mari tranquillo credis? quanta quàm subitò malacia in quantam mutari potest tempestatem?

Secundò. Id accidit fraude diaboli, pictorem imitantis. Pictor enim quædam in tabula ita depingit vt longissimè distare videantur, quæ tamen in eádem tabula sunt, in qua illa, quæ putas oculis tuis viciniſſima. Sic dæmon ſæpe mortem, quæ in propinquo, immò jam in tergo eſt, facit longiſſimè diſtantem apparere. Hac fraude plurimi impelluntur, vt peſſimè moriantur. Tertiò, Præſentium bonorum amor ac cura homines ita excæcat, vt non videant ea, quæ futura ſunt, ſed vt identidem terrenis intenti, vitam ducant abſque metu. Sic ſimia canes fugiens, dum in aqua relucente imagine ſua ſe oblectat & fugere obliuiſcitur, capitur. Sic dum ocreas piſcatorum pice illitas induit & ludit, libertatem amittit. Maximè verò in ſpem longioris vitæ inducuntur juuenes, dum latentes morborum cauſſas non vident, neque ſciunt pugnam contrariorum in ſe, caloris defectum, & externa pericula, quas tres eſſe cauſſas diximus, ob quas adoleſcentibus mors ſolet venire ante tempus.

VIII. Prima & ſecunda cauſſa, ſi ſecundùm ſe, & congenitum temperamentum ſpectentur, habent ſanè certum à natura tempus ac terminum ſibi præſcriptum; plerumque tamen is teminus à tertia cauſſa prçuenitur & contrahitur. Pugna enim contrariorum in homine acuitur ab intemperantia, calor natiuus incenditur à libidine & furore; ſæpe etiam calore extrinſecus adueniente calor deſtruitur naturalis. Quamobrem aut ſenibus ſibi magis attendentibus ac temperantibus, neque totos congios animæ ſuæ ſuperfundentibus, non tantopere timenda mors eſt, quantopere juuenibus; aut ſaltem his æquè atque illis; quando ijſdem conſtât principijs corruptionis. Quemadmodum vaſa fictilia æquè ſunt obnoxia periculo, ſiue noua ſint, ſiue vetuſta; fictile enim opus, fragile eſt opus; ita homines pariter omnes ſunt mortales, & mille periculis expoſiti, ſiue ſint ſenes, ſiue adoleſcentes. Si enim figuli officinam ingreſſus videres menſam, immò omnem officinam fictilibus vaſis refertam, quorum quædam recentia, & adhuc à furno calida; quædam antiqua; alia parua, alia magna; quædam deformia, quædam elegantia; & è figulo quæreres, quodnam ex illis ſit priùs frangendum? reſponderet ſine dubio, illud, quod aliquo caſu priùs in terram deciderit,

derit, aut ad murum allidetur. Ita ex hominibus ille priùs è vita
decedet, non qui fuerit antiquior, sed quem aliquis casus applau-
serit, duxeritque priùs ad sepulchrum. Totus mundus nihil aliud
est, quàm quædam figuli officina. *Habemus thesaurum istum* 2. Cor. 4. 7.
(vitæ, animæ, gratiæ) *in vasis fictilibus*, inquit Apostolus: Su- Psal. 2. 9.
mus ergo fragilia vasa: *Tamquam vas figuli confringes eos*: & de Isa. 30, 14.
alio dicitur: *comminuetur sicut lagena figuli*. Permittit ergo hæc
vasa, & has lagenas casibus, & naturæ cursui omnipotens gu-
bernator, cuius est naturas rerum non impedire, quas tanta sa-
pientia consilioque produxit.

IX.

Quamquam interim, si illius consilia rimemur, nullus fit
in orbe casus; omnia certo fine peraguntur, vel permittuntur.
Nam si à natura velimus ascendere ad naturæ Authorem, &
fontem rerum supernaturalem, qui est DEVS, plurimas ille, gra-
uissimasque insuper caussas habet, ob quas sæpe iuuenes citiùs
velit emori, quàm senes. Apud Ieremiam legimus, Prophetam Ierem. 18. 2.
iussum ire in domum figuli, conspexisseque ibi facientem opus
super rotam, & cùm dissipatum esset vas, quod faciebat è luto
in manibus suis, statim fecisse illud vas alio modo. Tum DEVS
ad Prophetam: *Numquid sicut figulus iste, non potero vobis
facere? Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea?* Rom. 9. 21.
Quòd si alia caussa non esset, ea esset, vt Dominus se figulum
illum esse ostenderet, qui *formauit hominem de limo terræ, &* Gen. 2. 7.
*inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in ani-
mam viuentem*. Sed & aliæ illi suppetunt caussæ. Aliquando
enim relinquit opus suum, donec naturæ infirmitate frangatur,
quando scilicet ita ad gloriam DEI, atque ipsius hominis id seruit
vtilitatem. Quòd si caussa, & culpa interueniat aut parentum,
aut filiorum, aut aliorum, ipse vas suum frangit, &, si placet,
immutat, vt filium illum vnicum viduæ, quem ante portas vrbis
Naim suscitauit; vt defunctam filiam Archisynagogi, vt ipsum Luc 7. Luc. 8.
etiam Lazarum fregit, & iterum per resuscitationem immuta- Ioan 11.
uit. Sæpe autem, immò plerumque fractum relinquit, quia pauci
sunt, qui à mortuis suscitantur. Adeò vt rectè Mundus hic sit
comparatus carceri, quem rex potens curauit ædificari, & in
eum conijci multa millia sceleratorum hominum; mandans, vt

singulis noctibus modò quini, modò deni ad supplicium ducantur, semperque alios super alios induci jubens reos, qui passim in regno capiuntur. Sicut enim à tali carcere justissimè iam hic, iam ille, prout regi libet, ad mortem rapitur, ita è Mundo mors quoslibet abstrahit, prout Deo videtur. Sicut ibi nemo securus est, ita etiam hîc; sicut ibi juuenes ante senes, & senes ante juuenes promiscuè, ita etiam è Mundo euocantur. Cùm autem omnes debeant timere, imprimis debent id facere adolescentes, quos præter dictas caussas, sæpe Devs, peculiares ob rationes, citiùs jubet è vita exturbari. *Placens Deo factus est dilectus, & viuens inter peccatores translatus est, raptus est, ne malitia mutaret intellectũ eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transuertit sensum sine malitia. Consummatus in breui expleuit tempora multa, placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum, &c.* Huic tali beneficium est mors; alijs vitâ indignis supplicium.

Sap. 4. 11.

X.

Ad hunc modum solent reges, vlturi grauia parẽtum crimina, vel ex tyrannide grauissima, ad maiorem luctum illis inferendũ, filios in oculis atq; conspectu eorũ necare. Ita fecit Phocas Mauritio Imperatori; ita septẽ filij & fratres Machabæi, jussu Antiochi, in præsentia matris, dirissimè sunt excruciati; ita filij Sedeciæ, à cõplexu eius auulsi, jussu regis Babylonij, sunt contrucidati, ita Calliopius coram Theoclia; ita coram Felicitate septem filij Martyres immanissimè sunt interempti. Simile quid facit Devs, patitur mori juuenes, vt puniat parentes officij sui immemores; quando nimis perditè filios amant. Ita factum est memorato Dauidi, filium ex Vriæ vxore susceptum vehementer amanti, cuius ardentissima deprecatione nõ passus est se se exorari Devs, sed eum sustulit è Mundo, quem Dauid sustulit ex adulterio. In Ægypto quantum flagitium, tantum extitit & supplicium, quando Dominus Iudex puniuit Pharaonem; permisit enim omne primogenitum mori, *à primogenito Pharaonis, qui sedebat in solio eius, vsque ad primogenitum ancillæ, quæ est ad molam, & omnia primogenita jumentorum.* Notum est illud Cæsarij de milite, qui videns à parte occidentali aërem obscurari, nubesq; imbriferas oriri.

Exod. 11. 29.

Cæsarius. l. 4. cap. 23.

iratus

iratus dixit: Ecce vbi iterum diabolus ascendit. Vix sermonem finierat, & ecce orta tonitrua, filium eius in sinu nutricis percusserunt, ipsa incolumi permanente. Fertur Nobilis ante fenestram suam in horto arborem habuisse, in qua nidulans auicula suauissimè canebat. Ei canenti vt identidem attenderet vxor eius, totos dies in fenestra jacebat otiosa. Cùm ergo alia illam ratione non posset seuocare maritus, tandem auiculam sagittâ dejecit: ita vxorem ad domestica munia reuocauit. Ad eumdem modum Devs, cùm videt parentes filijs suis nimis affixos, & quodammodo cæli suique oblitos, sagittâ mortis eos deijcit. Quoties parentes timent, ne filij sui nimis fiant pij, ne in religiosum Ordinem intrent, atque eapropter à colloquio reuocant magistrorum? Quoties, vt filios ditent, subditos depauperant? Quoties omnia permittunt, quæcumque libido suadet; dicentes, vnicus est, sat habet bonorum, vtatur libertate? Adest ergo Devs, & vnicum tollit. Aut, si quis plures habet, vnum tollit post alterum, donec tandem nulla monitione emendatum tollat etiam ipsum parentem; qui priùs velut simia nimo amore fœtum suum comprimens necauit.

Maximè autem amittunt ante tempus vitam, qui ea se se- XI.
sceleribus suis indignos fecêre; atque ij potissimùm, qui in parentes suos iniurij existunt. Exemplum luculentissimum est in Absalone; qui amore dominandi persecutus parentem, non à 2. Reg. 18. 9.
carnifice, sed à proprio mulo, & proprijs crinibus suspensus est. Nam *cùm ingressus fuisset mulus subter condensam quercum & magnã, adhæsit caput eius quercui: & illo suspenso inter cælum & terram, mulus cui insederat pertransiuit. Tulit ergo* (Ioab) *tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalom: cumq; adhuc palpitaret hærens in quercu, cucurrerunt decem juuenes armigeri Ioab, & percutientes interfecerunt eum.* Quantus tum luctus fuit Dauid clamantis: *Absalom fili mi, fili mi Absalom, quis mihi det, vt ego moriar pro te?* Et tamen Devs luctum hunc non curauit. Obseruatione dignum est, inobedientes filios & filias, vt plurimùm à Deo Exod. 20.
tolli. Quod ipse minatus est in Decalogo: *Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram quam Dominus Deus* Prou. 19.
tuus dabit tibi. Et in Prouerbijs: *Qui affligit patrem, & fugat matrem,*

trem, ignominiosus est, & infelix. Vt quid enim terram occupat?
Prou. 20. Ac rursus: *Qui maledicit patri suo & matri, extinguetur lucerna eius,*
Prou 30. *in medijs tenebris.* Iterumque: *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.* Sed adhuc grauius quid dicitur
Leuit. 20. in Leuitico: *Qui maledixerit patri suo aut matri, morte moriatur; patri matriq́ qui maledixerit, sanguis eius sit super eum.* Omnium grauissimum est: *Extinguetur lucerna eius in medijs tenebris;* significat enim hæc sententia mortem in peccatis mortalibus atque extra gratiam. Etsi enim aliqui exponant: *Extinguetur lumen vitæ eius, in hoc Mundo,* hîc enim in Mundo sumus, quasi in tenebris, quia & Christus dicitur *illuminare his, qui in tenebris sedent, & in vmbra mortis;* tamen per tenebras frequentissimè intelliguntur peccata, quæ cæcitatem inducunt, quæq; æternam illam
Deuter. 27. maledictionem merentur. Vnde & in Deuteronomio legimus: *Maledictus, qui non honorat patrem suum, & matrem, & dicet omnis populus: Amen.*

XII. De vtraque morte sunt exempla. Temporalem vitam esse talibus diminutam, luculentè ostendit D. Bernardinus hac historia. *Nostra,* inquit, *ætate in Hispania citerioris oppido Catalauniæ, cui nomen Sui, non ita procul Valentiâ, adolescens fuit, qui per parentum inobedientiam eò deuenerat, vt anno octauo decimo propter latrocinia & publica facinora, in vincula conjectus, & suspendio damnatus sit. Erat etiam tum prorsus imberbis, pendenti verò iam atque exanimi subitò prorumpit barba, spectante populo. Comæ capitis planè senescunt, vt ætatem referret hominis nonagenarij. Miraculo rei accitus cum populo & toto Clero accurrit Episcopus. Omnes in genua prostrati expectant, dum ostendat DEVS, quid sibi monstrum hoc velit. Atque ecce tibi Episcopus editiorem capiens tumulum ad omnes ait: Voluisse DEVM ostendere, quantum de vita eis detrahat, qui de parentum obedientia detraxerunt: victurum etiam hunc juuenem fuisse ad eam ætatem, quæ iam apparebat in facie, nisi ipsos septuaginta annos parentũ inobedientia detraxisset.* Audite hæc pueri puellæq; cerebrosæ & inobedientes, quæ parentes vestros toties ad iracundiam prouocatis; cum illis litigare, rixari, conuitia miscere audentes; illis non verentes contradicere, detrahere de bona

(S. Bernardin. Tom. 2. Domin. 1. quadrages. serm. 17. & Guil. Baldesan l. 3. stim. adolesc. cap. 16.)

existimatione, quin & sæpe verbera minari. Quamuis enim sæpe parentes in caussa sint, vt ob amorem nimium, aut nimiam indulgentiam & impunitatem tales filios nanciscantur, non patitur tamen Devs eiuscemodi filios inultos. Neque hâc tantùm vitâ priuat, sed etiam sæpe æternâ. *Alium quempiam*, ait Thomas Cantipratanus, *in partibus Galliæ, sub Philippo rege, nostris temporibus fuisse cognouimus. Hic ab ineunte ætate peruicacissimæ vitæ fuit: Vt illud, quod de Ismaële scriptum est: Manus eius, contra omnes, & manus omnium contra eum, in eo ita videretur impletum, vt ne parentes proprios quiescere sustineret, sed ad amarissimum vitæ finem perduceret. Post quos & ipse miserabiliter infirmatus, & in agone mortis positus sumptis Ecclesiasticis Sacramentis, subitò, inter manus assistentium clamans, horribiliter exiliuit dicens: Surgite omnes, arma accipite, iuuate me contra proprium patrem, quia omnium inimicorum meorum ductor factus est, & me conatur occidere. Et hoc dicens, quasi contra ingredientem multitudinem, ad ostium conabatur. Nec mora, cadens, euersis terribiliter oculis, clamauit expirans: Heu me! pater meus modò validissimo lapide frontem meam percutiens contriuit. Hi autem, qui assistebant, neminem quidem videbant, sed quasi turbas se comprimentium, & ingredientium audiebant. Vide ergo, qui nec patrem proprium propitium habere potuit, quantis diuinæ vindictæ animaduersionibus dignus fuit. Non tamen absolutè eum, qui apparuit, illius patrem dixerim; sed quemcumque fortè ex spiritibus, siue bonis, siue malis, cùm dictum sit: Armabit creaturam ad vltionem inimicorum, contra insensatos.*

Thom. Cantipratan li. 2. Apum. c. 14. §. 7.

Gen. 16.

Sapi 5.

XIII.

Itaque impij *non dimidiabunt dies suos*, quia neque ad dimidium peruenient suorum dierum. Quamuis enim *stet sua cuique dies*, & *constituti sint termini vitæ, qui præteriri non possunt*, ac *numerus dierum præfixus sit*, in præscientia prouidentiaque Dei, ab æterno aspicientis, qua eum & die, & hora de Mundo auulsurus sit ita merentem; iuxta naturæ tamen mensuram, sæpe, quæ protelanda erat, *vita tela vel à carnifice, vel à casu sinistro præciditur.* Apertè id docet Scriptura. *Ne*, inquit, *impiè agas multùm* (perseuerando scilicet, aut plura patrando, atrocioraque) *& noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo*; à natura alioqui tibi dando, aut etiam à gratia peculiari, vltra naturæ pensum, & Parcæ

Virgili 10. Æneid. Iob. 14. 5. Psal. 38. 5.

Isa. 38. 12. Eccles. 7. 18.

fusum filumque. Prorsus enim etiam ille *tempore non suo*, sed tempore diuinæ vindictæ moritur, qui sine pœnitentia moritur; & saltem *non ita dimidiat dies suos*, vt det medios pœnitentiæ, quia medios dederat vanitati. Ita enim eum locum S. Bernardus interpretatur, vt dicat, eos *non dimidiare dies suos, qui in sua vetustate vsque ad mortem perseuerant*. Et S. Gregorius itidem illos censet, idcirco non *dimidiare dies* suos, quia tempus vitæ malum, voluptatibusque ductum, ad pœnitentiæ lamenta non diuidunt; nec, ad bonum vsum partiendo, reparant; sed peruersam mentem, nec in extremis quidem annis immutant, atque *tempus non redimunt*, anteactam vitam, quam lasciuiendo perdiderunt, flendo reparantes. Indigna res, si, qui omnem vitam Deo deberent, ne mediam quidem dignantur consecrare; tota proinde exuendi. Cur enim dies illis Deus det, & prolonget, qui nolunt eos Deo reddere? Hinc multos vidimus, qui à Deo ad religionem vocati, cùm vegeti essent, & viribus robustis, atque, per naturæ dona, ad senectutem vsque Nestoris peruenturi; subitò tamen etiam in ipsa iuuentute extincti sunt, quòd Deo viuere noluissent. Nimirum promiserant sibi longam ætatem, & sæcula in voluptate peragenda; sed non *dimidiarunt dies suos*, quos sibi parentibusque promiserunt. Igitur *in dimidio dierum ad portas inferi* tetenderunt, & *sublati sunt, ante tempus suum*. Sicut & ille stultus, qui *animæ suæ dicebat: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare*; & eâdem nocte vita sua est exutus. Quod & regi Balthassari contigit, qui *eâdem nocte interfectus est*, qua epulum *mille optimatibus* dederat, *& temulentus in vasis aureis, atque argenteis domûs sacræ triumphârat*. Id ipsum Chrysologus docet, in villici parabola significari, dum enim villicationis amittit tempus, immaturum exitum exprimit, & illum denotat, qui ad statutum vitæ exitum non pertingit. Hæc & Ieremias edixit his verbis: *Perdix fouit, quæ non peperit: collegit diuitias, & non in judicio; in medio dierum derelinquet eas.*

S. Bern. serm. de cantico Zachariæ. S. Gregor. 5. Moral. cap. 28. Ephes. 5. 16. Isa. 38. 10. Iob. 21. 16. Luc. 12. 20. Dan. 5. 30. Chrysolog. serm. 125. Ierem. 17. 11.

XIV. Demitur ergo de vita & voluptuarij, vt illi contigit, qui *in plurimos annos bona* reponebat; & superbi, vt Balthassari; & auari, vt villici; & murmuratoris, vt Core, Dathan, & Abiron;

Num. 16.

&

& aliorum, vt in Saule, Achitophele, Absalone, Amnone, cla- 1. Reg. 2. 33.
de Sodomitica; Diluuij, Maris rubri, & familia Heli est manife-
stum, cuius partem magnam comminatus est morituram DEVS,
cùm ad virilem ætatem venissent. Thomas Bozius demonstrat, Bozius de signis Eccl. lib. 23. cap. 5.
hæreticis regibus, dum vixêre in regno, vltra 40 annos vitam
longiorē non fuisse, vnico Andronico secundo seniore excepto,
Palæologo; qui annis 43. imperauit: cùm tamen multis Catho-
licis vita fuerit, in ea dignitate longior; scilicet ob Patrem
Deum, & matrem Ecclesiam honoratam, vt diuinum promis- Exod. 20. 12.
sum impleretur, de vitæ longæuitate. Fortasse etiam ob istam
caussam vniuersim homines nunc sunt æui breuioris, quàm ini-
tio Mundi innocentioris, cùm tot Macrobij inuenirentur. Nunc
enim multis reipsa contingit, quod D. Antoninus narrat Ana-
stasio Imperatori non sine prodigio contigisse, Apparuit enim
illi horribili specie vir cum libro, in quo scriptum erat: *En, ob
tuam improbitatem, quatuordecim tibi vitæ annos deleo.* Quoties,
ô iuuenes, non apparet quidem, sed delet tamen vobis Deus, vni
quidem quatuordecim, alteri viginti, alij triginta, quadraginta-
que vitæ annos, quos in improbitatem semel lapsi diabolo con-
secraretis? Cur enim tot iuuenes florentissimos in media mori
adolescentia videmus? Rapiuntur quidem nonnulli, *ne malitia* Matth. 24. 12.
peruertat intellectum illorum: & *dies Sanctorum* quoque *breui-* Author operis imperf. hom. 49. in Matth.
antur, teste Auctore operis imperfecti, ne det DEVS *in æternum
fluctuationem iusto*, vsque adeò impij non solùm sibi, sed etiam
probis vt vita breuietur, caussa sunt: attamen multò plures impia Iob. 21. 21.
viuendi ratione mortem sibi ipsis ante tempus accersunt. *Nihil* cap. 15. 32. 33.
enim ad impium pertinet de domo sua post se, & si numerus mensium cap. 4. 20.
*eius dimidietur. Antequam dies eius impleantur, peribit, & manus
eius arescent: lædetur quasi vinea in primo flore botrus eius, & quasi
oliua proyciens florem suum. De manè vsque ad vesperam succidetur.*
Nunc quidem efferri cernimus ad sepulchrum multos, caussam
autem non cernimus. Erit cùm aspiciemus eiuscemodi cadaue-
ra purpuratorum iuuenum, animam ipso cadauere habuisse fœ-
diorem, dignam proinde fuisse, quæ, dum corpus terræ traditur,
in inferno sepeliretur. Quamquam his ipsis beneficium confert

Deus, dum vitam tam citò aufert; aufert enim cum vita occasionem atrociora supplicia promerendi.

XV. Sed cur non etiam sine beneficio hoc auferret vitam illis, qui improbitate sua faciunt, vt etiam sancti viuere diutiùs in tam scelerato Mundo non velint? Nam eousque peccatum progreditur, vt & malos faciat vita indignos, bonos autem vitæ indignantes. *Idcirco tæduit me vitæ meæ,* ait ille, *videntem mala vniuersa esse sub sole, & cuncta vanitatem.* Quale vitæ tædium etiam Rebecca, Iob, Ionas, Elias, Paulus, Christus, alijque quàm plurimi habuerunt. Diem natalem Iob maledixit; & Ieremias, ac Mathathias, se natum doluit. Et Paulus cum eodem Iob, & Ieremia, & Elia, & Dauide ex hac vita discedere desiderauit. Et *qui vitam odio habuit,* ait S Ambrosius, *vtique mortem prædicauit, grauius est enim ad peccatum viuere, quàm in peccato mori.* Immò longè præstabilius est millies mori, quàm in peccato viuere. Hinc solenne est sanctis viris tædium præsentis vitæ, vt ipsi mortui Deum etiam leuiter desinant offendere, ac videre peccata aliena, quibus grauiter læditur diuina maiestas. Minùs enim illis dolet mors sua, quàm mala aliena, vt apparuit etiam in S. Augustino, cùm eius ciuitas obsideretur. Itaque & se perimunt ante tempus, qui peccant, & eos, qui non peccant, vt vel sic bis peccent peccatores. Qui plura vult de hoc argumento, legat S. Gregorium Nyssenum oratione de ijs, qui præmaturè abripiuntur.

Eccles. 2. 17. Gen. 27. 46. Iob. 10. 1. Ion. 4. 8. 3. Reg. 19. 4. 2. Cor. 1. 8. Marci. 14. 33. Iob. 3. 1. Ierem. 20. 14. 1. Machab. 7. Rom. 7. 24. Phil. 1. 21. Psal. 141. 8. S. Ambros. de bono mortis. cap. 7. Possidon in vita S. Augustini. cit.

CAPVT XLIX.

Mortes varias, per bella, pestes, aliasq; caussas, iustissimis Dei iudiciis in homines immitti.

I. Vr homines nonnulli citiùs moriantur, satis dictum existimo. Atque hæc de tempore Mortis quoque sufficiunt. Nam quòd in senecta primùm ætate decedat, vix est quisquam qui murmuret; cùm vix quisquam sit tam senex, qui non vel speret, vel optet vitam longiorem. Quòd si enim nonnumquam tędio laboris, vel alijs ęrumnis pressus mortem videatur vocare, haud seria est vocatio, quia si vel inuocata venit, est ingrata. Quod lepida fabella expressit Æsopus, in

sene lignorum fasce grauato, ac dicente: Vtinam Mors veniret! Audijt votum mors, & ponè astans dixit: En adsum, quid me vis? exterritus senex respondit: Vt in hoc fasce portando me adiuuares, vocaui te. Ita delusa Mors, sene viuo relicto, coacta est abire. Neque aliud hoc commento voluit Phryx fabulator, quàm vota mortis non esse seria, etiam in homine senescente. Alia est ratio Sanctorum cupientium esse cum Christo, qui etsi ex animo clament: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius!* Non clamant tamen ex impatientia, neque murmurant contra Dominum, qui eos sinit diutiùs exulare: Sed potiùs dicunt cum S. Martino: *Si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.* Itaque de tempore mortis, abundè est disputatum. Sed de modo ac vario genere morientium, pauca restant dicenda, cùm passim plurima jam sint à nobis tradita, vbi priuata delicta priuatis pœnis justissimè punita demonstrauimus. Rom. 7. 24.

II. Neque tamen mors particularis sufficit: si flagitia sint publica, si in cælum clamantia, publica etiam morte puniuntur. *Si erit malum in ciuitate,* ait Amos, *quod Dominus non fecerit?* Itaq; bella, famem, pestem, depopulationes agrorum, interitus equorum & jumentorum ceterorum immittit justissimus Mundi Gubernator. Ad bella quod attinet, an non his Iudæorum peruicaciam plerumque Devs vindicauit? (jubet enim compendio repetere, aliàs fusè enarrata) Iam Assyrios, iam Chaldæos, iam Ægyptios, iam Romanos in eos excitauit. An non decem tribus, vbi à regibus Syriæ castigatæ nondum ad frugem redierunt, justo Dei judicio ad extremum stirpitus excisæ fuerunt, alijs in seruitutem abreptis, alijs gladio interemptis? An non etiam tribus Iuda & Beniamin, quæ solæ è duodecim restabant, à Chaldæis postea dissipatæ, & in Chaldæam transportatæ sunt, vbi per 70. annos durissimæ seruitutis jugum sustinuerunt? Hanc pœnam vbi persoluerunt, iterum misertus eorum Devs, in patriam illos remisit, ac denuò opibus & omni felicitate auxit, crescereque fecit in populum grandem. Sed vti difficilius est ferre secundam, quàm aduersam fortunam, ita rursum à recta virtutis via in errores declinauerunt, nihil nisi corporis bona æstimantes, Quare neq; Messiam cęlestia tradentem receperunt; Amos. 3. 6.

quin ipsum & Apostolos eius sæuissimè interfecerunt. Rursum ergo supplicio digni, rursum bello tristissimo sunt afflicti. Atque vt nullum scelus potuit esse detestabilius, quàm quo ipse Devs infami cruce est interemptus, ita quoque nullum vmquam bellum plura secum exitia tulit. Fuit bellum annis diuturnum. Fuit per magna terrarum spatia extensum. Fuit licentia militari truculentum. Fuit effectu luctuque miserandum. In Iudæa vexati sunt à Præfectis & milite Romano, eo modo, quem & nos iam diu experti sumus. Nullius agri, nullius pecora, nullius domus, nullius vita erat secura. Non pauci degebant extra Iudęam, plurimi in ciuitatibus, & pagis. Vbique expositi fuerunt furenti populo. Percutiebantur, spoliabantur, fœdabantur sordibus, sauciabantur saxis, occidebantur passim, nullo eos defendente, & quod miserius est, nullo miserante, vt Philo tradit. Vt quisq; eos maximè oderat, ita maximè ludificabat. Denique scopus erant calamitatum, donec tandem obsessa est Ierosolyma, in qua obsidione omnium malorum Oceanus confluxit. Vastitas agris, incendia tectis illata; homines primùm fames; tum, quę inde sequitur, pestis vastauit adeò atrox, vt ædes & fora plateæque omnes corporibus mortuorum sternerentur, multitudine cadauerum sepeliendi potestatem superante. Iuuenes robustos, & valida ætate viros, diuersæ velitationes absumpserunt; puellas & matres honestas, militum petulantia temerauit; ciues eorumque coniuges ac liberos ignis & ensis crudelissimè interfecit, vel immitis victor in vincula & compedes dedit, vel in mancipia vendidit, vel in triumphos & spectacula Romam misit. Feruntur in vnica vrbe Ierosolymitana, obsidionis tempore, decies cētena millia perijsse, etiamsi excipias eos, qui antea per populi furorem, vel injuriam Præfectorum trucidati sunt. In seruitutem venerunt nonaginta septem millia. Ac ne in homines tantùm sæuiretur, ipsa etiam ædificia vastata sunt, diruta magnificentissima palatia, & templum augustissimum ita laceratum, vt nec lapis super lapidem permaneret. Tantas Dei iras meretur peccatum; & quidem justissimè sic Devs scelera plectit, quem offendere infinities grauius est, quàm Imperatoriam cuiusquam Cæsaris lædere Majestatem. Et quid non Cæsares fecêre, vt injurias

Philo in Flaccum, & in Legatione ad Caium.

jurias suas vindicarent? Nota est Theodosij tragœdia, vt nihil dicam de Troia ob Helenæ raptum euersa, quæ meritò potest Argi collis appellari.

III. Quemadmodum autem Iudæorum crudelitatem in Christum, bello puniuit, ita eodem pœnæ genere olim castigauit Ægyptios & Pharaonem; itemque Tyrios, Idumæos, Moabitas, Syrios, Assyrios, Chaldæos, & quid non historiæ indicant diuersis gentibus accidisse? Quare idem sentiendum est de nostris istis infelicissimis bellis. Quid enim aliud putemus esse, quàm quædam Dei flagella? Nec enim tantùm longa pace sæculum hoc nostrum cœpit in luxum solui, vt peregrinis vestibus & viri fæminas, & fæminæ viros mentirentur; vt nulli sumptus sufficerent; vt opificum vxores, nobilium matronas pallijs, tunicis, collaribus, crinium ornamentis, & mundo muliebri exæquarent; sed pænè etiam fides, religio, reuerentia Diuorum, rerum sacrarum & Ecclesiasticarum obseruatio, sinceritas, justitia omnis extincta erat; pęnè iterum terræ filij, velut giganteo bello in cælestes insurrexerunt, pęnè superos ipsos conati sunt de regia sua depellere. An non ergo & Deus bellis hæc bella compensaret, & funera funeribus cumularet, dum nos videt scelera sceleribus cumulantes? Sic maculatos crimine, emaculat sanguine: Sic Creatoris sui oblitis aurem vellit: sic opes imminuit, atque abundantiam amputat, ne in vitia ebulliant: Sic animos putrescentes sale condit: Sic delicta contracta expungit: sic fomenta subducit, ne noua contrahantur: sic ignominia implet facies nostras, vt nomen Domini quæramus: sic vulnerat, vt ad medicũ recurramus: sic accîdit multitudinem impiorum, quorum semper maior est numerus; sic proborum virtutem, patientiamque exercet, & merita coronat; sic improbis dat occasionem pœnitendi; aut, si sunt obstinati, eijcit illos de hac cæcitate sua in tenebras exteriores. Hoc merentur comperendinatores pœnitentiæ, qui velut Echinus partum differunt.

IV. Duplici autem fonte oriuntur peccata, communium cladium caussam prębentia. Aliquando enim ipse populus corruptus iram Dei in se prouocat. Quod de Sodomitis, & Ierichunte dicitur, & de alijs totis gentibus. Meritò enim Deus falcem suam

suam mittit, in senticeta passim excrescentia; vt populus luat, quod populus peccauit; quemadmodum & ad *sepulchra concupiscentiæ* euenit. Aliquando, & quidem non rariùs, ipsi Principes bella in se prouocant. Facit enim diuturna felicitas insolentes, & qui supra ceteros longè euecti sunt, ceteros facilè despiciunt. Animo igitur tumescente, non iam benefactori DEO, opes ac potentiam suam, sed suis viribus; nec diuinæ, sed suæ prouidentiæ ascribunt: progenitoribus & sanguini ascribunt, quidquid Conditoris liberalitati erat tribuendum. Hinc quidquid libet, licere putant. Hinc quia neminem metuunt, neminem curant. Lex illis est libido; & vis jus putatur. Non audiuntur consilia; non admittuntur querelæ; perijt, quisquis non laudat iniquitatem. Exulat veritas, regnant adulatores: omnia susque deque feruntur: Subditi habentur instar jumentorum. An non insurgant? an non jugum tam crudele excutiant? an non ad libertatem aspirent? si illis occlusæ sunt aures Principum, an non DEVM querelis adeant? an non à Superis audiantur, qui coguntur mortales, ritu Deorum propemodum, adorare? Hoc videt auditque DEVS, quod gerit Mundus. Exigit igitur æquitas, vt Principatus transferat, vt regna mutet, vt Imperia non continuet. Hac de caussa regnum Assyriorum permissi sunt Persæ pessumdare; Persarum, Græci; Græcorum, Romani. Romanorum quoque pessum ibit. Quando? quo pessumdante? DEVS scit. Vtinam & tempus & author à nobis longè distent! sed quandocumque tandem id futurum est, futurum est, DEO justissimè Mundum judicante.

V. Mortes, quæ per bella contingunt, ostendunt, etiam illas, non sine Numinis vindicta, euenire, quæ fame aut peste procurantur, aut quæ inundationibus, incendijs, naufragijsque

Rom. 5. 12. Hebr. 9. 27. inferuntur. Postquam enim semel *per peccatum Mors* intrauit in orbem terrarum, & *statutum est hominibus semel mori*, idem ostium etiam sæpius inuenit, cùm homines agminatim sustulit.

Gen. 6. 5. Cur diluuio penè totum genus mortalium deletum est? *Videns Deus, quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quòd hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus: Delebo, inquit,*

quit, hominem quem creaui, à facie terræ, ab homine vsque ad animantia, à reptili vsque ad volucres cæli. Quanta tunc mortis seges fuit? quanta strages cadauerum natantium? Puniti sunt, præter familiam Noë, vniuersi, quia peccauerant vniuersi. Atque tunc quidem Mors aquis vsa est, aliàs ignibus imperium suum exercuit. Tunc nimirum, cùm Dominus dixit: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis.* Horrendum fuit tunc supplicium, cùm ignes, loco aquarum, de cælo ceciderunt; sed & horrenda scelera, & sceleratorum ingens multitudo. Vt autem sciamus, quàm justum tum fuerit Dei judicium, ita Abraham affatus est Angelos: *Numquid perdes justum cum impio? Si fuerint quinquaginta iusti in ciuitate, peribunt simul? & non parces loco illi, propter quinquaginta iustos, si fuerint in eo? Absit à te, vt rem hanc facias, & occidas iustum cum impio fiatque iustus sicut impius, non est hoc tuum, qui judicas omnem terram, nequaquam facies judicium hoc. Dixitque Dominus ad eum: Si inuenero Sodomis quinquaginta justos in medio ciuitatis, dimittam omni loco propter eos.* Si hoc non satis est ad diuinam misericordiam nobis commendandam, dixit etiam: *Non delebo propter decem.* Quis ignes non jacularetur in tam nefariam ciuitatem? Inuenti sunt homines, qui, propter decem, immò propter vnum, totam perderent vrbem; & Deus vrbem non perderet, in qua ne decem quidem justi sunt, sed tam impij, vt si possent, DEVM ipsum perderent? Ne igitur miremur, cùm audimus, integras exuri, vel terræ motibus hauriri ciuitates: nouit Deus, quid agat, nec tantam multitudinem extirpat sine caussa; sicut neque nos zizania ex agris nostris sine caussa extirpamus.

Gen. 18. 20.

VI. Num. 16. 27.

Aquis & flammis vidimus punitos peccatores; nunc & terra & flamma absumptos consideremus. *Dathan & Abiron egreßi stabant in introitu papilionum suorum cum vxoribus & liberis, omnique frequentia. Confestim igitur dirupta est terra sub pedibus eorum: & aperiens os suum, deuorauit illos cum tabernaculis suis & vniuersa substantia eorum. Descenderuntque viui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis. Sed & ignis egressus à Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum.* Repentinus iste fuit & tremendus interitus. Sed numquid

cum

eum ſacrilegi iſti murmuratores non meruerunt? Numquid in-
Num.16.21. nocentes cum iuſtis perierunt? Quàm prouidè enim *locutus*
Dominus ad Moyſen & Aaron ait: Separamini de medio congregatio-
nis huius, vt eos repentè diſperdam. Qui ceciderunt proni in faciem,
atque dixerunt: Fortiſſime Deus ſpirituum vniuerſæ carnis, num
vno peccante contra omnes ira tua deſæuiet? Et ait Dominus ad Moy-
ſen: Præcipe vniuerſo populo, vt ſeparetur à tabernaculis Core, &
Dathan, & Abiron. Quod & factum: tantam habet Deus ratio-
nem bonorum, vt etiam in ira miſericordiæ recordetur, nec ca-
pillus quidem de capite noſtro cadat, ſine eius iuſtiſſima volun-
tate. At impios ſi plectere vult, facit, vt ne terra quidem eos
ſuſtineat.

VII. Quòd ſi quis velit & quartum elementum aëris conſidera-
re, etiam illud, quod eſt ſpirandi remedium, fit mortis & expi-
randi inſtrumentum: cùm aëre infecto peruſtiſque ventis, peſti-
litas in homines impetum facit, & venenatæ auræ corpora
corrumpunt. Temeréne autem putemus elementa peccare, &
graſſari peſtes? nequaquam, ſed Deus idem & bonas dat tempe-
ſtates & malas, profertque de theſauris ſuis ventos, & nunc Eu-
Sapi.5.18. ros emittit, nunc Aquilones. Si peccauerint homines, *Accipiet*
armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimico-
rum. Induet pro thorace iuſtitiam, & accipiet pro galea iudicium
certum. ſumet ſcutum inexpugnabile æquitatem: acuet autem duram
iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſa-
tos. Ibunt directè emiſſiones fulgurum, & tamquam à bene curuato
arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum inſilient. Et à
petroſa ira plenæ mittentur grandines, excandeſcet in illos aqua ma-
ris, & flumina concurrent duriter. Contra illos ſtabit ſpiritus virtu-
tis, & tamquam turbo venti diuidet illos: & ad eremum perducet
omnem terram iniquitas illorum, & malignitas euertet ſedes poten-
3.Reg.8.37. *tium.* Meliores nanciſci aues iſti non merentur. Neque deſunt
exempla. Cùm enim non rarò contagium peſtilentiæ, & cor-
ruptus aër coniungantur, ſi à peccato aut propter peccatum
peſtilentia inuadit, plerumque corruptus etiam homines inua-
dit aër. An non enim ob numeratum populum, à Gad, aut po-
2.Reg 24.13. tius à Deo ad Dauid dicitur? *Aut ſeptem annis veniet tibi fames*
in

in terra tua: aut tribus mensibus fugies aduersarios tuos, & illi te persequentur: aut certè tribus diebus erit pestilentia in terra tua? Quorum tertium elegit Dauid, *Immisitq; Deus pestilentiam in Israël, de manè vsque ad tempus constitutum, & mortui sunt ex populo à Dan vsq; ad Bersabee septuaginta millia virorum.* Hîc populus occisus est propter Principem, heu quot mortium reum! Nam qui peccauit, occidit. Ad quem modum sæpe, *vnius ob nexam*, breui tempore, ita oppida atque regna, immissa lue, exhauriuntur, vt vix quarta pars hominum restet. Quod dudum se improbis facturum minatus est Dominus. Nec pestem tantùm, sed etiam bestias est minatus; nec minatus est tantùm, sed etiam velut exercitum in aciem produxit, iam quidem muscas, iam ciniphes, iam ranas, iam ignitos serpentes, iam vrsos, iam leones & dracones, quæ omnia diuinis judicijs acciderunt, vt non solùm elementa, sed etiam viuentia contra hominem pugnarent, in hominis vsum creata. Cur enim non mutarent finem suum, cùm homo ipse priùs à fine suo declinet? Sic Gigantes cælo bellum facientes sunt fulminandi.

Leuit. 26. 25.
Num. 14. 12.
Deut. 28. 21.
Ierem. 21. 6.
Ezech. 5. 7.

VIII.

Sed illud mihi quis objiciet, Dauidem populo numerando peccasse, populum luisse; quod à diuina bonitate videtur esse alienum. Huic respondeo, quod superiùs dixi, non solùm justum esse DEVM, si dominio suo vtatur in innocentes, sed etiam benignum. Tollit enim eos, ne malis grauioribus inuoluantur. Nec magnum malum est, mortem, cui antea addicti sumus, populo citiùs, in exemplum aliorum accelerare. Deinde aio, habere etiam & videre DEVM in populo caussam, cùm eum plectit, Principe delinquente. Etsi enim id ignoremus, suo tamen tempore patefiet. Accedit, populum esse membra, regem caput regni; quid ergo mirum, si membra propter caput puniantur? Præsertim, quia plerumque ipsius Principis peccata in populum redundant? An non Dauide sibi de multitudine ac potentia placente, etiam ipse populus intumuit, plus viribus suis, quàm diuinis auxilijs nixus? An non rege injusto, injusti fiunt & ministri, & populus vniuersus: siue cùm nimis impatienter murmurat, siue cùm mores & exemplum regis imitatur? Certè vbi nimiæ exactiones instituuntur à magistratu, populus quoque in-

justis artibus pecuniam facit. Rectè igitur Devs, ob Dauidis peccatum, pestem intulit populo Dauidis. Quod pœnæ genus à Deo venire, longè clarius est, quàm bella: cùm pestem, per caussas naturales exortam directè possit velle, nullâ culpâ interueniente; bella autem, quæ injustè suscipiuntur, non possit velle directè, sed tantùm diuinæ prouidentiæ suæ æquitate permittat, in scelerum vindictam; sicut ipsos cacodæmones subinde relaxat, finitque, tamquam justitiæ ministros, per prouinciam, vel domum grassari, quos alioqui diuinâ suâ virtute constrinxisset, & ne nocerent terræ aut mari, cohibuisset. Itaque siue morbos, siue mortes, easq; seu publicas, seu priuatas audiamus,
Psal. 144. 17. semper dicamus: *Iustus Dominus in omnibus vijs suis: & sanctus in omnibus operibus suis.* Quòd si autem mortes cladesque tales horremus, horreamus peccatum, caussam talium calamitatum. Eo
2. Paralip. 7. cessante, cessabunt & istæ, Domino ad Salomonem dicente: *Si clausero cœlum, & pluuia non fluxerit; & mandauero, & præcepero locustæ, vt deuoret terram; & misero pestilentiam in populum meũ; conuersus autem populus meus, super quos inuocatũ est nomen meum, deprecatus me fuerit; & exquisierit faciem meam, & egerit pœnitentiam, à vijs suis pessimis: & ego exaudiam de cœlo, & propitius ero peccatis eorum, & sanabo terram eorum.* Vbi aliud genus est nauis, aliud genus remi adhibendum est.

CAPVT L.

Tragico Mauritij Imperatoris exemplo ostenditur, quàm justa sint Iudicia DEI, immò & quàm clementia, si quem publico, etiam per carnificem, supplicio affici, aut ferro exscindi patiatur.

I. I Sullum aut auaritiæ luculentâ calamitate punitæ; aut inclementiæ atq; inhumanitatis diuinitus insigniter castigatæ; aut etiam magnæ dignitatis de summo culmine, ob neglectos subditos, dejectæ extat horrendum exem-
Georgius Cedrenus in plum, est illud, quod tum alij, tum verò prolixè Georgius Cedrenus in hunc modum narrat, magnatibusque proponit consideran-

derandum. *Mauritius orthodoxus Imperium Romanum gubernauit Annos XX. menses III. dies II. Statura fuit mediocri, robustus, albus, facie rotunda, subrufus, recaluaster, naso & barba mediocri: barbam, Romano more, tondebat Patria Cappadox, jussit se in tabulis scribi Mauritium Tiberium. Coronatus est à Patriarcha Ioanne Ieiunatore, ac paulò pòst nuptias habuit,* coniugio pariter & sceptro felix. Hic talis tantusque Imperator, in templo pius, in campo fortis; iustus in foro; suis venerandus, hosti tremendus, post multas atque insignes victorias diuersis locis obtentas, tandem (vt nulla est in secundis rebus constantia) cùm aduerso Marte bellâsset, quàm infelix fuit pugnando, tam amissis suis pecunia non liberandis, Deo, hominibusque factus est exosus. Audi Cedrenum. Annalib. In Mauritio.

II. *Anno XVIII.* (Mauritiani Imperij) *Priscus copias ad Sigidonem ducit. Chaganus verò suo exercitu collecto repentè in Mysiam irruit. Solennitas Paschalis interueniens effecit, vt vtrimq; pacati quiescerent. Eâ finitâ, induciæ quoq; dissiluerunt. Cumq; multis sese mutuò cladibus affecissent, tandem exercitus Romanus partim cæsus, reliqui capti sunt. Tum Chaganus in Mauritium cædis populi culpam conferens, paratum se ait, captiuos accepto in singula capita nummo; rursusq; binos vno nummo; deniq; singulos, IV. ceratijs acceptis dimittere.* O quàm vilia malis Principibus sunt capita militum! Illos, qui, pro patria, & vulnera, & mortem pati, qui se hosti opponere; qui nimbis, & tempestatibus, qui solibus æstiuis, qui hibernis frigoribus, qui fami & siti, & mille aquarum, ignium, hastarum & gladiorum periculis se exponere parati sunt, vno *nummo*, ab hostili immanitate, redimere piget! immò binos milites vno piget numo in libertatem asserere! Quantus amor nummi! quanta obliuio humanæ benignitatis? At fortasse militibus captis, apud Chaganum bene fuit? fortasse, more multorum, in vino & iocis tempus consumpserunt? fortasse diem inter ludos & conuiuia, noctem inter libidines atque scorta traduxerunt? Nequaquam ita habiti sunt, vti apud hostes nunc nummati pyrgopolinicæ solent haberi. Nam *cùm ne sic quidem*, hoc est, IV. ceratijs, *eos redimere vellet Mauritius, iratus Chaganus omnes occidit, fuêre autem XII. millia, æstimabantur,*

supputatis in singulos duobus miliarisijs, CIↃ CIↃ IↃCCCCXXXIII.

III. Peccatum Imperatoris audistis, nunc percipite & supplicium. Nam iustus Iudex Deus, ne grandes impunè credantur delinquere, grandibus vtitur exemplis. Atque istud inprimis mihi obseruatione dignum videtur, iratum Numen, non statim prorupisse in vindictam; totos duos annos iram dissimulauit; & quod magis mireris, post tantam iniquitatem, Mauritio rursus clarissimos de hostibus triumphos concessit. Itaque *& nunc reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram,* prosperis euentibus, & secundæ Fortunæ non esse fidendum. Nihili fecerat delictum suum Mauritius; fortasse & bene se fecisse, quorumdam malè, & magis crumenæ, quàm conscientiæ consulentium adulatione, arbitrabatur. Præcipuè verò placere sibi poterat, *Anno XIX. die Paschatis,* quo *Sophia Augusta vxor Iustini, & Constantina vxor Mauritij pretiosam admodum coronam confecerunt, ac Imperatori obtulerunt: Quam cùm spectasset Imperator, in magnum templum detulit, ibiq; supra sacram mensam Deo dedicans suspendit.* Vides, vt etiam, qui Deo displicent, Deo sacrificent? Et vtinam seipsos non fallant, dum imputata sibi pietate blandiuntur! Deum certè non fallunt. Sed hoc glaucoma oculis eorum offundit Acheronticus præstigiator, vt, dum vel minimum quid rectè faciunt, omnia se cetera rectè fecisse existiment; dum enim sibi de re bona, aut opere pio plaudunt, errorum suorum, lethæa fraude lactati, obliuiscuntur. Enimuerò benè fecit Mauritius: anno superiore auaritiâ offendit Numen; nunc offensum placare fortasse cœpit hac liberali donatione. Sed nondum facinus æquauit pietas. Nondum etiam DEVS ab eo pœnas exegit. Nam vt etiam indignis victorias largitur, *pace cum barbaris concessa, rursum Chaganus fines Romanorum intrauit, & quatuor suis filijs exercitus tribuit, quibus transitum Istri custodirent. Sed Romani ratibus confectis fluuium transmiserunt: prœlioq; congressus cum Chagani filijs Priscus, quod ab aurora ad vesperam vsq; durauit, quatuor Barbarorum millia occidit, CCC. suorum desideratis. Postridie eius diei rursus VII. millia Barbarorum interfecit. Tertia die Romani de superiore loco in Barbaros irruerunt, eosq; fusos in paludem compulerunt, multosq; ibi suffocârunt, inter quos fuêre Chagani etiam filij.*

Psal. 2. 10.

Illustri

Illustri victoria tum potitis Romanis, rursum Chaganus, magno contracto exercitu, aduersus eum proficiscitur: quem Priscus congressus pugnâ fudit, illustrioremq; priore victoriam reportauit. Idem Priscus quatuor millia instruxit, ac Tissum amnem transire iussit, tentoria Barbarorum speculatum. Barbari tum eorum, quæ gesta erant ignari, festos dies agebant & compotabant. Itaq; eos inopinantes adorti Romani ingenti clade affecerunt, cæsis enim XXX. millibus Gepidarum aliorumq; Barbarorum, magna cum præda ad Priscum sunt reuersi. Chaganus denuò reparatis copijs, ad Istrum cùm accederet, pugnâ victus est: Barbariq; in fluuio submersi, & cum his magna Slauinorũ multitudo. Viui in potestatem Romanorum venerunt IIICIↃCC. *Auares barbari* IICIↃ. *Chaganus cùm legatos repetundorum captiuorum causâ misisset, Mauritius nondum accepto tam illustris victoriæ nuntio, reddi eos iussit;* promptior in dandis, quàm redimendis militibus. Nec ea militum redditio præmio caruit, nam illico victoriæ nuntius ingens gaudium attulit Imperatori.

IV. Hæc læta Mauritij calamitatem præcesserant, vt tristia tantò acerbiùs superuenirent. Quippe *eodem anno Monachus quidam, cuius vitæ exercitatio illustris erat, strictum gladium tenens, à foro vsque ad æneam portam procurrit, omnibus prædicens, Imperatorem gladio occisum iri. Sed & Herodianus Mauritio palàm, quæ ipsi euentura essent denuntiauit. Tunc etiam populus Maurum quemdam, Mauritij similem, sago indutũ, coronaq; ex allijs confectâ redimitum, in asinum imposuit, ac per iocum & lasciuiam acclamauit: Inuenit buculam teneram, & sicut nouus gallulus insilijt in eam, ac procreauit liberos instar lignearum nolarum. Sancte mi, sancte, feri eius caput, ne superbiùs efferatur: tum ergo tibi voti reus bouem offeram. Hæc populus. Quæ non otiosè retuli: sed, vt intelligamus, vbi quis Dominũ irritauit, eum ludibrio haberi ab his qui eâdem cum ipso condicione seruiunt.* Immò vt constet, magnorum casus, & Dei, & populi voce præmoneri. Sed nihil segniùs credunt mortales quàm exitium suum. Hinc multi Mauritium peccantem, pœnitentem pauci imitantur. Pergit author. *Anno vigesimo Mauritius filio suo Theodosio Germani Patricij filiam despondit. Eodemq; anno in se descendens recordansq;, DEO nihil clam esse, eumq; pro meritis cuiq; suis bona aut mala tribuere: tum, quàm abs se peccatum*

esset,

esset, quo tempore captiuos redimere noluit: præstare cogitauit, vt in hoc potiùs, quàm in futuro sæculo pœnas penderet. Itaq; deprecationes litteris consignatas, ad omnes Patriarchas & Monachos, in omnia Monasteria, etiam Hierosolyma misit, vt à DEO peterent, vt ipsi non in altero, sed in hoc sæculo pœnas imponeret. Hic tristium portentorum effectus fuit. Nam ijs vtique se peti ratus in se descendit, more sapientium Imperatorum, qui si quid in regnis suis aduersi accidit, continuò sumunt in documentum, discutiuntq; an non ipsi publicæ caussa sint calamitatis. Felices, qui cum Mauritio discunt seuerius tribunal declinare; atque etiam precibus obtinent, vt in hac vita puniantur. Beneficium, non supplicium est, supplicium in hac vita à DEO immissum. Quod & Mauritius, tot piorum hominum precibus, beneficij loco impetrauit. Neque sanè nesciuit; se ferro perimendum. Sed suspicione peccatum auxit. *Quin & in Philippicum impegit, sororis suæ maritum, ab eo cædem sibi parari suspicans, ex vaticinio quodam, quòd percussoris nomen à littera P H. ordiri monebat: cùm quidem Philippicus insidias, omnibus modis euitaret.*

V. *Ceterùm Mauritius, cùm pro eo preces passim fierent, quadam nocte in somnis, imaginatus est, se astare coram imagine Seruatoris, in porta Palatij area, multamq; secum turbam captiuorum, ipsum accusantium, tum vocem de sacra imagine exijsse, quæ Mauritium sisti juberet: ita se à ministris correptum, inq; porphyretico ibi vmbilico constitutum à diuina voce interrogatum fuisse, vbinam sibi rependi vellet? se autem dixisse: Domine humanissime, Iudex juste, hîc malo, quàm in altera vita; statimq; mandatum fuisse, vt cum vxore sua & liberis, totaq; familia, Phocæ militi dederetur. Experrectus, statim accubitorem suum misit, qui Philippicum adduceret. Qui desperatâ ob id, vitâ, priùs Communionem sacram expetijt, eaq; perceptâ, ad Imperatorem abijt, vxorem relinquens, quæ saccum induta & cinere conspersa eiulabat. Vt ad Imperatorem venit, se ad eius pedes prouoluit, sed Imperator, accubitore foras exire jusso, ad Philippici pedes accidit, inquiens: ignosce mihi frater, atroces, quas tibi intuli, injurias. Suspicabar te vitæ meæ insidiari: sed nunc te insontem esse cognoui. Hortor autem, vt dicas mihi, si quem Phocam militem in exercitu nôsti? Noui (ait ille) quemdam, qui pridem ab exercitu missus, cum tua Maje-*

state

state jurgauit. Ac quærenti, quo is esset ingenio; respondit, esse hominem timidum, atq; ferocem. Tum Imperator, Si, inquit, timidus est, homicida est. narrauitq; Philippico insomnium. Vides ergo Domine, ait ille, DEVM nulla littera excidere? Ea nocte in cælo visus est cometa, qui à gladij forma Xiphias dicitur. Postridie Magistrianus, quem ad hoc ablegauerat Mauritius, venit, à Sanctis hoc responsum ferens: Probat DEVS resipiscentiam tuam, & animam salute donatâ, teq; cum tota familia inter Sanctos reponit: sed Imperium cum dedecore, & periculis amittes. His auditis, Mauritius Deum magnopere prædicauit.

VI. *Cæterùm Petrum, qui exercitum ductabat, missis litteris, cùm juberet Istro traiecto in hostico milites in hybernis habere, multitudo ea re cognita seditionem mouit: & Phocam Centurionem in scutum sublatum, ducem exercitûs creauit, atque faustis acclamationibus salutauit. Quod vbi sensit Petrus, Byzantium elapsus, certiorem ea de re Imperatorem fecit. Ergo Mauritius media nocte, habitu priuati, celocem conscendit cum vxore & liberis, ac vrbe profugit: atq; orta tempestate, ægre ad S. Autonomum saluus delatus est. Eàdemq; noctè, eum articulorũ dolor & podagra corripuêre. Prasini verò in Regium egressi, magnis gratulationibus tyrannum Phocam honorauerunt, persuaseruntq;, vt in Hebdomum veniret. Eò Patriarcha Cyriacus cum senatu exiuerunt, & Patriarcha ab eo sponsionem exegit, qua Confessionem veræ fidei stabiliret affirmaretq;, se Ecclesiam à turbis immunem conseruaturum. Ita ergo Phocas in Ioannis Baptistæ æde Imperator renuntiatur, hominiq; malo & tyranno sceptrum committitur, & calamitas patriæ felix Imperium occupat: quod initium fuit magnorum, quibus res Romana attrita est, malorum. Biduo pòst Phocas curru Imperiali in Regiam aduectus est, ac quinta die Leontiam vxorem suam, coronâ impositâ, Augustam nuncupauit. Cùm autem tyrannus in vico esset, ac de loci prærogatiua inter partes contenderetur populus in tumultu vociferatus est: Interrogetur Mauritius: non enim mortuus est, sed viuit. Eo Phocas ad cædem Mauritij excitatus, missis famulis, eum ad portum Eutropij adduci jubet. Primò quinq; filij masculi, patre Mauritio intuente, necati sunt, qui in calamitate ista, veram adhibens Philosophiam, identidem verba hæc repetebat:* IVSTVS ES DOMINE, ET IVDICIA TVA IVSTA SVNT. *Ita ergo Mauritius Epita-*

phij

nij loco habuit, liberorum cædem. In tanta autem calamitate virtutem exercuit. Cùm enim nutrix vnum de regijs pueris suffurata, suũ pro eo iugulandum exhiberet, non est hoc passus Mauritius, sed suum promi jussit. Ac ferunt quidam, eo iugulato puero, cruori mixtum lac effluxisse de vulnere, quæ res luctum omnibus grauem attulerit: tandem ipse quoque Mauritius, cùm lege naturæ superiorem se gessisset, occisus est. Capita eorum in campum iuxta tribunal abiecta, cùm iam fœterent, tolli Phocas permisit, si quis eam rem curaret. Christiani ergo ea cum truncis humârunt in fano Sancti Mamantis, prope portam Xylocercam. Alius adhuc supererat Mauritij filius Theodosius nomine ad Chosrhoem legatus, quem itidem innocentem, & innocentiæ protestationem facientem, saxoque pectus percutientem, capite plecti jussit Phocas. Qui etiam anno quinto postea *multos Mauritij amicos necauit, & cremauit. Constantinam cum tribus filiabus in portu Eutropij, vbi & Mauritius fuerat occisus, capitibus truncauit: multos quoque insignes viros de Palatio, & inferioris ordinis innumeros interfecit.* Adeò diu & latè se se extendit pœna à Deo in Mauritium constituta pœnitentem.

VII. Quem non, etiam ferreum, tam miseranda clades percelleret? Tot victoriarum Imperator? è tantò fastigio? à suo milite? fugatur? capitur? quinquies in filijs suis pater moritur? sextam mortem ipse excipit? nec vult tenerrimum natorum superesse, per fraudem; cui, præ suo gnato, nutrix ipsa voluit parcere, dum natura reluctando, è se suisque visceribus prognatum carnifici obijcit. Sed agnouit hostiam succidaneam Imperator, & quamuis prolem suam innocentẽ diligeret, noluit tamen lanienæ obijci alienam. *Ego sum*, inquiebat, *qui peccaui, ego luam.* Et quia peccatum meum non potest vna morte expiari, sexies moriar. Et statuit hoc Deus. Numquid hæc sors dura fuit? & tamen iusta fuit, Mauritio judicia Dei agnoscente, atque loco eiulationis, & muliebris questus identidem dicente: IVSTVS ES, DOMINE, ET IVDICIA TVA IVSTA SVNT. Non ille sortis duritiam, non Dei seueritatem accusauit. Discite hîc, mortales, in aduersis, execrationes non serere, nec ponere in cælum os vestrum. Misericordia Dei est, si sæuiat in hoc Mundo; seueritas & ira grandis, si pœnam differens parcat delinquenti. Itaque quicum-

quicumque felicitatem dolet fugientem, cum Mauritio dicat: IVSTVS ES, DOMINE, ET IVDICIA TVA IVSTA SVNT. Forsitan & ipse multos miseros fecit; cur ergo indignatur, si & ipsum in miserias conijcit Deus? Quàm multi suos ipsi milites hosti cædendos vendiderunt? qui ne canes quidem suos ita in venatum exponunt? Quisquis audit sibi insidias strui, imminere hostem, ingruere mille pericula, non fingat sibi Philippicos, non fabricet suspiciones, non accuset innocentes; sed de manu Dei accipiat, quidquid præsagia vatum, vox populi, aut propria conscientia vaticinantur; dicatque ad omnia: IVSTVS ES, DOMINE, ET IVDICIA TVA IVSTA SVNT. Quisquis solio pellitur, quisquis, cum Iob, palatium fimo, purpuram scabie, diuitias extrema paupertate mutare cogitur, dicat: IVSTVS ES DOMINE, ET IVDICIA TVA IVSTA SVNT. Quisquis patitur ab ijs, quibus benefecit; quisquis filium vnum post alterum amittit, dicat: IVSTVS ES DOMINE, ET IVDICIA TVA IVSTA SVNT. Forsan & ipse sæpe benefactoribus suis malefecit. Quisquis titulos, honores, famam, regna tota amittit, dicat: IVSTVS ES DOMINE, ET IVDICIA TVA IVSTA SVNT. Forsan & ipse alijs sæpe de honore & fama detraxit. Denique quisquis vitam ipsam ac sanguinem vel suorum, vel suum fundi videt, dicat: IVSTVS ES DOMINE, ET IVDICIA TVA IVSTA SVNT. Quia si bona accepi de manu tua, mala cur non sustineam? quia insuper hæc judicia commerui; quia mea negligentia multos occidi innocentes; occidi enim, quos non defendi, cùm defendere ex officio debuissem: quia captos liberare, cùm possem, nolui; quia pecunia mea mihi charior fuit, quàm vita meorum; quia, ne grandes offenderem, grandia dissimulaui; denique quid conquerar de ereptis mihi liberis, de morte vxoris, de euersis opibus, de potentia sublata? ipse priùs caussa fui, vt tot, & tanti liberis, vxoribus, opibus, potentia spoliarentur. Iacobus Marchio Badensis, vbi latrocinium in sua ditione commissum didicit, vocatis ijs qui damno affecti fuissent, tantũ eos ex fisco accipere suo jussit, quanta esse, quæ amisissent, jure jurãdo affirmassent. Exinde latrones insecutus apprehensos in crucẽ sustulit. Nempe se reum agnouit eorũ, quæ sub se fierent. Quot autem tales rei? Igitur: IVSTVS ES DOMINE,

Æneas Syluius lib. 4. de Alphonso.

MINE, ET IVDICIA TVA IVSTA SVNT. Minora & pauciora sunt iudicia tua, quàm scelera mea.

VIII. Quæ etiam tantò æquiùs feres, quantò leuiores sunt tuæ, quàm Mauritij Imperatoris pœnæ. Post illum occisum, *Anno quinto, Phocas multos Mauritij amicos necauit, & cremauit. Constantinum cum tribus filiabus in portu Eutropij, vbi & Mauritius fuerat occisus, capitibus truncauit: multos quoq; insignes viros de Palatio, & inferioris Ordinis innumeros interfecit.* Adeò vnius Mauritij facinus in multorum supplicia, etiam post necem illius, redundauit. *Fama obtinet,* ait idem Cedrenus. *Theodosium Mauritij F. ad Chosroen Legatum, missis à Phoca ministris Nicaæ captum, jussumq; necari, cùm ad locum, cui nomen est Leucatta, peruenisset. Theodosium porrò petiuisse, vt priùs quàm necaretur, diuinis impertiri posset mysterijs. Quod postquam impetrauerit actis DEO gratijs, lapidem à terra sustulisse, eoq; ter pectus suum percussisse, ita orantem: Domine IESV Christe, tu scis, me nulli hominum injuriam fecisse: nunc ergo mihi eueniat, vt tua jubet potentia. Hac fato caput fuisse amputatum.* Vides iterum, mi bone lector, in filio Mauritij, bonum de diuinis judicijs documentum. Astabat iam carnifex stricto nudatoque ense innocenti: quid ille? an DEVM crudelem vocauit, vt qui necari sinat innocentem? nequaquam; sed in Spartanam, immò Christianam illam vocem erupit, inquiens: *Nunc ergo mihi eueniat, vt tua jubet potentia.* Non degener à patre filius. Vtinam & tu, Lector, & ego tecum hanc breuem orationem disceremus, vt quidquid nobis contingat, semper dicamus ad DEVM: *Nunc ergo mihi eueniat, vt tua jubet potentia,* immò clementia: quia cùm nos Mauritio grauiùs peccemus, leuiùs punimur. Sunt enim, qui non tantùm milites non redimunt, sed etiam produnt: quid dico milites? totas prouincias, totos populos, tota regna; & quidem per tot annos. In exemplũ appono, quæ Famianus Strada de Margareta Belgij Gubernatrice, apud Regem Hispaniarum conquerente, his verbis refert. *Illud quidem admirata est; ea quæ ad Regem arcanò ipsa perscripserat, in Epistola Egmontij disertè omnia reperisse. Queritur propterea cum Rege quòd ab eius aula hæc in Belgium secreta perferrentur. Esséne ex intimis administris aliquos, ingenio aut ita incallido apertoq;,*

Cedren. in Phoca.

Famian. Strada de bello Belgico. dec. 1. lib. 5 An 1566, pag 254.

vt

vt hæc imperij arcana extrahi sibi ex ore, ex manibus patiantur? aut ita malo ac perfido, vt abdita quæque consilia Principis, eius hostibus patefaciant? Sibi quidem constare, multa litterarum exemplaria, aliquo etiam autographo, quæ à duobus jam annis ad Regem miserat, in manus Belgarum procerum deuenisse: quantâ cum pernicie negotiorum? quanta cum jacturâ Regiæ dignitatis? Orare proinde Regem, vt videat, quæ in posterum scribantur ad se litteræ, aut igne corrumpantur, aut per explorata fidei ministros clam ceteris asseruentur. Et tamen compertum habeo, post hæc gloriatum esse Orangium apud Christophorum Assonuillium, nullum prodire è Regis ore verbum, seu priuatè, seu publicè, quin ad eius aures in Belgium fideliter offeratur. Hanc porrò intimam scientiam magnâ quidem sibi pecuniæ summâ comparari, sed nusquam æra fructuosiùs impendi. Quippe hanc esse Principum Philosophiam, consiliorum secreta rimari: naturæ verò abdita otiosis relinqui. Quod si ita est; & quid vsquam inaccessum pecuniæ imperuiumq́ fuerit, quando prudentis adeò circumspectiq́ Regis aula à priuatis hominibus emi potuit? Quod factum est in Hispania, an non putemus, fieri potuisse, immò factum esse in Germania? Numquid hostes nostri de similibus rebus sunt gloriati? Numquid & plurimi, qui sunt ex nostra parte, sæpius auditi sunt dicere: Fieri non posse, vt non sint apud nos proditores, per quos omnia nostra arcana consilia, vel certè plurima emánent, & ad hostes perferantur? aut res nostra toties destruatur? Ego neminem volo accusare, nec cupio facere de quoquam vel minimam suspicionem. Illud audeo affirmare, supra Mauritium vtique eum peccare, qui talis est. Et melius fore ei homini, si natus non esset. Neque enim tantùm tot egregios milites, immò exercitus morti exposuit, sed tot vrbium ciues, tot pagorum habitatores afflixit, quin etiam tot prouincias est depopulatus. Enimuerò tot millia animarum, fidem ipsam Catholicam, Christum ipsum, Iuda peior, vendidit. Quale ergo supplicium meruit? An Deus est iniustus, si illum sinat mori impœnitentem, & in flammas proijciat sempiternas? Nec est, quòd suspicemini, & alios accusetis. Vnusquisque peccator seipsum prodit diabolo. Et cùm non tot millibus aureorum, sed exigua eleemosyna animam suam posset redimere ex hostis Tartarei seruitute, obolum,

lum, teruncium, panis frustum pauperi esurienti non vult expendere. Quid ergo mirum, si Deus illius misericordiâ non tangatur, qui sui ipsius non miseretur?

CAPVT LI.

Diuini judicij æquitas, etiam in Phoca Imperatore, alijsq; Principibus violenter occisis, manifestatur.

I. Vàm justa fuerint in Mauritium, totamque eius domum judicia Dei, vidimus; scire iam quis cupiet, quid autem Phocæ tyrannidem inuadenti, & exercenti, ex judicio Dei contigerit? tum etiam, cur Devs eiuscemodi, in Mundo sinat esse Imperatores, aut Principes? Responsionem ex eodem Cedreno dabimus. Atque, vt æquitas diuina tantò fiat illustrior, Phocas ipse priùs describendus, suisque coloribus depingendus est. *Phocas Imperium accepit Anno Mundi* ıↄↄ. ᴄıↄ. xcd. *à Christo nato* ıↄxcv. *& tenuit per octennium, factus de centurione Imperator. Statura fuit mediocri, deformis, terribilis aspectu, rubente capillo, superciliys coëuntibus, mento raso, cicatrice in mala notatus, quæ ipso irascente denigrabatur: vinosus, mulierosus, sanguinarius, rigidus, in dicendo ferox, à miseratione alienus, moribus ferus, hæreticus. Vxor eius Leontia iysdem fuit moribus prædita. Illius ætate omnis generis mala in humanum genus quasi exundarunt. Nam & hominum bestiarumq; mortua est immensa multitudo: &, terra fruges negante, fames; tum grauissimæ pestes obortæ sunt: hiemesq; fuerunt adeò sæuæ, vt congelauerit mare, ac pisces perierint. Cùm Phocas Circenses ludos edidisset, ac sub vesperam vino se ingurgitasset, & tardiùs rediret, clamauit populus: Exorere, Phoca, cumq; non statim ad spectaculum procederet, vociferati sunt: Rursus vinum bibisti rursus mentem amisisti? Ob quod conuicium insania correptus multis membra præcidit, multos necauit.* Inter quos & Theodosiũ innocentẽ Mauritij F. & viduam Imperatricẽ Constantinam Augustã, quæ frustra cũ tribus suis filiabus in templũ profugit, nec satis secura fuit in monasterium conclusa. Nam ita tractata est à tyranno, vti vel hinc tyrannus posset appellari. *Fama obtinet*, ait Cedrenus, aliò suprà citatus, *Theodosium, Mauritij F. ad Cosrhoen lega-*

Georg. Cedren. in Phoca.

legatum, missis à Phoca ministris, Nicaa captum, jussumq; necari,
cùm ad locum, cui nomen est Leucatta, peruenisset. Theodosium
porrò petiuisse, vt priùs quàm necaretur, diuinis impertiri posset my-
sterijs. Quod postquàm impetrauerit, actis Deo gratijs, lapidem à
terra sustulisse, eoq; ter pectus suum percussisse, ita orantem: Domine
IESV Christe, tu scis, me nulli hominum injuriam fecisse. Nunc ergo
mihi eueniat, vt tua jubet potentia. Hac fato caput fuisse amputatum.
Quin etiam Narsetem Phocas, juramento violàto, viuum com-
bussit. Magnum hoc Romanis attulit dolorem. Nam ita formidolosus
fuit Persis Narses, vt pueros ij quoq; suos nominando Narsete terre-
rent. Ergóne Phocæ tanta tyrannis impunita fuit? Nequaquam,
sed quâ mensurâ ipse mensus alijs fuit, eâdem illi remensus est
alius. Nempe carnifex Mauritij factus, & ipse carnificem ha-
buit. Solet enim DEVS vti tyranno, tamquā flagello, aut virgis,
quibus cæduntur nocentes: ijs cæsis, virgæ in ignem conij-
ciuntur. II.

Igitur VI. Anno, Crispus Patricius, injustas cædes, aliaq; Phocæ
facinora intueri non sustinens, scribit ad Heraclium Patricium, Afri-
cæ Præsidem: hortaturq;, vt suum filium Heraclium & Nicetam
Patricium Gregoræ F. eius legatum mittat aduersus Phocam tyran-
num. Audiebat enim hos rebellionem moliri. Nec frustra, nam,
cùm Antiochiæ Iudæi in Christianos magnas turbas cierent,
interim Heraclius, cum magna & armata classe Constantinopolim
appellit, secum ferens etiam Seruatoris nostri imaginem, nullo manûs
ministerio factam. In portu Sophiæ, nauali prœlio commisso inter Hera-
clium & Phocam, flagitiosus Phocas superatus in regiam confugit.
Tum Photinus quidam, cuius vxori Phocas stuprum intulerat, in re-
giam cum militibus irrumpit, Phocam ignominiosè solio deijcit, impe-
ratoria veste spoliat, nigraq; circumdatum veste, & numellis inclu-
sum, contemptim ad Heraclium deducit. Qui, vt primùm conspexit
Phocam: Miser, inquit, itáne Rempublicam gubernâsti? at deplora-
tus Phocas respondit: Tuum est, rectiùs eam gerere. Illicò autem
Heraclius jubet manus & pedes, mox humeros & pudenda amputari,
tandem & caput. Trunci quod reliquum fuit, milites in foro Bouis
combusserunt. Adjuuit Heraclij conatum etiam Crispus, gener Pho-
cæ: quem Imperio potitus Heraclius Cappadociæ Præsidem fecit. Sed

 cùm

cùm Crispus ibi seditionem moueret, Heraclius eum in senatum produxit: manuq́ tenens chartam, in qua indicia Prisci insidiarum in Heraclium erant scripta, eâ caput Prisci pulsauit, dicens: Miser, qui ne socero quidem fidem præstiteris, quid faceres amico? Clericum ergo eum redigit, ac solum vertere jubet, isq́ in exilio mortuus est. Porrò quidam sanctus Monachus, Phoca imperante, DEVM ad disceptationem prouocans, quæsiuit, cur tam impium Christianis imposuisset Imperatorem? audiuitq́ vocem, cùm quidem neminem videret, sibi dicentem: deteriorem alium inueniri potuisse nullum: ac hoc meruisse Constantinopolitanorum flagitia. Hæc Cedrenus de interitu Phocæ, maioribus malis afflicti, quàm ipse Mauritium afflixit. Nam justissimus ille judex, qui tyrannos plectit, per tyrannos; nec ipsis etiam postea parcit tyrannorum tyrannis. Hæc in rebus humanis rota est.

III. Soluitur ex his etiam illa quæstio, cur Deus aut tam indignos, ob scelera; aut tam ineptos, ob socordiam auaritiamque; aut tam impios, ob crudelitatem; populo, aut regno, vel præfici, vel præfectos, cum tanta Reipublicæ clade, tam diu dominari (non enim dicam, regnare) patiatur? Solicitauit enim hæc cogitatio non prædictum Monachum tantùm, sed quotidie alios etiam multos, [illegible] si Deum ad disceptationem prouocarent, non arguendi, sed abyssum judiciorum eius laudandi animo; forsasse & ipsi vocem de cælo audirent: *deteriorem alium inueniri potuisse nullum: ac hoc meruisse Constantinopolitanorum* (vel horum, aut illorum, qui maximè sub tyrannidis iugo gemunt) *flagitia.* Enimuerò si vocem de cælo audire lubet, vocem ipsam Dei, nempe verbum Dei audiant, in quo Principes ac Reges mali malis in pœnam dari ostenduntur. Quod vel in ranarum fabula & duro rege imposito docuit Phryx fabulator, apud quem, *petiisse quodam tempore à Ioue ranæ dicuntur, sibi vt regem præficeret. Exoratus Iupiter trabem ingentem in lacum deiecit. Quo sonitu turbatæ ranæ, refugere primùm, mox tamen speculari, quid accidisset. Cumq́ trabem aspicerent natantem in aquis, subitò in illam inuasêre, cum magno contemptu, & per risum salutant appellantes regio nomine. Tum Iupiter immisit illis anguem aquaticum, Hydrum vocant: à quo, cùm capti manderentur, serò stulti voti dementes ranunculos pœnituit.*

fuit. Sæpe in mundo hæc fabula agitur. Dat Deus clementem,
dat mitem regem, quem cùm proceres, cùm populus non me-
tuunt, pro ludicro rege habent, & agit quisque, non quod decet,
sed quod placet: caussa Deo datur, vt tyrannum immittat, vt
sentiant se peccasse, qui jugum mite pati non potuerunt. Sed
sacras potiùs Scripturas, quàm fabulas profanas consulamus.

Primus Israëlitarum rex, adhuc insons Saul, populo sonti IV.
& regem insolenter petenti, non tam in ducem, quàm in crucem
datus est. Ita enim Samuel loquitur, eum non quæ juris, sed quæ
moris sunt apud reges, facturum; quamquam ibidem etiam sig-
nificetur, cur à Iudicum statu, ad reges populus prouocârit. *Fa-* 1. Reg. 8. 1.
*ctum est autem, cùm senuisset Samuel: posuit filios suos judices super
Israël. Fuitq; nomen filij eius primogeniti Ioel: & nomen secundi Abia,
judicum in Bersabee. Et non ambulauerunt filij illius in vijs eius: sed
declinauerunt post auaritiam, acceperuntq; munera, & peruerte-
runt judicium. Congregati ergo vniuersi maiores natu Israël, vene-
runt ad Samuelem in Ramatha, dixeruntq; ei: Ecce tu senuisti: &
filij tui non ambulant in vijs tuis. Constitue nobis regem, vt judicet
nos, sicut & vniuersæ habent nationes.* Vides occasionem populo,
immò & Deo datam, populo quidem, vt regem posceret, Deo
autem, vt vel iratus petitioni annueret. Sæpe enim noxia postu-
lantur; quare idem tunc est concedere, quod punire. Non ergo
talia postulata vel à Deo, vel à Dei seruis approbantur. Itaque
displicuit sermo in oculis Samuelis, eò quòd dixissent: Da nobis regem, 1. Reg. 8. 6.
*vt judicet nos. Et orauit Samuel ad Deum. Dixit autem Dominus
ad Samuelem: Audi vocem populi, in omnibus quæ loquuntur tibi:
Non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos, &c. Dixit itaq;* 1. Reg. 8. 10.
*Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat regem, & ait:
Hoc erit ius regis qui imperaturus est vobis. Filios vestros tollet & po-
net in curribus suis facietq; sibi equites, & præcursores quadrigarũ sua-
rum: & constituet sibi tribunos & centuriones, & aratores agrorum
suorum: & messores segetum; & fabros armorum, & curruum suo-
rum. Filias quoque vestras faciet sibi vnguentarias, & focarias, &
panificas. Agros quoque vestros, & vineas, & olìueta optima tollet:
& dabit seruis suis. Sed & segetes vestras, & vinearum redditus ad-
decimabit, vt det eunuchis & famulis suis. Seruos etiam vestros &
ancillas,*

ancillas, & iuuenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo. Greges quoque vestros addecimabit, vosq; eritis ei serui. Et clamabitis in die illa à facie regis vestri, quem elegistis vobis: & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis regem. Vides vt pœna petentis, consensus est petitionis? Sed & ipse rex Saul, ob inobedientiam, inuidiam, & malè tractatum Dauidem, aliaque de-

1. Reg. 31. 3. licta, *vulneratus est vehementer à sagittarijs, & arripuit gladium, & irruit super eum. Mortuus est ergo Saul, & tres filij eius, & armiger illius, & vniuersi filij eius in die illa pariter, &c. Et præciderunt caput Saul, & spoliauerunt eum armis: & miserunt in terram Philisthinorum per circuitum, vt annuntiaretur in templo idolorum & in populis. Et posuerunt arma eius in templo Astaroth, corpus verò eius suspenderunt in muro Bethsan.* Puniuit ergo Saul Populum, & punitus est ipse quoque. Vbicumq; enim tale caput regit, *Quid-*

Iuuenal. sat. 5. *quid conspicuum pulchrumq; ex æquore toto est, Res fisci est, vbicumque natat.* Ipsum autem etiam Saulem, & quidem morte puni-

1. Paralip. 10, 13. tum esse, clarè affirmatur in libris Paralipomenon, his verbis: *Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas, eò quòd præuaricatus sit mandatum Domini, quod præceperat, & non custodierit illud: sed insuper etiam pythonissam consuluerit, nec sperauerit in Domino: propter quod interfecit eum, & transtulit regnum eius ad Dauid filium Isai.*

V. Sic sæpe rex in pœnam datur, &, si se ipsum non regit, pœna afficitur, caditque, quia non erigit cadentes. Nec ob grandia tantùm flagitia id fit; sed ob leuiora quoque delicta Devs pios ferro expiat. Hinc Iustinus, siue quicumque fuit auctor quæstionum, quæ in Iustini operibus continentur, quærit, cur Iosiam Regem Deus permiserit gladio cædi, cùm vir sanctissi-

Iustin. quæst. 39. mus fuisset? Cui quæstioni respondet his verbis: *Ceterùm luctuosum vitæ finem propterea Iosias retulit, quòd jussioni Hieremiæ non paruerit, qui ei ex mandato Dei dixerat, vt ne progrederetur ad obuiandum regi Ægypti in bellum, sicut ait Hieremias. Quapropter vt eum purum à peccatis ex hac vita reciperet Dominus Deus, ideò permisit illum inobedientiæ eius ferro Ægyptio pœnas exsoluere.* Nimirum occidi Iosiam Deus permisit, vt eum à peccato purum reciperet, quia mortis pœna expiatio fuit peccati, adeoque (quod idem

est)

est) satisfactio pro peccato. Quemadmodum autem illa violentæ mortis pœna expiatio fuit peccati, ita ceteræ quoque pœnæ, quæ post peccatum à pœnitentibus exiguntur, non sunt satisfactiones tantùm coram hominibus, sed etiam coram Deo; neque solùm in remedium contra futura, sed etiam in vindictam & compensationem præteritorum exiguntur.

Post Christi tempora etiam Iosiam habuimus, vel in filio suo, ferro punitum. Nam, teste Baronio, Leo Imperator inter optimos planè fuisset Principes annumerandus, nisi suorum sordibus propinquorum fuisset aspersus, eosque in aulam introduxisset. Etsi enim omni prorsus caruisset hæreticæ prauitatis contagio, quia tamen ipsos non cauit hæreticos, quibuscum indulgentiùs egit, dum Basilisco Verinæ coniugis germano pepercit, & Zenonem inexploratum adhuc sibi hominem haud probè de Catholica religione sentientem sibi generum & Imperij administratorem cooptauit, idcirco non solùm à posteris minùs laudatus est; verùm etiam quia nequissimis hominibus viam strauit ad Imperium capessendum, nempe Zenoni, & Basilisco hæretico, qui post multa scelera tandem in tyrannum erupit; ideò is ipse Zeno, quem tamquam malum ouum fouit, filium eiusdem Leonis sustulit, creatusque Augustus Leoni successit; qui vtique filium suum successorem & optauisset, & habuisset, in quo interempto, quis dubitet, iugulum ipsius fuisse petitum? Si enim in filio viuit pater, cur non etiam in filio occidatur?

VI. Baron. Tom. 6. An. 474. n. 2.

De Wenceslao duodecimo Bohemiæ rege scribit Æneas Syluius, eum falsa politici statûs ratione delusum, hæreticis potestatem agendi, quæ vellent, concessisse. Sed in mercedis locum, regnum illius tantis dissidijs perturbatum est, vt fuerit necessariò ad arma recurrendum; sic enim se regnumque tueri conatus est. Verùm ab omnibus desertus, vitam simul atque regnum amisit. Ita, quod sibi præsidium ratus est futurum, exitium fuit. Dignus est enim, quisquis DEVM, Deique cultum deserit, vt & ipse à DEO deseratur. Quod ipsum Carolus Sigonius alio exemplo confirmat, apud quem *Agilulphus siue Gisulphus Longobardorum Dux, quòd caussa conseruandæ pacis, in sua ditione, Catholicos & Arianos, quemque suis legibus ac ritibus viuere per-*

VII. Æn. Sylu. l. 35. seqq. hist. Bohem.

Carol. Sigon. lib. 2. de regn. Italiæ. Genebrard. in Chron. An. 607.

misisset, cum suis prœlio superatus ac cæsus est à Ciano Auarum rege, qui Forum Iulium vastauit; & Romildam Gisulphi coniugem, quæ spem conjugij secuta vrbem hosti tradiderat, probro affectam ac constupratam, palo per pudenda adacto defixit. DEVS enim, qui fidele ac sincerum obsequium sibi à Regibus exhiberi vult, Principes hoc tam acerbo Gisulphi supplicio cautiores effici voluit. Non enim sine caussa per Moysen ita suos alloquitur: Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini peccatis eorum. O misera tempora nostra! quibus inueniuntur tot homines, apud quos sacra hæc non aliter constant; pacis caussa, quemque suis legibus ac ritibus viuere permittunt, & nesciunt,

2. Cor. 6. 14. scriptum esse: *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Quis autem consensus templo DEI cum idolis?* Templum igitur DEI prodit, qui suâ culpâ admittit, vt idolo, juxta templum, locus detur, & cum CHRISTO Belial colatur. Quòd si igitur templum Dei quis destruat, an non dignus, vt & ipse de-

1. Cor. 3. 17. struatur? *Si quis templum DEI violauerit, disperdet illum DEVS,* ait Apostolus.

VIII. Non aliam ob caussam, quàm ob injurias in Sedem Apostolicam, successoremque Principis Apostolorum Petri illatas, etiam Bardas atque Michaël Imperatores diuinitus missam, eamque durissimam subire vindictam meruerunt. De quibus ex multis testibus historicis Græcis eorum antiquiorem Ioannem

Baron. Tom. 10. An. Dom 867 ex Ioan. Curopal. Curopalatam audiamus. *Signa,* inquit, *primùm Bardæ interitum portendentia hæc fuêre. Crinitarum stellarum exortus, somniorum portentosa visio. Siquidem sibi visus est in somnis iste ad magnū templum, cum Michaële Imperatore accedere, quasi panegyris celebraretur. Vt igitur eò peruenêre, & intra sacrum templum processêre, existimabat se videre quosdam albis vestibus indutos praeuntes, qui ipsum ducebant ad cancellos altaris, nihilq; aliud conspexit quàm in throno Patriarchæ sedentem quemdam senem, quem Petrum esse arbitratus est, Principem Apostolorum, ad cuius pedes abjectus beatus Ignatius volutabatur, malorum, quæ sustinuerat, vltionem requirens. Illum verò vni eorum, qui aderant, gladium dedisse, dixisseq; hoc: Deo*

inni-

inuisum (ita Bardam Cæsarem appellantem) in sinistro loco constitutum frustatim concide, impiumq; filium, (hoc nomine Michaëlem Imperatorem indicantem) numera in ijs, qui sunt in dextera parte, sed simile supplicium sume: Et somnium ita se habuit. Itaq; non multò pòst homines gladijs strictis in se confertim inuadentes Bardas conspicatus sibi moriendum sensit, seq; ad Basilij, qui mox Imperator fuit, pedes abjecit. Verùm ipsum inde abstractum frustatim concidunt: deinde genitalia ipsius membra hastæ appensa per exercitum traducunt. Ingens autem turba concitata est, quæ Imperatori periculum intentaret. Quam quidem vigilantissimus Præfectus Constantinus cum multis in medium confestim accurrens, sedauit, cùm laudibus Imperatorem celebrans, justa nece occisum Bardam pronuntiasset. Atq; ita Bardas perijt, qui Sedi Apostolicæ infestus fuit. Stat supra petram Ecclesia, in quam si sagittas mittis, resiliunt tela in jaculantem. Quod Bardæ & Michaëli euenit, de quibus dici potest:

Vidi cruentos carcere includi duces, Senec. in Hercule. fur. Act. 3.
Et impotentis terga plebeiâ manu
Scindi tyranni.

Nemo Christi Vicarium lædat. Et ille Christi, & Christus illius caussam agit. Sed non credunt hoc mali Christiani, & quidam ad vim faciendam potentes, quia ceruis similes sunt, qui cùm attraxêre aures, acerrimi auditus sunt; cùm remisêre, surdi: sic & illi, si quid est, quod placeat, id procul etiam percipiunt: si quid secus, quantumuis clames, non intelligunt. Sed intelligent morituri, sicut Clotarius Francorum Rex, qui An. Christi 565. & regni sui 51. cum multis muneribus ad limina B Martini profectus est, ad cuius sepulchrum Turonos veniens, *cunctas actiones, quas fortasse negligenter egerat, replicans, & orans cum grandi gemitu, vt pro suis culpis B. Confessor Domini misericordiam exoraret, ea, quæ irrationabiliter commiserat, suo obtentu dilueret. Exin regressus dum in Cotia silua venationem exercet, a febre corripitur, & exinde Compendium siluam redijt: in qua cùm grauiter vexaretur à febre, aiebat: Vah quid putatis? qualis est iste Rex cælestis, qui sic tam magnos reges interficit? In hoc enim tædio positus spiritum exhalauit.* Quàm multis morti vicinis, cùm iam claudendi erunt oculi, oculi aperientur, vt tum demum videant, plurima à se se esse

IX. Plin. lib. 8. cap. 33.

Baron. Tom. 7. An 565. ex S. Greg Turon. li 4 hist. Franc. c. 21.

esse neglecta, plurima contra rationem acta, quibus vel in ipsa venatione sibi vitæ filum incîdi meruerunt?

X. S. Greg. Turon. hist. Franc. lib. 3. cap. 36. Baron. tom. 7. An. 552. 19.

Luculentum eiusce rei, in magno Satrapa narrat exemplum idem D. Gregorius Turonensis in Parthenij nece, cui regni Francorum à Theodoberto rege cura commissa erat. Sic enim scribit: *Franci, cùm Parthenium in odio magno haberent, pro eo, quòd tributa eis antedicti Regis tempore inflixisset: ille verò in periculo se positum cernens, confugium ab vrbe facit, & à duobus Episcopis suppliciter exorat, vt eum ad vrbem Treuericam deducentes, populi sæuientis seditionem suâ prædicatione comprimerent. Quibus euntibus, nocte dum in stratu suo decumberet, per somnium vocem magnam emisit, dicens: Heu, heu succurrite, qui adestis, & auxilium ferte pereunti. A quo clamore expergefacti, qui aderant, interrogabant, quid hoc esset? Respondit ille: Ausanius amicus meus cum Papianilla coniuge, quos olim interfeci, ad judicium me accersebant, dicentes: veni ad respondendum. Zelo enim ductus ante aliquot annos conjugem innocentem amicumq́ peremerat. Igitur accedentibus Episcopis ad antedictam vrbem, cùm strepentis populi seditionem ferre non possent, eum in Ecclesia abdere voluerunt, scilicet ponentes eum in arca, & desuper sternentes vestimenta, quæ erant ad vsum Ecclesiæ. Populus autem ingressus, perscrutatusq́ vniuersos Ecclesiæ angulos, cùm nihil reperisset, frendens egrediebatur: Tunc vnus ex suspicione locutus, ait, en Arca, in qua non est inquisitus aduersarius noster. Dicentibus verò custodibus, nihil in ea aliud, nisi ornamenta Ecclesiæ contineri, illi clauem postulant, dicentes: Nisi reserraueritis velociùs, ipsi eam spontè confringemus. Deniq́ reseratâ arca, amotis linteaminibus, inuentum extrahunt plaudentes, atq́ dicentes: Tradidit Deus inimicos nostros in manus nostras: Tunc cædentes eum pugnis, sputisq́ perurgentes, vinctis post tergum manibus ad columnam lapidibus obruunt.* Vixisset diutiùs Parthenius, si rexisset clementiùs.

Senec. Oed. act. 3.

Qui sceptra duro sæuus imperio regit,
Timet timentes, metus in Authorem redit.

XI. Frãc. Petrarcha l. 3. de remed. vtriusq; Fortun. dial. 95.

Legem patitur, quâ vtitur, qui crudelis est in imperando. Doctè Petrarcha scribit, qui talem statum consecutus est, consecutum esse *statum certi laboris, euentûs ambigui, sed vt plurimùm infelicis. Non te ad historias veteres,* inquit, *atq́ externas mittam: quis*

quis Pheræi Alexandri exitus? quis Dionysij Syracusij? quis Agrigentini Phalaridis? quis Hannonis Pœni? quis Eleacri Heracleensis? quis Ephyrensis Aristotini? quis Lacedæmonij Nabidis? quis Hipparchi deniq; Atheniensis, quem occidisse immortalis gloriæ interfectoribus fuit? Non ad recentiores, atq; domesticas, Caßium, Meliumq;, & Manlium Romanos ciues. Catilinam quoq; & Gracchos, & Apuleũ, non tyrannos quidem, sed tyrannidem affectantes; inq; impijs conatibus deprehensos, cœptoq; prohibitos atq; oppressos. Non postremò ad illos, qui maiores non meliores iusti velo, Imperij trucem texere tyrannidem atq; injustam, Caium scilicet ac Neronem, Domitianum & Commodum ac Baßianum, reliquósque eius Ordinis, solo nomine Principes, quorum mens tyrannica ac Tyrannicus finis fuit, sed ad alios quos auorum patrumq; memoria, seu etiam quos ætas ac regio præsens vidit: hos ego, ne distantibus te fatigem, circumspicere & contemplari jubeo, videbis vsitatum, & communem Tyrannorum exitum, aut gladium, aut venenum, vereq; illud à Satyrico dictum dices: Ad generum Cereris sine cæde, & vulnere pauci Descendunt Reges, & sicca morte Tyranni. Eiuscemodi autem tragicos casus, non sine æquissima Devs caussa fieri permisit, siue justos, siue injustos Principes isti habuerint aggressores. Quod meæ mens non est decidere. Illud ad Dei prouidissimam sapientiam dilaudandam iuuat, quòd talibus exemplis, vel reos meritò voluerit plecti, vel etiam innocentes passus sit occidi, vt in humana potentia nemo nimium fidat. Quò quis altior est, altiùs cadere potest: & quem omnes timent vnum in terris, vnus timet omnes. Quod Claudianus cecinit his verbis.

Qui terret, plus iste timet: sors ista tyrannis Claud. 4. Honor.
Conuenit, inuideant claris, fortesq; trucident,
Muniti gladijs viuant, septiq; venenis
Ancipites habeant arces, trepidiq; minentur.



CAPVT LII.

Alias quoque seu Principum, seu aliorum hominum varias mortes à diuino nutu pendére, & iustis de caussis accidere.

I. Vi morbo victi ex hac vita decedunt, facilè mortem suam vel naturæ, vel suæ intemperantiæ, vel diuinæ prouidentiæ possunt attribuere. At ferro cæsi, equo lapsi, insidijs intercepti, laqueo adiudicati, vel à sicarijs trucidati, sæpe quæstionem mouent, quo Numinis judicio id contingat? Enimuerò percussores, & ad quæuis homicidia proiectos, sinit grassari Gubernator Mundi itidem iustis de caussis. Vtitur enim illis aliquando tamquam carnificibus & punitoribus reorum; aliquando, vt effectoribus Martyrum; aliquando, vt protectionem suam contra eos manifestet. Quemadmodum enim Angelum misit, qui jam jam, vibrato in filium gladio, percussurum Abrahamum cohiberet, ita sæpe & alios, è præsenti periculo, eripit, oppositu clypei, ac defensionis suæ interiectu. De

S Sulpitius. Seuer. in vita S. Martini cap. 13. S. Martino Turonensium Episcopo hæc scribit Sulpitius: *Quid in pago Æduorum gestum sit, referam: Vbi dum templum itidem euerteret, furens Gentilium rusticorum in eum irruit multitudo. Cumque vnus audacior ceteris, stricto eum gladio peteret, reiecto pallio nudam ceruicem percussori præbuit. Nec cunctatus ferire Gentilis, sed cùm dexteram altiùs extulisset, resupinus ruit, consternatusque di-*

Ibid. cap. 14. *uino metu, veniam precabatur. Nec dißimile huic fuit illud, cùm eum idola destruentem, cultro quidam ferire voluisset, in ipso ictu ferrum ei de manibus excussum, non comparuit.* In S. Carolum Borrhomæum Deo supplicantem in templo, æneam impius insidiator fistulam explodens, mortem innocentissimo viro cum plumbea glande inferre conabatur; sed irrito ictu; globus enim in summa cute hæsit, vi suâ destitutus, nec vlteriùs progredi ausus; quòd Devs in solam vestem, non etiam in carnem sanctissimi

Psal. 90. 1. viri fecisset ei potestatem. Nimirùm, *Qui habitat in adiutorio Altißimi: in protectione Dei cæli commorabitur.* Sub hoc scuto tutius est, quàm sub Orci galea latitare. Falluntur miserè, qui nescio quas schedulas, ignotis characteribus inscriptas, & amuleta Acheron-

Acherontica vel deuorant, vel è collo gestant, vt non possint
vulnerari ferro, vel traijci plumbo; possunt tamen baculo sa-
ligno contundi & inuersa hasta cominus mactari; aut stanno,
vel lapide eminus occidi. Aut ergo nescit diabolum esse menda-
cem, qui ei credit; aut fatuus est, qui sciens fallaci fidem adhi-
bet: dignus *arte perire sua.*

II. Quamuis etiam absque hac arte alij perire merentur: vt
quid enim illi alijs vitam eripiant, & vitam ipsi seruent suam?
Sinit illos Deus percutere, suo tempore vicissim percussurus.
Cùm Anno 1580 *27. May Bartholomei Entij consilio propugnacu-* Laurent. Sur. in Cõment. de reb. in orbe gestis. An. 1580,
lum vrbis oppugnarent, temeritate quadam assilientes, Entius globo
per cranium adacto percussus animam efflauit, pirata omni scelere, om-
ni flagitio, omni libidine contaminatissimus, cui jam penè per decennium
mercatorum bona diripere, mercatores ipsos in mare proturbare, femi-
nas nuptas & innuptas constuprare, ludus erat: eoq; impudicitiæ inue-
recundiæq; deuenerat, vt Brilis Hollandiæ non erubuerit honestam ho-
nesti ciuis filiam, tam diu per vim impudenter detinere, quam diu
Lummæus comes eam constuprasset. Narrari solet inter multos mer-
catores, quos innocentes aquis suffocârat, vnius cadauer eum, quo-
cumq; nauim suam flecteret, esse per aliquot dies insecutum. Hæc &
fœdiora sceleratioraq;, ab ipsius commilitonibus narrantur, & scribun-
tur. Itaque vel cadauer homicidam secutum de cæde accusauit,
atque à justo Iudice Deo vindictam poposcit. Quæ sæpe *sera, sed*
ampla venit. Vt enim amnes quidam repentè se condunt sub
terram, & tamen nihilominus eò perferuntur, quò tendunt: ita
Numinis ira, licet occulta, tamen aliquando nocentes in extre-
mas aufert calamitates. Cadauer illud, in omnium oculis, con-
scientiaque stimulans tacitè piratam sequebatur, & identidem
accusabat, donec Deo videbatur esse tempus vindicandi. Nulli Paulus Oros. lib. 7. histor. cap. 33.
non sua merces datur. Quidam morte afficiuntur, vt ne, si pro-
uiuant, mortem, post præclara facinora, mereantur. In recen-
tioribus historijs, refert Paulus Orosius, Theodosium Comitem,
Theodosij, qui postea Imperio præfuit, patrem, à Valentiniano
missum ad debellandas Maurorum gentes, eas fusas multis
prœlijs fregisse; ipsum Firmum afflictum & oppressum coëgisse
ad mortem: postea, cùm experientissima prouidentia totam

cum

cum Mauritania Africam meliorem pristinis legibus reddidisset, instimulante, & obrepente inuidia, mercedis loco, jussum interfici. Et huic quidem hoc contigit immerenti; alijs talia, quæ meruerunt, euenêre. Quis autem scit, quid Theodosio futurum fuisset, si superuixisset? Vt enim medici, quibusdam morbis occurrunt priùs, quàm appareant, ita Deus quædam morte præuenit, ne fiant, finitque innocentes pati in hac vita, ne nocentes in altera cogatur grauiùs plectere. Hinc quosdam, etiam per prodigia, magistratui obijcit reos.

III. Audiui narrantem, è Chronicis Heluetiorum, non quidem de toto, sed de parte cadaueris, post longos annos sequente, & reum ad vindictam prodente, eiuscemodi historiam. Quidam seniculus, Lucernæ in hospitali, jam longam ætatem victitabat, ab omnibus habitus simplex & probus. Accidit aliquando, vt otiosus, inter reliquos vetulos & vetulas, insolationis caussa, pro foribus domûs hospitalis assideret, vt istis in more est. Ibi eo vel fabulante, vel nictante, per longissimam vrbis plateam, horrificus descendit molossus, demortui hominis caput ore ferens. Et cane, & capite conspecto, tremor metusque inuasit cunctos. Sed canis imperterritus per mediam stantium sedentiumque turbam irrumpit, & seni jam septuagenario, aut octogenario caluum cranium in sinum imponit, eoque relicto, nullo edito latratu tacitus abit. Admirantur insolens factum omnes, & senem intuentes obstupescunt: qui consternatus surgit, palamque fatetur, ante triginta annos, puerum à se studiosum, in monte siluaque vicina occisum; eò quòd sperasset, se pecunias apud eum reperturum, reperisse autem non nisi tres cruciferos; corpus in fossam abiecisse, agnoscere autem, caput occisi nunc ad se delatum, quia à puero ad Dei tribunal citaretur. Captus est igitur, & in tam sera ætate capite plexus, vt supplicio suo doceret, supremum judicem nullius facinoris, etiam in siluis & tenebris facti, memoriam amittere; & vel mortuos esse homicidarum suorum accusatores.

IV. Quæ res alijs multis potest exemplis demonstrari. Valde luculentum illud Moschi. *Dicebat Abbas Sabbathius: Cùm sederem in Monasterio Abbatis Firmini, venit latro quidam ad Abbatem Zosimum*

Moschus Euiratus in Prat. Spirit, cap. 166.

simum

ſimum Cilicem, & rogabat ſenem dicens: Fac charitatem, per Deum te precor, quia multis homicidijs obnoxius ſum. Fac me monachum, vt jam tandem deſiſtam à ſceleribus meis. Senex verò exhortans illum, fecit monachum, & ſanctum habitum dedit. Poſt modicum verò temporis dixit ad illum ſenior: Crede mihi fili; non potes hic habitare: nam ſi audierit princeps, tenebit te. Similiter autem & aduerſarij tui necabunt te: ſed audi me, & ducam te ad Cœnobium Abbatis Dorothei prope Gazam & Maiumam. Illuc igitur iuit. Vbi cùm moratus eſſet annis nouem, didiciſſetq; Pſalterium, & cunctam monaſticam obſeruationem, redijt rurſus in Firmini Monaſterium ad ſenem, & ait illi: Fac miſericordiam mecum, pater, & da mihi veſtimenta mea ſæcularia, & recipe monaſtica. Senior autem triſtior effectus ait illi: Cur fili? Qui reſpondens ait: Ecce nouem (vt noſti, Pater) annos egi in cœnobio, & quantum potui jeiunaui, & continenter vixi, & cum omni quiete, & timore DEI fui in ſubiectione, & ſcio, quia illius infinita bonitas multa peccata mea remiſit mihi. Verumtamen aſpicio ſæpius puerulum adſtantem, & dicentem mihi: Cur me occidiſti? hunc autem aſpicio in ſomnis, & in Eccleſia: & cùm ad Communionem pergo; & in Refectorio hæc eadem mihi dicentem, & vel vnâ horâ non ſinit me quieſcere. Ideò itaq; Pater, abire volo, vt pro puerulo moriar. Fruſtra enim, & ſine vlla cauſſa occidi puerulum ipſum. Sumptis ergo veſtimentis ſuis, exijt. Et cùm ſic indutus pergeret Dioſpolim, tentus eſt, & ſequenti die decollatus. Mira vis conſcientiæ, tremendum DEI judicium. Ita eſt; latro quidem fuit iſte, ſed pœnitens. Pœnitentem latronem in ipſa cruce recepit CHRISTVS. Leguntur & alij latrones in clauſtris pœnitentiam egiſſe. Iſte & Mundum deſeruit; & in Cœnobium ſe incluſit; nouem totis annis homicidia ſua vigilijs, jeiunijs, orationibus, alijſque pœnitentiæ operibus conatus eſt expiare, & non expiauit; donec in ſæculum regreſſus magiſtratui ſe ſe offerret, ceruicemq; carnifici præberet. Nimirùm publicum ſupplicium meruerat, & qui gladio vſus fuerat, gladio debuit perire, vt vel puero occiſo ſatisfieret. Adeò efficax eſt accuſatio innocentum; quorum ſanguis, ſicut ſanguis Abel de terra vſque ad cælum clamat. Altus eſt clamor, qui hinc eò vſque pertingit. Sunt multi, quorum peccata vix aliter quàm morte poſſunt extingui. Inter quos ſunt præcipuè vene-

ficæ & magi, qui vel suo sanguine, vel homagio alio se se dæmoni consecrârunt. Hi quia nimis crebrò & vehementer à Stygio insidiatore vexantur, tentantur, terrentur, & oppugnantur, nō possunt tot impetus sustinere, cùm præsertim flagitijs assueti facilè relabantur; & tot infantes sine baptismo ab eis occisi, tot viri fæminæque vel veneno, vel arte magica interfecti, si eis ob oculos non obuersantur, saltem ante diuinum tribunal vindictam expetant. Et misericordia diuina est, si iustitiæ magistratuum, & carnifici tradantur, vt in rogo pœnitentiam agentes, incendia euadant inferorum.

V. Nec mirum est, animam occisi venire, & intemperijs exagitare homicidam, cùm ille, de quo superiùs mentio facta est, caput suum, per canem, miserit ad reum accusandum; immò, cùm legamus alium, aridâ manu reum monstrâsse, ac prodidisse suum occisorem. Nam si Henrico Ranzouio credimus, viatori cuidam in itinere interfecto, cùm de authore latrocinij non constaret, manus resecta est, & in carcere senatus Lizenhoensis è tigno in fumo suspensa est. Ibi exaruit, diuque siccissima pependit. Tandem post decem annorum interuallum, cùm forte fortuna author cædis in eam se domū recepisset, manus iam dudum exanguis & exsucca, inexpectato prodigio stillare, & sanguinem recentem ex alto in subjectam mensam spargere cœpit. Ad insolitam hanc pluuiam cohorruerūt omnes. Nec dubia fuit coniectura, hominem homicidij reum existere. Visa senatui referuntur; cuius mandato hospes in vincula conijcitur, qui euidens diuinum judicium agnoscens, haud tergiuersanter latrocinium, ante decem annos factum, à se perpetratum fatetur. Itaq; iustam sceleris pœnam, quam sibi infligi vltrò petijt, persoluit. Est itaque & sanguini sua vox, quâ clamat in cælum, & sanguinem pro sanguine postulat. Sed naturæ propius est, vt è carnea, quamuis arida, manu sanguis erumpat: ossa ipsa quantumuis alba, sanguinem profundere magis repugnat naturæ; & tamen vel hinc nonnulli accusatorem habuêre dicentes:

Exurgetq́, aliquis nostris ex ossibus vltor.

Anno 1585. In agro Viennensi egressus fortè ad ferarum cubilia, sudo calo, nobilis Austriacus, dum secretiora lustra nemoris ingreditur, *molossi*

Henric. Ranzou. in responsoria ad consolationem.

Io Beirlinck ad an. Christ 1585. pag. 137.

molossi cuncta odore inuestigantes insolitum latratum edunt; humumq; pedibus euellentes ossa niue candidiora eruunt: seruat ea herus manubriorum in vsus, & reuersus ad cultrarium defert: hæc vt ille manibus attrectauit, largum sanguinem è vestigio fundunt: territi nouo portento, qui adstiterant, cultrarium vrgent, candidè anxijs pandat rei tam stupendæ caussas. Ille tremebundus multos suæ mentis latebris educit nihil apud eos proficientes sermones; exanguia namq; ossa recentem sanguinē stillare haud posse sine euidente DEI opere cognouerant. Ille igitur vltrò fatetur, trucidatum à se eo loco, ante annos 20. peregrinationis suæ comitem, scelusq; latuisse: nunc verò admirando hoc euentu se à justo scelerum vindice ad pœnam deposci; quam, vt extemplo subeat, ne interiore conscientiæ carnifice diutiùs torqueatur, summis precibus contendebat. Hinc perspicuum est, non solùm DEVM nihil relinquere inultum, neque occisos dumtaxat vindictam expetere, & *manus suas lauare in sanguine peccatoris*, sed ipsos quo- Psal. 57. 11. que reos quiescere non posse in hac vita, per mortem autem sibi illatam, ad quietem pertingere. Ad quā malefactoribus inferendam magistratus obligantur. Vnde, vt scribit Carolus Sigonius, Carol. Sigon. lib. 19. de Imperio Occid. Anno 543. Totilas Gothorum Rex rogatus vt parceret cuidam, qui virgini stuprum intulerat, respondit: *Eiusdem ingenij esse, delicto se obstringere, & delictorum supplicia impedire: omninò autem, aut hunc pœnas dare, aut Gothorum Rempubl. interire necesse esse. Theodatus postquam æquitatem diuitijs posthabuerit, Deum Gothis minùs propitium esse factum: præstantius autem esse, justitiam custodire, quàm negligendo inuidiam concitare.*

VI.

Ita ergo & Mundus est gubernandus, vt conseruetur. Et vtitur Deus etiam iniquis ad justitiam suam demonstrandam, dum reos punit per reos, & plectit, per plectendos, eos qui pœnam meruerunt. *Bertoldus Palatinus de VVitelspach,* inquit Cæsarius, Cæsarius. l. 6. cap. 26. *judex erat seuerißimus, ita vt furibus, etiam pro damno vnius oboli vitam aufferret; Et, sicut à quodam Abbate audiui, quoties exiuit, laqueos cingulo suo appendit, ne reorum pœna caperet dilationem. Die quadam manè surgens, & laqueum cingulo suo solito subnectens, huiusmodi vocem in aëre audiuit; Bertolde, quicumq; tibi egresso de castro tuo primus occurrerit, hoc laqueo eum suspendas: qui vocem pro omine accipiens, mox, vt egressus est, occurrit ei quidam* Scul-

Sculteus suus primò: quo viso, cùm satis doleret, eò quòd hominem diligeret, dicebat illi: Doleo de occursu tuo. Cui ille respondit: Quare? cui ille: quia suspendêris. Et ille. Quare suspendar? Respondente illi Palatino, Nescio, sed prapara te ad confeßionem, & ordina de rebus tuis, quia voci diuinæ resistere non debeo. Ille videns aliter esse non posse, ait; Iustus est Dominus, ego plures in domum meam declinantes insequens occidi, multis sua rapui, nec tibi domino meo vmquam fidelis extiti, neque pauperibus peperci. Et mirati sunt omnes audientes eius confeßionem, & cognouerunt in eius morte, peccati pœnam esse à DEO. Et quia idem Palatinus sine misericordia iudicauit, cùm in vltionem Philippi Regis, quem occiderat, ab Henrico Mareschalco eius interficeretur, misericordiam quæsiuit, nec inuenit. Ita & furi, & Iudici aliàs nimis crudeli, mercedem suam rependit Deus, qui, sicut latentes in apricum profert, ita palàm sæuientes finit sæui-
Psal. 2. 9. tiem vicissim experiri. *Reges eos in virga ferrea,* id est, *in inflexibili iustitia,* vt exponit D. Augustinus, is enim rigor est virgæ fer-
Iacob. 2. 13. reæ, vt non flectatur. Quia *judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* Quemadmodum autem diuersa sunt crimina, ita diuersa quoque supplicia generaque mortis esse conuenit. Reges purpurâ delectantur, hinc tot eorum sanguine aspersi rubuerunt. Magnates vino nobili & poculis se se solent oblectare, hinc tot eorum venenum vnà biberunt. Fures tecta amant conscendere, & domos alienas: hinc par est, vt etiam in patibulum ascendant. Lapides loquuntur blasphemi, hinc mandatum est, vt lapidibus obruerentur. Ferro vtuntur milites, & ferro perimuntur. Quid mirum est, jaculis perire iaculatores? aquis mergi natatores & nauigatores? Fortunæ se exponunt latrones vel perimendi, vel perempturi; hinc in rotam aguntur.

VII. Atque vt pœnam delicto parem videamus, detrahentibus de honore atque nomine aliorum, vicissim membra detrahuntur, vt Zwickio factum alibi alibi docuimus. Georgij Cedreni verba sunt: *Græci quidam in domo cuiusdam prandentes, eò prolapsi sunt, vt* (more hæreticorum) *in Virginem Deiparam conuicia atq; execrationes iacerent. Horum reliqui illico à malis correpti spiritibus pœnas dederunt. Dominus autem domûs istius, per insomnium vidit sibi astare Deiparam: quæ alloqui ipsum non dignata, pedes eius virgula,*

Georg. Cedren An. 2. Mauritij Imperat.

la, veluti notis impressis, circumscripsit. Ille autem præ dolore statim euigilans pedes suos incisos inuenit. Gestatus in publicum, ibiq; expositus, justum Dei judicium, & inculpatæ Virginis Deiparæ contra se indignationem professus est. Nimirum eadem Christi parens, quæ cultori suo Damasceno abscissam manum restituit, conuiciatori quoque suo pedes abstulit; vt discerent alij honorem illi non auferre, si vellent ambulare viam beatæ æternitatis.

VIII. Quæ autem furi & cruci sit affinitas, bellè expressit Edmundus Episcopus Cantuariensis, qui in vita sua identidem auditus est jactare hoc dictum: *prendere, & pendere, non nisi vna inter se littera discrepant.* Quo dicto, teste Nouarino, significare (Nouarin. in Adagijs. n. 992.) voluit, admodum propinquum esse suspendio, qui digitos habet piceatos. Quemadmodum igitur paulò priùs recitata historia ostendit, vocem de cælo missam, quæ juberet, primò obuium, in patibulo suspendi, quem vtique jam laqueo maturum Deus sciebat; ita idem diuinus Iudex, alij diaboli auxilio vtenti, per ipsum diabolum similem exitum procurauit. Libet historiam ex Chronico manuscripto earum rerum, quæ in Palatinatu contigerunt, huc apponere. Quidam rerum inopia pressus, & habendi cupiditate inuitatus, cùm varios ditescendi modos secum expendisset, valde incitabatur, vt eam artem exercendam statueret, quæ sine magno labore opes alienæ adhamantur, & velut magnete ferrum, ita digitis trahitur argentum. Sed eum communis furunculorum exitus valde terrebat. Metuit enim, ne, si deprehenderetur in harpagando, res sibi ad restim rediret. Quoniam igitur vidit, nemini à Deo id priuilegium dari, vt capere ei liceat, cum immunitate ne ipse capiatur, è Styge sibi magistrum quæsiuit. Magum itaque adiuit, eumque rogauit, vt artem edoceret, callidè, & sine periculo suspendij tutoque furandi. Magus consilium in prompto habuit. Iussit enim eum, proximo die sabbati, nocturnis horis, ad patibulum accedere, & dicere inibi suspenso: *Heus tu, niger & aride frater, descende, mihi enim hoc patibulum debetur,* responsumque sibi referri imperauit. Paruit beneuolus docilisque discipulus. Sed altera quoque vice sine responsione reuersus est. Pertinax est cupiditas. Quare tertiò ad patibulum redijt, dumque eadem verba repeteret, hanc vocem audiuit:

audiuit: *Non ad hoc, sed ad Hirsaugiense patibulum pertines.* Hoc velut è tripode acceptum oraculum mago indicauit, qui proinde illum etiam atque etiam monuit, vt eum locum, quantùm posset, vitaret, vel certè, ne in illo rei vlli alienæ manus inijceret, alioqui certò futurum, vt & ipsi manus inijciantur, immò & laqueus. Excepit vaticinium lauernio, & aliquamdiu diligenter cauit fatalem locum; alibi fur satis felix, nusquam præda vacuus discessit, cùm multa deprehenderet, numquam fuit ipse deprehensus. Verùm etiam huic hominum generi suus est autumnus, quo maturescunt. Postquam enim multa passim clepsit, accidit, vt, cùm nundinæ aliquando Hirschaugiæ celebrarentur, ipse verò non longè inde abesset; vicinitate allectus, eòdem quoque se conferret. Sed memor vatis sui seuerè statuit, omni furto abstinere. Difficile est refrænare consuetudinem inueteratam. Quamobrem vix locum ingressus, in rusticum incidit, qui mercem recens emptam contemplabatur, & manu sursum ac deorsum versabat. Erat is culter curuatilis, cuius osseum manubriũ bellè redibat in caput, & conduplicabatur, vt sibi ipse vagina esset, & commodè ac sine læsione in sacco posset ferri. Ad hunc oculos, mox etiam manus adjecit, sed minùs dexterè. Nam & rusticus tum charæ merci intentior, manum illi in sacco deprehendit, eamque strictim tenens, *Furem, Furem* proclamauit. Adsunt illico lictores, capitur, magistratui sistitur, in vitam illius reliquam inquiritur, torturæ admouetur, in qua alia furta multa (nec enim omnium meminit) fassus, furcæ adjudicatus, atque in prædicto, sibique debito patibulo suspensus, è sublimi loco docuit, non facilè peruenire fures ad astra: nam etsi eò tendant, tamē plerumq; illos inter cælum & terram medios hærere.

IX. Verum est quidem, multos ex hoc hominum genere de peccatis dolere, quorum animæ ad sidera vsque ascendunt, sed ij desinunt esse fures, & transeunt in pœnitentes. De furibus Paulus ait: *Neque fures, neq; auari, neq; ebriosi, neq; maledici, neq; rapaces regnum DEI poßidebunt.* De pœnitentibus: *Hæc fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis.* Hac de caussa finit fures capi, vt vel in vinculis pœnitentiam agant, qui in libertate positi numquam resipuissent. Hac de caussa, *nulli etiam*

1. Cor. 6. 10.

Senec. ep. 75. ad Lucil.

cui

cui rapina cessit feliciter, gaudium rectè durauit in posterum. Dioge-
nes canem, non hominem egit, quando nimis properè effudit,
Harpalum celebratissimum furem, contra Deos testimonium Laërt. lib. 6
dicere, quòd in illa fortuna tamdiu viueret. Desipuit tunc Phi-
losophus, quia nesciuit patientiam & longanimitatem Dei, quæ
ad pœnitentiam homines expectat: quam si non agant liberi,
coguntur quodammodo agere captiui antè, quàm ducantur.
Quòd si enim, teste Lampridio, Alexander Seuerus adeò vin-
dex fuit furti, vt per præconem sæpe edixerit: *Nemo salutet Prin-
cipem, qui se furem esse noscit*: quis putet, vllum vel furtum, vel
aliud facinus, apud diuinum tribunal fore impunitum? Omnis
autem pœna huius vitæ infertur, vt liberet æternâ pœnâ pœni-
tentes: ad cælum dummodo veniatur, perinde est, quâ viâ venia-
tur. Etsi enim vtique satius esset non peccare, vbi tamen pecca-
ueris, cùm per pœnam & pœnitentiam eumdum sit ad cælum,
illud vetus locum habet: *Theodoro nihil refert, humíne, an sublime
putrescat.* Nec sanè refert, in aquis, an flammis, peste vel ense
quis moriatur, dummodo morte justorum moriatur.

Libet coronidis loco addere, quosdam etiam ludentes mori: X.
quæ non est mors optanda: rarò enim tales satis sunt ad hanc
luctam parati. Omnia alia cogitabant. *Tenent tympanum, &* Iob. 21. ℣ 36
*citharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos,
& in puncto ad inferna descendũt.* Quare vt mortales à vanitatibus
eiuscemodi, ac Bacchi festiuitatib9 absterreat Deus, multa & ter-
ribilia exempla Mundo exhibuit, in quibus comœdiarum læ-
titiæ in mœstissimas tragœdias transierunt. Refert Paulus Æmi- Paul. Æmil.
lius aliique, Caroli Sexti Gallorum regis ætate, illustres, in au- lib 10. de
la regia, nuptias adornatas, quibus exhilarandis, rex ipse volue- Franc. reb. &
rit interesse. Finem jam habebant dapes, mensisque remotis, Bapt Fulgos.
dies in noctem, compotatio in tripudia, homines ad choreas iue- lib 9. cap. 10.
rant. Ibi, reginâ quoque in lætitias communes effusâ, rex quin-
que alijs, è præcipuâ nobilitate, comitatus superuenit: atque,
vt licentiùs posset lasciuire, larua vultum texerat, ex homine in
leonem deformatus. A capite, per ceruicem, armos, & corpo-
ris superiora, metuendi aspectûs jubæ dependebant, quæ vt cum
veste coalescerent, pice liquata, conglutinabantur. Cætera ita

erant tincta aptataque, vt leonem supernè villosum, inferiùs semitonsum referrent. Ad hunc modum & reliqui comites amicti, mira pedum agilitate, gestuumque varietate, ac Laconicæ saltationis pedemate, spectaculum faciebant. Excitauit ea saltatio, elegantiâ suâ, magnos applausus, præsertim, apud illos, qui sciuerant, quis Hercules sub leoninis exuuijs luderet. Itaque, vt quisq; voluit esse proximus adeò humanarum belluarum spectator, accurrit ipse quoque cum face regis frater, Dux Aurelianensis, de cuius tæda, cùm scintilla in regis jubas incidisset, illico flamma reluxit, pice ignem rapiente. A rege extemplo incendium in socios succurrere volentes, & pabulum, non remedium igni afferentes, est propagatum. Clarissima igitur repentè extitit saltatio, & verè illustres fuerunt saltatores. Quin, vt nihil deesset ad repræsentationis veritatem, sub ipsis laruis, ficti leones rugire cœperunt. Quatuor ex illis, velut in molesta tunica ambulantes, miserrimè vstulati, ante diem Cinerum, in cineres abierunt. Quintus in vicinam cellam delatus, superfusâ partim aquâ, partim, vt quidque obuium erat, vino, ardentis tegumenti piceum furorem restinxit, Neptuno, & Baccho Vulcanũ vincens. Rex ab vxore auxilium accepit. Biturgis ea vocabatur, quæ habebat tam longum, in veste, syrma, quod post se, per terram trahebat, vt eo subleuando tres pueri nobiles occuparentur. Eo igitur syrmate inuolutus rex, suffocata, oppressaque flamma, à præsenti exitio est liberatus. Ita prædixit Salomon,
Prou. 14. 13. quando dixit: *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* Ite, mortales, potate, saltate, rara est lætitia sine sale, vt alibi & in Domino lætari discatis. Verùm iste luctus eos inuasit, qui in alienis nuptijs gaudere voluerunt.

XI. Longè autem mœstiores nuptias, audiui à viro fide digno, Romæ celebratas, cùm ipse inibi versaretur. Duo riuales vnius puellæ nobilis matrimonium ambiebant: altero præualente, alter expectauit diem nuptiarum, & adeò etiam initium chorearum. Tum reliquis lætissimè saltantibus ipse laruatus, cum alijs laruatis comitibus superuenit, scitissimeque chorum expressit mortuorum. In quo postquam satis desaltarunt, adhuc restabat, vt vnum in medium afferrent, qui capitis nutu, & manuum brachio-

brachiorumque, atque etiam pedum exanimi motu cadauer repræsentaret. Rogauit itaque sponsum vnus laruatorum, vti fatigatos seduceret in secretum cubile, vbi vultibus reuelatis, vini se se haustu possent refocillare. Annuit sponsus, & ipse se ducem præbuit. Sed vbi ad locum secretum venit, circumdatus repentè à laruatis & strangulatus est. Detractis igitur vestibus, vestem ei Scenicam similem vestibus ludentium, inducunt, & vultum laruâ tegunt, sellæque impositum cadauer ad sponsam in medium portant chorearum. Ibi inspectante tota hominum reliquorum corona, tamquam circa fictum funus varijs gestibus saliunt. Iam manum hanc, iam illam leuant, mox iterum relapsam; iam hunc, iam illum pedem attollunt, haud aliter recidentem, atque solent membra verè mortuorum. Ita inter saltandum, vno post alterum, dilapso, cùm se solus, qui in medio sellam occupabat loco, mouere non vellet, accesserunt ad illum ij, qui choreas suas prosequi auidè cupiebant, vt eum excitarent, sed frustra & vellicabant, & caput erigebant. Itaque illo, ceruice in humerum languidè reflexa, immobili existente, tandem moræ impatientes, seriò agendum censuerunt, illique laruam de fronte detraxerunt. Ibi & sponsus est agnitus, & verè mortuum agens inuentus; cum quanto dolore amicorũ & ipsius sponsæ, vos cogitate. Nimirùm *risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* (Prou. 14. 13.) Interim, qui facinus patrauerant, se se, in nescio quas plateas atque domos illatebrauerunt. Sponsa inter duos procos nullo potita est. Paranymphi, & qui Thalassionem canebant paulò antè, postea Lessum cecinerunt.

XII. Verùm vt humanarum voluptatum incertitudinem ac vanitatem tantò clariùs perspiceremus, aliæ longè altiores nuptiæ, ne ad choreas quidem, aut epulas peruenerunt, sed eo ipso tempore atque hora à morte intercisæ sunt, qua domum ducenda erat sponsa. Rem Antonius Bonfinius ita narrat. (Anton. Bonfin. lib. 8. Dec. 3.) *Ladislaus Vngarorum & Bohēmiæ Rex, præstantißimam ad Galliæ Regem Carolum legationem, quâ filiam Magdalenam Ladislao desponsatam adduceret, misit. Huius Princeps fuit Vdalricus Pontifex Passauiensis. Ex Principibus Vngarorum ducenti; ex Australibus quoq; ducenti, ac totidem ex Boemis delecti sunt: qui forma, habitu, nobilitate apparatuq; pol-*

lerent, & quisq; regno dignus videretur. E Patauiensibus centum delegit Vdalricus. Quare septingenti equites in Galliam, purpura, auro, gemmisq; ornatißimi abierunt. Item virgines & matronæ, quæ regiam sponsam ducerent, quadringentæ, splendidißimo cultu, ac venustate. Omnes præterea quadrigæ auratæ, gemmatæq;. Inaudita insuper vestium, donorumq; luxuria. Eo autem die, quo Parisios legatio illa ingressa est, antè, quàm consideret, de repentino regis Pragæ mortui interitu à tabellario admonetur. Quo nuntio consternata, cùm clam Carolo regi generi necem significâsset, tanto Principem illum dolore correptum fuisse aiunt, vt neq; responsum dare, neq; illam tristissimam abeuntem alloqui potuerit. Soluta hoc modo legatione suam

Prou 14, 13. *quisq; domum mœstus rediuit.* Nimirum, vt sapiens dixit: *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* Quæ cogitatio, quia & in voluptatem effusis fibulam inijcit, & dignitate hono-

S. Bernard. epist. 237. An. Domin. 1145. ris de superbia periclitantibus cristas euellit, D. Bernardus postquam certo nuntio intellexit, Abbatem suum Eugenium in Summum Pontificem electum esse, litteras ad eum dedit cedro dignas, in quibus inter cetera, etiam hæc leguntur: *Confortare, & esto robustus, manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum. Vindica tibi animi tui constantiâ & vigore spiritûs partem, quam dedit extra fratres tuos tibi omnipotens Pater, quam & tulit de manu Amorrhæi in gladio & arcu suo. In omnibus tamen operibus tuis memento te esse hominem; & timor eius, qui aufert spiritum Principum, semper sit ante oculos tuos. Quantorum in breui Romanorum Pontificum mortes tuis oculis aspexisti? Ipsi te prædecessores tui, tuæ certißimæ & citißimæ deceßionis admoneant, & modicum tempus dominationis eorum paucitatem dierum tuorum nuntiet tibi. Iugi proinde meditatione inter huius præsentis gloriæ blandimenta memorare nouißima tua, quia quibus succeßisti in Sedem, ipsos sine dubio sequêris ad mortem.* Atque hæc de varijs modis ac generibus mortium, ratione corporis, di-

Anton. in Meliss. p. 1. serm. 58. cta sufficiant. Nunc quoniam, etiam teste Epicteto, *magis necessarium est, animæ, quàm corpori mederi, cùm præstet mori, quàm malè viuere,* & quia à momento mortis pendet æternitas, videamus etiam diuersos modos moriendi ratione animæ, quæ tentationes aut vincit, aut illis succumbens, victa malam mortẽ æternùm luit: vt discamus, in illo agone extremo potiùs coronam

trium-



triumphalem, quàm æterna supplicia promereri. Ideò namq;
tempus illud agon vocatur, quia in illo certatur pro re summi
momenti. Neque sine grauissimis caussis illud certamen permit-
tit cælestis Agonotheta, qui vt omnem vitam hominis vult esse
tentationem; ita neque in termino vitæ vult nos esse immunes,
vt semper vigilemus. De tentatione igitur paulò altiùs est dis-
putandum.

CAPVT LIII.

Iusta Dei esse judicia, quando homines tentari permittit, siue vincant, siue victi resurgant.

I.


FRigus, famem, sitim, carceres, morbos, mortes corpo-
rum, habere in diuina prouidentia locum, facile fuit
ostendere; rectè enim illis vtitur summa illa & domi-
natrix potestas ad virtutis exercitationem, aut malorum facino-
rum pœnam. Illa maior est quæstio: An diuini judicij æquitas
pati possit, vt homines labantur in tentationem? Siquidem, teste
Iob, *Militia est vita hominis super terram*, seu, vt alia habet trans- Iob. 7. 1.
latio: *Tentatio est vita hominis super terram*, nec vita tantùm, sed
etiam mors hominis est tentatio, quæ cùm plena sit periculi,
plena est etiam quæstionis; magis, quàm si de fame, siti, morbis,
alijsque malis agamus. *Accidentibus illis corporis malis afflicti* Lactant. lib. de ira. cap. 16.
homines ad DEVM plerumq; confugiunt, mitigant, obsecrant, cre-
dentes eum posse has injurias propulsare; at quid juuat in peccatum
cadere? quid tentari? an non, qui scandalum ponit, videtur
esse caussa ruinæ? Ita de ipsis tentationibus à DEO vel permissis,
vel immissis quidam tentantur. Et certè, *quàm diu in mundo vi-* Thom. de Kemp. lib. 1. de Imit. c. 13. 1.
uimus, sine tribulatione & tentatione esse non possumus. Immò, *nemo*
tam perfectus est & sanctus, qui non habeat aliquando tentationes, &
plenè eis carere non possumus. Auget quæstionem communis ho-
stis nostri ingenium vaferrimum, odium plus quàm inuetera-
tum, artes & arma terrifica; hominum simplicitas, viriumque
imbecillitas ad resistendum, experientia quotidiana succumben-
tium, etiam in vltimo mortis agone. Vt perinde hæc animi
mors longè sit, quàm corporis magis metuenda. Quâ igitur
judicij diuini æquitate, aut quibus justis de caussis hæc contin-
gunt?

gunt? Tentatus est Dauid, & cecidit; tentatus Petrus, & Christum negauit; tentati reliqui Apostoli, & omnes, relicto eo, fugerunt; denique quisquis damnatus est hominum adultorum, per tentationem in peccatum, per peccatum in infernum lapsus est. An non igitur præstaret, tentationes in Mundo nullas esse, cùm, sicut occasio furem, ita tentatio videatur facere peccatorem?

II. Hæc ipsa de permissione tentationum, tentatio maxima est, & quidam scopulus piorum; ita tentatio ferit tentationem. Sed multa sunt, è quibus ei fiat medicina. Primum est, si consideremus, ob quasnam caussas, fomitem in nobis, concupiscentiasq; , & alios inordinatorum motuum fontes reliquerit Devs. Nam, vt in vita optimi P. Leonardi Lessij legimus, Lessius has *affectiones, tribus potissimùm de caussis, tamquam hæreditarios hostes, post primorum scelus parentum, in nobis relictas volebat. Primò, vt propria miseriæ inopiæq; conscij, dum natiuo quodam pondere in calamitates ac scelera labi nos perspicimus, deposito fastu, ipsos nos abijciamus. Deinde vt esset insignium victoriarum locuples materia, dum quotidiana militia aut vincere generosi, aut occumbere socordes cogimur. Tertiò, vt auxiliares è cælo & opes, & copias gerendo bello deposcamus, adeoq; vtili quadam necessitate, Deo frequenter supplices, magno bono nostro accidere compellamur.*

In vita Leonard. Lessij, quam Bruxellis edidit Thomas Courtois. c. 12. §. 64.

III. Hæ caussæ sufficiunt ad Devm non iam excusandum, sed laudandum, ob morbos animi tam vtiles in nobis relictos. Deinde, si de interno malo loquamur, etiam atque etiam expendendum est, ferocissimum quidem esse, & maximarum virium infernum hostem, voluntateque acerbissima, sed non minùs in manu Dei Mundum gubernantis, atque cetera omnia. Sicut ergo diuina prouidentia mari posuit terminos; sicut continet flumina, imbres, tempestates, belluas, aliaque mala; ita etiam frenat diabolicam potestatem, eiusque vim intra certos limites cancellosque cohibet. Id eum posse, docet eius omnipotentia; id nosse, ostendit summa sapientia; id velle, demonstrat infinita bonitas & charitas: vt proinde non sine graui culpa sit, qui ei culpam ascribit; & crudeliter cogitet, quicumque eum accusat crudelitatis. Dolis pullulat orcus, ex astutijs consutus est cacodæmon; fraudibus, mendacijs, violentia, blanditijs nouit vti; nouit

quosdam, vt victi meliores resurgant. nouit & DEVS, quibus auxilijs hæc omnia superentur. Infinita est eius scientia, vt nullius illi possit error ascribi: infinita vis & potentia, vt non deficiat eius potestas; infinitus amor, vt de nulla possit inclementia accusari.

IV. Hinc omnia ei tentatoris consilia, omnes doli, omnia stra-tegemata sunt cognitissima. Hinc perspicuè videt quid orcus possit, quantæque sint vires Acherontis; quanta item hominum imbecillitas. Omnia enim ei manifesta sunt. Sed *& omnia possi-bilia sunt apud DEVM.* Matth. 19. 26. Hinc manum porrigere, hinc opem af-ferre etiam in rebus desperatissimis nouit; & ipsos etiam auxilijs suis homines quodammodo facere omnipotentes: vt dicere adeò quispiam ausus sit: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Phil. 4. 13. Esto igi-tur, immanissimi sint Alastores, & spirent minas, more gigantum sub aquis gementium; nihil tamen omnino possunt efficere, etiam contra puerum vix è cunis exeuntem, aut contra fragilem sexum puellarum; aut contra grallis incedentem senem, aut con-tra quemcumque alium, quantumcumque tandem imbecillum, diuino robore munitum. No[illegible]gas erat Goliath, & armis 1. Reg. 17. 49. ferreis instructus? processit co[illegible] eum pastoritius puer, baculo & funda, gladij & balistæ loco armat[illegible]guo lapillo in terram applausit lacertosum gigante[illegible]que gladio con-truncauit. Hæc est manus Domini: hæc *[illegible]* excelsi. Psal. 35. 10. Scit ergo DEVS, vbi, & quando sit succurrendum; & vim habet, quâ Psal. 43. 4. possit succurrere. *Quoniam quis DEVS, præter Dominum? qui* Psal. 17. 32. & Psal. 143. 1. *docet manus meas ad prælium?*

V. Cur igitur tot quotidie succumbunt, inquies, cur tam pau-ci euadunt victores? An fortasse, qui nouit nostram debilitatem, & vires habet, quibus succurrat, succurrere non vult? Absit, vt hoc credamus; nihil magis repugnat diuinæ bonitati. Infinita est DEI charitas. E quo fonte promanat, vt ei non possit deesse voluntas succurrendi. Neque aliquibus dumtaxat, sed omnibus succurrit, qui *omnes vult saluos fieri.* 1. Tim. 2. 4. Spectat igitur ad charita-tem illius infinitam; vt, cùm Satanæ potestatem facit nos ten-tandi, non solùm id faciat ad vtilitatem nostram, & aliquem *cum tentatione prouentum* capiendum; sed etiam vt sufficientia nobis auxilia suppeditet, quibus tentationem superare, & victo-

1. Cor. 10. 13. res euadere valeamus. Hoc est, quod Paulus dicit: *Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis: sed faciet etiam cũ tentatione prouentum.* In eo ergo est fidelis, quia seruat, quod promisit; promisit autem se cum homine futurum, siue per flammã, siue per vndam ei sit transeundum. Esse autem cum homine, est, ei manum porrigere adiutricem, & gratiæ sufficientis auxilio eum non destituere; neque permittere inferno hosti, vt quacumque hora, aut tempore, aut loco, aut modo, aut impetu, eum, qui tentandus est, aggrediatur. Permittit itaque Deus, sicut pius Agonotheta, certamen, vt vincamus, & cum corona triumphemus. Siquidem, vt ait D. Augustinus, *Tanta est Dei bonitas, vt numquam hæc mala permitteret, nisi sciret ac posset maiora ac præstantiora bona ex ijs elicere, pro suis electis.* Quia, vt Agonotheta & modum, & limites certaminis præscribit; ita certas leges ac condiciones ponit Deus diabolo prœlium machinanti. Quod vel in Iob ostensum est, in quem nihil potuit, immò nec in oues, nec in ceteras eius fortunas, nisi quod à Deo illi concessum est. Atque vt videas poten[illegible] nitatam: *Ecce, ait Deus, vniuersa, quæ habet, in manu tua [illegible] ntùm ne in eum extendas manum tuam.* He[illegible] onum ille [illegible]igat! Ipse Pilatus, qui se iactabat dicens: *pot[illegible] o crucifigere te*, non habuit, nisi quam illi diuina maiestas permisit. Vnde & Christus dixit: *Non haberes potestatem in me vllam, nisi tibi datum esset desuper.* Hac de caussa D. Augustinus & D. Gregorius scripserunt, Satanæ voluntatem semper esse malam & iniquam, potestatem autem semper esse bonam & justam; quod enim ille vult facere iniquè, Deus permittit justè: immò & beneuolè. Ex his conficitur, illum timendum non esse, qui nihil potest facere, nisi quod ei à bono Deo conceditur; enimuerò Devm timendum esse, quem diabolus timere cogitur. Quamuis enim Hydra ista septem capitibus terribilis exurgat; quamuis decem cornibus minetur; quamuis metuenda caudæ volumina vibret; neque tamen mordere, neque arietare, neque alligare quemquam potest, nisi Numinis permissu, quod perinde solum timendum est, ne in scelerum nostrorum pœnam frœnum laxet Tartareo draconi. Nam iste *Behemoth est principium viarum Dei, & qui fecit eum, applicabit gladium eius.*

Margin notes: IV. (beside "siue per vndam"); D. Augustin. in Enchir. cap. 11. (beside "triumphemus"); Iob. 1, 12. (beside "est. Atque vt videas"); Ioan. 19, 11. (beside "ctabat dicens"); Iob. 40, 14. (beside "pœnam frœnum").

Gladius illi est, sed vinctus, & neminem valens lædere, nisi à
Deo applicatus: vsque adeò, vt ne gregi quidem porcorum pos- Matth. 8. 31.
sit obesse, nisi nutu cuncta gubernantis. Siue ergo in pœnam
quis peccatorum permittitur tentari, iustum id est; siue in cer-
taminis occasionem, & ad coronam promerendam, à bono id sit
parente, vt qui simul manum præbet auxiliatricem, gratiamque
largitur, qua victoria possit obtineri. Pigritiæ est, gratiâ non
vti; culpæ, nolle vincere. Qui vincitur, suo crimine vincitur,
non Dei destitutione. Hæc probatio est. *Impij*, ac reprobi *tam-*
quam puluis sunt, quem proijcit ventus à facie terræ; nam in tempo-
re tentationis recedunt: justi autem tamquam solidum *frumentum* Amos. 9. 9.
permanent in cribro, etiam identidem concussi; sicut Apostoli
in Christo permanserunt, vno Iuda, tamquam palea, auolante
& pereunte, & dum ex arbore penderet aridus, paleæ instar ven-
tilato. *Ideò vnusquisque solicitus esse deberet*, ait Thomas de Kem- Thom. de
pis, *circa tentationes suas, & vigilare in orationibus, ne diabolus lo-* Kemp. lib. 1.
cum inueniret decipiendi, qui numquam dormitat sed circuit quærens, de Imit. c. 13.
quem deuoret. Hæc in genere dicta sunto. Res longè clarior fiet, 1.
si nunc ad classes eorum, qui tentantur descendamus.

VI.

Tres sunt classes eorum, qui tentationibus agitantur. Nam
& qui vincunt, & qui victi resurgunt, & qui victi pereunt, ten-
tantur. Omnia hæc justissimè permittit Deus, tamquam Domi-
nus, tamquam amator, tamquam miserator, tamquam judex.
De justis & ad cælum destinatis, facile est caussas reperire. Ex-
empla & caussas enumerat ipse diuinus Spiritus. Noë in arcam, Sapi. 10. 4.
velut in custodiam inclusus, *per contemptibile lignum* seruatus est. Gen. 7.
Coactus est Loch vrbem suam deserere, at sic incendium euasit. Gen. 19.
Quis has tentationes existimet fuisse ad perdendos eos, quos è
grauissimis periculis liberauit? 1. Igitur aliqui tentantur, vt
defendantur. Multi æternùm perirent, nisi sic perirent. Multis
profuit carcer; multos exilium, in cælestem duxit patriam: mul-
ti dum fluctuant, cum Apostolis clamant: *Domine salua nos, pe-* Matth. 8. 25.
rimus. Adiuuat certantes, qui certamen indixit, ait S. Augustinus
serm. 105. 2. Tentantur quidam, vt & diuina in illis proui-
dentia, eorumque virtus heroica illustretur. Qua de caussa de
Iacob dicitur: *Hæc profugum iræ fratris justum deduxit per vias re-* Sapi. 10. 10.
ctas,

ctas,&c. In fraude circumuenientium illum affuit illi, & honestum fecit illum. Custodiuit illum ab inimicis, & à seductoribus tutauit illum, & certamen forte dedit illi, vt vinceret, & sciret quoniam omnium potentior est sapientia. Hæc enim & iram fraternam, & fraudem circumuenientium, & inimicos, & seductores omnes, etiam per quemuis suapte natura imbecillum, gratia tamen diuina firmatum, vincit. Hac victoria igitur diuinæ prouidentiæ vis illustratur; & honestos, hoc est, honore dignos facit illos, quorum etiamsi vires nouit, permittit tamen tentari, &, velut in igne probari, vt magis ipsa per auxiliũ suum enitescat. Siquidem

2. Cor. 12. 9. *virtus in infirmitate perficitur.* Quemadmodum enim in antiperistasi contingit, vt cùm cingit frigus, calor se intendat, & frigus se se augeat, calore circumstante; ita virtus heroica tum demum se erigit, suscitat & opponit, cùm hostem adesse animaduertit. Sic palma nititur contra pondus impositum. Sic luctator vires colligit, cùm in arena instat aduersarius: & quia videt proprias vires non esse sufficientes, diuinas implorat, & clamat:

Psal. 70. 12. *Deus, ne elongeris à me: Deus meus in auxilium meum respice.* Etsi enim proprijs viribus diffidat, scit tamen se omnia posse in eo à quo confortatur, si velit officium suum facere, ac velut strenuus miles, contra mundum, carnem, dæmonem pugnare. Hinc Christiano pugili S. Chrysostomus tale classicum canit. *Delicatus es miles, si putas te posse sine pugna vincere, sine certamine triumphare. Exsere vires, fortiter dimica, atrociter in prælio isto concerta. Considera pactum, condicionem attende, militiam nosce: pactum, quod spopondisti: condicionem, qua accessisti: militiam, cui nomen dedisti.*

3. Ex augmento virtutis, præmij quoque enascitur augmentum. Cur parens filium ad castra & prœlia mittit? non vt cadat, sed vt vincat, & spolia cum laude referat. Mater aliqua mollis fortasse patrem asperum, & tyrannum vocet, cùm eum videt in hostes & pugnas mitti. At longè aliter heros aliquis judicabit, qui se quoque hac via meminit ad gloriam peruenisse. Hoc est,

Sapi. 3. 1. quod dicitur: *Iustorum autem animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori: & æstimata est afflictio exitus illorum; & quod à nobis est iter, exterminium: illi autem sunt in pace. Etsi coram hominibus tormenta passi*

sunt,

quesdam, vt victi meliores resurgant. *sunt, spes illorum immortalitate plena est. In paucis vexati, in multis benè disponentur: quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se. Tamquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos, & in tempore erit respectus illorum.* Et præmium, & auxilium Dei, tentationū victoribus proponit S. Dionysius, dum ait: *Certantibus Dominus præmia proponit, vt Deus; leges autem certaminis tulit vt sapiens præmiaq; vincentibus decora constituit, & pulcherrima: Et quod est profectò diuinius, ipse, vt est summè clemens & bonus, in suis bellatoribus vincit, dum in illis habitans, pro illorum salute atq; victoria aduersus mortis & corruptionis imperium pugnat.* Quid ergo conqueri de Deo possumus, si nos sinat pugnare, cùm ipse velit in nobis, & pro nobis pugnare, vt nos tamquam victores queat coronare? 4. Quin etiam, sicut per sentes itur ad rosas, ita vult Devs, per tentationes, non rarò in hac quoque vita ducere hominem ad honores. Antè enim deprimit, quàm attollit. *Hæc est sapientia illa, quæ venditum iustum non dereliquit, sed à peccatoribus liberauit eum: descenditq; cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam aduersus eos, qui eum deprimebant: & mendaces ostendit, qui maculauerunt illum, & dedit illi claritatem æternam.* Quod de Ioseph Patriarcha intelligitur, & in omnibus illis verum est, qui per calumnias impiorum, priùs pressi, postea fuêre tantò sublimiùs euecti. Ne tristeris inimici linguâ traductus: audijt hoc Devs, qui efficiet, vt inde longè clarior euadas. Montes & aspera viarum superanda sunt antè, quàm ad planitiem peruenias. Superbus dæmon plurimos non audet oppugnare, quia metuit, ne ipse succumbat, eosque, quos aggreditur, reddat illustriores. Quod cùm omniscius ille Mundi moderator videat, occasionem quodammodo dat metuenti, vt pugnam aggressus vincatur. Sic ad satanam aiebat: *Considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra?* Laudauit Iobum coram hoste, qui solitâ inuidiâ excitatus in eum exardescebat. Exarsit, & dixit: *Numquid Iob frustra timet DEVM?* hoc est, non colit te, quia Devs es, sed quia beneficus es, & eum bonis vndique vallasti; qui imperfectus, & concupiscentiæ dumtaxat amor est. Permisit ergo illi, qui meliùs Iobi amorem nouerat, vt bona ab

S. Dionys. cap. 2. de Eccles. hier.

Sapi. 10, 13.
Gen. 37, 26.

Iob. 1, 8.
S. Gregor. mor. 2. 5.

eo auferret; quin & vt liberos chariſſimos, & ipſam adeò auferret ſanitatem. Sed quid inde conſecutus eſt ſatan? nihil, niſi vt Iob victor eius, in exemplum patientiæ, toti Mundo inclareſceret; perſpicueque appareret, etiam omnibus ſolatijs ſublatis, ab eo DEVM, non propter beneficia tantùm, ſed in ipſis etiam tribulationibus amatum fuiſſe. Author eſt Valer. Maximus, Epaminondam Ducem Thebanum, fortiſſimè in bello dimicantem, lethaliter læſum, morientem rogauiſſe: *An ſuus clypeus eſſet ſaluus & hoſtes cæſi?* Cùm illum ſaluum, & hoſtes cæſos audijſſet, aiebat: *Nunc finis vitæ meæ: ſed melius & altius initium aduenit: nunc Epaminondas naſcitur, quia ſic moritur.* Ergo homines ſtrenui, pro laude & gloria humana ita certant; & nos pro gloria æterna prœlium detrectemus? *Si tantum terrenæ gloriæ licet, de corporis, & animi vigore*, ait Tertullianus ad Martyres, cap. 4. *vt gladium, ignem, crucem, beſtias, tormenta contemnant, ſub præmio laudis humanæ, poſſum dicere: Modicæ ſunt iſtæ paſſiones ad conſecutionem gloriæ cæleſtis. Tanti vitrum, quanti verum margaritum? Quis ergo non libentiſſimè tantum pro vero habeat erogare, quantum alij pro falſo?*

VII. 5. Tentatio hominem erudit. Nec iam illud vrgebo dictum, *Quod nocet, docet.* Illud inculco: *Qui non eſt tentatus, quid ſcit?* (Eccli. 34. 9.) Neſcit homo compati, qui neſcit pati. Qui numquam fuit tentatus, quo modo tentatis ſuccurret? Omnia nouerat Chriſtus, experimentali tamen ſcientia voluit ipſe tentationes experiri, vt ex ijs quoque ſciret, *eis, qui tentantur, auxiliari.* (Hebr. 2. 18.) Vnde impenſiùs credere poſſumus, ipſum *compati infirmitatibus noſtris*, (Hebr. 4 15. Vide & Hebr. 2. v. 18. & Pallad. in hiſt. Lauſiac. cap. 74.) ex ijs, quæ ipſe *paſſus eſt.* Qui ægrotauit, meminit, quâ medicinâ, aut à quo medico ſit ſanitati reſtitutus. Eumdem ergo & alijs medicum medicinamque ſuadet. Sic bene conſulit, qui bonis conſilijs ſe ipſum adiutum recordatur. Certè, vt pueri ad matrem confugiunt, cùm aduerſi illis aliquid contingit; ita qui tentatur, & ſuam agnoſcit imbelliam, tantoque inde humilior euadit, & videt quantopere diuina manu indigeat, ad quam ſibi cenſet recurrendum. An non rectè ergo DEVS ſuos tentat, vt erudiat? terit, vt poliat? ducit in campum, vt *doceat manus noſtras ad prœlium*: (Pſal. 17. 35.) & dicat tentatis ad ſe confugientibus anima noſtra:

Non

quosdam, vt victi meliores resurgant.

Non ignara mali miseris succurrere disco? Virgil. lib. 1. Æneid.

6. Quid, quòd nulla ferè virtus heroicos actus, nisi inter tentationes, manifestat? Quanta castitatis laude celebrantur Ioseph, & Susanna? ille à Putipharis vxore, ista à senibus & judicum primis tentata fuit: vicit vterque tentationem, & splendidè triumphauit. Eapropter etiam Catharinæ Senensi dixit Christus, (In vita S. Catharinæ Senensis.) si quis ab se petat castitatem, aliámue virtutem, permittere se, vt grauiter contra virtutem illam tentetur; tentationem enim incitare ad orandum, ad jeiunandum, ad corpus cilicijs & flagellis castigandum, & alia remedia exquirenda; itemq; ad actus exercendos, quibus virtus illa celeriùs perfectiúsque stabilitur. Ita maior fiducia è maioribus elucet periculis, profundior humilitas in contemptu grauiore, summa fortitudo in summis malis exercetur. Vides quid prosint tentationes? Refert Plutarchus, apud (Plutarch. in Apophthegmatis Lacedæmonicis.) Lacedæmones, deos deásque omnes hastatos fingi solitos, tamquam ne illi quidem otium agant, sed inter bellica studia certaminaque exerceantur: *Militia est vita hominis super terram.* In (Iob. 7. 1.) hac militia pulcherrimum est, Imperatorem stantem mori, militem autem militantem & prœliantem.

VIII.

7. Inter flumina semper commota, & pigras paludes illud est discrimen, quòd flumina semper sint puriora, paludes autem aquis stagnantibus putrescant. Idem discrimen est, inter eos, qui tentationibus agitantur: excitantur enim ad feruorem animi atq; alacritatem; & eos, qui malacia quadam obtorpescunt: Siquidem è tranquillitate securitas, è securitate negligentia, & socordia, ex his exitium pullulat. Docuit idem & prima Ecclesiæ ætas, & nostrum hoc bellis fœtum sæculum. Semper enim cùm pax fuit, pietas intepuit, vitia exæstuârunt; at persecutione aut tentatione insurgente, homines ad spiritualia arma confugerunt, instituerunt crebriores comprecationes, vt olim in Bethulia factum, (Iudith. 8. 33.) aliaque opera pietatis. 8. Cùm justi tentationibus tamquam aurum in igne probentur, purificantur itidem, vt aurum, & scoriam deponunt vitiorum. Abstergitur fuligo & maculæ, mollescunt, instar liquefacti auri, incalescunt, immò ignescunt charitate; & quasi *holocausti hostia* Deo offeruntur. (Sapi. 3. 5.) Ob has similesque caussas Sancti tentationes, tamquam Dei amantis

argumenta, obuijs vlnis amplectuntur, luctarique cupiunt, quicumque volunt coronari. Hinc Dauid ait: *Proba me, Domine, & tenta me:* & D. Iacobus: *Omne gaudium existimate, cùm in tentationes varias incideritis.* Hæc nota boni militis est, prœlijs gaudere. Ignaui, cùm pugna imminet simulant se ægrotare, aut negotium excogitant, ne cogantur certamini interesse. Maria Ægyptiaca, quæ 17. annis Veneri seruierat, postea quoq; in eremo pœnitentiam agens, totidem annis stimulis libidinis est agitata, quos vitæ seueritate repressit vicitque. Idem alijs est agendum. Nec enim sufficit credere, sed fidei opera sunt adiungenda, & athletici labores, atque inprimis egregia abstinentia omnium mundanarum illecebrarum. Quia teste S Hieronymo: *Difficile, immò impoßibile est, vt præsentibus quis, & futuris fruatur bonis; vt hîc ventrem, & ibi mentem expleat; vt de delicijs transeat ad delicias: vt in vtroq; sæculo primus sit; vt in cælo & terra appareat gloriosus.*

Psal. 25. 2.
Iacob. 1. 2.

IX. At classis altera est eorum, quos DEVS diabolo permittit tentandos, etiamsi eos videat casuros. Quale hoc judicium? Iustissimum. Primò, quia eos in casum non impellit, sed cadere permittit volentes, & libero suo arbitrio abutentes. Deinde, quia id ipsum in eorumdem permittit plurimas vtilitates. Si enim, vt S. Gregorius docet, vtili & prudenti consilio electi hinc inter raptus & eleuationes, inde inter infirmitates & depressiones, iam in altum sublimati, iam quasi in abyssum demersi, velut ancipites librentur, ne aut in superbiam, aut in desperationem corruant, sed inter vtrumque via recta in cælum gradiantur: quis sit exemptus à tentatione, qui non est exemptus à periculo superbiendi? Antæus, in fabulis, quoties terram attigit cadendó, toties fortior surrexit. Ita multi non essent in fide, non in spe, non in charitate tam firmi, si non cecidissent. Vt etiam hîc valeat illud, *Cùm infirmor, tunc fortior sum.* Item: *Virtus in infirmitate perficitur.* Sicut enim, qui in itinere comites longè antegressos dormiendo neglexerunt, postea tantò celeriùs currunt, vt eos assequantur; ita, qui semel lapsi resipuerunt, meritò censent, præteritam offensam, maiore charitate compensandam; & humiliati judicant, se, quidquid faciant, numquam satisfacturos. Exemplum est clarissimum in Apostolis, & præcipuè in S. Petro

S. Gregor. lib 19 Moral. cap. 5 & 6.

2. Cor. 11. 9

Simon,

quosdam, vt victi meliores resurgant.
Simon, Simon, ait Christus, *Ecce satanas expetiuit vos, vt cribraret,* Luc. 22. 31.
sicut triticum: Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: Et
tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Cùm dicat Christus: S. Ambros. lib. 1. de vocat. gent cap. vlt.
satanas expetiuit vos, elicit S. Ambrosius, satanam facultatem petiuisse, Apostolos tentandi, & hinc inde, instar tritici, velut, cribro gyrandi. Quod sanè DEVS annuit, sed vt, velut triticum, purgarentur; humilioresque & cautiores surgerent, & post casum tantò essent ardentiores, in Deo amando, promptioresque in proximo adjuuando. Quamobrem Christus non orauit, ne discipuli sui tentarentur, aut ob scandalum dispergerentur; sed vt Deus cum tentatione prouentum faceret. Hoc multis alijs contigit. Non disceremus à Magdalena surgere, nisi cecidisset. Aiunt chirurgi, fractum se crus ita posse sanare, & solidum reddere, vt sano citiùs loco os rumpi possit, quàm vbi est restitutũ integritati. Ita quidam longè sunt firmiores & constantiores, postquam à peccato sunt sanati. O qualis post lapsum fuit pœnitens Dauid? quos non psalmos cecinit? quæ non suspiria fudit? ô quales fuêre Mariæ Ægyptiacæ? Pelagiæ? mille alij & aliæ pœnitentes? sicut panni loti, pulchriores sunt post mundationem, quàm si numquam deformes extitissent. profuit ergo illi[illegible] solùm tentatio, sed ipsa etiam de tentatione ruina, [illegible] stimulum pœnitentiæ conuersa. Denique illu[illegible] de Deo sentiendum est, eum nosse, cur diabolus homines oppugnet, nempe ex odio ipsius Dei, de quo se vult in amicis eius vindicare, qui sunt imago & similitudo Creatoris, & ad eam gloriam conditi, vnde diabolus excidit. Cùm ergo hoc nôrit DEVS, caussam nostram suam esse judicat; quare ad nos propugnandos, armandosque suâ charitate impellitur. Si ergo Dauid non horruit gigantem, sed in eum iuit in nomine Domini Dei Israël, quia *ipsius* erat 1. Reg. [illegible]
bellum, Dei enim caussâ id gerebatur, de Dei honore agebatur; quantò magis Deus ipse suam caussam in nobis suscipiet protegendam? Nemo igitur diffidat, aut desperet, nemo conqueratur de suo Conditore, si in varias tentationes inciderit: habet enim eumdem à parte sua stantem, & magna ei emolumenta parantem. Illud potiùs dicat: *Exurge Domine, & judica caussam tuam.* Psal. 73. 22.
Tu adjuua me, quia pugno pro te; scio, quia non patieris succumbere,

cumbere, nisi volentem; & eriges lapsum ad te clamantem. Palæstra, stadium, agon, pugilatus est vita nostra; quàm diu nobis viuendum, tam diu certandum est. Hinc S. Dionysius scribit, eos, qui baptizantur, oleo inungi, vt sciatur hoc signo, illos inungi quasi athletas Christi, atque adeò vocari ad sacra certamina pro fide & pietate, obeunda. Additque, etiam mortuis eisdem solere oleum infundi, quasi Athletis morte consumptis. *Atque tunc quidem*, ait, *olei vnctio baptizandum auocabat ad sacra certamina: nunc autem* (in morte) *infusum oleum designat eum, qui defunctus est, eadem sacra exegisse certamina, sicq; fuisse consummatum.*

S. Dionys. de Eccles. hierarch. cap. 7.

CAPVT LIV.

Iustissima quoque esse judicia Dei, quibus permittit homines plurimos non solùm tentari & vinci, sed etiam ita vinci, vt numquam resurgant.

I. Ertia classis est eorum, qui tentatione prostrati æternùm pereunt. Christus quidem etiam tentatus est, sed exteriùs tantùm, à diabolo tentationem proponente potuit tentari, non autem interiùs concupiscentiâ, aut motu inordinato phantasiæ, qui in Christo esse non potuit. Ita in eo, in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis, qui tentantur, auxiliari: quia tentatione sua meruit nobis opem & auxilium in omni tentatione. Nos quoque, si tentationem vincamus, mereri multa possumus; & meruerunt Sancti, vt in eo, quod passi sunt, nobis idem patientibus auxilientur, apud Deum. Vnde SS. Virgines, quæ pro castitate vsque ad mortem certarunt, in tentatione carnis opitulantur: SS. Martyres, in tentatione fidei, & persecutione hæreticorum nobis robur impetrant inuocati: S. Iob & Eustachius, in infortunijs & aduersis patientiam: in infamia & ignominia S. Ioseph Patriarcha, & S. Susanna, quia hi pro castitate infamiam subierunt. Atque in hoc genere & meritò nos tentati Christo possumus assimilari: nequaquam autem in illo, vt tantùm tentemur à Satana exteriùs tentationem proponente; quia interiùs quoque concupiscentia nostra allicitur, & velut fomes concipit ignem, motusque phantasiæ inor-

Hebr. 2. 18.

inordinati, multos ita prosternunt, vt, licet sæpe etiam resurgant, tandem tamen penitus succumbant; Deo permittente eos perire, pro quibus homo factus sanguinem fudit, & in crucem tolli voluit. De his maxima est quæstio, ad quam vniuersim respondeeri potest: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ* D E I, Rom. 11.33.
quàm incomprehensibilia sunt judicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis enim cognouit sensum Domini? Aut quis consiliarius eius fuit? item illud: *Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fe-* Rom. 9. 21.
cisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Posset ergo Deus absoluta sua potestate aliud vas proijcere, & allidere, aliud autem sine vlla caussa honorare, cùm sit Dominus omniũ. Sed tanta est eius bonitas, tam immensa æquitas, vt sine caussa neminem proijciat. Neque enim si nos caussam non videmus, in hac vita, caussam ille non habet quorumdam damnandorum. Ignorantium ergo querela est, tentare quosdam ita vt prostrati numquam ad se, & Deum redeant; immo diuinum honorem calumniantium, quasi crudelis sit, qui tantam dæmoni malo in homines permittat potestatem. Deus descripturus in Behemoth Stygium hostem nostrum, præmisit, ad Iob de turbine, ista:
Numquid irritum facies judicium meum, & condemnabis me, vt tu Iob. 40. 3.
justificeris? Cumque potentiam, truculentam eius faciem, va-
stitatemque & terrorem illius bestiæ depinxisset, addidit: *Non* Iob. 41. 1.
quasi crudelis suscitabo eum. Non enim est crudelitas, crudelem in crudeles suscitare. Enimuerò, vt figulus ollam, quam fecit, frangere potest, etiam sine caussa, quia dominus eius est, ita Deus, vitam animamque, quam homini dedit, si plenitudinem dominij illius spectamus, iterum auferre potest. Vnde ibidem subiecit: *Quis enim resistere potest vultui meo? Quis antè dedit mihi, vt reddam ei? omnia quæ sub cælo sunt, mea sunt. Quis*, inquit, *resistere potest vultui meo?* neque mortales in terris, neque in cælo immortales, neque damnati illi in Orco spiritus impedire possunt, quæ
ille statuit facere. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo.* Isa. 40. 17.
Itaque, si quando tentari hominem sinit, non ideò sinit, quasi impedire tentationem nequeat, cùm nullus resistere possit vultui eius; sed idcirco sinit, vt virtutem suam conspicuam reddat,

faciat-

faciatque cum tentatione prouentum. Quamuis ergo, tamquã Dominus, seruis non obligetur operum suorum reddere rationem, ea tamen est bonitate, vt reddat, &, quod in Iobo laudatur, cum seruis suis judicium inire non vereatur.
Iob. 31. 13.

II. Caussam indicat, cùm ait: *Numquid irritum facies judicium meum?* hoc est, numquid me de iniustitia accusabis? quasi crudeli animo & affectu quodam odij, cacodæmones in te, aut vllam aliam tentationem excitem? Omnia opera mea *veritas, & judicium.* Atque vt in his ipsis à me permissis tentationibus, justum me esse intelligas, numquid æquum tibi videtur, si seruorum tuorum probes fidelitatem? Æquum tibi est, ponere ante eos pecuniam, vt videas, num furentur; & mihi iniquum esse censebis, si ego hominum, qui omnes mei esse debent serui, probem fidelitatem? si ante eos creaturam, tamquam muscipulam instruam, vt experiar, num furentur, mœchentur, latrocinentur? Enimuerò æquissimum hoc est, & non solùm justitiæ, sed etiam misericordiæ meæ conuenientissimum. Inde enim ansam capio, vt quos fideles inuenio, pluribus donis ac talentis ditem, & tandem in gaudium Domini sui intrare jubeam: qui verò perfidi, qui nequam, qui honoris mei fures ac proditores existunt, occasionem mihi offerunt, vt me justum etiam esse ostendam, eosque pro meritis plectam. Qua in re nulla mihi, sed illis omnis culpa est tribuenda. *Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Magnum bonum libertas voluntatis, hoc bonum homini non negaui: enimuerò adeò eum liberum feci, & adeò ei auxilio meo adsum: vt ipsæ inferorum portæ eius libero arbitrio à gratia roborato, vim inferre non possint. Cui ergò culpa est ascribenda, mihiné, qui potestatem ei dedi non peccandi, an illi, qui mea gratia reiecta, sua libera voluntate peccatum elegit? & maluit puniri, quàm coronari? Quid si quis ergo, cum Ægeo, se præcipitem jaciat scopulorum è vertice? quid si se cum Iuda ex arbore suspendat? quid si cum eodem desperet? quis cogit? nonnè liberè id facit? nonnè sponte sua & tentatori & tentationi succumbit? nonnè sua voluntate mortem eligit; cùm ea ipsa voluntate diuinitus adiutâ, eligere vitam possit? *Fidelis Deus est*, ait Apostolus, *qui non patietur*

Psal. 110. 7.
Eccli. 15. 18.
Matth. 27. 4.
1. Cor. 10. 13.

tietur vos tentari supra id, quod potestis. Ergo multò minùs ipse impellet ad peccata. Ergo non præcipit impossibilia. Ergo gratiam suppeditat; sine qua vtique tam validè possemus tentari à dæmone & carne, vt resistere non valeremus. Ergo de facto nulla est tentatio tanta, quin cum diuino auxilio possit superari. Ergo hæc gratia non solùm electis, hîc à Paulo, & alibi, sed, vt Concil. Tridentinum docet, omnibus Deum ritè inuocantibus promittitur, cùm loquatur Apostolus fidelibus, qui erant Corinthi, quorum multi, non erant electi, sed aliqui contentiosi, scandalosi, ebriosi: immò nemo eorum sciebat, se electum, vt posset hanc sibi consolationem accommodare. Quare non perit ex defectu auxilij, quisquis perit, sed ex neglectu. Cùm bonum habere possit, malum eligit. Meritò igitur tali dicitur, *Perditio tua Israël*; quod elegisti, habes; illud ergo tibi exedendum est, quod tute tibi intriuisti. Vixisses, si voluisses; volens perijsti; quippe *Ante hominem vita & mors; bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Si ergo malum placuit, malum habe. Alijs bene est, quia bonum placuit illis, & odio mortis, vitam elegerunt, æquè probati; sed sicut in igne aurum, probationem sustinuerunt. Ideò illos tentationibus oppugnari permisit Deus, vt probarentur, sicut olim dimisit gentes: *vt in ipsis experiretur Israëlem, vtrùm audiret mandata Domini, quæ præceperat, patribus eorũ per manum Moysi, an non.* Sic tentauit Abraham, sic Iosephum, & patrem eius Iacob, sic Moysen ipsum, sic Dauidem, sic Danielem, & tres pueros, qui vtique velut aurum probatissimum è furno & igne fornacis ardentis splendidiores processerunt; quemadmodum & Iob magis enituit in fimo, quàm in ostro cubans. Ansam vincendi dat militi, qui pugnandi offert occasionem. Plus facit Deus, qui etiam, cum occasione pugnandi, vires dat superandi.

Conc. Trid. sess. 24 c. 4. — Osee. 13. 9. — Eccli. 15. 18. — Iudic. 3. 4.

III.

Hoc judicium Dei Iacobus Apostolus clarissimè indicauit, cùm scripsit: *Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam, cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Nemo, cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat. Vnusquisq; verò tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Deinde con-*

Iacob. 1. 12.

cupiscentia cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò, cùm consummatum fuerit, generat mortem. Nolite itaque errare fratres mei dilectissimi. Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est. Si ergo coronam repromisit diligentibus se Deus, & corona sine probatione, adeoque & sine tentatione, nequit accipi, signum est Dei coronare volentis, si quis tentatur. Penes milites terrenos est fortiter pugnare; non est autem penes eos vincere; quia Mars dubius, nunc huic, nunc illi parti fauet. Alia res est, si de spirituali milite loquamur. Penes illum est, coronam vel perdere, vel adipisci. *Cùm sciret Iacob*, inquit Metaphrastes, *cuius gloriæ, & quàm multorum bonorum sint tentationes conciliatrices ijs, qui se fortiter gerunt, repetens dicit: Beatus vir, &c. beatitudine & spe coronatum efficiens, vt sint viris bonis acceptæ tentationes, & eas propemodum tamquam lucrum existiment, & cum voluptate accipiant.* Quis non gaudeat, si ei sua corona reueletur? At reuelatur quodammodo sua illi corona, qui tentationem suffert. Vnde idem Apostolus suam ita inchoat epistolam: *Omne gaudium existimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis: scientes, quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet.* Neque vir tantùm beatus est, *qui suffert tentationem*, sed omnis etiam femina, quæ virili animo eam *suffert*, qualis fuit *fortissima* illa, non jam Tyndaridarum, sed Machabæorum; & Susanna senum, & dæmonum, & libidinum victrix. Tentatæ fuerunt, vicerunt, triumpharunt, sicut omnes Sancti, qui suis viribus diffisi, oratione, optimo tentationis remedio, vsi diuinam opem inuocarunt, juxta illud: *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem.* Hinc ait Apostolus: *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana*, quasi dicat: licet tentemini, ô Corinthij, ad schismata, litigia, luxum, venerem, idola, & idolothyta, constantes tamen estote. Quia hæ tentationes, quæ vos apprehendunt, communes sunt & humanæ, quas facile, si velitis, vincetis. Nam in Christiani cuiusque potestate est, habere auxilium sufficiens ad vincendas omnes tentationes, quia Deus ad hoc, quasi fidelis, ijs fidem suam obligat, vt docet Apostolus, quasi dicat: *Tentatio vos non apprehendat*, ex parte & negligentia vestra, nisi humana: quippe ex parte Dei spon-

Metaphrast. in vita S. Iacobi.

Iacob. 1. 2.

2. Machab. 7. 21. Dan. 13.

Matth. 26. 41

1. Cor. 10 13.

spondeo, Deum qui fidelis est, sicut promisit, sic & præstiturum, vt non patiatur vos tentari supra id, quod potestis; si scilicet eius gratiam & opem, vt par est imploretis, eique cooperemini. *Deus impossibilia non jubet*, ait S. Augustinus lib. de nat. & grat. c. 43. & ex eo Conc. Trid. Sess. 6. c. 11. (cùm nempe jubet, vt tentationi resistamus) *sed jubendo monet & facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adiuuat, vt possis.* Hinc Christus Matthæi 11. *Iugum*, inquit, *meum suaue est, & onus meum leue.* Ac 1. Ioan. 5. 3. *Mandata eius grauia non sunt.* Non potest de grauitate oneris conqueri filius, quem in portando iuuat pater, de maioribus suis viribus illi vires addens.

IV. Est quidem ita: orare jubemur, *Et ne nos inducas in tentationem*: possumus tamen nihilominus gaudere, si in varias tentationes incidamus. *De quo non minima nascitur quæstio*, ait Cassianus: *Si enim oramus, ne permittamur tentari, vnde erit in nobis virtus constantiæ comprobanda, secundùm illam sententiam: omnis vir, qui non est tentatus, non est probatus: & iterum: Beatus vir, qui suffert tentationem? Non ergo hoc sonat: Ne inducas nos in tentationem id est non permittas nos aliquando tentari: sed, ne permittas in tentatione positos superari. Tentatus est enim Iob, sed non est inductus in tentationem. Non enim dedit insipientiam Deo, nec ad illam, ad quā trahebatur, tentatoris vltionem, ore impio blasphemus intrauit. Tentatus est Abraham, tentatus est Ioseph, sed neuter illorum est in tentationem inductus, quia nullus eorum consensum præbuit tentatori. Deinde sequitur: sed libera nos à malo, id est, ne permittas nos à diabolo tentari supra id, quod possumus, sed fac cum tentatione & exitum, vt sustinere possimus.* Hoc auxilio diuino postulato, quod nulli negatur, non ex nobis, sed ex Deo sufficientes sumus, vt in tentationem non inducamur, sed eam sufferamus. Vnde meritò gaudent boni, lugent mali. Boni quidem, quia signum habent, se esse in via virtutis, quæ est aspera; item se accedere ad seruitutem Dei, cùm quisquis ad Deum ascendit, ad tentationem se debeat præparare; atque ita præparare, vt tentationem non vnam, sed varias, caussam gaudij, immò omnis gaudij debeat existimare, exemplo illorum, de quibus dicitur: *Ibant Apostoli gaudentes, quòd digni habiti essent pro nomine IESV contumeliam pati:* Quam-

Matth 6. 13.
Cassian Collat. 9. cap. 22.
Eccl. 34.
Iacob. 1.
Gen. 22.
Gen. 39.
1. Cor. 10.
S. August 14 de ciuit. c. 7
Eccl. 2. 1.
Actor. 5. 41.

quia S. Petrus *χάριν*, id est, gratiam vocabat, potuit etiam meritò *χαρὰν*, id est gaudium, appellare. Hac de caussa etiam D. Paulus placuit sibi in infirmitatibus, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, pro Christo: Gaudebat in passionibus, replebatur consolatione, & superabundabat gaudio in omni tribulatione, in quibus gloriabatur. Quin & Thessalonicenses monebat, ne moueri se finerent, si Paulum viderent tribulationibus agitari: *Ipsi enim scitis*, inquiebat, *quòd in hoc positi sumus*, hoc est, quòd hæc sit Christianæ professionis ratio diuinitus constituta; & quòd *omnes, qui piè viuere volunt in* CHRISTO IESV, *persecutionem patientur*. Ita & Stephano lapides dulces fuisse canit Ecclesia. Idem de D. Laurentio, Andrea, Bartholomæo, Idem, de S. Agatha testatur S. Augustinus, inquiens: *Istis omnibus dulcedo inæstimabilis amarissima tormenta dulcorauit, & Agatha, cùm dulcedinis illius stillam gustâsset, latißimè & glorianter ibat ad carcerem, & quasi ad epulas inuitata, agonem suum precibus Domino commendabat. Ab Andrea crux diu desiderata est, sollicitè amata, sine intermißione quæsita, cupienti animo illi præparata; securus & gaudens venit ad illam, & orauit, vt illa exultans susciperet ipsum.* En quò tendant tentationes? etiam gaudium afferunt ijs; quos humiles, cautos, fortes, rerum caducarum contemptores, æternarum amatores, Christi imitatores, puriores, tutiores, contra peccata, ad virtutem aptiores, denique beatos faciunt. Tametsi ergo tentationes non amant Sancti, amant tamen eas tolerare & superare cùm veniunt, ijsque vti nôrunt ad suam salutem.

2. Cor. 12. 10.
Colos. 1. 24.
2. Cor. 7. 4.
2. Cor. 12. 5. 9.
1. Cor. 3. 3.
1. Thess. 3. 3.
2. Tim. 3. 1.
S. Augustin. Soliloq. c. 22.
S. August. 10. Confess. c. 28.

V. Possent idem facere mali, sed sua malitia nolunt; sed sponte saliunt de saxo; sed, vt vitrei, franguntur; & impatientiâ suâ rumpuntur, sicut vas figuli, & testa malè cocta, quæ flammam nequit sustinere. *Vas figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis.* Figulus non ponit in fornace vasa, quia ea odit; non vt rumpantur; sed vt coquantur, & perficiantur. Si quædam, contra mentem eius, dissiliant, ob malam eorum temperiem id contingit, non ob figuli voluntatem. Tali modo & DEVS agit: vrit homines, non vt comburat; mittit in fornacem tentationis, vt, tamquam vasa fragilia, efficiat fortiora; dum purgat à fæcibus & humiditate terrenæ cupiditatis. Ita

Eccli. 27. 6.

fiunt

fiunt vasa diuinæ gratiæ liquorem retinentia, vasa electa, & cælo digna, è limo & luto formata, sed in auri splendorem elaborata. Sumus enim *domus luteæ, quæ terrenum habent fundamentum*. Io. 4. 19. DEVS autem figulus est, qui non mittit ignem tribulationis, vt homines pereant, quod & fini hominis aduersum esset, & Numinis bonitati. Duplici similitudine idem declarat S. Ephræm, S. Ephræm tractat. de patient. cuius hæc sunt: *Si homines suis jumentis non plus oneris imponunt, quàm ferre queant, multò minùs hominibus plus tentationum imponet DEVS, quàm ferre queant. Rursum, si figulus vasa sua igne excoquit, eousque dum ritè coquantur, nec antè ea eximit, ne minùs cocta & solida sint; nec rursum vlteriùs ea sinit in igne, ne adurantur, fiántque inutilia: multò magis idem faciet DEVS, vt igne tentationum eousque nos coquat, dum percoquat & perficiat; vlteriùs verò tentatione aduri & consumi nos non sinet.* Itaque laudandus est de tribulatione, non vituperandus. *Væ, qui contradicit fictori suo.* Isa. 45. 9. *Numquid dicet lutum figulo suo: Quid facis?* aut cur mihi dedisti talem figuram? *An non habet potestatem figulus luti*, vasa Rom. 9. 20. conficere, sicut illi placet? Sed discrimen est luculentum. Suâ nullâ culpâ frangitur vas; homo, si perit, suâ culpâ perit. Animâ sortitus erat omnis boni capacem, quam malam faciendo, caussa fuit, vt periret. Potuisset in fornace cum tribus pueris perdurare; potuisset liberrimè, cum D. Laurentio, cum Vincentio, cum S. Apollonia, cum Thecla, cum Afra, cum Hilaria vim ignis, tamquam bona argilla perferre; sed fractus est calore, cessit tentationi, quia noluit esse fortis, fumo excæcatus suarum cupiditatum, quibus se mancipium addixit.

Vas, si quod in fornace rumpitur, figulo non est glo- sum; homo, si tentatione frangitur, etiam hinc aliquid ad g- riam justitiæ Deo accedit: qui *non concupiscit multitudinem fi- rum infidelium & inutilium*, sed, vt dicitur: *Melior est vnus justus, quàm mille impij.* Quin etiam ipsis fidelibus, & pretium, & laus additur ex ipsa paucitate, à quibus Deo plus gloriæ comparatur, quàm è lapsu decedat multorum præuaricatorum. Victori autem grande decus est prœlianti, si *cadant à latere eius* (sini- Psal. 90. 7. stro) *mille, & decem millia à dextris eius*, ipse autem immobilis, persistat, *leonem & draconem*, conculcans. Quid, quòd & stanti in-

in exemplum atque cautelam est, in medio lapsorum pugnare? Quid, quòd ipsa virtus aduersis excitatur, & se se colligens fit fortior?

Ouid. lib. 1. Eleg.

Vidi ego iactatas, mota face, crescere flammas,
Et vidi, nullo concutiente, mori.

Plutarch. lib. de discrim. adulatoris & amici.

Attentior verò est, quisquis se videt periculo viciniorem. Plutarchi dictum est, etiam à Persio vsurpatum, sicut è pulsu deprehenditur, testaceáne amphora vacua, an plena, fracta, an solida sit, ita ictum hominem cognosci; si enim vocem edit impatientis, virtute vacuus est; quæ si in eo esset, haberet, quo resisteret pulsanti. Quæ cùm ita sint, quis non fateatur, Deo caussas esse iustissimas, ob quas, homines, sponte sua, & plena cum arbitrij libertate à diuina gratia deficientes, atque dæmonis suggestioni & seruituti se se subijcientes, cadere permittat; cùm & diuinæ gloriæ nihil, hoc pacto, adimatur, & verò etiam magnum euadat incrementum, & bonis exemplum stimulusque præbeatur, eorumque decus tantò magis exspendescat? Quod auro ignis, hoc fornax tribulationis est iusto. Phœnicem flamma non perdit, sed parit; quia reparat: stipulæ pereunt, cùm in rogum incidunt; quia stipulæ sunt. Ita homines cælum cogitantes, quando à tentatione circumdantur, roborantur; sciunt enim, eum, *qui parcè seminat, parce & metere;* ideoque in dies animum renouant ad ignem tribulationis sustinendum. Alij autem stramine, & stipula viliores, quos acedia possidet, & tentationi omni se exponunt; &, quia pati nihil possunt, igne quouis consumuntur. Scilicet, quia dum tempus est seminandi & operandi, laboris tædio, occasionem negligunt. Vel certè, cùm omnia tepidè facere assuescant, instar limacis ad bona omnia tardi fiunt, adeoque etiam ad tentationes repellendas, vel auxilium diuinum implorandum; atque acceptandum. Cassianus certè docet, si quis labi visus est, eum existimandum esse, non subita ruina, sed sensim vitijs increbrescentibus, casu miserabili concidisse. Et sanè alij, qui ceciderunt, fiduciam habent conuersionis; at tepiditas, & acedia, si quem superat, consuetudinem illi inducit, lumen diuinum non admittendi: *Dum autem consuetudini non resistitur, fit necessitas,* & quodammodo natura non resistendi

2. Cor. 9. 6.

Cassian. Collat. 6. cap. 7.

S. Augustin. lib. 8. Conf. cap. 5.



stendi vlli tentationi. Quia consuetudo est altera natura. Quid igitur mirum est, extirpari eum, de quo nulla est spes emendationis? *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Matth. 3. 10.

CAPVT LV.

Quo modo diuina justitia exigat, vt peruicaces, in suis sordibus, perire permittantur; diuina illustratione motioneq́ tandem subducta?

I.

CEciderunt Angeli per superbiam, & numquam surrexerunt. Itaque in Auernali rogo æternùm jacebunt. Quis Deo vel ruinam, vel pœnam imputabit? Potuissent stare, cum alijs stantibus, sed lapsi sunt, quia Lucifero adhærere maluerunt. Coguntur igitur justè supplicia pati, qui liberè justitiam deseruerunt. Quòd si nemo misericordiâ tangitur erga cacodæmones, qui semel tantùm ceciderunt; cur judicium Numinis in judicium & ad humanum tribunal trahere volumus, si quosdam, & verò etiam plurimos homines sinit cadere, numquam surrecturos? Maior est fragilitas hominis? sed & maior fuit erga eum benignitas Saluatoris; qui pro eo redimendo, & in gratia stabiliendo, homo fieri, & dirissimè voluit cruciari, & in crucem tolli; eiusque pœnitentiam, tam diu, tam patienter expectare. Quis Princeps non tandem punit repetentem delictum toties condonatum? Et Deus hominem, cui toties ignouit, non tandem permittat in sordibus suis, quas tantopere diligit, computrescere? Ipsa longanimitas vindicis, indignationem auget delictorum. Angelos, commisso peccato, statim præcipitauit, homines plerumque differt; quos etsi subinde in ipso crimine fulminat, sæpe tamen antè sustinuit, vocauit, fortiter commonefecit. Certè, si quoties homines peccant, illico eos diuina ira plecteret, jam dudum Mundum suis incolis exhausisset. Expectat igitur, vt pœnitentiam agant, & *fugiant à facie* Psal. 59. 6. *arcus*. Quis eum arguat, si tandem irascatur, postquam tam longo tempore expectauit? quis culpet, si toties se in omnium scelerum voraginem proijcientes tandem sinat natare & submergi?

mergi? Segetes cùm maturæ sunt, metuntur. Sic & homines
Rom. 2. 5. falce digni sunt, postquam sibi diu iram *in die iræ thesaurizauerunt*. Crescerent in immensum licentia peccandi, si perduelles animaduerterent perpetuam scelerum impunitatem. Quid enim tunc non facerent, qui nunc perquam meditatè peccant? Poëtam audi.

Horat. lib. 3. Od. 24.

O quisquis volet impias
Cædes, aut rabiem tollere ciuicam:
Si quæret pater vrbium
Subscribi statuis, indomitam audeat
Refrænare licentiam.

II. Quemadmodum igitur diuina justitia certam quamdam singulis regnis, prouincijs, & vrbibus constituit mensuram, certo numero, & grauitate peccatorum definitam, qua impleta, in vindictam exurgit bello, fame, peste, alioué modo inferendam; ita & singulis hominibus terminum posuit annorum & peccatorũ.
Matth. 23. 32. Vnde & Christus dixit: *Et vos implete mensuram patrum vestro-*
Gen. 15. 16. *rum*. Notum est illud de Israëlitis dictum. *Generatione quarta reuertentur huc* (in terram Chanaan) *nec dum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum*, scilicet vt exscindantur, tuoque semini locum relinquant. Constituit eadem diuina justitia etiam primæuo Mundo mensuram hanc, qua completa, dixit ad Noë:
Gen. 6. 13. *Finis vniuersæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra*. Clamauerant ad cælum libidines, amor habendi, crudelitas, idololatria, & vindictam postulauerant; quibus sceleribus multiplicatis, multiplicabatur & clamor, isq; fuit tandem diuinæ justitiæ auribus intolerabilis, nimirum quando peccata eam mensuram attigerant, vltra quam Deus non ampliùs sibi ea tolerare ab æterno statuit;
Gen. 18. rupit cælum, induxit diluuium; sicut & quando *clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis*; tunc enim iterum clamor iste ad sidera penetrauit, & ignem, sulphura, piceosq; nimbos deuocauit in nefandos. Quin & vltimum Mundi excidium tum demum veniet, quando implebitur numerus peccatorum, præsertim per superbiam, ambitionem, luxuriam, auaritiam, hæreses, Magias, atheismum, &

Numinis

Numinis religionisque contemptum, & similia flagitia. Quæ porrò hæc sit mensura peccatorum vel toti Mundo, vel regno, vel homini cuique constituta, soli Deo notum est, atque ad diuinorum judiciorum abyssum, & altitudinem illam diuitiarum est referendum. Itaque qui in primo peccato hominem deserere meritò potuisset, quomodo iniustus erit, si eum deserat in millesimo? & sinat non solùm tentari, sed etiam quassari, & perire, tam pertinaciter perire cupientem?

III. Fateor, nulla diuina vindicta vulgò minoris fit, quàm quæ in punitione spirituali consistit, cùm sensibus non percipiatur; nulla tamen vel seuerior est, vel justior, quare longè magis formidanda est, quàm aut Gomorrhæ incendium, aut orbis diluuium. Si enim bona spiritualia multis modis antecellunt ijs bonis, quæ sensibus blandiuntur; erunt profectò etiam bonorum spiritualium, quàm temporalium damna magis metuenda. Quæ grauior in hac vita potest æstimari pœna, quàm quæ est æternæ proxima, eamque & certò secum trahit, & necessariò antecedit? Hanc ergo pœnam esse justam, agnoscemus libenter, si paulò enucleatiùs perpendamus. Consistit enim in gratiæ justificantis, & totius boni, quod hanc gratiã consequitur, itémque in auxilij interni & externi subtractione; nec non in excæcatione & induratione. Talis homo tentatur, & superatur; delinquit, & non resurgit. An non autem dignus est gratiam perdere, qui Deum odit? An non meretur donis supernaturalibus exui & spoliari, qui ijs nugas Mundi, & res vanissimas anteponit? Quòd si quis igitur gratiam in se destruxit justificantem, qua Dei amicus fuerat; & in peccatum consensit, quo in infinitum quoddam Dei odium incurrit, an non is meritò à Deo deseritur? hostíne, an amico succurrimus? Quandoque, quæ Dei clementia, ille non statim deserit, sed ouem perditam quærit. Sensim tamen toties ingrato auxilia interna ad salutem opportuna imminuit; ac tandem vbi impleta est malitia peccatoris, vltimumque gradum attigit, omninò subducit. Quemadmodũ enim homini justo, & amico, tamquam filio, curam opemque debet Devs, vt ad promissam in cælo perueniat hæreditatem; ita nihil debet illi, qui sponte, & per malitiam suam jus perdidit ad illam

illam hæreditatem. Illi ergo qui se reum fecit inferni, non solùm nihil nisi pœnam debet, sed etiam incipit consuetam curam, consueta auxilia, quæ antè ei impendebat, subducere. Sicut igitur paralyticus se erigere, sine subleuante, non potest, ita neque sine diuino auxilio interno potest surgere peccator; sed in sordibus suis jacet, atq; in ijsdem se se identidem volutat. Habet, quod elegit; caret gratiâ, quam toties repudiauit. Quis cani manum iterum porrigat, in aqua periclitanti, quam sensit toties morsu sauciatam? Et tamen DEVS peccatori manum toties porrectam non statim negat: quid mirum, si tandem neget? Mordent DEVM, & conuicijs proscindunt impij, cùm ab eo ad pœnitentiam excitantur. Nimirum, quia *conuersi sunt in arcum* Psal. 77. 57. *prauum. In iram concitauerunt eum.* Quis arcum prauum non abijciat, qui tela retorsum torquet in jaculantem? Surdo loqui, est oleum & operam perdere.

Horat. lib. 1. epist. ad Mecæn.

Nemo adeò ferus est, vt non mitescere possit,
Si modò culturæ patientem accommodet aurem.

Ast vbi quis aspidi similis est, *obturanti aures* suas, ibi frustra sunt omnes incantationes.

IV. Lacertulam aiunt hominis amantem, consuesse, cùm serpens dormienti imminet, auriculam eius mordere, non vt venenet, sed vt soporem illi excutiat, doceatque vitare malum, quod virulentus anguis machinatur. Piger, & lacertæ amorem non agnoscens, molestè fert, suam quietem turbari. Quare sæpe, neglecto serpente, lacertulam persequitur, & occidit. Idem contingit mortalibus peccandi consuetudine excæcatis. Excitat eos diuina gratia, vt serpentis antiqui astutiam declinent. Sed illi, in periculo suo dormire assueti, molestè ferunt, se excitari. Indignantur, si eos officij sui quis admoneat; occludunt aures, ostendunt dentes, denique omnia cælestia execrantur. Quid faciat DEVS? an semper patiatur se contemni, vt iam non putetur ampliùs esse DEVS, qui scelerum judex & vindex existat? Clamat eius justitia, clamant Angeli de cælo, clamant ex inferno Psal. 67. 2. cacodæmones, clamant in terris, qui injuriam sustinent: *Exurgat DEVS, & dissipentur inimici eius.* Quid mirum, si audiat has voces? si in inimicos suos exardescat? Neque opus est diu de-

armis

armis circumspicere. Quos deserit, punit. Dum manum suam subducit, extendit; & satis grauiter percutit, dum non succurrit. Cùm enim mens humana ad res diuinas, noctuæ instar, caliget; neque eas ita intelligere possit, vt voluntas inflammetur, atque in affectum efferuescat; diuina luce collustrandus est animus, ne obscurè confuséque, sed perspicuè & congruè apprehendat ea, quæ pertinent ad salutem; itemque ne bene apprehensa cognitaque, naturæ vitio, ad sensus & vanitatem tracta, citò oblitteret. Igitur, ne animus tædio affectus rerum supernaturalium ad terrena relabatur, præter inspirationem & illuminationem, exigit opem diuinam, qua phantasia juuetur, eleuetur, & applicetur, ad ea, quæ illustratione cognouit, ita assiduè imaginanda, vt affectus sequatur. Hoc pacto facilè est despicere fluxa, & æterna bona appetere; sicut difficile, immò impossibile, sine hoc auxilio, non ferri in diuitias, voluptates illicitas, & ambitiones: si enim hæc talia assiduâ cogitatione æstimentur, neque aqua aliunde infundatur, non potest non incendi humana cupiditas. Sufficit ergo diuinæ justitiæ, lumen toties impij malitia extinctum non ampliùs reaccendere. Postquã monuit, postquam manum extendit, postquam gratiam toties obtulit sufficientem, cur non tandem volentes sinat in tenebris ambulare, offendere, cadere? Solem in ipso meridie obscurauit, Luc. 23. 45. & quodammodo extinxit, cùm Christus occideretur: occiditur autem Christus, quoties gratia, quam ille sanguine suo promeruit, pedibus conculcatur; an non igitur meritò diuinum lumen extinguat, &, velut Ægyptijs, palpabiles tenebras inducat? Exod. 10. 21.

V. Cæcum ducebat baculo puer, & sequi nolentem, quâ eundum erat, etiam trahebat; cùm cæcus ira percitus, eo ipso baculo ducem suum abigebat, idque sæpiùs fecerat. Abactus toties puer redire noluit. Cecidit ergo in præterfluentem duce destitutus, puero clarissimis cachinnis applaudente. Qui spectaculo aderant, omnes dixêre, cæcum ruinâ suâ dignum esse: si enim non voluisset labi, ducem à se repellere non debuisset. Quæ homines salutis caussa debent operari, exequi non possunt sine diuina directione; cùm executio à plurimis non rarò rebus pendeat,

deat, quæ non sunt in hominis potestate. Dirigere itaque, & velut cæcos nos ducere debet DEVS, ad quem Ieremias ait: *Scio, Domine, quia non est hominis via eius, nec viri est, vt ambulet, & dirigat gressus suos.* Item Salomon: *Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus eius.* Ducit igitur homines diuina bonitas, per consilia idonea, quæ suggerit, per impedimentorum remotionem, per occasiones ad exequendum oblatas. Plurimi sunt, qui consilia DEI spernunt; impedimenta mordicus tenent, occasiones omnes abijciunt. An non enim de consilijs clarè ait: *Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis?* Impedimenta salutis remoueri (sicut cataplasma cicatrici agglutinatum detrahi saucius) non est passus ille adolescens, cui Dominus dicebat: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me. Cùm audisset autem adolescens verbum, abijt tristis: erat enim habens multas possessiones.* Voluit DEVS impedimenta remouere perfectionis; noluit adolescens. Cui culpa fuit imputanda? Si non vult abstinere vino podagricus, cur medicum accusat, si ægrotat? Impedimenta autem non solùm perfectionis, sed etiam salutis esse opes, perspicuè Christus pronuntiauit illis verbis: *Amen dico vobis, quia diues difficilè intrabit in regnum cælorum. Et iterum dico vobis: Facilius est camelum per foramen acûs transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum.* Vides impedimentum? & quidem impedimentum grandissimum? Nonnè amens fuit, qui, remouere id volente Christo, illud noluit remoueri? Non fuit autem tantùm adolescens ille talis, sed homines quoque innumeri sunt, qui hæc ipsa remoueri à se impedimenta nolunt. Quin innumeri sunt, qui noctes & dies aliud nihil agunt, nisi vt hæc impedimenta adipiscantur. Cui ergo culpa tribuenda est, si pereant? DEO eos monente, cohortante, instigante, vt diuitias contemnant, manibus pedibusque reluctantur. Pereant ergo in periculis, quæ amant. Quid si etiam, sicut cæcus ille puero baculum impegit, quòd recto tramite duceret, ita & homines plerique diuinæ bonitati indignantur, si eos incipiat ducere per paupertatem, per tribulationes, quæ est vera cæli via? an non tunc impatientes fiunt? an non se à Deo relictos queruntur?

Ierem. 10, 24.
Prou. 16, 9.
Prou. 1, 25.
Matth. 19, 21.
Matth. 19, 23.

runtur? & non rarò etiam blasphemant? Hoc nempe est ducem
suo baculo percutere. I, suade Euclioni eleemosynas, ho-
mini pecuniâ in superbiam abutenti, vt omnia deserat, & nudus
nudum IESVM sequatur, an non te cachinnis excipiet? Idem
isti tales Deo faciunt quotidie. An non irascatur? an non tan-
dem dicat? *Quia vocaui, & renuistis: extendi manum meam, &* Prou. 1. 24.
*non fuit, qui aspiceret. Despexistis omnes consilium meum, & in-
crepationes meas neglexistis. Ego quoque, in interitu vestro ridebo, &
subsannabo, cùm vobis id, quod timebatis, aduenerit. Cùm irruerit
repentina calamitas, & interitus, quasi tempestas ingruerit: quando
venerit super vos tribulatio & angustia. Tunc inuocabunt me, & non
exaudiam: manè consurgent, & non inuenient me: eò quòd exosam
habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acqui-
euerint consilio meo, & detraxerint vniuersæ correptioni meæ. Come-
dent igitur fructus viæ suæ, suisq; consilijs saturabuntur.*

Tot laqueis mundus est plenus, tot periculis obsitus, tot VI.
sagittis volantibus refertus, vt, nisi hominem Deus *scuto bonæ* Psal. 5. 13.
voluntatis assiduè protegat, actum sit de eo. Nam vt de discri-
mine vitæ, de tot insidijs mortis taceam, quid non efficeret Or-
cus, si non diuina cohiberetur potestate? quot occasiones quo-
tidie feruntur? jam Mundus adulans, jam corpus lasciuiens, jam
mille Sirenes, mille Charybdes insidiantur: quoties caperemur,
si diuina protectio vel illa non impediret, vel sua ope nos non
corroboraret? Sicut enim contra miluum gallina, cristata ma-
ter, pullos protegit; ita & Deus hominibus facit. Vnde Psaltes
ait: *sub vmbra alarum tuarum protege me.* Sed nolunt plurimi Psal. 16. 8.
mortales protegi; quod Christus illis obiecit, cùm diceret a
Ierusalem: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gal-
lina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Quæ pœna sequitur?
Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Quid enim? an non
cesset tandem gallina protegere pullos, accipitri obuiam, ex ala-
rum securitate, procurrentes? Et quidem pulli tam stolidi non
sunt, vt deserant protegentem; homines autem vsque adeò sunt
vecordes, vt Deum protegere volentem etiam contemnant. Si
oues in pastorem insilirent, si vectores nauclerum vellent de
puppi præcipitare; quid vel opilioni, vel nauarcho esset faci-
endum?

endum? Itaque cùm peccator scelera in dies magis magisque multiplicet, & Deum protegentem à se reijciat, quid mirum est, si ille interna auxilia paulatim subtrahit? si aucto tot malorum facinorum cumulo, augetur & diuina ira, curaque illa pristina minuitur, vt non ampliùs adeò defendat, à quo adeò fuit repudiatus? Igitur sensim humani generis hosti in eiuscemodi hostem suum fræna laxat; neque ita, vti priùs, ab eo pericula occasionésque peccandi abarcet; neque ita sinit præsentem haberi memoriam imaginationemque quatuor nouissimorum; denique auxilium, quod singula bona opera antecedere, comitari, & subsequi debet, toties frustra obtrusum, tandem contrahit. Hac diuina caussa peccator semper maiores maioresque sentit in tentationibus vincendis difficultates; & minuto auxilio diuino, auctisq; modis & occasionibus peccandi, de peccato in peccatum labitur, velut qui in præcipiti est, de scopulo in scopulum. Præceptor in scholis, cùm videt se in stupido discipulo oleum & operam perdere, transfert laborem suum in alium, apud quem spes maior est bonæ frugis. Ita diuina illa mens rariùs exstimulat, neque tam frequenter cælesti lumine perfundit, quos toties frustra excitauit; & sine profectu collustrauit. Hinc in homine instincus languent, bonæ inspirationes vanescunt, & pię affectiones intermoriuntur. E diuerso subeunt zizania, spirituque suffocato, caro viuit, animusq; totus in sensum impenditur, & illecebris addictus, vitat, quidquid non delectat. Igitur talis *infixus in limo profundi*, sine magna & peculiari miseratione Dei, non potest emergere, sed semper magis magisque mergitur, quò eum voluptas & voluntas trahit. Qui autem sic perire cupit, nec cogitat se se extricare, quo modo queat illum diuina bonitas dirigere, in boni propositi executione? siquidem frustra disponit Deus eum, qui contrarium deliberata malitia ponit. Quis vult spinas osculari, quæ vulnerant osculantem? Et Deum quis obligabit, vt amplectatur hominem toties rebellem, qui ei spinas in caput impressit, clauos in manus pedesque adegit, lanceam in pectus infixit; neque id semel dumtaxat; sed iterum, iterumque, vel hodie quoque facturus, si eum velit tentetque ad sanitatem reducere? Enimuerò adest diuina justitia, adsunt Angeli, adsunt

Psal. 68. 3.

sunt omnes Diui cælites, adest ipse homo justus in terris & cla-
mat: *Exurge Deus, judica caussam tuam: memor esto improperiorũ* Psal. 73. 22.
tuorum, eorum, quæ ab insipiente sunt, tota die. Ne obliuiscaris vo-
ces inimicorum tuorum: superbia eorum, qui te oderunt, ascendit
semper. Quid mirum, si tua vindicta descendat semel?

Quid igitur facit Deus? 1. Subducit Sanctorum interces- VII.
siones, qui iam non tam precantur pro tali, quàm vt vindictam
expetant, cùm aiunt: *Exurge DEVS, judica caussam tuam:* quin
& prohibet orari pro talibus inquiens: *Tu noli orare pro populo* Ierem. 7. 16.
hoc. 2. Subducit monitores, dicentes: *Curauimus Babylonem,* Ierem. 51. 9.
& non est sanata: derelinquamus eam, quoniam peruenit vsque ad cælos
judicium eius. 3. Subducit illis voluntatem audiendi concio-
nes, vnde prædicatione, verbo diuino, doctrina pietatis, & fidei,
ac religionis destituti, cæcorum more, impingunt vbique. 4. Sa-
cramentorum eos vsu priuat, fructuque sacrificij missæ; quo ira
diuina placatur. Cùm autem vis Sacramentorum, gratiam in
homine vel pariat, vel perficiat & conseruet; miserrimi effi-
ciuntur, qui id merentur suis flagitijs, vt nauseent vsum Sacra-
mentorum. Et dignissimi sunt, qui vel in extremo vitæ suæ ago-
ne, pœnitentiæ, SS. Eucharistiæ, & extremę vnctionis Sacramen-
to priuentur, qui toties ijs salutaribus remedijs abusi, per Sacra-
menta ipsum Deum blasphemauerunt. 5. Denique definit
flagellare, quos non vult emendare; tamquam è cura sua ex-
clusos & desperatos. Quin, vt medici omnia illis concedunt,
de quorum salute desperant, ita Deus permittit omnia optata
euenire ijs, qui nihil optant, nisi Mundi vitæque huius prospe-
ritatem. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non fla-* Psal. 71. 5.
gellabuntur; ideò tenuit eos superbia; operti sunt iniquitate, & im-
pietate sua. Sic auxilijs internis externísque, quæ rejecerunt,
justè spoliantur. Sic diuinum lumen amittunt; sic de rebus,
quæ ad salutem spectant, peruersè judicant, seque ipsos fallunt,
excæcati, indurati. Quæ excæcatio induratioque non Deo
(enimuerò nec ipsi diabolo magis, quàm homini) est tribuen-
da. Homo enim est suæ cæcitatis caussa, dum peccando mere-
tur, vt diuinæ gratiæ lumine destituatur, & Stygijs illusionibus
permittatur. Neque hoc tantùm modo, verùm etiam, dum in

affectio-

affectiones iræ, odij, cupiditatis totum ſe tradit, quibus neceſſe eſt, hominem excæcari: itemque dum, præ ſuperbia, non ſinit ſe erudiri, neque admittit rationes ſinceras, lucem veritatis peroſus, amanſque tenebrarum, hoc eſt, judiciorum Mundi, peruersè dicentis, voluptatem, & vtilitatem virtuti antepomendas. *Virtus poſt aurum.* Item: *Et Venus & venter Deus*
Iſa. 5. 20. *optimus.* Nam ſunt tales multi, quibus meritò dicas: *Væ, qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* Veſpertiliones natura noctu & in tenebris producit, interdiu latititare ſinit, quia lucem ferre non poſſunt. An non author quoque naturæ eos homines ſinat, in ſua
Ioan. 3, 19. cæcitate, errare, qui diuinum lumen toties extinguūt? *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.* Non vult Deus coactam, ſed liberam dilectionem. Habeant ergo illi tenebras, qui eas magis quàm lucem dilexerunt. Iuſtum eſt judicium Numinis, vt lumen illis ſubducat hominibus, quod toties repudiauerunt, atque in ſe ſe extinxerunt. Volebat, & ſolebat antè rerum ſaluti neceſſariarum cognitionē in animos eorum, velut facem quamdam inferre, at illi clauſerunt oculos, obturauerunt aures, aditus omnes, omnes januas & rimas obſerauerunt: an non digni ſunt, vt lumen illis, non dicam, parciùs, ſed numquam ampliùs offeratur? Neque digni tantùm ſunt hac diuini luminis priuatione, ſed etiam inepti redduntur ad illud recipiendum. Animus enim peccatis plenus, totus fit obſcurus, terreus, ac tandem, miſerabili metamorphoſi penitus in ſaxum induratur. Saxum autem lucem, non niſi ſuperficie tenus, recipit, in profundo opacum. Pari pacto indurati, audiunt verbum Dei, ſed ad cor non admittunt. Quin adeò duri ſunt, adeò tenebricoſi, vt omnia in contrarium judicent. Cuius rei ab Hæreticis exemplum ad alios quoque mores poteſt accommodari. Siquidem, vt hæreticis clariſſimi errores apertiſſimæ videntur eſſe demonſtrationes; & manifeſtæ Catholicorum demonſtrationes, meræ fallaciæ eſſe putantur; ſic peccatoribus etiam ceteris, cùm in profundum venerunt, nihil videtur eſſe bonum, quàm quod eſt reuera malum; nihil ſapit, niſi vanum: diuina, cæleſtia, ſancta omnia nauſeantur. Itaque non ſolùm indigni



indigni sunt diuini luminis gratia, sed etiam ad illud suscipiendum se inidoneos reddunt. Quis ergo diuinæ bonitati calumniam inferat, si tales sinit non modò tentari, sed etiam superari? vt tentarentur, meruerunt; digni fuerunt, vt superarentur. Patiantur suas ipsi tenebras, neque cęlesti igne molliantur, qui in intellectu lumini cæcitatem, in voluntate & affectu, motui diuino duritiem & obstinationem prætulerunt. Parcit sagittis jaculator, cùm eas videt in saxum incidisse, vnde resilierunt; eoq; libentiùs dirigit, vbi sentit locum esse penetrandi.

CAPVT LVI.

Hominis esse vitium, si cadat; meritum, si vincat. Quod in pluribus exemplis demonstratur.

Vi loricas, galeasque, aut clypeos fabricant, plumbea- I.
rum glandium jaculatione ea probant, eorumque experiuntur firmitatem. Arma, quæ globum sustinent, probata; quæ admittunt, inidonea censentur & mala. Quo experimento arma non fiunt, sed ostenduntur dumtaxat esse mala; nam si bona probaque fuissent, ictum innoxia sustinuissent. Ad eumdem modum tentatio, plerumque hominem non efficit improbum, sed qualis sit, manifestat. Malè compacta nauis etiam leui tempestate soluitur; rupes decumanis quoque fluctibus, sine damno, quatiuntur. Illud discrimen Seruator indicauit exemplo sapientis, *domum suam supra petram ædificantis; & stulti ædificantis super arenam.* (Matth. 7. 24.) Iisdem pluuijs, iisdem fluminibus, iisdem ventis vtraque concutiebatur: domus sapientis stetit, stulti collapsa est. Quis in caussa fuit, vt collaberetur? an venti? an flumina? an pluuiæ? nequaquam. Alioquin enim etiam domus sapientis corruisset. Caussa igitur fuit, arena, in qua domum suam stultus ædificator malè fundauit: non cecidisset, si fundamentum firmum posuisset. Ex quo, vt Cassianus colligit, satis apparet, domum, aut conscientiam stulti non corruisse, propterea quòd à tentationibus essent concussæ, quas pluuiæ, flumina, & venti significant: cùm sapientis domus eisdem concussa non corruerit. (Cassian. Collat. 18. c. 13.) Caussa igitur fuit, quòd fundamenta illius domûs

non essent firma: quia stultus fundauit super arenam, qui prouidere debuisset, inde illi periculum imminere. Itaque non hinc à stulto sapiens, neque justus à peccatore discriminatur, quòd vnus tentetur, alter non tentetur; sed quòd sapiens etiam magnis tentationibus non vincatur, inde fit, quia bene est in virtutibus fundatus: quòd autem stultus superetur subinde etiam à leuibus tentationibus; idcircò contingit, quia debile posuit fundamentum, & cadere assueuit, neque diuinæ voluit gratiæ cooperari, more Deum amantium. Hoc est, quod Christus docuit, quando dixit: *Duo erunt in agro: vnus assumetur, & vnus relinquetur: duæ molentes in mola; vna assumetur & vna relinquetur;* itemq; apud Lucam: *Duo erunt in lecto vno: vnus assumetur, alter relinquetur.* Quibus tribus hominum generibus Remigius, tres hominum status intelligit, Matrimonij scilicet, Continentiæ & Prælationis, qui etiam alibi per Iob, Danielem, & Noë significantur. In his omnibus statibus tentationes sunt, quibus fortiter superatis, alij, in cælesti gloria, coronabuntur; alij victi in æternas flammas proijcientur. Quid igitur caussæ est, vt ijsdem tentationibus pulsari alij superent, alij superentur? Non Deus, qui succurrit omnibus sufficienter, & omnes homines vult saluos fieri; sed ipsi homines, qui malis opera actionésq; suas superædificant fundamentis. Exemplis veritatem hanc illustremus.

Matth. 24. 4. Luc. 17. 34. Apud Iansen. ibid.

II. Duo erant in agro, ijsdem progenitoribus nati, Cain & Abel; vnus assumptus est, & alter relictus. Quia disparia fuère vtriusque fundamenta. Cain erat ambitiosus, & non tam honorare Deum volebat, quàm à Deo ipse honorari. Cupiebat enim, vt Deus ad sua munera respiceret, ijsque cælesti igne absumptis, ostenderet, sibi eius sacrificium gratum extitisse. Quod quia non Caino, sed Abeli fecit Devs, Cain inuidiâ conflagrauit. Aliud fundamentum erat Abelis, illi enim erat animus & pura simplexque voluntas vni Deo placendi, eique præstantissima quæque, quæ possidebat, sacrificandi. Cur non & Cain oues obtulit? cur non & ille agnos victimauit? Certè habuit, sed *malè diuisit*, cùm Conditori suo deteriora dedit, optimis sibi reseruatis. Non fuerunt igitur in conspectu Dei accepta, tam ingra-

Gen. 4. 5.

ingratâ & auarâ manu, immò & tam ambitioso animo porrecta. Quis in culpa fuit? Nonne ipse Cain, qui vtique idem, quod Abel, facere potuisset? & sanè etiam debuisset. Alterum par fratrum aspice Esau & Iacob; illum *DEVS odio habuit*, hunc dilexit; erant hi duo in vna mola molentes lentem, vnus assumebatur, alter relinquebatur: quia diuersa vtrique mens, diuersum erat fundamentum. Esau sibi in fundamentum posuit amorem proprium, & sensum carnis. Nam, vt gulæ suæ indulgeret, vendidit jus primogenituræ. Iacob electus fuit, quia domum posuit supra petram, fiduciæ enim in DEVM innixus, ad diuinam opem, in omni sua tribulatione, per orationem, confugiebat. Nonnè idem facere poterat Esau? Sed præualuit in eo voluptas; quia alia illi fuit voluntas: sensum quærebat, DEVM perdebat: Iacob autem cibum perdidit, DEVM inuenit, nec pluris fecit lentem, quàm benedictionem. Imagines erant hi duo fratres piorum, & impiorum. Quantillam voluptatulam accipiunt impij, & vendunt cælum! DEVM ipsum Iudas vendidit triginta argenteis. At, qui diuina sapiunt, nec totum quidem Mundum acciperent, vt DEVM vel leuissimè offenderent, immò, ne offendant, totum mundum relinquunt.

Rom. 9. 13.

Gen. 25. 30.

III.

Gen 9. 22.

Considera & alios fratres. Cham, nudatum in patrem cùm incidisset, quod tegere debuisset, *nuntiauit duobus fratribus suis foras. At verò Sem & Iapheth pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum, operuerunt verenda patris sui, faciesq; eorum auersæ erant, & patris virilia non viderunt.* Nonne idem facere vel hi, quod Cham; vel Cham, quod hi, potuissent? Sed in illo erat maligna voluntas, in his amor honestatis. Meritò igitur *euigilans Noë ex vino, cùm didicisset, quæ fecerat ei filius suus minor, dixit: Maledictus Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis. Dixitq; Benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaan seruus eius. Dilatet Deus Iapheth, & habitet in tabernaculis Sem, sitq; Chanaan seruus eius.* Ad eumdem modum Deus maledicit maledictionem merentibus, & benedictione dignis benedicit. Penes quem fuit, vt Cham maledictionem mereretur? nonnè penes ipsum, quem ad impudentissimum aspectum, non vtique DEVS, sed sua petulans impietas adegit?

IV. Vis alias duas animas molentes in mola videre, quarum vna assumpta, altera relicta fuit? intuere Orpham, & Ruth eius vel sociam, vel sororem. Neque enim in vna modò ciuitate, & inter eosdem idololatras educatæ, sed etiam, vt quidam, apud Abulensem, volunt, eádem matre natæ fuerunt, cùm Noëmi ad illas dicat: *Ite in domum matris vestræ*, non matrum vestrarum, quod dicere oportebat, si duas matres habuissent. Hæ duæ sorores duobus nupserant fratribus ex filijs Israël, filijs Noëmi. Igitur ambæ eamdem à Deo habuerunt vocationem; ambæ socrum suam Noëmi poterant comitari, & adeò veræ religionis legem amplecti: ambæ ijsdem tentationibus fuerunt agitatæ: ambas amor patriæ, ambas parentis affectus, ambas notorum, amicorumque familiaritas, ambas Deorum suorum inueteratus cultus domum retrahebat, impediebatque ne Noëmi sequerentur. Et tamen vtriusque factum, consiliumque fuit planè diuersum. Orpha maior natu, tentationibus succubuit, & ad idola rediuit; Ruth natu minor, tentationibus superior idola deseruit, & triumphauit. Cur id & altera facere non potuisset! Non fecit; in caussa fuit, noluisse.

Ruth, 1, 8,

V. Mitto Iosephi innocentiam, & mansuetudinem, fratrumq; eius malitiam atque immanitatem. Eodem patre omnes fuêre geniti, non tamen eâdem virtute prædìti, in diuersum abierunt; non quò eos Devs traxit, sed quò liuor & vindicta impulêre. In regibus id ipsum ostendo, & quidem primis illis, Saule & Dauide. Corruit domus, non stetit regnum Saulis; non corruit domus, sed stetit regnum Dauidis. Vterque rex, & quidem eiusdem populi, enimuerò à Deo vocatus, & imperio vnctus fuit; sed non vterque super eodem fundamento regnum ædificauit. Ille, spreta obedientia Deo debita, mantelo quodam religionis, & prætextu sacrificandi, suo judicio nixus, vt faceret, quod vellet; quod Devs voluit, non fecit. Meliùs litâsset, si voluntatem potiùs, quàm boues, obtulisset. Dauid sceptrum stabiliuit, quia cor suum secundùm cor Dei direxit. Potuisset & Saul cor suum sic aptare. Sed non erat illi commodum differre victimas; ita more communissimo magnatum, nō se religioni, sed sibi religionem accommodauit; hoc est, non voluit ipse

1. Reg. 15. 23.

Deo,

DEO, sed DEVM sibi seruire. Quod fundamentum, cùm sit futile
& peruersum, necesse fuit regnum illius collabi. VI.
Quid? non in eodem agro dumtaxat, sed etiam in vno Luc. 18. 10.
eodemque templo fuerunt Pharisæus & Publicanus, quorum
vnus assumptus, alter relictus est. Nam inflatus superbia Pha-
risæus in ventis atque inani gloria ædificauit; eapropter *flaue-* Matth. 7. 27.
runt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina
illius magna. Excidit enim Pharisæus, & omnia illius jeiunia,
omnes decimæ, omnes eleemosynæ perierunt in superbiæ scopu-
los allisæ. Quis eas allisit? nonnè ipse, cuius oratio, fuit jacta-
tio? & affectus, aliorum contemptus? Publicani autem preces
sunt auditæ, quia *oratio humiliantis se penetrat nubes.* Optimum Eccli. 35. 21.
fundamentum fuit humilitas & contemptus sui. Itaque vtrum-
que contemptus promouit, sed Publicanum contemptus sui,
Pharisæum contemptus aliorum; illum, vt justificaretur, hunc,
vt condemnaretur. Potuisset & Publicanus contemptum hunc
in alios, & Pharisæus in se ipsum torquere: sed assumptus est
Publicanus, qui nixus est veritate: projectus Pharisæus, quia
cùm mille sui ipsius contemnendi caussas, non secus atque Pu-
blicanus haberet, alios ingenti vanitate contempsit. Numquid
non justum fuit judicium Omnipotentis?
Sed & Apostolos consideremus. Cecidit Petrus, cecidit VII.
Iudas. Ille Christum negauit, hic etiam vendidit. Vterq; Apo- Matth 26. 69.
stolus fuit, vtrumque in suum assumpsit Dominus comitatum: Matth. 26. 47.
vtrique corpus suum in escam, & sanguinem in potum præbuit.
Vterque præuaricatus est. Ille fuit negator, iste proditor. De-
nique vterque suspensus est, ille in cruce, hic in arbore. Sed ille
assumptus est de cruce ad cælum, sessurus super vna duodecim
sedium, & Mundum totum judicaturus; iste de arbore raptus est
ad Orcum, auaritiæ, furti, proditionis, ingratitudinis, despera-
tionisque suæ pœnas æternas luiturus. Vnde hæc diuersitas? in-
ter tot rebus pares, quare tam dispar est exitus? Nimirum diuer-
sis fundamentis erant inædificati. Petrus in petra (*petra autem* Luc. 22. 61.
erat Christus, qui *respexit Petrum*) Iudas in crumena. Petrus ti-
more peccauit, Iudas cupiditate. Petrus non diu in peccato per-
mansit: Iudas deliberatè deliquit. Nam vix tertia vice Petrus

Matth. 26. 74. negauerat, cùm *continuò gallus cantauit. Et recordatus est Petrus verbi* IESV *quod dixerat: Priùs quam gallus cantet, ter me negabis.* Et quamuis Petra, mollis tamen erat Petra Petrus. Quando
Luc. 22. 62. enim *conuersus Dominus respexit Petrum*, statim *egressus foras fleuit*
Psal. 96. 5. *amarè.* Impletum est ergo illud: *Illuxerunt fulgura eius orbi terræ: vidit, & commota est terra. Montes, sicut cera fluxerunt à facie Domini.* Admisit namque solem Petrus, &, ceræ instar, in lachrymas diffluxit; neque enim animo fuit indurato. At Iudas, quia diu facinus secum agitauerat, quia dudum jam fur erat,
Psal. 1. 1. quia *abierat in concilio impiorum*, Iudæorum & Pharisæorum, quia dux fuit eorum, qui IESV vincula iniecerunt: quia osculo Filium hominis tradidit, induruit in scelere, & in saxum mutatus, immò silice durior factus (siquidem è silice Moyses aquam eiecit, è Iuda Christus lachrymam vnam elicere non potuit) à tanto sole non est colliquefactus. Nam & illum sol respexit, lumineque tanto perfudit, vt criminis sui immanitatem non igno-
Matth. 27. 3. raret. Audi Matthæum: *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quòd damnatus esset; pœnitentia ductus retulit 30. argenteos principibus sacerdotum & senioribus, dicens: Peccaui, tradens sanguinem justum.* Quantum hoc lumen fuit? nonnè peccatū suum agnouit? nonnè pactum retractauit? nonnè noluit, Christum esse damnatum? Enimuerò pœnitentiâ ductus, etiam de restitutione iniustæ pecuniæ cogitauit, & retulit 30. argenteos ad eosdem, à quibus, iniustè accepit? Quin & in publicam, coràm principibus sacerdotum & senioribus, confessionem erupit dicens: *Peccaui tradens sanguinem justum?* Quanta hæc confessio fuit? Hæc omnia à Christo illum clementer respiciente atque illuminante. Sed ille lumine non cum Petro in fletum salutarem, non in vitæ emendationem, verùm in desperationis consilium vsus, *proiectis argenteis in templo, recessit: & abiens laqueo se suspendit.* Potuisset qui cum Petro peccauit, cum eodem veram agerere pœnitentiam: non egit, non quia non potuit, sed quia non voluit. Vt non vellet, justè permissus est, immò & nobis vtiliter: Sic enim discimus iustissima Dei judicia formidare: & non cum Iuda facere imperfectam peccatorum confessionem. Nec enim iste tantùm peccauit *tradens sanguinem justum*, sed etiam murmurator erat,

sed

ſed fur erat, & jam dudum harpagando ſe ſe ad proditionem fa-
ciendam diſponebat.

Eiuſcemodi diuerſitatem etiam in duobus latronibus, qui VIII.
vtrimque Chriſtum in ligno pendentem ſtipauerunt, luculen-
tum exemplum propoſitum habemus. In eodem agro nequitiæ,
in eadem naui crudelitatis, in eadem homicidij mola delique-
runt. Damnantur ambo: ducuntur cum Chriſto ad ſupplicium Luc. 23. 39.
ambo: ambo ſuſpenduntur: ambo, in ipſa lethi janua, vident,
audiuntque Chriſtum Saluatorem; prodigia Solis & Lunæ cer-
nunt ambo; ambo, terra contremiſcente, in crucibus ſuis con-
cutiuntur. Quin & ambo, vt volunt Origenes, Athanaſius, Hi- Athanaſius
larius, Chryſoſtomus, aliique multi & magni authores, paulò ſerm. contr.
antè, conuicia coniecerant in Redemptorem. Quàm in omni- omnes hære-
bus rebus pares diſpari morte defuncti ſunt? Vnus poſt conui- ſes. Iuuenc.
cia in Chriſtum jactata, patientia, manſuetudine, miraculis mo- lib. 4. hiſt.
tus, credidit; alter in infidelitate perſtitit; vnus, ſarcaſmi vice, Euang.
timorem prædicauit, alter conuiciari perrexit: vnus eodem ad-
huc die cum Chriſto fuit in Paradiſo, alter de cruce lignea ad
igneos cruciatus, & æternos gemitus deſcendit. Vnde hoc diſ-
crimen? Non in Chriſto, qui medius pendens æquè vni ac al-
teri vicinus fuit; & eadem miracula vtriq; ſpectanda exhibuit.
Sed vnum ferrea & obſtinata voluntas perdidit; alter in ſe
deſcendens dignum ſe ſuo ſupplicio, indignum cruce Chriſtum
agnouit. Itaque lucem à diuina ſapientia effulgentem accepta-
uit, eamque ſecutus Chriſtum, & ſua delicta confeſſus meruit
intrare in Paradiſum. Quemadmodum & alter meruit in
Acheruntem præcipitari, quia diuinum lumen & nutum repu-
diauit. Itaque cùm vterque in mola eſſet impietatis, rotaque
ſcelerum verteretur, quam crudelitas agitabat; alter fuit electus,
vt eſſet *vas miſericordiæ*; in quo Chriſtus fidem, humilitatem, Rom. 9. 22.
pœnitentiam, diuinamque ſuam gratiam depoſuit; ipſo etiam
ad gratiæ acceptationem cooperante; alter verò fuit in ſuis fla-
gitijs, malitiaque relictus, tamquam *vas iræ*, à Deo, ob culpam
obſtinationemque ſuam pertinaciſſimam reprobatum.

Duo hinc trahenda ſunt documenta. Primum eſt, eos, qui IX.
à tentationibus victi pereunt, culpam non Deo, ſed ſibimet ipſis

attri-

attribuere oportere. Nam, si quidem ipsi eas vincere voluissent, nequaquam eis gratia sufficiens ad vincendum defuisset. Vnde
Oseæ.13. 9. meritò, Osea teste, ait iustissimus Iudex: *Perditio tua Israël: tantummodo in me auxilium tuum*, quod est alterum documentum; scilicet, sicut vnusquisque culpa proprij arbitrij in agro, mola, lectoue suorum flagitiorum relinquitur; ita, si inde assumatur, tamquam victor & cum triumpho in cælum, id non suæ voluntati ac merito tribuere, sed diuinæ gratiæ adscribere debere, sine qua nulla voluntas potest tentationes superare, & per victoriã,
Phil. 4. 13. ad coronam gloriamque peruenire; cum qua *omnia potest, in eo,*
1. Cor. 15. 10. *qui eum confortat. Gratia Dei mecum* ait. Etsi namque prima gratia purè gratis datur à Deo, qui nos non eligit ex præuisa sanctitate vsuque gratiæ, sed ex mero suo beneplacito; adeoque non
Ephes. 1. 4. quia homo est melior: tamen vt fiat bonus & melior, datur; vel sicut Apostolus loquitur, *vt essemus sancti*, vt gratia benè vteremur, & sanctificemur, nobis gratiam illam confert; cui consentire, vel dissentire, est in nostra potestate. Est enim firmum fundamentum, non suæ naturæ, non ingenio, non proprijs viribus, ac judicio, non industriæ, sed diuinæ misericordiæ, prouidentiæ, meritis Christi; vocationi ceterisque muneribus à Deo acceptis, & gratiæ supernaturali inniti, quæ nostram imbecillitatem præuenit, comitatur, excitat, & confortat, & subsequitur, vt perseueremus; sine qua æquè atque alij essemus imbecilles, æquè improbi; æquè succumberemus, atque alij qui, diuino auxilio spreto reiectoque, à malo dæmone tentationibusq; superantur, damnantur, æternùm cruciantur. Quid ita? quia vocanti Deo non annuunt, diabolo obediunt; suis viribus fidunt; sibiq; ascribunt, quæ per diuinam aliquando gratiam sunt operati. Hinc sicut alij Ecclesiæ Doctores & lumina cælestes honores meruerunt, se se humiliantes; ita alij inflati scientiâ, aut sibi de præterita sanctitate plaudentes, in profundũ demersi sunt, quasi plumbum, etiamsi priùs columnæ cæli & Ecclesiæ viderentur, & annos plurimos sanctè pieque vixissent; vti Hosio, Lucifero Calaritano, Origeni, Tertulliano, & multis Religiosis contigit, qui non rarò, à vocatione & Religione sua sanctissima; immò etiam à

amà fide Catholica apostatarunt, alijs omnem in Religione sustinentibus vitæ austeritatem; vt appareret, multùm inter vinum & vappam interesse.

CAPVT LVII.

Aliæ complures justissimæ caussæ, ob quas æquissimus totius Mundi Gubernator homines, etiam charissimos, tentari vexariq; permittit.

I.



SCæuola olim dixit: *Et facere, & pati fortia, Romanorum* Liuius dec. 1.
est. Nec Romanorum tantùm, sed prorsus omnium lib. 2.
virorum magnorum. Ignotus esset Hercules, si fortia
non & fecisset, & sustinuisset. Iuno, dum in eum tot monstra
immisit, clarum fecit. Non enim à segnitie atque otio, non à
delicijs & voluptate, sed à duodecim laboribus suis celebratur.
Igitur fortitudinis est pariter, & honoris palæstra, tentari. Sic
enim offertur & certandi occasio, & vincendi, gloriamque con- Senec. lib. de
sequendi ansa. Atque hoc ipsum Seneca spectaculum dignum prouid. cap. 2.
appellat, ad quod respiciat intentus operi suo DEVS, nempe
virum fortem cum mala fortuna compositum, nihilque in terris
habere pulchrius affirmat, si conuertere animum velit, quàm vt
spectet Catonem, jam partibus non semel fractis, stantem, & nihilominus
inter ruinas publicas erectum. Et qua re magis ille
patientiæ Deus & solatij, in terris, gauderet, quàm militum
suorum fortitudine, victorijsque contra Orcum & Mundum
reportatis? Qua re alia magis lætaretur, cùm nullâ magis laudetur?
nullam magis amet? Eamdem ob caussam, & illi, qui
Deum impensè amant, nihil sitientiùs quærunt, quàm vt, pro
nomine eius, contumeliam pati digni habeantur. Seruo enim
fideli nihil est jucundius, quàm id præstare, ex quo jucunditatem
capere & oblectari dominus suus possit. Neque id semel
dumtaxat, sed in omni vita; immò & in ipsa morte ac tormen- Hebr. 12. 11.
tis. Hic ille est *fructus pacatissimus justitiæ*, quem *exercitati* in
disciplina percipiunt, licet in præsenti videatur non esse gaudij,
sed mœroris. Quemadmodum enim in gymnasijs exercitati,
dum in arena versantur & luctantur, inque ipso certamine, ob
spem victoriæ & brauij, incredibilem quamdam animo lætitiam

S. Augustin. in Psal. 81. persentiscunt; ita iusti, *certi de futuris gaudent*, vt ait D. Augustinus, *& ideò patientes in tribulatione sunt*. Hoc est, quod Paulus
Rom. 12. 12. patientes iubet esse spe gaudentes, & ipse Seruator, *quia merces*
Matth. 5, 12. eorum *copiosa est in cælis*, gaudere Apostolos iubet. Tametsi enim gaudium sit de bono præsenti, ea tamen est Christianæ fidei
1. Petr. 4. 4. speique certitudo, vt res etiam absentes repræsentet. Hinc Petrus hortatur communicantes Christi passionibus gaudere. Hinc
Phil. 2. 17. illa Pauli ad Philippenses vox est: *Sed & si immolor supra sacrificium fidei vestræ, gaudeo, & congratulor omnibus vobis; idipsum autem & vos gaudete, & congratulamini mihi.* Imitati sunt hoc
Psal. 118. omnes, qui cum Dauide dixerunt: *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem.* Hoc centuplum est, quod Dominus dandum, in tempore hoc, cum per-
Marc. 10. 30. secutionibus, pronuntiauit. Quod de spirituali gaudio interpretantur S. Gregorius, Augustinus, Cassianus.

II. Exemplum illustre huius gaudij fuit Arnulphus monachus Ordinis Cisterciensis, quem Hieronymus Platus scribit, in summis morbi cruciatibus, non, more Stoicorum, sed Christianorũ, dixisse, *Quàm suaue est!* Nam cruciatus acerbissimos, affirmabat sibi dulcissimos esse, propter spem cælestis retributionis. Quin & dicebat, se hos ipsos dolores, centupli loco, habere, & hac doloris acerbitate carere nolle, non modò pro illis, quas reliquerat, opibus (erantque non exiguæ) sed etiam, si centum partibus fuissent ampliores. Si igitur operarium non piget laboris, spe denarij diurni; si miles per tela, per ignes, per hostes ruit, allectus præda & adeptione spoliorum; cur nos non potiùs, cum enumeratis, gaudeamus, & Deo gratias agamus, cùm ingruit tentatio, aut tribulatio, quæ est quædam lucrandi cæli occasio, quàm vt diuinam prouidentiam protectionemq; calumniemur? Nullus opifex accusat eum, à quo illi labor offertur. Laborem quærit, vt mercedem inueniat. Non tam laborem Devs, cùm tentari nos sinit, quàm mercedem cogitat præparare. Et querimur? & lucri caussam Conditori nostro opprobramus? Quòd si per totam vitam lucrari cælestem gloriam consultum est, cur non sit etiam in morte? Laborat tunc maximè aduersarius no-
Apoc. 12. 12. ster, videns, quia *modicum tempus habet*, quo nos perdere possit;

S. Greg. hom. 18. in Ezech. S. Augustin. epist. 89. q. 4. Cassian. Collat. vlt. c. vlt. Plat. lib. 3. de bon. stat. relig. cap. 13. & 38.

cur

cur non & nos tunc vellemus pugnare, quando nobis modicum
tempus superest, ad coronas in cælo multiplicandas? Si tenta-
tionum & præmiorum momenta rectè inter se se conferre vo-
lumus, nimis exiguas dicemus esse quascumque tentationes,
quæ in tantæ gloriæ transeunt perennitatem. Certè Theodorus Theod. Studita serm. 68.
Studita scribit, passiones huius temporis, quia non sunt condi- Rom. 8. 18.
gnæ ad futurā gloriam, diuinâ quadā negotiatione commutari.
Quem pœnitet plumbum expendere pro auro? stipulam pro
gemma? diuitem vult facere DEVS, quem sinit incidere in cala-
mitatem; gloriosum, cui vel in vltimo spiritu offert vincendi
occasionem. Et sanè, *quam diu in mundo viuimus, sine tribula-* Thom. de Kemp lib. 1. de Imit. c. 13.
tione, & tentatione esse non possumus, ait S. Scriptor. Ac rursus:
Non est aliquis Ordo tam sanctus, nec locus tam secretus, vbi non sint
tentationes, vel aduersitates. Non nesciunt hoc serui DEI, quia
experiuntur.

III.

Itaque ob immissas tentationes, illi solùm scandalizantur,
qui vias DEI ignorant; electi, teste Augustino, & ad ciuitatem Aug. 4. de ciuit. cap. 7.
DEI pertinentes, gaudiū percipiunt, propter jus, quod se ad illius
possessionem habere, inde intelligunt. Sciunt enim, vt ait Ber- S. Bern. serm. 16. in Psal. 90.
nardus, per multas tribulationes oportere nos intrare in regnū Act. 14. 22.
cælorum. Sed neque illud nesciunt, Dominum DEVM esse cum Psal. 90. 15.
homine in tribulatione, & juxta hos, qui tribulato sunt corde.
D. Paulus ad tertium vsque cælum raptus, prodigiosis tamen se 2. Cor. 12. 2.
tentationibus vrgeri sentiebat, stimulo carnis, & ab Angelo sa-
tanæ colaphizari. Nempe, vt D. Ambrosius obseruat, tentatio- S. Ambros. de 42. mansion. in des.
nes etiam perfectissimis, velut custodia quædam humilitatis ad-
hibentur. *Sicut enim caro, quamuis præcipua sit, nisi sale asperga-*
tur, corrumpitur; ita & anima, quantumuis perfecta, nisi assiduis
saliatur tentationibus, relaxatur. Atqui est tentatio non medicina Eccl. 27. 6.
tantùm, sed etiam probatio. Qui enim in tentatione DEO ser- Zach 13. 9.
uit, seruus est vtilis, & fidelis: neque iam mercenarius, sed quo- Sapi. 3. 6. Psal. 16. 3.
dammodo instar volonis, qui proprijs stipendijs militet. Ceteri,
qui tunc tantùm sunt deuoti, quando illis bene est, & quando
sunt in tranquillo, similes sunt ranis tantùm coaxantibus, quan-
do serenum est cælum. *Confitebitur tibi, cùm benefeceris ei.* At Psal. 48. 9.
Iob in medijs tribulationibus, sicut & Tobias, & ipse Dauid,
Do-

Thom. de Kemp. l. 1. c. 3. de Imit. Christi.

Dominum suum laudauerunt. Itaque, vt ille ait, *sunt tentationes homini sæpe valde vtiles, licèt molestæ sint, & graues; quia in illis homo humiliatur, purgatur, & eruditur. Omnes Sancti per multas tribulationes & tentationes transierunt, & profecerunt. Et qui tentationes sustinere nequiuerunt, reprobi facti sunt, & defecerunt.*

IV.

Sed triplex est, DEVM, in tentatione & tribulatione, laudandi modus, seu gradus. Sunt, qui etsi non ament aduersis iactari, immò etsi horreant, & declinent; tamen potiùs ferre ea patienter velint, quàm delinquere. Sunt, qui quidem haud appetant pati, tamen & patienter & libenter mala tolerant, in quæ inciderunt. Sunt denique adeò diuino amore incensi non pauci Sancti, vt DEI caussâ mala omnia sustinere, etiam morientes desiderâtissimè concupiscant. Si enim, vt D. Gregorius docet, mens in DEVM forti tentatione dirigitur, quidquid sibi in hac vita amarum sit, dulce æstimat; omne, quod affligat, requiem putat. Artium omnium diuinissima est, in aduersis gaudere. Quod non potest, qui non intelligit, secundas res esse nobis plerumque aduersas; & aduersas esse secundas. Non ergo desiderantur aduersa, quia mala; sed quia bona est malorum patientia. *Quis velit molestias & difficultates pati?* ait S. Augustinus: *tolerari iubes eas, non amari. Nemo, quod tolerat, amat, etsi tolerare amat. Quamuis enim gaudeat, se tolerare, mauult tamen non esse, quod toleret.* Monet D. Thomas, non esse simpliciter appetendum tentari, sed hoc simul & vincere; quia victoria, propter fragilitatem nostram nimis ambigua est; præsertim si tentatio non sit tribulatio mera, sed etiam à carne, mundo, diabolo suggeratur; quæ tentationes sunt longè periculosiores. Vnde nemo sapienter petit desiderâtue, vt à carne, vel mundo, vel diabolo tentetur; quamuis in genere etiam (quod scilicet non sit supra vires à DEO suppeditatas) multi desiderent aliquid pro DEO suo pati. Id ergo quicumq; desiderant, vtiq; nec Conditorem Gubernatoremque suum, neque iudicia eius iniquitatis accusant. Sciunt nimirum, castigationem esse diligentis; & cruces mille occasionem esse coronam imponere cupientis. Non odit, sed diligit, qui vsque ad extremum halitum alterum perficit. Quid enim? An Christum Filium suum DEVS odit? aut Christus Patri suo

S. Greg. 7. Moral. c. 7.

S. Augustin. lib. 10 Conf cap. 28.

Vide Iacob Aluarez. Tō. 2. de extermin. mali. lib. 1. p. 3. c. 2.

S. Thom. 2. 1. q. 1. a. 3.

calu-

calumniam impegit crudelitatis? Nequaquam, sed proposito sibi
gaudio sustinuit crucem. Quin & in summa Transfigurationis Luc. 9. 31.
gloria loqui cœpit de summa tribulatione excessûs, seu mortis
suæ. Item passionem suam, Calicem & baptismum appellauit, Luc. 12. 50.
coarctarique se dixit, vt illum biberet; & in cruce ipsa pendens
adhuc se sitire, calicem scilicet Passionis, palàm testatus est. Di- Ioan 19. 28.
xit præterea, se desiderio desiderasse manducare Pascha cũ disci- Luc. 22. 15.
pulis, illud nempe, post quod ad mortẽ iturus erat. Qui etiam spe-
cie triũphantis in Ierusalem intrauit cùm immolandus esset. Itaq;
aliter de tribulatione & tentatione, diuina Sapientia, DEI Filius,
quàm filij huius sæculi, judicauit. Quem proinde imitantur, Luc. 22. 28.
qui cum eo permanent in tentationibus suis; aut qui cum Paulo,
seruiunt Domino cum tentationibus: sciunt enim etiam Chri- Actor. 20. 19.
stum ipsum *tentatum fuisse per omnia*. Igitur si nihil aliud effice-
rent tentationes, tamen vel hinc meritò permitterentur, quia
DEI Filio nos assimilant, dum cum illo, velut cum Duce milites
vnà pugnamus.

V.

Quamuis & aliæ caussæ suppetant. Faciunt tentationes
ad gloriam Dei manifestandam, vt in cæco nato accidit: puni- Ioan. 9. 3.
unt & emendant, vt sororem Moysis lepra; conseruant in iusti- Num. 12. 10.
tia, timore Dei atque humilitate, vt Paulum stimulus carnis: au- 2. Cor. 12. 7.
gent virtutem, & coronam, vt in Iob, Tobia, & omnibus Mar-
tyribus. Et quamuis in Herode, Antiocho, Pharaone alijsque
plagæ illorum inchoatio quædam æternæ pœnæ, atque vel hinc
admonitio quædam fuerint; norunt tamen filij Dei, multas esse Psal. 33. 20.
tribulationes justorum, quia sciunt plagis vti. Hinc eas æsti- Iudith. 8. 24.
mant, non cauillantur, more eorum, qui tentationes non susce-
perunt cum timore Domini, & impatientiam suam, & imprope-
rium murmurationis suæ contra Dominum protulerunt, exter-
minatique dicuntur ab exterminatore, & à serpentibus perijsse.
Si non murmurassent, si quod meruerũt, æquanimiter tulissent, in
ipsa tribulatione & auxilium, & solatium sensissent. Sinit enim
multos Deus, vel ob suam, vel ob suorum parentum culpam ve-
xari, quam vexationem si sustineant, vel etiam grauissimas ten-
tationes incredibili mentis gaudio compensat. In Vilario pro- Cæsarius. l. 4.
fessus religiosum fuerat vnus de illorum numero, quos *Conuersos* cap. 31.
vocant;

vocant; nomen illi erat Henricus; sed natales non sine nota. Quia omnes sciebant, eum esse Domini Christiani de claustro monachi filium. Ne tamen mali corui malū ouum existimaretur, originis suæ infamiam, morum probitate correxit. Fuit enim profundæ humilitatis, robustæ patientiæ, & magnæ charitatis homo. Hinc summâ diligentiâ pauperibus in domo hospitali seruiuit. Hinc cum ægris & dolentibus doluit, nec quidquam de officio charitatis omisit. Hinc, cùm spurius passim audiret, haud aliter sensit, quàm si laudaretur. Inuidit tantæ virtuti malus dæmon, quare validum simplicitati hominis arietem admouit, & ea parte quatiendum censuit, qua sæpe ipse fuerat verberatus. Iniecit enim illi tentationem desperationis, & identidem dixit: *Quia non es filius legitimi tori, non eris hæres cælestis regni.* Quasi eadem esset in diuinis, quæ est in humanis oculis inhonestas. Et locum inuenit tentatio; identidem enim animo recurrit, sic generatum, vt ab hominibus despectus est, ita nec Deo placere posse. Hæc cogitatio tantò eum magis afflixit, quantò magis timuit ab intimè amato Deo separari. Et quod simplicitati coniunctum esse solet pertinax judicium, qui ei à sacra confessione erat, neque diuinarum litterarum, neque exemplorum medicinâ ei potuit aspergere vllam consolationem. De cælo curandus fuit, ne tristitiæ succumberet. Igitur *misertus eius Dominus, nocte quadam, cùm tentatio esset validissima, in domum amplam & longam illum transtulit, in somnis tamen; in qua vidit de vtroque sexu multitudinem magnam, & facta est ad eum vox: Henrice, vides hanc multitudinem? Omnes quidem de legitimo toro sunt nati, sed omnes reprobi præter te sunt. Euigilans statim lætificatus est valde, intelligens visionem propter se factam. Ab illa hora tentatio immissa cessauit; & ipse, quàm diu vixit, Deo, qui non deserit sperantes in se, gratias egit.* Magna est hæc, in ipsa tentatione consolatio, sed non necessaria. Quia multis prodest, inter spem & metum fluctuare, vt hinc humilientur, dum inde eriguntur; & inde rursus erigantur, dum hinc humiliantur. Militis est, strenuè rem gerere, & pugnare pro victoria, tametsi vinci possit. Audi magistrum pietatis. *Cùm quidam anxius inter metum & spem frequenter fluctuaret, & quadam vice mærore confectus, in Ecclesia, ante quoddam*

Thom. de Kemp. lib. 1.

altare se in oratione prostrauisset, hæc inter se reuoluit dicens: O si scirem, quòd adhuc perseueraturus essem! statimq; audiuit intus diuinum responsum: Quid, si hoc scires, quid facere velles? Fac nunc, quod tunc facere velles, & bene securus eris. Moxq; consolatus & confortatus diuinæ se commisit voluntati; & cessauit anxia fluctuatio; noluitq; curiosè inuestigare, vt sciret, quæ sibi essent futura; sed magis studuit inquirere, quæ esset voluntas Dei beneplacens, & perfecta ad omne opus bonum inchoandum, & perficiendum. Plura de tentationum caussis afferri possunt, sed ea jam sunt ab alijs disputata. Quo in genere argumenti pia eruditione versantur D. Athanasius, Pyamon apud Cassianum, Theodorus Studita, Hesychius, Cyrillus Alexandrinus, Auctor tractatûs de rectitudine Catholicæ conuersationis, Gulielmus Parisiensis de tent. & resist. c. 1. & alij complures, qui tentationes Deo esse gloriosas demonstrant, siue vincant, siue vincantur, nam aut justitiam eius, aut misericordiam ac benignitatem manifestant: vt proinde cum Clemente Romano dicere possim: *Quid agitis, ô homines? blasphematis? &c. Desinite, quæso, ab huiusmodi blasphemijs, &, qui sit Deo dignus honor, intelligite.*

de Imitat. Christi. c. 25.

S. Athanas. orat. 1. contr. Arian. Cassian. Collat. 18. c 13. Theod. Stud. serm. 59. & 118. Hesych. l. 2. in Leuit. cap. 7. Cyrill hom. Ephesi habita. Auctor. tract. apud S. August. lib. 9. tract. 20. Clem. Rom lib. 5. Recognit.

CAPVT LVIIII.

Nullum tam profundum esse peccatorem, qui veniam à Deo non possit consequi; quantaq; sit vis Crucis, contra dæmones & tentationes carnis, vel desperationis, etiam in extremo agone, vsurpandæ?



INter itinerum pericula est illud non minimum, quòd se se obijciant paludes, & fossæ, quibus sæpe & homines, & equi merguntur atque hauriuntur, in quas quò quis profundiùs subsidit, difficiliùs se se extricat, aut emergit; quò vehementiùs eluctatur, lassatur magis, & multi se se non expedirent, nisi aliorum ope extraherentur. Ita contingit peccatoribus, quod & sibi testatur Dauid accidisse, cuius est illa querela; immò oratio: *Saluum me fac Deus; quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi: & non est substantia. Veni in altitudinem maris: & tempestas demersit me.* I.

Psal. 68. 3.

Psal. 129. 1. *me.* Et alio loco: *De profundis clamaui ad te, Domine.* Quin & Ionas non è mari dumtaxat, sed etiam è ventre ceti clamauit.
Ion. 2. 1. *Et erat Ionas in ventre piscis, tribus diebus, & tribus noctibus. Et orauit Ionas ad Dominum Deum suum de ventre piscis.* Hic Propheta figura fuit grauium peccatorum, homines in profundum deprimentium. Verum est, quò diutiùs, & altiùs in luto hæremus, eò difficiliùs eluctamur, & *Impius, cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Audiuntur sanè plurimi, & sunt plurimi, qui ita in sordibus auaritiæ, luxuriæ, & maximè magiæ, inhęrent profundè, vt inde numquam emergant. At habent inobedientes in Iona, adulteri in Dauide exemplum; afferam etiam exemplum magi ad Deum conuersi, in quo apparet, neque ipsis veneficis locum pœnitentiæ negari, neque de his quoque desperandum esse. Vnde & ceteri peccatores in spem erigentur. Si enim peccatores omnium atrocissimi & desperatissimi considerantur veniam consecuti, quis non audeat confugere ad
Psal. 144. 9. Deum tam misericordem, cuius *miserationes super omnia opera eius?* & potentia tanta, vt nemo tam profundè hæreat in luto, quem non possit educere, sicut Ionam è ceto? Sæpe enim aliquē etiam ex ipsis Tartarei draconis faucibus extrahit: sæpe jam animam agentem, neque tantùm de hac, sed etiam de æterna vita desperantem, immisso diuinæ lucis radio conuertit.

II. Sur. 26. Septemb. Vide Card. Baronium in Martyrologio die 26. Septemb.

Cuius rei luculenta historia recensetur à Græcis in Menologio 2. Octobr. à Latinis 26. Septembr. Vertit eam ex Metaphraste in Latinum sermonem Lipoman. tom. 6. Surius tom. 5. Complexus est eam carmine Aldelmus; quam etiam soluta oratione retulit in lib. de Virginit. facitque eius mentionem venerabilis Beda. Historia autem hæc est. Tempore Diocletiani Imperatoris (non Decij, vt vult Metaphrastes) fuit Antiochiæ Virgo quędam Iustina dicta, Ædesio & Cledonia paręribus Ethnicis orta, quæ, audito Praylio diacono Antiocheno, ad Christum conuersa, primò matrem, postea per hanc & patrem ad fidem adduxit. Vt ergo plerumque diabolus graues recèns conuersis struit insidias, ita & hìc artes suas explicuit. Ibat Iustina quotidie ad templum, & transibat ibi, vbi, Aglaidas quidam scholasticus, patricij generis, & magnarum opum juuenis habitabat. Is, more

eorum,

eorum, qui se studijs litterarum alere non volentes otio dedunt, totas sæpe horas, quibus in libros incumbere debuisset, jacuit in fenestris, & curiosè obseruauit transeuntes. Cùm ergo vidisset Virginem illam in ædes sacras tendentem; & vidisset frequenter, eius venustate, tamquam Cupidinis telo saucius, cœpit ardere, ac dicere: *Vt vidi! vt perij!* Hîc jam mihi perpendite morem eorum, qui duobus dominis volunt seruire, desiderantes non peccare, neq; cælum perdere, & tamen simul voluptati non renuntiare. Intellexit enim Aglaidas (nomen hoc à pulchritudine nactus) quorsum hæc scintilla, aut flamma potiùs, tenderet; nempe ad infamiam suam & familiæ, ad interitum certum animæ. Igitur vt flammam nascentem opprimeret, tam acrem & insidiosam, sæpe scrupulum animi sensit, sæpe illi incidit, grauia ex inhonestis & intempestiuis amoribus damna existere. Verùm otij tædio non cessauit transeuntem puellam lasciuis oculis venari de fenestra, & velut ex equestribus contemplari. Rarò ignis suum tenorem seruat; aut crescit, aut extinguitur, si materia caret. Quare neque hæc flamma, cùm ei non deesset materia, potuit domi cohiberi. Erupit primùm per fenestras, postea etiam emicuit per januas. Itaque virgine illâ ad diuinum cultum veniente, prodijt & ipse, & velut casu in via occurrens, omni honore exhibito, quàm bellissimè eam salutauit, &, nescio quâ colloquendi necessitate excogitatâ, illi comitem se addidit, & obsequiarum nihil omittens, cœpit eam verbis aulicis, quàm vrbanissimè delinire. Et quia cognitissimum illi erat, huic sexui gratissimum esse, si de formæ præstantia laudetur, extulit identidem illius pulchritudinem, & prætulit eam omnibus formis ceterarum feminarum; ob quam & illam beatam vocabat, & illum, qui eâ frui posset. Quid multis vtar? amor & tumor cæcos facit, & insanos. Enimuerò amor carnis tollit è medio amorem Numinis. Hinc omnia trahit, etiam ipsa diuina officia, ad corporis voluptatem; & ipso templo vtitur, tamquam lupanari. Itaq; Iusta in templum se conferebat, vt DEVM coleret; Aglaidas, vt libidini seruiret oculorum, quâ semper magis & magis accensa, audacior factus, semper plura tentauit. Vnde non verbis dumtaxat, sed alijs quoque nutibus & signis,

iocis etiam, & manuum licentiâ, desiderij sui impudentiam prodebat; neminem veritus, quasi se certo consilio Veneris mystam profiteretur, & virginis procum; non iam per insidias, sed aperto Marte prædæ inhiantem. Non sine caussa feminis natura maiorem verecundiam, quàm viris, ingenerauit, ea enim illis pro scuto est, contra impudentem petulantiam adolescentum. Sed pietas, & religio, & Dei dilectio longè adhuc maius est præsidium castitatis. Quamobrem Iustinæ omnes illæ iuuenis cæremoniæ meræ nugæ & probra videbantur, dignaque quæ pudicæ aures & oculi execrarentur. Contra quæ se ieiunijs & orationibus innocens virgo muniuit, egregiè docens eas, quæ ne vnico quidem suspirio rogant Deum pro pudicitiæ conseruatione, aut quibus armis iste hostis sit repellendus. Qui ergo eam, per multas machinationes, non potuit in turpia præcipitare, ad extremum in matrimonium postulauit. *Iustina autem, quæ se soli Christo professa fuerat fore sponsam, alios constanter dedignabatur, dicens: Sufficit sponsus, qui mihi seruat virginitatem, & custodit puram ab omni inquinamento.* Amor negata vehementiùs desiderat. Quare Aglaidas quoque repulsam passus, omnem mouit lapidem, vt Iustinâ potiretur. Collecta igitur haud exigua proteruorum manu, vi illam voluit rapere. Sed qui clamantem virginem audierant, vim vi repulerunt. Et socij quidem diffugerunt, Aglaidas autem mori malens, quàm ab ea diuelli, tamquam saxum stetit, contumelijs, sputis, pugnis à virgine impletus. O stulti amatores, quò non deijcit vos libido? qui alioqui purpurati inceditis; qui auro & gemmis splendentes, alios despicitis; qui omnes premere, omnibus imperare vultis, scitis quò vos demittatis? Imago docet notissima illa Trossuli amatoris, ferulam puellæ suæ subeuntis; supplicique gestu genua humi ponentis, & manus ad cælum subleuantis, veniamque precantis ab amata. Quod si fortasse Poëticum esse putatis, maiora illa reuocate in memoriam, eorum, qui è calceis puellarum biberunt, qui, quod canes non facerent, sputa ab illis in terram projecta proni linxerunt, dignum labris nectar; & alia, quæ auditu, ne dum factu fœda sunt. Sed nihil fœdum est subantibus Epicuri de grege porcis. Hæc omnia pertulit etiam Aglaidas, & ludi videbantur, *Vnum erat*

vel

vel morte grauius, Iustinam non assequi. Hinc tristitia, hinc mœror, hinc incrementum amoris semper magis ac magis insanientis. Quid non potest aut dolor, aut amor? quòd si vterque & dolor & amor conspiret, quæ non consilia suggeruntur? Curritur ad lenones, quæruntur philtra, ipse Acheron mouetur, ipsi dæmones adeuntur. Erat tunc Antiochiæ haud incelebris magus, Cyprianus nomine, eum adijt Aglaidas, factaque magna præmij promissione, spem concepit, se ope dæmonis virginem in potestate habiturum. Et verò etiam Cyprianus, arte suâ confisus, spem illi fecit certam. Arrepto igitur libro magicarum incantationum & carminum, vnum è potentioribus spiritibus ex Orco euocauit, à quo sibi hoc negotium confici voluit, si quidem confici posset. *Ille autem arroganter & superbè loquens,* vt solebat: *Et quid est, inquit, quod à me, si velim, non facilè fiat? Sæpe quidem totas labefeci ciuitates: sæpe effeci, vt esset manus prompta & velox ad patris fundendum sanguinem: fratribus & coniugibus odium immisi implacabile: Multos, qui volebant esse virgines, prohibui,* &c. *Alios, qui volebant renuntiare omnibus carnalibus & ijs, quibus nos delectamur, & sectari virtutem, aliunde adoriens effeci, vt curam abijcerent talium cogitationum, & rursus diligenter adhærerent ijs, quibus consueuerant. Attamen quid, vt multa dicerem, sum adductus? Res ipsa nunc indicabit, quàm sim ad ministrandum longè vtilissimus. Accipe hoc medicamentum* (*erat autem vas quoddam plenum*) *& eo asperge domum virginis, &, nisi tibi omnia successerint ex sententia, sum ego de cetero despiciendus & inutilis, tuq; nos extremæ argue imbecillitatis.* Hîc discamus pugnare, immò vincere tentationes. Virgo Iusta, postea Iustina dicta, vt solem anteuerteret, manè hora tertia surgens ad precandum, incalescebat præter morem, & insultum sentiebat Stygij tentatoris. Quò autem magis crescebant flammę Cypriæ, magis illa, vt aquã
affunderet, in hunc modum augebat preces: *Memor fui nocte* Psal. 118. 36.
nominis tui, Domine, Laqueum parauerunt pedibus meis. Ego au- 34. 40. 36.
tem, cùm mihi molesti essent, induebar cilicio. Et humiliaui in ieiunio animam meam. Et deprecatio mea in sinum meum conuertetur. In hoc cognoui, quia voluisti me, quia non gaudebit inimicus meus super me, Gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum confrin-

confringatur. Tibi enim DEO viuenti toto animo & corde me ipsam dedicaui. His signum crucis adjecit, quoties cogitatio turpis eam subijt. Sic tunc pro cælo, inde pro orco pugnatum est. Fortius fuit cælum. Nam qui cruciari dignus est, crucem ferre non potuit. Pulsus ergo & victus dæmon Cypriano impotentiam suam fateri coactus, caussamque detegere adactus, dixit: *Vidi quoddam signum, quod valde horrui, & vires illius non sustinui.* Hoc hoste Acherontico superato, adjuratus alius fortior pari modo victus est. Quia ergo res ad Triarios redijt, adjuratus tertius, princeps priorum, qui illis multa, ob rem malè gestam, comminatus, Cypriano omnia promisit admodum jactanter. Quid ergo fecit? Quod Ouidius scribit, fecisse Vertumnum, vt Nympham Pomonam seduceret. In mulieris speciem versus Protheus assedit puellæ, mentiens se à DEO missum, vt ab ea disceret eamdem viuendi rationem tenere, amans virginitatis. O astutiam hostis, à speciosis initijs, ad fines pessimos progredientis! Inter colloquendum de virginitate, ait: *Ceterùm quamnam, propter eam, mercedem accipiam? volo ex te scire. Videtur enim mihi res magna, & periculosa, & quæ multis opus habet certaminibus.* Cui illa, rem quidem esse multis certaminibus obnoxiam, sed si ad coronas aspiciatur, magnæ condemnari socordiæ eos, qui tale tantumque bonum negligunt, & diuina gratia adjuti nolunt in pugnam descendere. Hâc vsus occasione tentator, quæsiuit: Quid Euæ profuisset virginitas? vnde natus fuisset mundus? vnde nunc homines venirent, si omnes virgines vellent esse? Cùm hæc audijsset Iustina, non id ei vsu venit, quod primæ parenti Euæ, sed facto crucis signo, statim surrexit ad orandum DEVM, & hunc quoque hostem à se fugauit, victrix & triumphatrix, optimaque pessimarum tentationum declinandarum demonstratrix. Siquidem ad crucis signum momento disparuit Vertumnus, & in fumum, immò in ignem abijt. Redijt ad Cyprianum dæmon, aperta victi signa vultu præ se ferens. Cui Cyprianus: *Et tu,* inquit, *qui es tantus, à tali puella fuisti superatus?* Quo autem freta illa, *aduersus vos, qui estis tam magni, tam magna potest facere?* Tunc dæmon: *Signum,* inquit, *Crucis, ne, dum figuratur, quidem videre omninò sustinemus, sed totis viribus nos priùs in fugam*

Ouid. lib. 14. Metam. fab. 8.

fugam

fugam conijcimus quàm id perfectè figuretur. Et quid mirum, cùm etiam canis oderit, fugiatque baculum, quo semel est percussus? Quis excusabitur, si dicat, se tentationi carnis resistere non potuisse? cùm signo crucis id potuisset obtinere? Quàm id facile est, & quàm id pauci faciunt, quando tentantur? Qui tamen huic tam salutari remedio adhibendo assuescere omnino deberent, vt eo vti possent, quando in vltimo agone, cum morte & dæmone erit certandum. Sed non id nunc ago, quo modo pro castitate, aut in morte dumtaxat, sit certandum. Illud ostendo, nullum esse tam magnum peccatorem, qui non possit agere pœnitentiam, si diuina velit gratia vti. Grauissimus error est, quo diabolus persuadet nonnullis, & præcipuè magis, actum esse; scelerum eos suorum veniam non posse ampliùs consequi, propter pactum secum semel initum; propter DEUM, DEI Matrem, Diuosque abnegatos, propter Apostasiam à fide, propter hæresin, propter idololatrias, propter tot adulteria, rapinas, homicidia, parricidia, sodomias, sacrilegia, aliaque nefandissima crimina, quibus se se contaminauerunt. Sic quos spe deijcit, obdurat; vt cuncta negent, respuant confiteri, non pœniteat deliquisse. At falsa hæc est, exitiosa, & contra diuinæ misericordię immensitatem exitiosissima persuasio. Cyprianum produco, qui vbi illa, à dæmone veritatem dicere coacto, audiuit; ita secum tacitus cogitauit: *Si hæc potest Crucifixus, quanta sit amentia, eo relicto, illius sequi inimicos, qui sunt tam imbecilli, & tam facilè terrentur?* Dixit hoc mente, & extemplo libros magicos comportatos ad Anthimum Episcopum flammis lustrandos, seque ipsum ei obtulit in ouem Christi, & Episcopo credere nolenti, eum sincerè & bona fide agere, omnia ordine narrauit. His persuasus Episcopus Cypriano benedixit, constantiamque propositi etiam atque etiam commendauit. Quem magna subijt pœnitentia. Combustis libris necromanticis, simulachra dejecit, caput cinere aspersit, graues gemitus ac suspiria edidit, veris lachrymis peccata lauans, vanosque ostendens eos, qui dicunt eiuscemodi homines flere non posse. Fluunt, & sistuntur lachrymæ diuersis caussis. Etsi enim signum sint pœnitentiæ, tamen quidam confitentes vbertim flent, exiguo tacti dolore; & alij

Vide Mart. Delrium l. 6, Disquis. c. 1, sect. 3.

multò magis contriti, nec vnam possunt lachrymulam effundere, vel quia tam duro sunt vultu, & sicco cerebro, vt plorare nesciant; vel quia nonnumquam ipsa doloris magnitudo lachrymas desiccat, & planè tollit. Hinc illa:

Senec. in Oedipo. v. 87.

Fletuq; acerbo funera, & questu carent:
Quin ista tanti peruicax clades mali
Siccauit oculos, quodq; in extremis solet,
Periêre lachrymæ.

At Cypriano non periêre, qui assiduè solus cum solo, qui est vbique, lachrymans colloquebatur, tantoq; nunc ardentiùs Deum venerabatur, quantò ante dæmoni malo impensiùs seruierat. Ita tota nocte transacta, die altero è templo egredi noluit priùs, quàm esset baptizatus. Postea in doctrina religionis & pietate ita profecit, vt Episcopus Antiochenus (malè enim hunc cum illo Carthaginensi Episcopo confundit Metaphrastes) crearetur, ac mirificè idola vndique extirparet, Christumque prædicaret, tandem illustrissimus quoque martyr effectus & in Diuorum numerum relatus est; cuius festum 26. Septembris, in Ecclesia, celebratur.

III. Et celebratur idcirco, vt videant peccatores, etiam eos, qui in profundum venerunt, posse per diuinam gratiam emergere. Ad quod plurimùm iuuat primò, scire impotentiam diaboli, & virtutem Christi crucifixi. Possent totum mundum euertere dæmones, si finerentur. Occiderent quotidie, & mille plagis plurimos afficerent, nisi prohiberentur. Si passer non cadit de tecto, neque capillus de capite nostro, sine Patris cælestis voluntate, quantò minùs tentator nos vel in morbos, vel in mortem, vel in peccata poterit conijcere, Deo obsistente? Et quidem sexcenti quotidie casus audirentur, si non crux manè, ad exitum quemuis, ante cibum, & somnum facta, nos munijsset. Si crux hoc potest, quid poterit Deus? Nemo igitur metuat, ne eum laceret diabolus, si velit ab eo recedere. Laceraret illum adhuc peccatorem, si Deus permitteret. Si ergo Deus tam bonus est, vt diabolo hanc potestatem non concedat in peccatorem, cur concederet in pœnitentem? & ad suam misericordiam recurrentem?

2. Iuuat scire, vera quidem esse illa, peccatorem, quò profundiùs

diùs cecidit, eò difficiliùs surgere: sicut & qui in terram cecidit, citiùs surgit, quàm qui in puteum lapsus est. Est item magna vis longæ consuetudinis; adeò, vt dicatur: *Si mutare potest* Ierem. 13. 23.
Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas: & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum. Et: *Adolescens juxta viam suam,* Prou. 22. 6.
etiam cùm senuerit, non recedet ab ea. Vera sunt hæc, & idcirco *bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua.* Nulli ta- Thren. 3. 27.
men desperandum est. Hæc est dextera Excelsi, quæ si ex Ethnicis Christianos; è seruis diaboli, seruos Dei; è magis Martyres fecit; potest etiam ex ebriosis sobrios, ex auaris liberales, ex impuris castos, ex superbis humiles, ex crudelibus misericordes, ex negligentib⁹ diligentes, ex filijs diaboli etiam in extremo vitæ termino, facere filios Dei. Nabuchodonosor rex Babylonis post Dan. 4. 34.
quantas impietates flagellatus, pœnitentiam egit, & mentem ac regnum recepit? Magdalena à quantis luxurijs ad quantam transijt sanitatem? Zachæus & Matthæus à telonio, à lucris iniustis, ad quantam venerunt salutem? Petrus fuit negator, Paulus persecutor, Dismas latrocinator: Cyprianus iste compendium erat peccatorum. Qui enim magum dicit, omnia dicit. Et tamen magus est factus pœnitens, justus, præco veritatis, Pastor animarum, Martyr Christi. Ad quam conuersionem illi occasionem dedit Aglaidæ insana libido, Iustinæ castitas, potentia Crucis, impotentia dæmonis. Hanc vtramque expertus, ex Ethnico Christianus; ex laico Sacerdos & Episcopus; ex blasphemo, Euangelij prædicator; ex iniusto justus; ex seruo diaboli seruus Christi; ex eo denique qui cùm chirographum sanguine suo scriptum diabolo priùs porrexisset, postea sanguinem suum pro Christi confessione & gloria fundens in martyrum albo purpureum nomen suum inscripsit; jam vitæ libro dignus, qui antea in Proserpinæ tabulis nomen habebat annotatum. Quare non solùm ex optimis pessimi, sed etiam ex pessimis optimi possunt fieri. Hinc Spiritus S. non solùm gesta Diuorum pia, sed etiam eorum peccata voluit memorari, vt eorum exemplis ad pœnitentiam erigeremur. Igitur nullus sit peccator, qui se putet non posse emendari. Ferrum rubigine liberatur. Aurum purgatur in fornace. Arbores, post hiemem, reflorescunt.

Ægroti

Ægroti omnes sperant & aspirant ad sanitatem. Et solus peccator vult in sordibus suis perire? Æthiops non potest mutare pellem suam, nec Pardus varietates suas; ita planè qui in peccatum cecidisti per te, per te non potes adijcere, vt resurgas, nisi Deus, *qui suscitat à terra inopem, & de stercore erigit pauperem*, gratiæ & auxilij sui tibi dexteram porrigat. Potuit te diabolus in profundum mergere, poterit & Deus in excelsum eleuare; cuius non minor est potentia, quàm voluntas. *Vult autem omnes homines saluos facere.* Potest ergo, sed volentes. Nolentes curabit? 3. Scire iuuat non solùm potentiam, sed etiam bonitatem Dei, pro nobis passi & crucifixi? Hanc bonitatem quia ferre non possunt diaboli, ideò neque crucem possunt tolerare. Quoties crucem facis, toties profiteris, Christum pro peccatoribus esse crucifixum. Hoc non credit, qui desperat. Non enim putat, DEVM tam bonum esse, vt ignoscere velit pœnitenti, sed sibi DEVM immitem, crudelem, tyrannum esse imaginatur; quia nescit, quàm bonus sit DEVS, quàm suauis, quàm mitis, quàm amabilis, & quantæ misericordiæ: durum, ferum, terribilem, implacabilem esse judicat. Sic *mentitur iniquitas sibi.* Est enim voluntas DEI sanctificatio nostra, qui sanat contritos corde; & omnes, qui laborant & onerati sunt, ad se venientes reficit. Vno verbo: *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius: & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.*

Psal. 112. 7. | 1. Tim. 2. 4. | Psal. 26. 12. | Isa. 55. 7.

IV. Adeò autem multus est ad ignoscendum, vt Deus D. Catharinæ Senensi aliquando dixerit, peccatores in morte de diuina misericordia desperantes, multò grauiùs ea desperatione peccare, quàm omnibus alijs peccatis, quæ antea vnquam perpetrarunt. Falsò enim judicant hi, suam iniquitatem maiorem esse, quàm diuinam bonitatem, quæ infinita est. Ex quo falso principio, ducunt alterum errorem, quo magis dolent de damno suo irreparabili, quàm de Deo offenso. Itaque si quis, etiam sacrilegus, aut veneficus, jam jam animam acturus, verè doleret de Deo offenso, & contempto, atq; ad Dei misericordiam recurreret, per pœnitentiam, Dei misericordiam certissimè inueniret. *Quoniam in infinitum maior est*, inquiebat, *misericordia mea, quàm sint omnia*

Ludouic. Blosius Monili Spirit. c. 1.

omnia peccata, quæ vmquam fuerunt commissa, vel quæ committi possunt ab aliqua creatura. Hanc doctrinam etiam alibi à me positam, reponere placuit, quia valde vtilis est, immò necessaria summis peccatoribus, ne in extremo & peccatorum, & vitæ gradu positi desperent; sed vt per lachrymas, & pœnitentiam ad diuinam misericordiam recurrant, & oboriente aliqua vel libidinis, vel desperationis tentatione, cruce se signantes, cacodæmonem, damnatum illum spiritum, à se repellant, in ipso Christo crucifixo immensam Dei erga se bonitatem agnoscentes; exemplo illius, de quo Ludolphus à Saxonia hanc historiam refert.

Ludolph à Saxonia 2. part. vitæ Christi. c 50.

Quidam erat Religiosus, cui multa diuinitus reuelabantur. Non latebat ea gratia fratrem alterum, eiusdem cœnobij Religiosum. Quare eumdem sollicitè rogauit, vt à Deo impetraret manifestationem, *An ipse de numero saluandorum esset?* Passus est ille tandé se multis precibus exorari, vt id à Deo auderet petere. Et Deus, vel vt castigaret, vel vt tentaret curiosum, ostendit oranti, fratrem illum esse de numero damnandorum. Pius itaque ille vir, quia nolebat fratrem suum contristare, secretum aliquot diebus tacitus apud se premebat. Instabat alter, & vrgebat in dies singulos responsum, cui ille, quamuis perinuitus, tandem illud arcanum detexit. Quid alius fecisset? quid statuisset? Numquid illud:

Ergo viuamus, dum licet esse bene?

Non ita collegit Religiosus ille, sed quia Scripturas diuinas intelligebat, illi respondit: *Benedictus Deus: nec tamen sic desperabo; sed pœnitentiam, quam per ingressum religionis assumpsi, de cetero duplicabo, & triplicabo, donec gratiam, & misericordiam apud Deum altissimum, qui pius est, inueniam.* Alius legitur à diabolo in Angelum lucis transfigurato audiuisse, *Quid te diu in eremo maceras? quid frustra oras, cùm sis de numero reproborum? ita respondisse: Quia ergo tunc in inferno Deum laudare non potero, nunc, dum adhuc possum, tantò magis glorificabo.* Quo tam sancto dicto & Angelus laruatus apparere desijt, & verus Angelus ei se stitit, qui ei significauit, nomen illius inscriptum esse in syllabum saluandorum. Ad eumdem modum supradicto Religioso, alia reuelatione patefactum est, per eumdem internuntium, dictum prius hypo-

hypotheticum, ac per tentationis modum fuisse illi nuntiatum; esse enim illũ omninò de numero prædestinatorum ad gloriam. Quo nuntio lætus, mirificè animatus est, vt tantò impensiùs Deum amaret, & de virtute in virtutem quotidie progressum faciens, in bono vsque ad finem vitæ perseueraret. Talibus exemplis animati, numquam debemus de salute nostra desperare, numquam abijcere animum à pœnitentia arripienda.

CAPVT LIX.

Magnos pœnitentes magnis tentationibus debere resistere, in S. Theodoræ pœnitentis exemplo, ostenditur.

I. Matth. 4. 3. NON sine caussa, in diuinis litteris, Satan *tentator* dicitur; qui, si ipsum DEI Filium ausus est tentare, quem non audebit aggredi? Et quidem nulli parcit. Iustos tentat & innocentes, vt eos justitiâ priuet innocentiaq; exuat, sicut tentauit Euam & Adamum in Paradiso. Eos, qui in peccatum lapsi sunt, tentat vt profundiùs labantur, & peccatum suum non confiteantur. Quòd si qui noxium illum pudorem heroica sui demissione vicerunt, & sacerdoti sincerè omnia sua peccata patefecerunt; tentare eos non cessat, pœnitentiam vt aut penitus omittant, aut non integrè perficiant, aut de die in diem differant; aut fatigati desistant. Quas tentationes etiam DEVS permittit, vt magna pars pœnitentiæ sit, ipsa victoria tentationum. Noui ego octoginta annorum senem, à quo ipse intellexi, extra omnem carcerem, liberè fatente, se septimo ætatis suæ anno, à diabolo seductum, vsque ad octogesimum vitæ annum, in veneficio versatum, tandemque alicuius adhortatione excitatum, & seruitutis Stygiæ pertæsum, omnia totius vitæ peccata ritè confessum, illo tamen etiam tum solo pænè metu à confessione absterritum, ne à dæmone atrociter vapularet, aut omnino instar Penthei, à Furijs Acheronticis laceraretur; cui Confessarius pro pœnitentiæ parte injunxerit, vt, quoties veterator ille veniret, eique lapides, fustes, vngues intentaret, ac necem ipsam minaretur, illi diceret, & in scuti vicem obijceret, se hæc, & plura alia, immò mille Acherontes commeruisse,

fuisse, atque eapropter, quandoquidem tanto natu senex, pro tot delictis, nequaquam ampliùs in hac vita, satisfacere posset, jussum à Confessario, saltem satis pati, & ea prompto animo sustinere, quæ dæmon esset acerba illaturus. Sæpissimè postea, desertum se perfidè, conquerens adfuit dæmon, & illi verbera truci vultu intentauit; sed quàm primùm audiuit senem, omnia, quæ passurus esset, DEO, pœnitentiæ nomine offerentem, illico destitit, atque aufugit, malens abstinere à verberando, quàm transfugæ pœnitentiæ sanctæ esse cooperator. Qui modus planè est optimus, ad huius delicti reos (qui vtique & sæpissimè, & vehementissimè solent tentari, si resipiscant) contra ruinas & plagas carnificis illius, muniendos. Quamquam & crebra illis confessio est pernecessaria, vt quoties ad relapsum tentati sint, & quo modo se eo in certamine gesserint, duci spirituali indicent, vel dirigendi, si errârint, vel, si heroicè pugnârint, consolandi & animandi. Quam confessionis frequentiam idem Confessarius seni illi iniunxit.

II. Sed vt habeamus, & tentatoris pertinacissimi, & pœnitentis ardentissimi, & athletæ constantissimi exemplum, recensebo vel in femina masculam virtutem, quam Nicephorus, alijque fide digni Authores in constantis pœnitentiæ exemplum proposuerunt. Tempore Zenonis Imp. Alexandriæ, in Ægypto, matrona quædam fuit, nomine Theodora, omnium, quæ in ciuitate erant, castissima, exemplar bonæ honestæque vxoris, viro suo dilectissima, & quia specie erat florentissima, & quia pudicitiæ amantissima, & quia viro non solùm fidelissima, sed etiam affectissima, ei, qui maritis debetur, honorem tribuens indesinentem. Hoc tam sanctum conjugium ferre non potuit pacis inimicus; quare eiuscemodi insidias struxit. Erat inibi juuenis opulentus, quem amore illicito incendit. Eâ autem nec nutum, nec gestum, nec vlla officia vrbana admittente, nullum non lapidem mouit, per eius vicinas ac familiares, blandiens & omnia pollicens. *Illa autem opponebat diem judicij, & timorem gehennæ. Quin etiam, dicebat, erubesco vel ipsum solem habere testem talis flagitij.* Arripuit hoc dictum vna ex lenis triuenefica, vetula maga, quæ sic eam fefellit: *Fiat igitur hoc*, inquiebat, *à te post solis occasum,*

Niceph. lib. 17. c. 5. Metaphrastes 11. Septembr. Lipoman. tom. 6. & Sur. tom. 5. 11. Septēb.

sum, & nullus erit, qui te cognoscat, neque futurus est vllus omnino testis apud DEVM, aut apud homines. Hoc audito simplex mulier, capta & seducta est, existimans futurum, vt DEVM lateret, quod noctu committeretur, & obscurissimis tenebris tegeretur.

III. Ridetur in Anthologia à Græcis stultus, qui, ne à pulicibus noctu pungatur, lucernâ extinctâ,

Non me, inquit, cernent ampliùs hi pulices,

quasi eum odore non possint deprehendere. Multò magis vel ridenda tunc Theodora, vel miseranda fuit, quæ existimauit, DEVM sole indigere, vt videat homines delinquentes. Sed si in sinum nostrum inspiceremus, profectò inueniremus nos ipsos seu ridendos, seu miserandos. Idem enim sæpissimè putamus. Et hæc est ars dæmonis, timorem vnà & memoriam Domini ex animo nostro tollentis. Quod clarè indicat Scriptura, cuius hæc

Eccli. 23. 25. sunt: *Omnis homo, qui transgreditur lectum suum, contemnens in animam suam, & dicens: Quis me videt? tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me: quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altissimus. Et non intelligit, quoniam omnia videt oculus illius, quoniam expellit à se timorem Dei huiusmodi hominis timor, & oculi hominum timentes illum: & non cognouit, quoniam oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes. Domino enim Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita: sic & post perfectum respicit omnia.* Quàm multa fiunt nocte, quæ lucente sole non fierent? Nocte fures, & inde fures, quia furui dicti, conscendunt domos. Nocte adulteria & homicidia plura perpetrantur. Nocte venefici conuentus suos nefandos celebrant. Et, vt notissimum exemplum afferam, quorumdam maxima est delectatio, noctu stentorea voce clamare per plateas, vulnerare ferro lapides, rudere inconditè, & tantùm non insanire. Quod si illis Confessarius imponeret, vt pro salutari pœnitentia facerent interdiu, numquam adduci possent, vt facerent, immò Confessarium crudelem vocarent. Cur? quia eum ceteri homines viderent. At noctu DEVS videt: vel ergo non credis, DEVM videre, & longè stultior es Theodorâ, vel, si credis, minùs à te DEVM, quàm homi-

homines timeri necesse est, vt fatearis. Quin aliqui eò amentiæ Dan. 13. 19.
veniunt, vt neque in ipsa luce putent se videri. Hinc *cùm egressæ*
essent puellæ, surrexerunt duo senes, & accurrerũt ad eam (Susannam)
& dixerunt: Ecce ostia pomarij clausa sunt, & nemo nos videt, & nos
in concupiscentia tui sumus: quam ob rem assentire nobis, &c. *Nemo*
nos videt, aiunt: si etiam à Deo se non videri putant, fidem perdi-
derunt, & longè cæciores sunt, quàm illi, qui sola nocte peccata
tegi existimant: si id solùm dicunt, *Nemo nos* hominum *videt*,
impij sunt & aperti Numinis contemptores; ostendunt enim,
se homines timere, Deum non curare. His tamen ipsis senibus
impudentiores sunt, qui in plateis publicè, immò in templis,
coram tota multitudine, non solùm aspectu, nutuque, sed etiam
amatorijs ceremonijs cum puellis libidinantur, & verò etiam
sibilis audent magorum obscœnissimis absurditatibus patroci-
nari. Senes illi, saltem obseruarunt tempus, quo extra oculos
hominum essent, ideoque dixerunt: *Nemo nos videt*: at isti nihil
pensi habent, siue videantur, siue non videantur. Peccant quasi
cum potestate; peccant quasi cum authoritate; peccant quasi
peccata velint docere; peccant, quasi nullus ampliùs existeret
magistratus (qui tamen facilè omnium, quæ non plectit, parti-
ceps est flagitiorum) peccant, & pœnitentiam non agunt, vt
in peccatis suis moriantur. IV.

Longè aliter fecit Theodora, quæ etsi peccauit, & tantùm
semel peccauit, & ex ignorantia, seductioneque magæ peccauit,
tamẽ, re facta, illico cruciata animo, & stimulis conscientiæ exa-
gitata agnouit, quanta sit peccati turpitudo, pœnitentiaque ta-
cta ita se ipsam est allocuta: *Ex quali honore, ad quantam transiui* Psal. 37. 6.
ignominiam? Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ. Conuersa Psal. 31. 4.
sum in ærumna, dum configitur spina. Hæc identidem secum di-
cens, non cessabat gemere & flere. Non potuit hæc vxoris mu-
tatio latere maritum, qui tantæ tristitiæ caussam ignorans, om-
nia dicebat & faciebat, vt eam exhilararet. Sed illa, interno
vlcere conscientiam depascente, neque cogitationi quietem re-
linquente, inconsolabilis erat. Quamobrem, vtique inspirante
Deo (alioqui maritum, sine consensu eius, deserere non potuis-
set) ad monasterium quoddam monalium profugit, & ad Abba-
tissæ

tissæ pedes procidens, eam rogauit, vt sacrum codicem afferret, vnde discere posset: *An, quod noctu factum erat, Dei oculis euidens fuisset?* Cui Præfecta respondit: *Et quid est Deo incognitum?* Num
Psal. 93 enim, *qui plantauit aurem, non audit? aut, qui finxit oculum, non considerat?* Putásne primos parentes sapienter fecisse, quando *cùm*
Genes. 3. 8. *audissent vocem Domini DEI deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni Paradisi.* Non enim illi se Domino, sed Dominum sibi absconderunt; sicut paruuli, qui dum ipsi manu sibi oculos claudunt, quia illi tunc neminem vident, putant se quoque à nemine videri. *Non sicut vident homines, videt & DEVS: homines in facie, DEVS verò videt in corde: homines conspiciunt, quæ patent exteriùs, DEVS verò cordis cogitationes perspicit.* In corde autem tuo quid est? nonnè peccatum, quod te angit? & vermis conscientiæ remordens? quem fugere non potes, quia tecum trahis, & vindicem metuis; & tam diu patieris, quàm diu non aperies. Pus non desinit cruciare, donec vlcus maturum aperiatur. Aperi mihi, filia mea, id, quod te arguit, forsitan erit remedium, quo saneris. Erubuit Theodora adulterium pandere, sed Euangelium poposcit, quo aperto, incidit in illa: *Quod scripsi, scripsi.* Mox
Io. 19. 22. manibus faciē suam pulsans: *Heu mihi miseræ,* clamauit; *O errorem! violaui viri cubile!* hæc dicens cæli se aspectu, & ipso quē hauriebat, aëre indignā judicans, terram cadentibus lachrymis madefecit; mirandum magis, quàm imitandum exemplum ausa est, dum se, inuito coniuge, mundo abstulit, & in tenebras abdidit. Sciebat probè, se à marito quærendam: ne igitur inueniretur, sumpto virili habitu, profecta est ad cœnobium 18. milliaribus Alexandriâ distans, in quod (postquam, sub dio, feris exposita, patientiam suam probauit, per primam noctem, seque Theodorum vocans, ad omnes labores promptam obtulit Prælato) suscepta est. Hîc mihi jam audite, quid femina, errore decepta, & semel dumtaxat lapsa, pœnitentiæ ipsa sponte susceperit, & insuper per diaboli insidias permissa sit sustinere. 1. Per octo annos, quotidie occupabatur oleribus plantandis, apportanda aqua, rigando horto, molendo, & pinsendo, & coquendo, aliaque similia faciendo. Satis hoc erat tenero sexui. 2. Sed tamen

men insuper oportebat illam *vacare ieiunio*, & *orationi*, & *de mane psallere, vespertinamq; & matutinam glorificationem quotidie peragere: præterea autem nec Horarum, quæ vocantur, ullam prætermittere.* 3. Noctu cùm somno & mediocri quiete corpus reficere oporteret, pectus palmis pulsans, flensque dicebat: *Condona mihi peccatum, Domine, quod perdidit decus meæ continentiæ.* 4. Vbi in schola virtutum paululùm profecit, semel tantùm in die; postea secundo quoque tantùm die, cibum sumebat; tandem tantùm semel in hebdomade, comedebat. 5. Præter hæc obtinuit, per fratrum petitionem, vt cilicio quoque corpus astringere liceret.

V. Quando eiuscemodi exempla lego, planè contremisco, nec immeritò & alij cohorrescunt, qui sæpius, grauiusq; longè, immò millies in DEVM peccauerunt? & quid pro tantis debitis DEO reddunt? Opera satisfactionis (quæ est pro DEI offensa debitæ pœnæ voluntaria professio) sunt orationes, & omnes animi affectus, corporisque motus, qui ad DEI cultum pertinent; item eleemosynæ, hoc est, omnia spiritualia & corporalia misericordiæ opera; itemque jeiunium, seu quælibet corporis afflictio & tribulatio, pro diuino honore voluntariè tolerata. Hæc omnia quàm copiosè fecit Theodora? At quàm nos facimus parcè? Labores etiam jucundos fugimus. Abiecta & seruilia facere injuriam putamus, quasi DEVS non humiles potiùs respiciat, quàm superbæ authoritatis seruatores. Olim reges & reginæ hospitalia adibant, & præcipuæ matronæ ægrotis, captis, egenis cibos offerebant, lectos sternebant, vulnera obligabant. Quàm rari nunc sunt tales? Quid dicam de jeiunijs, quæ paulatim omnino abolentur; aut certè, ne famem sentiant, multi ebrietate quotidiana impetrant? Orationes, cilicia, reliquæ corporis asperitates, genuflexiones, humicubationes in tantam desuetudinem venerunt, vt multi ne orare quidem rectè, & cum gustu sciant; multi loco orationis, in templo, noua legant, garriant, puellas tamquam idola, contemplentur; cilicia sæpe, in tota ciuitate aliqua, sint nulla; flagella & huiusmodi mortificationes, ad solos Religiosos pertinere existimentur. At cur illi, qui peccauerunt & peccant minus, puniantur magis? nimirum

quia isti cum Theodora magis soliciti sunt pro vno delicto, quàm vani & suæ salutis obliti homines pro toto cumulo flagitiorum. Neque sanè sine fructu, quia pij & pœnitentes hîc suum habent Purgatoriũ; impij, hîc suum cœlum, vt in Inferno postea luant,
Luc. 14. 58. & ferant, quod, sine fine, in æternum sunt passuri. Prudentes dant operam, vt in via ab aduersario liberentur. Imprudentes in futurum differunt omnia, quia malunt Epimethei, quàm Promethei esse; seram pœnitentiam acturi, & sempiternam.

VI. Magna erat pœnitentia Theodoræ, de qua dixi, sed corporis potissimùm: longè grauiora in animo pertulit; tentationes scilicet, quibus eam Tartareus insidiator acerrimè oppugnauit. 1. Alexandriam missa cum camelis pro oleo aduehendo, maritum in via obuium habuit, identidem tristissimè plorantem, & quòd talem amisisset vxorem, & quòd timeret, ne alium virum esset secuta, cuius rei sciendæ gratiâ Deum enixè rogauerat. Itaque per Angelum monitus est, vt manè surgens ad D. Petri templum iret, atque primi qui ei accurreret, vultum etiam atque etiam consideraret. Iuit, & Theodoram obuiam habuit, sed eam, ob virilem habitum, & incredibilem vultûs mutationem, penitus non agnouit. Nouit tamen illa virum, & protinus sui in eum amoris & peccati recordata: *Hei mihi*, dixit, *ô marite, ad quantos me labores tradidi, dum mei in te delicti quæro medicinam, & studeo multis illud delere lachrymis?* Ita secum locuta, ad eum accessit, & cùm ei *Salue* dixisset, magnâ sui victoriâ, confestim præterijt, quasi eum numquam vidisset. Quid putemus tunc pugnę in illius animo fuisse? Redeundi ad coniugium, an ad cœnobium magnæ erant vtrimque caussæ. Sed vicit amor pœnitentiæ, quæ victoria tantò est illustrior, quia multi pœnitentiam agerent, &
Luc. 9. 39. verò agendam censent; sed manum ad aratrum applicantes respiciunt retro, & volunt priùs patrem & matrem sepelire, quàm
Luc. 14. 62. Christum sequantur, quibus Christus ait: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Et hæc quidem tentatio ei à marito obuenit, non sine diuina voluntate constantiam eius probante. 2. Altera ab ipso monasterij Præfecto, qui videns eius vitam Angelicæ parem, obedien-

obedientiam pariter ac sanctitatem exploraturus, iussit sibi aquā è proximo lacu haustam apportare. Degebat autem in eo lacu crocodilus, qui in quemcumque incidisset vel hominem, vel bestiam, nullo discrimine prædam lacerabat. Quam ob caussam Præfectus vrbis in aditu loci illius milites constituit, qui accedentes arcerent. Theodora autem, vt obediret, custodum oculos manusque callidè euitans, & ad lacum perueniens, crocodili clementer blandeque dorso excepta, & per lacum, nouæ Europæ instar, aut velut Arion aliquis, vecta hydriam impleuit. Postea terræ reddita, belluam, ob tot neces hominum increpitans, occidit. Sic obedientiæ amore, tanti periculi contemptrix sanctitatem suam miraculo consignauit. 3. Sed longè maior tentatio fuit à falsis fratribus illi præparata, qui, non iam sanctitatis probandæ, sed opprimendæ caussa, inuidiâ stimulante, eam, inscio monasterij Præposito, nocturno tempore per vastam solitudinem, & feris bestijs infestam, ad aliud longè dissitum monasterium miserunt. Quoties homo homini est lupus! At DEVS insidias conuertit in gloriæ occasionem. Nam & Theodoræ est, noctu, in silua, & per ignota erranti, addita diuinitus bellua, quæ eam vsque ad monasterium incolumem perduxit. Ibi, Theodorâ Abbatem adeunte inuasit bellua ianitorem, ad cuius clamores illa recurrens, belluæ prædam è faucibus eripuit, & homini iam semilacerato, per Christi nomen, oleumque, quo eum vnxit, restituit integritatem; bestiam autem fecit vt caderet, & disrumperetur. Quod miraculum etsi Theodora domum reuersa voluit occultare, tamen Præfectus illius, per litteras intellexit. Qui volens scire, à quibusnam, nocturno tempore, per tam manifestum discrimen missa esset Theodora, id rescire nequaquam potuit. Nam & rei negârunt omnes; & ipsa interrogata, dixit, sibi tunc, cùm mitteretur, oculos adeò fuisse grauatos, vt non posset dicere nominatim, à quibus fuerit missa. Vide mihi discrimen filiorum lucis, & filiorum huius sæculi, qui si vel minimum aliquid patiantur, clamant, accusant, queruntur, omnia amplificant, & *vindictam, vindictam* postulant. At ista tacet, & in occasione maxima, non prodit eos, qui illam voluerunt occidere. Rari hâc patientiâ sunt præditi, cuius nobilissimum

mum exemplum dedit & CHRISTVS: quando enim Iudæi & mi-
Matth. 26. 68. lites *expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt, alij autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes: Prophetiza nobis, Christe, quis est, qui te percussit?* tacuit, cùm etiam velatâ facie, omnes vidisset, & nouisset, dicereque potuisset; Tu me percussisti, qui hâc nocte blasphemasti, adulterasti, hoc & illud facinus designasti, ipse propterea à DEO percutiendus. Et potuisset ipse talem fulmine extinguere, sed noluit, vt & nos disceremus tacere, ac nos non vindicare; sicut didicit Theodora. 4. In mari fluctus semper crescunt, procellæque in nauim insilientes augentur.

Et maior decima semper venit impetus vnda.

Ita & Theodoram pœnitentem Orcus semper maioribus machinis oppugnauit. Eam Præsul in vrbem cum camelis pro frumento miserat, mandatumque dederat, vt rediens, in monasterio nono diuerteret, si noctu interciperetur. Ibi adolescentula, quæ ratione consanguinitatis versabatur inter monasterij ministras, à dæmone ad libidinem extimulata, Theodoram, virum esse arbitrata, ad flagitium inuitabat, quam videns malle in nudo solo, juxta camelos, dormire, alium eodem tempore hospitem lenocinando seduxit. Quæ postea, vtero crescente, de Authore examinata, impuritati calumniam addidit, & Theodorum monachum octaui decimi monasterij id perpetrasse, dixit. Natum ergo ex ea infantem cognati, cum magna vociferatione & tumultu, in illud monasterium projecerunt, Theodorum esse illius parentem dictitantes. Quid grauius potuit Alastor excogitare? Nam præterquam, quòd crimen falsum erat, nihil peius, eo loco, habebatur; & iam omnia illius opera pœnitentiæ, labores, orationes, jeiunia, ab æmulis tamquam ex hypocrisi facta, ridebantur. Quin id, quod malus spiritus maximè moliebatur, erat timendum, ne è monasterio innocens cum infamia eijceretur. Quod & factum. Sed piorum est, insidias diaboli in ipsum retorquere; & illa ipsa tela, quibus nocere vult, in authorem remittere. Itaque Theodora nihil affirmans, nihil negans, spurij illius pater esse creditur: tacendo enim fateri videbatur. Communi calculo damnatur, & simul cum infante è cœnobio expellitur.

litur innocens exul. Nocens erat Ouidius: Et tamen quid non scripsit in libris de tristibus, & de Ponto, vt ærumnas & tristitias suas explicaret? Quòd si reo tam acerbùm est, excludi ex aliqua ciuitate; si & ipsi eius amici adeò dolent eum excludi, vt multi hac consideratione conuersi sint, perpendentes, quid sit à cælesti patria æternùm excludi, & non iam in exilium, sed in infernum mitti; quantum necesse est sentire illos dolorem, qui cum tanta infamia excluduntur è loco sacro, è cæli aditu, è cœnobio innocentes? Hoc sensit Theodora; quæ mater cùm potuisset esse, pater fuisse credebatur infantis alieni. Et tamen, nullâ excusatione adhibitâ, cum eo exit è monasterio; & tamquam parens lacte ouium eum nutrit, lanasque à pastoribus emendicans contexit inuestem. Quis tam grauem calumniam non repulisset? at Theodora per septem integros annos, in tugurio ad vestibulum monasterij, infantem hunc educauit, solum DEVM testem habens, & hanc pro vnico peccato ignominiam tam diu sustinens; herbis agrestibus victitans, & aquâ de lacu haustâ; cùm interea continuis lachrymis flueret. Quo viuendi genere propemodum feræ similis facta est, vnguibus prolixè crescentibus, capillisque sordidè condensatis, & facie à solis radijs, instar Æthiopis tosta. Audiant hoc, qui ne rectè quidem monentem audire possunt, ne dum, vt vel minimum verbum patiantur, quo putent honorem suum lædi. At ipsi nihil pensi habent, si aliorum nomen, famam, existimationem etiam quotidie subhastent. Impatientes ad tolerandum, audaces ad criminandum. Neque huic feminæ adhuc satis fuit miseriarum. Dum in his fluctibus versatur, cacodæmon quasi machinam post machinam adhibens, mariti eius formam simulat, eamq; lachrymans adit, & quàm blandissimè affatus ait: *Age, ô domina, siste mihi luctum tot annorum tua caussa susceptum, promptoq; & alacri animo domum reuertere.* Quid illa? an non iniurijs tantis affecta & tot malis obruta, deserere tugurium, & sequi maritum potuisset? præsertim cùm putaret, verè illum suum esse maritum? Quàm multi etiam religiosi de vocatione sua periclitantur, quando se vident exagitari? Quàm multi ad desperata consilia recurrunt, vel clementer verbis castigati? At illa, quid ad laruatum vete-

ratorem dixit? *Ego,* inquiebat, *quæ renuntiaui vanis rebus huius mundi, non possum rursus cum illis congredi. Quomodo autem tantâ possum esse impudentiâ, vt tecum habitem, cui sola fugæ caussa fuit à me factum in te peccatum?* Peccati memor, manus in cælum sustulit, se ad preces conuertens, quas quia ferre non poterat Dei hominumque inimicus, fugit; fugientem Theodora nouit non fuisse maritum, sed insidiatorem, contra quem semper fortior extitit. Nam & ille toties victus, fortior rediuit, septem, immò mille alios fortiores se & nequiores assumens. Omnis enim generis belluas marinas & terrestres, omnia monstra vultu imitatus, eam terrere, & deuorandam obijcere se velle simulabat: sed
Psal. 117, 11. illa, vnico illo versiculo: *Circumdantes circumdederunt me, & in nomine Domini vlta sum in eos,* omnia terriculamenta momento dissipauit. Tandem, tamquam magnus princeps ciuitatem munitissimam inuasurus, cum ingenti exercitu apparuit, quem vt Theodora adoraret, iubebant principis ministri; illâ autem dicente, *solum Deum adorandum,* iussit princeps eam cædi; & cæsa est ita, vt à pastoribus pro mortua haberetur; qui & in cœnobio indicarunt, ex oculis remouendam, & sepeliendam. Sed Theodora, media nocte, ad se redijt, sibique ascribens caussam, & id, quod acciderat, *hanc dicebat esse sui delicti disciplinam;* & à Domino inducias petijt tentationum. Hæc enim vera est pœnitentis animi nota, suæ culpæ ascribere, quidquid immittitur aduersi, idque in partem pœnitentiæ acceptare. Quod multi genus pœnitentiæ possent vsurpare, qui duris se se laboribus alunt, aut graues iniurias sustinent. Nunc autem & sustinent, & sustinent cum rancore, impatientia, blasphemijs, ad æternam damnationem, quod illis in satisfactionem esse potuisset, pharmacum in venenum commutantes. Aliter hæc se pœnitens gessit, ex omni pugna victoriam retulit. Nec dum tamen finis est. Quasi Christo obiectas olim tentationes vellet ordine repetere Satan, ita, postquam petiuit à Theodora cadente in terram adorari, etiam eamdem aggressus est concupiscentia oculorum, & gulæ vitio ex-
Matth. 4, 8. pugnare. Etsi enim illi non ostendit *omnia regna mundi,* ostendit tamen illi magnam vim auri vndique per terram dispersi, quod à cõferta mortaliũ turba auidè colligebatur. Egebat Theodora,

dora, & pueri eam miseratio subibat; sed maluit confidere in Domino, quàm *post aurum abire, & sperare in pecunia & thesauris.* Eccli. 31. 8.
Hoc igitur etiam strategemate superato, vertit ludum illico diabolus, & complures ad famentem misit, habitu famulorum, qui ei obsonia variè condîta offerrent dicentes, *Qui tibi plagas imposuit, his te donat obsonijs*; Sed illa nihil omnium attigit, probè notum habens illud: *Non in solo pane viuit homo:* neque à Deo Matth. 4. 4.
bellaria mitti pœnitentibus sciens. Sic diu tentata, & omni rerum genere tentata, perseuerantiæ exemplum fuit femina.

VII. Itaque tot victorijs inclyta, debellato hoste, & deleto abundè peccato suo, jam dudum Deo grata, cœpit tandem etiam apud homines gratiam inuenire. Nam accipite, obsecro, quo modo Deus *det cum tentatione prouentum*, & calumniam innocentibus factam detegat, ignominiamque ipsam in gloriam vertat. Primùm pastores Theodoram, velut à mortuis ad vitam reuocatam, admirabundi suspexerunt. Deinde monasterij Præfectus, pueri in solitudine errantis misertus, eum in cœnobium recepit. Mox etiam Monachi Lauræ noni monasterij, qui illati stupri eam temerè accusauerant, vnanimi supplicatione petieruut, vt Theodora, quæ jam per septem annos vtique, in ipso cœnobij aditu, satis luerit pœnarum, in gratiam & cœnobium reciperetur. Addebant autem, diuinitus nonnullis patefactum, Theodoro jam remissum esse peccatum stupri, vt ipsi putabant, reipsa autem vtique peccatum adulterij. Postquam autem recepta est, sine vllo monasterij officio ministerioque in interiore quadam cella manere, neque inde progredi jussa, per alios duos annos, longè ardentiùs quàm antè vacauit exercitijs pietatis. Neque his tantùm, sed etiam miraculis claruit. Nam in magna siccitate, cùm in nulla cisterna quidquam humoris superesset, jussa ipsa aquam haurire, hausit è vacuis cisternis easque ipsas optimis aquis hauriendo impleuit. His omnibus peractis, puerum ad se vocatum, atque secum inclusum (aurem ostio admouentibus, qui ad id à Præfecto constituti erant) allocuta est, eique dixit, tempus resolutionis suæ instare, curam illius se Deo Patri Orphanorum, & Præfecto cœnobij committere. Deinde eum hortata est, vt in eodem loco permanens, honorem despiceret,

ceret, probra, contumelias, & falsa omnia crmina prompto animo acceptaret; vitam asperam amplecteretur; fratres numquã accusaret; precibus diuinis diligenter interesset; alterius casum non irrideret; pro peccantibus oraret, & alia sexcenta talia. Cum his talibus monitis acerbissimam vitam jucunditate plenissima finiuit. Plangebat puer defunctam vt patrem; fratres vt fratrem; Præfectus vt verè pœnitentem. Qui illa ipsa nocte retulit, se à duobus viris altissimè vsque ad ordines Angelorum raptum, vidisse thalamum auro gemmisque ornatissimè fulgentem; audiuisseque vocem eiuscemodi: *Vide qualia bona sunt parata sponsæ meæ Theodoræ.* Hac voce audita, à ductoribus suis sciscitatus, quænam esset Theodora illa, cui hæc gloria esset præparata? vidit lætissimo in triumpho, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginumq; & Viduarum choros, cum media quadam muliere, velut sponsa, mirabili gloria radiante, venientes, eamque in thalamo illo triumphantem collocantes. Eratque jucundissimus adducentium cantus; canebant autem: *Hic est ille Theodorus pœnitens. Hic est; qui mundum fefellit. Hic est ille laboriosus olitor. Hic est ille assiduus precator. Hic ille abstinens. Hic ille cilicio tectus. Hic ille orci & tot tentationum victor. Hic ille, qui ficti stupri contumeliam, toto septennio, eliminatus pertulit; & filium alterius, tamquam suum enutriuit. Hic qui, vt lateret, pro Theodora se Theodorum appellauit. Veni, veni, ô electa, coronaberis. Nunc absterget Deus omnem lachrymam ab oculis tuis. Iam enim hiems transijt, imber abijt & recessit.* Hæc atque alia talia sibi monstrata auditaque esse Abbas recensuit tum alijs, tum illis ipsis, qui eam malè accusauerant. Nam ad mortuæ cadauer eos introduxit, ostensisque vberibus sacri corporis: *Videte*, dixit, *hoc spectaculum nouum & inauditum, qualis sexus, quali esca tenebrarum conculcauit principem!* Obstupuerunt omnes spectaculo: & metus quidem stuporem, metum autem lachrymæ sunt consecutæ. Nam illi quidem, qui æmulatione in eam incensi, periculum parârant, liuorem suum plangebant: alij autem judicij sui, alij calumniæ suæ temeritatem accusauerunt. Omnes autem à femina affectus domare, corpus affligere, patientiam exercere, tentationes vincere, & iratum sibi Deum placare didicerunt.

VIII. Quod vtinam & nos discamus, quibus graue est, vel vno
die cilicium gestare, aut jeiunio ventrem contrahere; immò vel
septem pœnitentiæ Psalmos, vel immaculatæ Matris officium
legere; cùm tamen non vnius tantùm sceleris, sed centum, sed
infinitorum propemodum criminum rei, diuinæ justitiæ plus de-
beamus. Tot quidem libidinosas cogitationes, tot infandas vo-
luptates quorumdam, humani generis accusator in diphthera sua
annotauit; & nimium est, si pro tantis debitis cilicium induce-
re, aut flagellis se cædere, aut jeiunijs genium fraudare jubean-
tur? immò nimium non esset, si in claustrum, in solitudinem, in
asperrimum Ordinem Religiosum ingredi juberentur. Quidquid
ibi per septem, immò per septemdecim, aut etiam per centum
annos ferrent, adhuc tolerabile esset, si id cum Inferno, qui vel
vnico peccato mortali debetur, comparemus. Et certè multos
satis graues peccatores Deus videns aliter vitam non emendatu-
ros, vocat ad Religionem, vt inibi operibus pœnitentiæ & cha-
ritatis compensent tot iniurias illi illatas: sed quia neque Dei
iram, neque Gehennæ flammam æstimant, vocanti cælo aures
claudunt, & in eas, etiam dum viuunt, labuntur calamitates, vt
neque hîc gaudeant, neque illic cælum adeant. Rectè sapiunt,
qui sapiunt cum Theodora. Multi pœnitentiam egerunt non
sufficientem, nemo nimiam. Quod culpæ superest, ad coronam
superest. A pœnitentia igitur numquam desistamus. Sapientis- Eccli. 5. 5.
simus fuit, qui monuit: *De propitiato peccato noli esse sine metu, ne-*
que adijcias peccatum super peccatum. Et ne dicas: Miseratio Domi-
ni magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Miseri-
cordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira
illius: Maximè autem, & certissimè in eos, qui cùm morti sint
vicini, & iam iam ad diuinum tribunal citati, adhuc modicum
tempus habent Numinis ac Iudicis sui placandi, tamen omnia
alia agunt. Solliciti sunt de villis & agris, de vindicandis inimi-
cis, de filijs promouendis, de debitis recipiendis, de absoluendis
ædificijs: & non sunt soliciti de anima sua in bonum statum re-
ducenda; aut de tentationibus superandis, quæ tunc solent esse
vehementissimæ, sicut venti desituri.

IX. Volet autem aliquis scire, quid S. Theodoræ marito conti-
gerit,

gerit, aut cur illum Devs vxore tam charâ priuârit? Is sciat, neq; hoc sine diuinæ prouidentiæ bonitate accidisse. Nam præterquam, quòd fugam illius æquo animo tulerit, pro eius fide solicitus fuerit, & ab Angelo doctus sincerum erga eam amorem perpetuò conseruârit; statim post obitum Theodoræ, Angelus monasterij Præsidem monuit, vt mitteret ad ciuitatem quemdam ex monachis equitem, qui primum in via occurrentem equo susceptum, quàm citissimè adduceret. Erat autem is Theodoræ maritus, qui & ipse ab Angelo monitus iam sponte veniebat ad monasterium. Cui obuiam factus monachus dixit: *Quid ita properas bone vir?* respondit ille: *Scio vxorem meam, quam tam diu non vidi, è vita excessisse. Curro igitur, eam extremùm defleturus.* Sustulit ergo illum in equum monachus, & in monasterium perduxit. Vbi inter lachrymas & luctum, hymni & laudes, & mutuæ gratulationes audiebantur. Sepultâ Theodorâ coniuge, maritus, illius exemplum secutus, mundo nuntium remisit, captusque amore silentij & quietis, non solùm rerum & virtutum, sed etiam cellæ & habitationis Theodoræ successor fuit. Cumque aliquamdiu sanctissimè ibi vixisset, etiam sanctissimè defunctus, in eodem cum Theodora sepulchro conditus est; vt, quemadmodum in cælo, animæ; ita etiam in terris eorum corpora coniungerentur. Sic sæpe vocatio vnius pendet ab alterius conuersione: neque sine caussa Devs etiam bonis viris bonas aufert vxores; ita enim & ipsos viros probat, trahitque ad maiorem vitæ perfectionem. Magno igitur luctu, sed maiore hic lucro vxorem perdidit, ab ea seruatus, quam perdidit: tentatus, probatus, saluatus.

CAPVT LX.

Infinita DEI erga peccatores misericordia & patientia, quæ spem facit non solùm pœnitentibus, sed etiam, contra omnes tentationes in morte occurrentes, opem & remedia largitur.



Evs summum bonum non esset, si in eo non esset omnis & summa virtus. Inter virtutes autem maximè benefica est misericordia, quæ voluntatem incitat, vt ad alte-

ad alterius miseriam subleuandam, succurrat, siue id ex affectu beneuolentiæ & charitatis, siue alio bono fine faciat. Hæc, in homine, ente limitato, finita & limitata est; in Deo autem, ente vndequaque illimitato atque infinito, itidem, vt cetera omnia, illimitata & infinita: adeò, vt nullis verbis satis explicari, nullis cogitationibus sufficienter possit comprehendi; cumq; omnem miserendi laudabilem affectum in se contineat, varijs & modis, & sententijs, à Spiritu S. in diuinis litteris, explicatur. *Domina-* Exod. 34. 6.
tor, Domine Deus, misericors, & clemens, patiens & multæ misera-
tionis, & verax, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers ini-
quitatem, & scelera atque peccata. Item: *Tu, Domine Deus, mise-* Psal. 85. 25.
rator, & misericors, patiens, & multa misericordia. Et rursum:
Misericordia Domini plena est terra. Ac alibi: *Suauis Dominus* Psal. 32. 5.
vniuersis, & miserationes eius, super omnia opera eius. Cum hac mi- Psal. 144. 9.
sericordia coniuncta est *patientia*, qua fert iniurias sibi ab homine illatas, vt non statim vlciscatur illas, sed patienter ferat expectetque emendationem. Coniuncta est *mansuetudo*, quæ facit, vt non facilè ad iram exasperetur, aut in furorem excandescat, sed pristinam animi æquitatem retinens, benignitatem erga nos suam non abijciat. Coniuncta est & *clementia* in ignoscendo, qua hominibus pœnas commeritas, ex animi benignitate, vel minuit, vel omnino condonat. Hæc patientia, mansuetudo & clementia itidem infinita est in Deo. Quare sicut exiguum fontem, flumina, maria, immò ipsæ Diluuij aquæ superauerunt, ita excedit diuina misericordia omnem humanam infinitis interuallis. Cogita quamcumque voles, & quantamcumque voles misericordiæ magnitudinem, tamen vix incepisti. Capi non potest, quod est immensum, termino caret quod est infinitum. II.

Et quia patientiam, quam Devs à condito orbe exercuit, in hominum injurijs perferendis, ob quas meritò Mundum totum, & omnes visibiles creaturas perdere, & in nihilum redigere potuisset, nemo satis potest penetrare; Filium suum vnigenitum in terras misit, in quo, velut in speculo, & patientiam, & mansuetudinem, & clementiam, & misericordiam suam hominibus ante oculos poneret. Quantum enim is non tulit ab ijs, pro
quibus tulit? *Non erat ei locus in diuersorio* antè, quàm in lucem Luc. 2. 7.
prodiret,

prodiret. Sic antè cœpit pati, quàm nasci. Quanta ignominia est, Dominum domo sua excludere? Christi erat non tantùm domus omnis, sed etiam totus Mundus. Totum mundum qui homini dedit, nec angulum in domo eius impetrat. Quanta hæc ingratitudo? quanta injuria? Vix natus, tamquam bestia in stabulum detruditur. Neque satis est, octauo iam vitæ die cultro sauciatur. Mox & ad necem ab Herode quæritur; in exilium pellitur; inter impios idololatras versari cogitur. Adultus, dum circuit docendo & sanando omnes ac benefaciendo, quid non coactus est sustinere? quas non murmurationes, detractiones, contradictiones, insidias Iudæorum & Pharisæorum? quæ non conuicia? contumelias? Proditus est à proprio discipulo. Et is, quem tanti fecerat, Petrus eum negauit. Tamquam fur captus, tamquam seditiosus & impius, apud tot judices, falsò accusatus, irrisus, damnatus, catenis & funibus constrictus, sputis fœdatus, flagellis & spinis laceratus, clauis lanceaque transfossus, inter latrones, morte turpissima, tamquam perduellis è medio sublatus. Et cùm alioquin homines etiam sceleratissimorum in carnificina constitutorum misericordiâ tangantur; ille in ipsa cruce cachinnis & blasphemijs est appetitus. Quid in his omnibus fecit? quid dixit? non auditum ex ore eius verbum impatientiæ, non vlla vox clamosa, sed tamquam ouis coram tondente se, non aperuit os suum. Immò aperuit os, sed, vt pro ipsis crucifixoribus suis DEVM Patrem oraret, eique hanc ipsam patientiam, crucem, cruciatus, & mortem pro illis ipsis, à quibus torquebatur, offerret, & veniam omnium peccatorum impetraret. Numquid hoc fuit summum perfectissimæ patientiæ & misericordiæ exemplar? In hoc potest patientia & clementia Numinis considerari. Quod Christus passus est semel in cruce, hoc DEVS à condito Mundo quotidie patitur in orbe. Talibus iniurijs eum afficiunt homines in cælo existentem. Et patitur, & expectat, vt se conuertant, nec quidquam magis eum delectat, quàm vt filium prodigum, post omnia bona dissipata, in gratiam recipiat. Nec quidquam ei magis aduersatur, quàm si homines de eius bonitate, cum Cain desperent; putentq; suam malitiam maiorem esse, quàm DEI misericordiam; ac proinde, quia de cælo

cælo desperant, cælum velint sibi in terra facere; neq; conentur vmquam vti diuinæ gratiæ auxilio, eos ad pœnitentiam, & constantiam in tentationibus vocante; & dicente: *Quare moriemini domus Israël? Quia nolo mortem peccatoris, dicit Dominus Deus, reuertimini, & viuite.* Et rursum. *Impietas impij non nocebit ei; in quacumq; die conuersus fuerit ab impietate sua.* Itaque *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, &c. Si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Si nihil supererit de vita vestra, nisi halitus vltimus, suspirate ad me, & diabolum vincetis.

Ezech. 18. 32.
Ezech. 33. 12.
Isa. 1. 16.

III.

Si peccata & magnitudine & numero possunt definiri, ait S. Basilius, *miserationes autem Dei neq; magnitudine, neq; numero possunt circumscribi; sine dubio non est, cur desperatio adhibenda sit, sed agnoscenda misericordia DEI, & commissa peccata detestanda.* Consentit Chrysostomus, inquiens: *Etsi quis innumeris peccatis sit sauciatus, si eorum pœniteat, & bonum agat, ita DEVS omnia abolet, vt nullum eorum vestigium appareat.* Et alio loco: *Nolo dicas: blasphemus sum: nolo dicas: persecutor sum; immundus sum: Habes omnium ostensiones. Vis in nouo? vis in veteri? In veteri Dauid, in nouo Paulus. Nolo excusationes mihi afferas: nolo ignauiam prætendas. Peccasti? pœnitere. Millies peccasti? millies pœnitere. Hæc assiduè infundo medicamenta, &c. Si lapsus es, poteris surgere. In vtramuis partem habes liberum arbitrium. Si vulneratus es, adhibe tibi curam, dum viuis, dum spiras: etiam in ipso lecto positus; etiam, si dici potest, animam efflans, vt iam de hoc mundo exeas. Non impeditur temporis angustiâ, misericordia DEI. Quid enim est peccatum, ad Dei misericordiam? tela aranea, quæ, vento flante, nusquam comparet.* Accedit & Hieronymus, cuius ista sunt: *Numquam sera est conuersio. Latro de cruce transijt ad Paradisum. Nabuchodonosor rex Babylonis, post efferationem corporis, & cordis, mentem recipit humanam.* Confirmat idem Isidorus: *Nullus desperare debet veniam, etiamsi circa finem vitæ ad pœnitentiam conuertatur. Vnumquemque enim DEVS de suo fine, non de vita præterita iudicat.* Ac denique Cyprianus ita scribens: *Sed & in eodem articulo temporis, cùm iam anima festinat ad exitum, & egrediens ad labia expirantis emerserit, pœnitentiam clementissimi DEI benignitas non aspernatur: nec serum est,*

S. Basil. in reg. breuiorib. q. 13.
S. Chrysost. prooem. 3. in Isaiam.
Idem. hom. 2. in Psal. 50.
S. Hieronym. epist. 7. 25. & 48. ad Lætā.
Isidor. lib. 2. cap. 24.
S. Cyprian. serm. de cœn. Domini.

quod verum; nec irremißibile, quod voluntarium, & quæcumque necessitas cogat ad pœnitudinem; nec quantitas criminis; nec breuitas temporis; nec hora extremitas, nec vitæ enormitas: si vera contritio, si pura fuerit voluntatũ mutatio, nõ excludit à venia, sed in amplitudine sinus sui mater charitas prodigos suscipit reuertentes, & velit nolit Nouatus hæreticus, omni tempore, DEI gratia recipit pœnitentes. Etiam in ipsa morte, in qua maximè necessaria est pœnitentia.

IV. Sed ne peccator moriturus pœnitentiam agat; immò, vt etiam, qui pœnitentiam egit, deijciatur, hostis noster Stygius, qui toto quidem vitæ tempore nos assiduè tentat, tunc tamen maximè laborat, *sciens, quòd modicum tempus habet.* (Apoc. 12. 12.) Cùm enim *iram magnam*, sitimque ingentem nostræ perditionis circumferat, perspiciatque, nisi tunc nos vincat, æternùm se victum mansurum, omnem vim suam exerit, vt mortem nostram infernus sequatur. De quali mortuo loquitur Ioannes: (Apoc. 6. 8.) *Ecce vidi equũ pallidum*, seu corpus infirmum, & exangue, *& qui sedebat super eum, nomen illi Mors, & infernus sequebatur eum.* Per infernum non tantùm intelligitur sepulchrum, sed etiam ipse æternus carcer damnatorum. Hinc hosti nostro nos fortiter oppugnanti, se se longè fortior opponit DEVS, Angelus custos, qui & ipse videt, modicum sibi tempus superesse, ad clientem suum non amittendum; DEI Mater, omnes Diui, si ad eorum auxilium confugiamus: præsertim autem illi, quos in omni vita sumus præcipuè venerati. Hi pro nobis orant, Angeli nobiscum pugnant: DEVS vires intellectui suggerit, & voluntati. Sed age tentationum genera, & remedia percurramus.

V. 1. Plerique ægroti tentantur spe falsa conualescendi: aut certè, vt etiam jam jam morituri, mortem adhuc longissimè abesse arbitrentur. Nimirum amor vitæ præsentis eis persuadet, vt, quidquid libenter haberent, libenter credant. Non parua est hæc tentatio, quia efficit, vt ægri nec peccata sua adhuc confiteri velint, nec ad mortem se præparent, neque extremam vnctionem admittant, immò nec mentionem mortis. Et accedunt à mundo submissi & à Satana instigati amici, qui per speciem consolationis morituro dicant, adhuc non esse desperatum de vita, posse eum reuirescere, breui meliùs habiturum.

Vtinam non & ipsi medici, contra testimonium venæ languidè micantis, & contra conscientiam suam, atque experientiam mentirentur, & spem ægro facerent vitæ prolongandæ, quem palpant breui expiraturum? cùm eorum officium esset, candidè monere, actum esse de hac vita, tandem de altera cogitandũ. Vtinam & ipsi consanguinei & amici, verum loqui tunc auderent! Nam dum spes est vitę producendæ, dum de pœnitentia non cogitatur, dum alia omnia aguntur; vel expirat infirmus, vel sensum & rationem amittit, fitque ineptus ad omnia, quæ saluti illius essent necessaria, quod plurimis calida febri laborantibus contingere solet. Contra hanc ergo tentationem clamant è cathedra sacri oratores; loquuntur libelli pij; monent cordati medici, & amici, exhortantur Patres Spirituales aduocati; instigat Angelus custos, & propria conscientia, si ad eam attendere vellent. Quæ enim dementia est, audiuisse, vel etiam vidisse, tot à delirio, vel etiam morte præuentos, sine pœnitentia decessisse; & non timere, ne sibi idem contingat? Quanta cæcitas mentis est, quàm primùm aduocare chirurgum in gingiuarum inflammationibus, paronychijs, & pterigijs, aut reduuijs vnguium; citare medicum in capitis, aut ventris dolore; acceptare syrupos, & acerbissimas ab illo præscriptas medicinas, vt dolor & morbus de corpore pellatur; & pro anima nihil facere, quæ periculo laborat æternæ damnationis? cùm anima plus sit, vtique, quàm corpus; adeoque & plus curanda? Sapienter enim S. Chrysostomus dixit: *In doloribus corporis, qui grauior est, efficit, vt non sentiatur minor: sicut qui grauem dolorem ex paronychia sentiebat; cùm vehementi aliquo stomachi dolore vexatur, illum alterum non sentit. Hunc in modum, quando te premet dolor detrimenti corporalis, eò quòd desit tibi salus, aut fortuna bona, aut quid simile: procura vehementem aliquem dolorem de tuis peccatis, ob spirituale damnum, quod ex eis oritur; & ob timorem horribilium suppliciorum, quæ promeritus es: & hoc dolore alterum mitigabis, eiusq; detrimentum parui facies.* S. Chrysost. hom. 5. ad pop. Hinc & Christus dixit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs eum timete, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennã.* Matth. 10. 28. Quis non dicat delirare eum, qui pro corpore tam solicitus est, &

& animæ suæ, in vltimo discrimine non habet rationem? Denique ægrotus, quoties Christi imaginem intuetur, nonnè ab illo discit, negotium animæ non esse differendum? Siquidem Christus nostram operari salutem non distulit in mortem, sed eam statim natus cœpit vsque ad supremum spiritum operari. O nos tardos, tanti ducis, imitatores! Cur paulò post morituri spem tam incertam, fallacem, periculosam, vanam, non relinquimus & auersamur, immò detestamur, & ad luctam vltimam, à qua pendet æternitas, nos non, quàm primùm malè habere incipimus, & mortem vel à longè suspicari, statim seriò accingimus? quod vel ante morbum omnem faciunt, quicumque sapiunt. Enimuerò, esto, ex tali morbo non sis moriturus, sed iterum ad vires tuas rediturus, quid nocebit tibi, morbi admonitione, & mortis timore ad Dominum Deum tuum conuersum esse? Non idcirco morti vicinor eris, quia Iudici amicior. Et fortasse ea ipsa de caussa vita tibi donabitur, quia Domino vitæ es conciliatus. Vno verbo pœnitentiam agere, prodest semper; differre, nocet plerumque.

VI. 2. Tentantur ægroti impatientià, etiam cùm vident, aut credunt, se morituros. Crescente enim imbecillitate, & aucto in dies dolore, ac medicis ipsis de vita desperantibus, facilè animaduertere potest infirmus, quò res suæ tendant. Cacodæmon igitur, quando spe longioris vitæ lactare talem ampliùs ac deludere non potest, alijs eum machinis aggreditur, vt à pœnitentia, & Deo auertat. Menti enim illius cogitationiq; proponit morbi cruciatus, nauseam ciborum, ardores febrium, sitis assiduæ molestiam, impotentiam dormiendi, lassitudinemque ex assiduis vigilijs ortam; addit somnia subinde, aut phantasias tristissimas; exhibet illi medicamentorum inutilem amaritudinem; impatientiam eorum, qui illi ministrant, & necem optant, vt labore seruiendi liberentur; denique mille arietes illi admouet, vt eum expugnet, ad iram, murmurationem, vindictam, querelas, immò & blasphemias in ipsum Deum incitet. Quæ omnia tantò faciliùs impetrat, quantò maior est cupiditas viuendi, amorque pristinæ sanitatis. Hinc sæpe etiam ad illicita, immò & diabolica remedia recurritur, desertoque vitæ authore, exitij nostri

Sititor

stitor, imploratur. Has tales tentationes Tartareus hostis immittit, contra quas itidem Fides Christi exemplum opponit. Nam & ille in agonia constitutus *cœpit contristari, & mæstus esse.* Matth. 26. 37. Quia autem vidit, calicem à se transire non posse, prorsus se se in cælestis Patris voluntatem resignauit. Immo Petro passionem illius impedire conanti dixit: *Calicem, quem dedit mihi Pa-* Ioan. 18. 11. *ter, non bibam illum?* Et sanè contra cohortem illam potuisset habere *plus, quàm duodecim legiones Angelorum*, sed noluit; vt im- Matth. 26. 53. plerentur Scripturæ, *quia sic oportet fieri*; vtque exemplum caperemus, quando & nos ad vltimum agonem perueniemus. Tunc enim cogitandum est: *quia sic oportet fieri.* Ex necessitate igitur, virtus est facienda. Si enim inuiti tunc dolores patiemur, si impatientes, si murmurantes, non solùm cruciatus nostros non mitigabimus, sed etiam reddemus longè grauiores. Ferendo enim omnia fiunt tolerabiliora; sicut acerbius est, quidquid nobis magis aduersum est. Præterquam, quòd nobis dolores illi vice Purgatorij esse possint, si æquo eos animo sustineamus: indignatione autem, vel Purgatorij incrementum, vel etiam, si magna sit illa, Infernum promeremur. Neque sine caussa mos ille obtinuit, vt morientes jubeantur in Crucifixi imaginem, tamquam olim in æneum serpentem, oculos conijcere: inde enim discimus carni dicere: *Calicem, quem dedit mihi* (vtique non sine caussa) amans *Pater, non bibam illum?* Etiamsi in tua esset potestate, sine omni doloris sensu emori; etiamsi *duodecim legiones Angelorum* te consolantium obtinere, tamen satius est, ad modum Domini tui, vitam, inter cruciatus, ponere; immò satius est, vt S. Gregorius ait: *liberum hinc exire; quàm post hæc vin-* S. Greg li. 4. dial. cap. 58. *cula libertatem,* primùm in altero sæculo, *quærere.* Piè S. Bernar- S. Bernard. dus in monte Caluariæ cruci affixos, comparat tribus hominum serm. 34. in generibus lecto affixis, per morbos; scribit enim, dolores infir- Cant. morum aut initium esse inferni, sicut fuerunt nequam & blasphemanti ex impatientia latroni, qui ex cruce rectà iuit in Infernum: aut esse loco Purgatorij, sicut fuerunt bono & patienter pœnam ferenti latroni, qui statim post mortem admissus est in Paradisum; aut deniq; esse vtiles ad merita & præmia augenda, sicut fuerunt Christo, qui dolores suos innocenter simul &

patien-

patienter ferens, promeritus est gloriam corporis, sanctique Nominis sui exaltationem. Quis non vellet, per dolores corporis potiùs cum bono latrone ire in Paradisum, quàm cum altero per eamdem crucem, sed cùm impatientia toleratam, tendere in Gehennam? immò quis non libentiùs toleraret quoscumque huius vitæ morbos, quàm vel leuissimam Purgatorij pœnam, si pœnam illam rectè nôrit? Quòd si etiam innocens, si sanctus est, cogitet se cum Christo in cruce pendere, & dulcescet illico, quidquid amarum est. Sed vix quisquam adeò perfectus est, vt si hinc sua peccata, inde autem morbi sui dolores expendat, fateri non debeat, debitis suis pœnas suas esse longè clementiores: immò nihil esse, si aspiciat ad Christum patientem. *Super omnia*, inquit S. Bernardus, *te mihi amabilem reddit, ô bone IESV, calix, quem bibisti. Calix, eheu, nimium amarus, myrrhâ & felle conditus; sed dulcem illam fecit, præstantißimum septimæ decoctionis, hoc est, infiniti amoris saccharum.* Hoc sacchari vtatur, qui mortis imminentis amaritudinem sentit, & inde tentatur; reddet enim illico aquas tribulationis suæ, (velut olim ligno in aquas misso Moyses) doloresque, pulsâ amaritie, dulciores.

S. Bernard. vel alius quis, cap. 6. de Passione.

VII. 3. Tentantur ægroti, vel ex ipsa impatientia, vel ex superbia sua, vel ex astutia diaboli, in Fide. Ex impatientia, vt putent non esse DEVM, qui homines sic permittat interire; aut DEVM esse nimis crudelem, qui tantos sinat non commeritum ægrum pati cruciatus. Ex superbia, vt, quia non capiunt intellectu mysterium SS. Trinitatis, Incarnationis SS. Eucharistiæ, immortalitatis animæ, aut alium Symboli Apostolici articulum; incipiant de eo dubitare, vel omninò eum negare; quia diabolo argumenta contra fidem obijcienti nesciunt respondere. Contra has tentationes Deus nobis ipsam fidem dedit, in eo agone maximè exercēdam. Necesse est ergo, ne hîc superemur, vt in fide bene simus instructi: nam (heu) quot mortales ad rectè credendũ necessaria ignorantes, hîc seducuntur! Deinde necessariũ est, vt in fide sim⁹ exercitati, & fidei bonis fundamentis innitamur; scilicet primę & summæ veritatis, & totius vniuersalis Ecclesię authoritati multùm tribuentes; neque nos in disputationem cum diabolo intromittentes. Hoc mentis nostræ sacrificium exigit DEVS, vt intel-

intellectum captiuemus. Quàm difficulter autem id tum facie-mus, in fide exercenda inexercitati? Itaque, qui quoties manè, meridie, vespere, ad Angelicæ salutationis signum, Dominicæ Incarnationis; in Missa Dominicæ Passionis, & præsentiæ Christi; quoties audit, aut dicit Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto; vel quoties crucem, in fronte, ore, & pectore format, SS. Trinitatis; quoties se se offert peccandi, vel bene merendi occasio, æternæ pœnæ, vel vitæ fidem exercet; is in hac palæstra exercitatus; facilè hæc omnia, etiam in vltimo certamine, Christum in cruce pendentem intuens credet, & in memoriam sibi reuocans, tentationem à se se repellet. Hoc est enim, quod passuro Christo, per Prophetam, promisit DEVS: *Dabo eis scutum cordis,* Thren. 3.
laborem tuum; mortem & passionem tuam, quæ pro anima immortali saluanda obtulisti. Hoc est, quod Petrus monet: *Christo* 1. Petr. 4.
passo in carne, & vos eádem cogitatione armamini. Quo modo autem armamur, eum in cruce intuentes? Nimirum, vt sicut ille affixus & captus fuit toto corpore, ita & nos tota mente illi per fidem affigamur, & captam nostram rationem illi subijciamus. Siquidem S. Thomas, vt nos discamus armari, & mori à Christo, illum instar equitis cataphracti armatum considerat his verbis: *Nota, quomodo Dominus armatus fuit in cruce; habuit enim in ca-* S. Thom. in 1 Petr. cap. 4.
pite quasi galeam, non de auro vel argento, sed de spinis. Habuit loricam, non de ære, vel ferro, sed carnem immaculatam, de Virgine sumptam. Habuit in manibus, non lanceam, vel gladium, sed magnos clauos manibus affixos: in pedibus quasi calcaria clauos infixos, pro equo verò habuit ipsam crucem. Hâc panopliâ quisquis indutus est, fide Christi armatus, etiam jacens in lecto, intrepidus stabit contra tentatorem, Christianum se Catholicumque professus moriturum, sicut Martyres olim ante tyrannorum tribunalia, & sub ipsa carnificum manu profitebantur. Olim Principes Christiani suos belli Duces, Gubernatores, ac Magistratus ad tuendæ Catholicæ religionis juramentum adigebant. Formula Nouel. constit. 8.
hæc erat. *Iuro ego, per DEVM Omnipotentem, & Filium eius vnigenitum, Dominum nostrum IESVM Christum, & Spiritum sanctũ, ac gloriosam DEI Genitricem, & perpetuò Virginem Mariam, & quatuor Euangelia, quæ in manibus meis teneo, & per sanctos Arch-*

 angelos

angelos Michaëlem, & Gabrielem, puram conscientiam, germanumq; seruitium, me seruaturum sacratissimis nostris Dominis; & quòd cum sanctissima DEI Catholica & Apostolica Ecclesia cõmunionem habebo; neq; ei vllâ vmquam re, aut modo aduersabor; neq; quantum in me erit, alicui alij permittam. Quòd si hæc nõ obseruauero, omnibus incommodis ero expositus, tam hîc, quàm in futuro sæculo, in horrendo judicio magni Domini DEI, & Seruatoris nostri Christi IESV, habeboq; partem cum Iuda, & lepram Giezi, & tremorem Cain; vltra hoc, quòd etiam pœnis lege Imperatorum comprehensis ero obnoxius. Quod isti Principibus suis magistratum inituri jurârunt, id nos recens nati Domino DEO nostro, in Baptismo spopondimus. O nos miseros desertores, si sub finem demum vitæ nostræ deficiamus! cùm multi, velut *vndecima hora* venientes, tum demum eidem se se totos consecrent, veramque fidem & amplectantur, & profiteantur: sicut de Eutychio Patriarcha legimus, quem S. Gregorius Magnus, nondum Pontifex, conuertit. Nam, cùm scripsisset Eutychius contra veram ac tractabilem corporum resurrectionem, conuictus *paulò pòst, cùm in morbum incidisset, instante morte pellem manus suæ tenebat, multis præsentibus dicens: Confiteor, quia omnes in hac carne resurgemus.* Ad quem modum quotquot ex hæresi conuersi sunt, immò omnes Christianos, si tempus patitur, par est, Symbolũ Athanasij, vel Apostolorum, sub mortem profiteri. D. Bruno certè *tandem virtutibus ac meritis plenus, nec sanctitate minùs, quàm doctrina fama clarus, conuocatis fratribus, vitam suam simul ac fidem, facta in hac verba percelebri confessione, conclusit. Credo etiam Sacramenta, quæ sancta credit & veneratur Ecclesia; & nominatim panem & vinum quæ consecrantur in altari, post consecrationem, verum corpus esse Domini nostri IESV Christi, veram carnem, & verum sanguinem, quæ & nos accipimus in remissionem nostrorum peccatorum, & in spem salutis æternæ.* Hoc est in fide mori. Misit aliquando Zoë Imperatrix exercitum contra Bulgaros, teste Cedreno, & submisit mox primarium Palatij Sacerdotem, cum venerando S. Crucis ligno. Ab hoc Sacerdote omnes in genua procumbere jussi sunt, jurareque, *se vsq; ad mortem perseueraturos.* Pugnaturi cum morte Crucifixum adorant, & quid jubentur, nisi vt in fide IESV Christi *vsq; ad mortem perseuerent?*

Breu. Rom. 12. Martij.

Ex eod. Breuiar. Rom. 6. Octobr.

Georg. Cedren in Constant. Leonis filio.

VIII.

4. Tentantur ægroti à malo dæmone circa ſpem. Quando enim fidem auferre non poteſt, cum qua omnes virtutes ſupernaturales euertuntur, ſaltem ſpem conatur quatere, & quidem duplici ariete. Si quos enim ſcit lætioris eſſe naturæ, & ingenij confidentioris, qui à morte non tantopere abhorreant, eos nimia ſui ſuorumque meritorum fiducia, occulta ſuperbia, arrogantia & vanitate implet. Sin autem nouit aliquos indolis eſſe triſtioris, & vitæ negligentioris, & malè ſibi conſcios, ad alterũ trahit extremum, nimirum deiectionis animi, triſtitiæ, puſillanimitatis, magnę de diuina miſericordia diffidentię, ac demum etiam deſperationis. Quamquam interdum verſis velis nauigat, & mutatis armis pugnat. Nam etiam ſępe illos ipſos, qui meritò de periculo ſuo deberent metuere, ſi eos nequit præcipitare in barathrum deſperationis, impellit eos ad vanam gloriam, complacentiam, & nimiam ſecuritatem, aut etiam præſumptionem ſuorum meritorum: Vt tantùm cogitent de ſua liberalitate, aut operibus bonis, quæ aliquando fecerunt, ſcelerum ſuorum penitus obliuiſcantur; illa in immenſũ augentes, iſta ſtolidè extenuantes, quaſi Deus tantùm ſit miſericors, iuſtitiam autem non curet. Neque iniuſtos dumtaxat molitur conijcere in deſperationem, ſed interdum etiam viros virtuti deditos, bonos ſęculares, & Religioſos ipſos, circa vltimum vitæ tempus, deſperatione tentat. Vtrimque ſunt ſcopuli, & pericula naufragiorum. Nam & qui ſibi nimium fidunt, pœnitentia non opus eſſe arbitrantur; & qui deſperant, quidquid demum agant, inutile eſſe exiſtimant. Sic capti pereunt, qui victores poſſent triumphare. Vt ergo poſſint vincere, vtriſque diuina bonitas proſpexit; illis quidem, vnde præſumptionem deponant; iſtis autem, vnde in ſpem aſſurgant. Ne enim quiſquam ſibi applaudat, ſibique de ſuorum meritorum confidentia promittat ſecuritatem, ſæpius occultorum ſuorum iudiciorum formidandos exitus propoſuit; vtque modeſtè de noſtris virtutibus ſentiremus, voluit Eccle. 9. 1. nos neſcire, *vtrùm amore, an odio digni* ſimus. Quàm multa, ſub ſpecie & nomine virtutũ, vitia latent? Quàm pauca ſunt opera, ſine macula? Quàm multis in rebus ſumus culpabiles? Quàm multa peccata vel non agnoſcimus, vel obliuioni mandamus? Et

Et ea ipſa, quæ nos ſcimus perpetraſſe, quàm tepidè luimus? Si viri multi ſanctiſſimi, diuinum adire tribunal trepidauerunt, quid nos confidimus? quid præſumimus de noſtra vita, tot erroribus obnoxia? De S. Abbate Arſenio legimus, eum in extremo vitæ tempore magno timore perculſum metuere viſum, à diſcipulis interrogatum: *Pater, in veritate & tu times?* Quibus reſpondit: *Timor, qui nunc in me eſt, ſemper fuit in me.* Cuius animi etiam Iob fuit, qui dixit: *Semper quaſi tumentes ſuper me fluctus timui DEVM, & pondus eius ferre non potui.* Et Abbas Agathon, poſt vitam ſanctiſſimam, morti proximus, cùm mirificè formidaret, dixit: *Alia ſunt judicia DEI, alia hominum.* Et alius Abbas, Siſois dictus, adeò integræ caſtæq; vitæ fuit, vt illi animam acturo CHRISTVS ipſe ſe præſentem ſiſteret viſendumque, & tamen eum ſupplex rogauit, vt ſibi adhuc modicum tempus concederet ad pœnitentiam peragendam. Hæc exempla remediaque DEVS morientibus dedit contra nimiæ fiduciæ præſumptioniſq; tentationem.

Iob. 31. 23.

IX. Verùm conſuetius eſt frequentiuſque, & quodammodo naturale, vt homines, illa vltima vitæ hora ſibi timeant, & in puſillanimitatem cadant, ac deſperatione ſollicitentur; præſertim vel aliàs ſcrupuloſi, vel qui priùs nimis ſibi frœnum conſcientiæ laxauerunt. Quæ enim antè illis aſtutus tentator extenuauit, & vt leuia nihiliq́ue facienda propinauit, ea tunc cùm de rerum ſumma agitur, in immenſum extollit, & mira quadam mentis faſcinatione, apparere facit ipsâ diuinâ immenſaque Dei miſericordiâ maiora, vt cum deſperato illo fratricida dicant: *Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Sicut ergo homini ſano diabolus, vt peccet, ſuggerit Deum eſſe clementiſſimum & ad indulgendum proniſſimum, adeoque peccata eſſe parui facienda, ita, teſte Climaco, in anguſtijs mortis & inſtantis judicij poſito Deum rigidiſſimum, & peccatorum etiam occultorum & in confeſſione omiſſorum grauitatē exaggerat, vt jam actum de ſua ſalute putet. Si huc morientem ducit hoſtis, vicit. Ne ergo ducat, benignus Iudex ea omnia, ad ſpem noſtram roborandam ſuppeditauit, quæ initio huius capitis de eius miſericordia recenſuimus. Ad quæ accedunt ſequentia & ſolatia & auxilia.

Gen. 4. 13.

Nam

Nam 1. qui hac tentatione exagitatur, non solùm licitè, sed etiam vtiliter potest sua merita in memoriam reuocare, atque ex ijs spem & magnanimitatem concipere: dummodo ea Deo & gratiæ illius, non autem viribus suis attribuat. *Spes namq; est certa expectatio futuræ felicitatis, ex gratia Dei & meritis sperantis procedens.* Dionys. Carthus. lib. de 4 nouiss. p. 1. cap 3. Hinc 22. Moral. scribit Gregorius: *Sicut dum viuimus, debemus bona nostra à memoria nostra repellere, ne extollant; ita appropinquante exitu, ea plerumq; justè ad memoriam reuocamus, vt fiduciam præbeant, & desperatum timorem premant.* Quemadmodum enim malorum conscientia desperationem, ita conscientia bonorum operum solet spem generare. Vsus est hoc remedio S. Hilarion, vt de eo memorat D. Hieronymus, qui *moriturus sibi ipsi dicebat: Egredere anima mea, quid times? Septuaginta propè annis Christo seruiuisti, & mori times?* S Hieronym. in vita S. Hilarion. Quin & ipse S. Paulus hoc se modo consolatus dixit: *Bonum certamen certaui, &c. in reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* 2. Tim. 4. 4. Occurrent autem opera sua quærenti contra desperationem, Fides baptizati, orationes, cultus diuinus, confessiones, communiones sacræ; pœnitentiæ, quas egit, eleemosynæ, & pauperibus præstita auxilia; obedientia Ecclesiæ exhibita, jejunia, &c. quæ cum diuina gratia, non sine certamine ac difficultate operatus est, nec vtique à Deo irremunerata relinquentur, qui haustum aquæ frigidæ sitienti datum, dixit suam mercedem habiturum. Matth. 10. 42. Quid jam non poterunt sperare, qui, amore Christi, cum Apostolis, omnia reliquerunt? qui paupertate gauisi sunt? qui castitatem illibatam Deo consecrarunt? qui tam durum & diuturnum, sub obedientia, religionis jugum sustinuerunt? Hæc talia omnia, non ad vanam gloriam, sed bonam spem, desperatione pulsatis possunt in memoriam reuocari. 2. Etiam atque etiam ijsdem inculcanda est diuinæ misericordiæ immensitas, quæ cùm omni tempore vitæ nostræ, tum verò maximè etiam in illa vltima hora parata est, ad pœnitentiam nostram recipiendam, gratiamque suam, immò & gloriam cælestem nobis largiendam. Quod intelligimus ex infallibili illius promissione; nam sine vlla temporis restrictione dixit: *In quacumque die* (etiam vltima vitæ) *conuersus fuerit impius ab impietate sua, impietas non nocebit ei. Sed vita viuet, & non* Ezech. 33. 12. & 18. 21. *morietur*

morietur. Quis tam claram Dei promissionem dicat esse simulatam & vanam? Nonnè fides docet, Deum esse similem Patrifamilias, qui non tantùm *vocat operarios primo manè*, & in meridie, sed etiam vesperi, immò etiam *vndecima* atque vltima diei *hora?* Quos autem vocat, ijs & auxilia offert sufficientia, per quæ venire possint ad vocantem. Vocare autem eum nos, etiam indicium est, quòd tunc omnes ex præcepto jubeantur sua peccata confiteri, & præsto sit plerumque occasio confitendi, adeoque etiam potestas sacerdotis, (cuiuscumque, in ea vltima necessitate) te absoluendi. Accedit & alterum præceptum, sacrum viaticum sumendi. Quid autem est viaticum illud, nisi SS. Eucharistiæ Sacramentum, quod est pignus æternæ vitæ? Quomodo sperare non potest, qui tale pignus accipit à judice, ad quem citatur? Adde, non sine graui caussa speciale à Christo institutum esse Sacramentum, ad spiritualem gratiam infirmis largiendam, eosque ad felicem mortem disponendos. Super quæ omnia seuerissimum extat præceptum, ne quisquam, quàm diu spirat, de venia impetranda, aut misericordia diuina desperet; adeoque etiam fide excidat, à qua docemur, omnipotentis Dei clementiam ac bonitatem infinities esse maiorē, vniuersâ non tantùm vnius, sed etiam omnium mortalium, qui sunt, quique fuêre, *Et qui post alijs erunt in annis*, iniquitate & impietate. Hinc in illo articulo mortis, non potest Deus luculentiùs offendi, quàm si de eius misericordia desperemus. Hoc enim est Deum negare. Et S. Hieronymo teste, Iudas proditor magis peccauit desperando, quàm Christum Dei Filium tradendo. E diuerso autem scelera-tus latro, quia Christi misericordiam inuocauit, jam in patibulo pendens, quod credidit, & petiuit, impetrauit.

Matth. 20. 1. 6.

X. 5. Tentantur ægroti, quando nec de fide dimoueri possunt, nec à spe depelli, vt saltem charitate neque in Devm, neque in proximum ferantur. Quid non machinatur Orcus, vt testamenta nulla fiant, & inde non solùm optimè meriti, amicissimique prætereantur, sed etiam lites & rixæ oriantur? Quoties etiam opulenti è vita decedunt, pauperum, Ecclesiarumq; obliti? Vel certè multi toti sunt in diuitijs suis, testamentisque disponendis, ita vt tempus omne negligant, quod superesset, ad Deum

super

super omnia, adeoque etiam super amicos, fortunas, & vitam
ipsam amandum. Tunc enim tempus est, vt nos totos diuinæ vo-
luntati tradamus, sequamurque ex hac vita ad meliorem nos
euocantem. Similes esse debemus *seruis expectantibus dominum* Luc. 12. 26.
suum, quando reuertatur à nuptijs: vt cùm venerit, & pulsauerit,
confestim aperiant ei. At nos, quantum possumus, obnitimur, &
obluctamur, more reorum, necessitate tracti, non obsequio
prompti. Si præmium laboris speramus, cur venimus inuiti? Quid
tergiuersaris, miser? velis nolis, eundum est. Iam lata est à judi-
ce sententia, mutari non potest tuis querelis. Fac ex necessitate
virtutem; & quod tibi difficile est, facile redde promptitudine
tua: qua ipsa placabitur Iudex, qui te citauit, cùm viderit obse-
quentem. Nauigaturus nauclero credis de tempestate prospici-
enti; crede & Deo, qui longè meliùs scit quando de vitæ portu
soluenda sit nauis tua. Iam in gratia es, fortasse post annum non
eris; fortasse nec cras eris. Quid tibi de supulchro, de funere,
de morte inutiles cogitationes excitas? cogita de pœnitentia
agenda; immola te Christo, saltem per hanc in lecto mortem,
qui non potes in martyrio. At objicit tibi satan parentes, filios,
familiam, mille alias curas; objicit fortasse seipsum terribili lar- Manutius in
na metuendum? Imitare passerem illum, qui in Concilio Chal- apoptheg.
cedonum sub tegmine fagi celebrato, accipitre insequente, & lib. 7. n. 135.
eum jam jam vnguibus prehensuro, in sinum Xenocratis dela-
psus reperit perfugij securitatem. *Multis passeribus meliores estis* Matth. 10.
vos, ait Dominus. Quòd si ergo Tartareus accipiter, te vrget; si
vngues suos tibi inijcere parat animam acturo, quò tutiùs con-
fugies, quàm in pectus & sinum Crucifixi Christi, qui tibi in ma-
nus traditur? &, vt Chrysologus ait, *dilatat viscera, pectus por-* Chrysol. serm 108.
rigit, offert sinum, gremium pandit, vt in vulnere lateris eius, tam-
quam *in foraminibus petræ*, tutus habites, & animam tuam con- Cant. 2.
serues? Nam *illic passeres nidificabunt*. Quia, vt S. Thomas scri- Psal. 101.
bit, *Memoria Dominicæ Paßionis, contra insultus & tentationes dia-* S. Thom. in
boli munit & roborat. Itaque non tantùm dedit seipsum Christus, 1 Petr. 4.
pro gratia nobis promerenda, sed etiam vel sola memoria Christi
passi est nobis admodum salutaris. *Nihil tam salutiferum nobis est*, S. Augustin. vel alius.
ait S. Augustinus, *quàm cogitare, quanta pro nobis pertulit Deus &* serm. 23. ad
homo. frat. in Erem.

Lobbetius. Dō. 2. quadr. q. 5. *homo*. Vtilissimi igitur documenti loco est historia, quam Lobbetius recenset de S. Ioanne Euangelista, qui maximo desiderio flagrabat Virginis Matris Christi, jam in cælo existentis, intuendæ. Et sistit se illi Virgo, cui sub cruce erat commendatus. Neque videndam dumtaxat, sed audiendam etiam se exhibuit, ac bene longum cum illo sermonem instituit de cruciatibus Christi, quos illa in monte Caluariæ cordi suo impressisset, tamquam gladium à Simeone prædictum. Ad extremum adiecit, Filium suum IESVM ei, qui jugiter Passionem Domini meditaretur, has tres prærogatiuas concessisse. 1. Vt, antè quàm è viuis excederet, feruentissimæ contritionis actum omnium peccatorum illi impetraret. 2. Deiparam illi in agone extremo, præsidio futuram; quam proinde non frustra quotidie salutantes dicimus: Ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostræ. 3. Filium Matri transcripsisse omne jus quiduis pro illo impetrandi. Adeò non modò dignum est, vt quæ pro nobis pertulit Filius, grata mente recolamus, sed etiam Matri acceptum, vt quos illa cordi suo impressit Seruatoris nostri dolores, etiam nos ipsi nobis imprimamus. In quam rem facit pia illa consuetudo eorum, qui in oratorio, aut Musæo suo, semper ante se habent Imaginem crucifixi, vnde & discant Dominicæ Passionis non obliuisci, & quas cogitationes, dum morituri eamdem effigiem aspicient, debeant exercere.

CAPVT LXI.

Quos DEVS maximè sinat sine pœnitentia, in peccatis suis, emori; & Magistratus punire debeat, ne ob eos communitas patiatur?

I.



Matth. 17. 4. OMNES, qui de cælo audiunt, vellent esse beati, dicuntque: *Bonum est, nos hîc esse*: sed non omnes volunt facere id, per quod fiant beati. Sicut omnes optant pacem, at non omnes volunt præstare id, per quod obtineant pacem. Is. 48. 22. *Non est pax impijs, dicit Dominus*, & tamen, qui pacem optant, non colunt pietatem. Ita & ad beatitudinem cælestem nullus potest pertingere peccator, sine pœnitentia, pœnitentiam

tamen

tamen agere pauci volunt. Immo quidam volunt, sed vel alternatim, vel vt simul & pœnitentiam agant, & suas sectentur voluptates. Quod fieri non posse, Christus clarè docuit, quando dixit: *Nemo potest duobus dominis seruire*, Deo scilicet & mundo, Matth. 6. 24. qui magis sibi contrarij sunt, quàm ignis & aqua. Deus enim ait: *Beati qui lugent*, mundus vocat beatos qui gaudent, Deus ait: *Væ qui ridetis*, mundus ait: Væ, qui fletis. Deus ait: *Si* Luc. 9. 23. *quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Mundus dicit: *Venite, & fruamur bonis,* Sapi. 2. 6. *quæ sunt, & vtamur creatura tamquam in juuentute celeriter. Vino pretioso & vnguento nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Denique Deus per arctam, mundus per latam homines viam & portam ducit; ille sursum, iste deorsum. Itaque qui toti sunt in carne, toti natant in voluptate, ita excæcantur, vt rectum cæli iter non videant, itaque duri fiant, vt nullis pœnitentiæ lachrymis molliantur.

Hoc in exemplo certissimo, & satis recenti docebo, quod II.
Anno Christi 1633. is retulit, qui à prologo vsque ad epilogum totam tragœdiam coram spectauit, & ipse dramatis pars magna fuit, scriptoque rem comprehendit, è quo ego, bona fide, omnia percensebo. Ante paucos itaque annos, hac nostrâ ætate, Herbipoli in Franconia, inter Principis Ioannis Adolphi ab Ernberg Stipatores ephebus, sanguine nobilis, & familiæ suæ postremus fuit: ætate admodum adolescens, moribus ita suauis & affabilis, vt ab omnibus amaretur, eratque ita amico erga omnes vultu, vt etiam ipse videretur omnes amare. Commendabat illum etiam sublime ingenium, & singularis in litteris profectus. Nam in schola humanitatis, inter Musarum alumnos, primus erat. Neque illi vnicè dumtaxat omnis suorum spes, plurima maiorum cera incumbebat, sed etiam aliorum omnium in se oculos trahebat. Addebat & forma gratiam moribus. Nec virtus defuisset, si juuenilis ætas constantiæ se se deuinxisset, aut illecebris non succumberet, cerea in vitium. Flere lubet, quoties recordor, quàm multi innocentes Angeli in pessimos lurcones sint commutati. Et verò illa ipsa elegans forma, quæ juuenes commen-

commendat, præcipitat; vt dubites periculúmne illam, an donum oporteat appellare. Adolescens hic initio probè educatus, neque potator erat, neque aleator; &, quod mireris, neque otiator. Libenter enim litteris operam dabat, ad quas eum natura videbatur genuisse. Legere historiam, pangere carmen, occupatio illius erat, & recreatio. Neque rebus diuinis malè afficiebatur. In templo, cùm oraret, pietatis; in gymnasio, cùm disputaret, alacritatis & modestiæ erat exemplum. Quin & feminarum vitabat familiaritatem, tamquam virtutis & juuentutis pestem. Quamobrem, si quis egregium juuenem nominare vellet, Ernestum nominabat. Ita enim vocabatur adolescens. Cognomen, in familiæ honorem, satius est ignorari. Hic talis adolescens audite in qualem deuenerit Labyrinthum. Tam formosum, tam cautum juuenem nullus socius peruersus, nulla procax puella potuit seducere, potuit autem Stygius insidiator præcipitare. Quod hoc modo accidit. Erat tunc Herbipoli nobilis matrona, illi sanguine juncta. Hæc quodam cognationis jure, eum pro re nata sæpiùs è sua domo ad se vocauit, lauteque accepit. Placuit feminæ sermo, placuerunt mores, sed ante omnia placuit vultus adolescentis; & vt tantò magis omnia placerent, non defuit ex Orco spiritus libidinis, qui glis centem flammam & languidos ignes sufflaret. Quid fiditis, ô juuenes, alienis & ignotis, si proximæ vobis cognatæ vestræ insidiantur? Hæc non juuencula, non leuicula, non procax puella, sed, vt videbatur, grauis matrona, Sirenem egit. Itaque exquisitis prandijs eum, & dulci vino, verbísque vino dulcioribus paulatim inescauit, vt primùm plus adbibere, deinde etiam vino ciboque incalescere; paulò pòst etiam sermones de pulchra vxore ducenda libenter audire, tandem etiam salaces jocos, ac oscula amicitiæ admittere inciperet. Quid multa dicam? Cerea fuit ætas, flexa est, mollitaque, & tota denique illecebris irretita, factusque est adolescens mancipium & dæmonis, & voluptatis. Vsq; adeò nemo virtuti suæ, nemo moribus debet fidere. Nescit diu latere ignis: citò se aut fumo prodit, aut in flammam erumpit. Itaque & vitia animo concepta, dum crescunt, erumpunt, neque se possunt diu in occulto continere. Semen aliquamdiu

sub

sub terra latet, sed cum tempore se se exerit. Quin & vlcera ipsa tandem rumpuntur, ac saniem suam effundunt. Ita Ernestus iste, animo totus alius, externa tamen specie aliquamdiu talis permansit, qualis antè fuit. Studuit, orauit, modestiam exhibuit, sicut lychnus, qui aliquamdiu etiam extinctus calet. Et multi, prô dolor, sic fallunt, hypocritæ, laruati, palliati, sepulchra dealbata. Sed nihil fictum diuturnum. Plerumque se se sequuntur oculus & animus, atque *ex abundantia cordis, os loquitur.* Matth. 12. 34.
Igitur Ernestus quoque tandem cœpit fastidire libros, fugere labores, nauseare orationes, conqueri de prolixitate diuinorum officiorum; iamque crebriùs largiusque potitare; frequentiùs ludere, licentiùs loqui, inhonestiùs jocari, enimuerò siue pueros, siue puellas ipsâ ætate innocentes, impudicis manibus inuadere; atque ea agere, quibus leges ignem decreuerunt. Præcipuè autem cupidè veniebat ad suam cognatam, apud quam comessari, diutiusque commorari, quin & pernoctare sæpius amabat. Quæ omnia ijs, qui eum antè nouerant, vehementer displicuerunt. Illi autem, quorum officium erat, magiæ reos indagare, per torturas reorum longè de eo plura arcanioraque intellexerunt. Certis enim & pluribus indicijs deprehenderunt, eum se se dæmoni, quem ei cognata, suo loco, substituerat, mancipasse; choreis veneficorum sæpius interfuisse; homicidia perpetrasse; iamque complures seduxisse, atque eodem crimine implicuisse, cum quibus inierat familiaritatem. Itaque juuenis ille nobilis, familiæ vltimus, ingeniosus, doctus, antea modestus, temperans, & Angelus habitus; iam Veneris & diaboli mancipium, veneficus, homicida, & aliorum seductor fuit.

III. Nemo dicat, ob sua se peccata veniam ampliùs non posse impetrare; ideò neque orare, neque oculos ad cælum leuare se audere; quia quantacumque sit peccatorum vel magnitudo, vel multitudo, tamen maior est DEI bonitas & misericordia, quę est infinita; estque DEVS magis ad misericordiam, quàm ad vindictam pronus; *cui proprium est misereri semper & parcere.* Quod promisit, seruat. Promisit autem veniam, quisquis eam contrito corde petat. Nullus in eo sperauit, & confusus est; neminem despicit, nisi qui de eo desperat. Si DEVS peccatores non audiret,

Luc. 18. 13. ret, fruſtra Publicanus dixiſſet: *DEVS, propitius eſto mihi peccatori*; qui ob hanc orationem tamen juſtificatus eſt. Talis judex eſt Devs, vt non cogatur punire peccatores, vult veniam precibus à ſe exigi. Immò, vt exigamus, ipſe nos prouocat, jubet, Pſal. 49. 15. inſtigat: *Inuoca me in die tribulationis, & eruam te.* Ideò factus eſt homo, vt homines in eum magis confiderent; vt eorum judex, eorum fieret mediator & aduocatus; & errantem ouem humeris impoſitam reportaret. Mittit Angelos, Confeſſarios, Concionatores; ipſe *ſtat ad oſtium & pulſat*, & verè quoſdam compellit intrare. Quare nemo eſt tantus peccator, qui habeat excuſationem, quaſi pœnitentiam agere non potuiſſet. Si perit, ſuâ culpâ perit; non negligentiâ paſtoris. Bonum paſtorem habemus Christvm, nulli labori parcit; vigilat, attendit, omnia indagat, vt poſſit, quod amiſit, reperire. Videte enim, quomodo hanc errantem ouiculam quæſierit, & quantis modis ad caulam ſuam reuocârit. Iudices adoleſcentis miſeram vicem miſerati, Principi rem indicârunt, ab eo intellecturi, vnde ætatulæ huic, ac tam præſenti malo medicina fieri, & tam nobili ſanguini parci poſſet, ne tam præclara tantæ familiæ decora vnius ſanguine mergere, & tot inſignes auorum imagines, hâc vnâ velut ſpongiâ delere neceſſe foret. Et illi quidem hac mente rem Principi detexerunt, Deus autem juuenem ad viam ſalutis atque pœnitentiam voluit retrahere. Quanta hæc eſt Dei bonitas? Quis Rex, quis Princeps, quis dominus à ſubdito, & pauperculo grauiſſimè offenſus, prior, & vltro mittit ad offendentem, eique & veniam & pacem offert? & qui vel aliquid ſimile veniam vltro petentibus fecit Iulius Cæſar, quantum laudatus eſt ob clementiam à Cicerone? Non prior tamen Cæſar gratiam obtulit, ſed gratiam priùs flagitantibus conceſſit. At Devs tantę eſt benignitatis, vt etiam homines roget, ne diffidant de ſua bonitate. Quare non modò à conuerſis ſuam faciem non auertit, ſed etiam ad auerſos vltro ſe conuertit, eoſque ad conuerſionem cohortatur.
Ezech. 18 32. tur. *Et quare moriemini, domus Iſraël?* inquit, *reuertimini, &*
Ierem. 3. 1. *viuite.* Itemque: *Si dimiſerit vir vxorem ſuam, & recedens ab ea duxerit virum alterum: numquid reuertetur ad eam vltrà? numquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata*

cata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te.

IV. Hoc planè fecit in Ernesto adolescente, cuius abominabiles fornicationes voluit ad Ecclesiasticum Principem, ad Episcopum & Pastorem animæ illius idcirco deferri, vt eius curâ & industriâ mitissimis modis conuerteretur. Certè Princeps vt audijt, sublatis in cælum oculis, altùm ingemuit, illudque secum dixit: καὶ σὺ τέκνον; *etiamne tu, fili, vnus es è numero istorum? quē tantopere de virtute diligebam; quem tanti æstimabam de ingenio? cuius tot auorum & proauorum laudes & decora, tali fine terminantur?* Inter quas cogitationes non potuit vtique lachrymas cohibere, tanto impetu, quanto animi dolore ac miseratione prorumpentes. Mox igitur cœpit de remedio, non de supplicio consultare. Nam emendationem indoles, ætas, bonorum virorum zelus, & ante omnia, diuina bonitas promittebat. Factu optimū videbatur, vt juuenis, si extra carcerem & vincula interrogatus calamitatem suam fateretur, Religiosis curandus traderetur. Itum est ad illum, indicatum haberi de illo non leuia dumtaxat indicia, aut leuium hominum testimonia, sed certa argumenta: Principem autem velle erga eum esse clementem, neque mortem illius petere, sed correctionem; si quidem eam admitteret. Hic juuenis, conscientia ictus, erubuit, neque multùm tergiuersatus, ingenuè detexit, à qua, & quibus modis seductus esset; quot & quàm horrenda mala perpetrârit; ceterùm sibi pergratum fore, vt, si modus supersit, ea dæmonis mali seruitute liberetur. Indicatus est illi modus, & Principis jussu Patribus Societatis nostræ commissus est, qui id vnicè agere jubebantur, vt si fieri posset, ex hoc jam vstulato ligno adhuc Mercurium fabricarent, educerentque captum in pristinam libertatem. Patres nostri omnem suam operam, pro eo ac par erat, pollicentur; adolescentē domum suam ducunt, noctu diuque familiarem Collegij incolam diuinis rebus, prout ætas ferebat, assiduè exercent, & sacris amuletis, Agno Dei cereo, SS. Reliquijs, aquâ benedictâ, & alijs huiusmodi armis muniunt: ne eum Acheronticus veterator, manibus iniectis, foras in antiquam siluam, & ad montana Saturnalia rapere possit. Ob quam etiam caussam eius lateri semper è nostris,

ſtris vnus perdius & pernox adhærebat. Cum illo orabat, cum illo cœnabat. Eum ad templum ducebat, & reducebat. Illum de diuina miſericordia, de cæli præmijs, de inferorum pœnis, & de mendacijs ac fraudibus dæmonis cauendis inſtruebat. Accepit curam adoleſcens facilè, & ad omnia bona paratum animum ſæpius offerebat. Sed profectò nullum eſt curatu difficilius, quàm magiæ peccatum. Valde enim excæcat, conſuetudines inducit vehementes, occultum eſt admodum, & aduerſarium habet ſedulò vigilantem, ac potenter impugnantem. Itaq; & prędictus juuenis ſæpe ſui fuit immemor; cùm malus genius reuênit, (quod noctu plerumque factum eſt) perſuaſit ei, vt ſacra, quibus bene munitus erat, tantiſper ſeponeret: quo facto, eum è lecto raptum, ad nefandos iterum veneficorum conuentus, & diabolica tripudia duxit. Manè ante horam quartam, qua nos ſurgere ſolemus, eodem loco planè repoſuit; non ita tamen cautè ac tacitè, quin ſæpe vacuus lectus, & inconcinnus ſtrepitus à noſtro aduerteretur. Is ergo reducem puerum, manè ſciſcitatus, Vbi ea nocte fuiſſet, mirabilia intellexit. Puer enim rem, vt erat, cum lachrymis & dolore candidè narrauit, promiſitque ſemper meliora. Et verò etiam fecit. Sed non diu. Rurſus enim à Stygio lauernione inuitatus, ceſſit rurſus. Id toties factum eſt, vt nulla vera emendatio, ſed ludus & alternatio videretur, qua dies ad Deum, nox ad diabolum ſpectabat. Coacti ſunt igitur noſtri ſpem omnem quidquam proficiendi deponere. Vnde factum eſt, vt & PP. Franciſcani in eodem vires ſuas experiri vellent; quibus & traditus eſt: ſed eodem euentu. Ea propter ſignificatum eſt Principi, viros Religioſos & doctos exiſtimare, in adoleſcente hoc oleum & operam perdi. Inhorruit Princeps, & inter ſuſpiria, in omnem ſe partem verſauit. Cùm verò nihil ampliùs, quo juuari poſſet, occurreret, juſtitiæ amans mandauit judicibus, irent, & ſecundùm Iura ac leges decernerent. Verſata ergo fatali vrna, prodijt feralis ſententia, vt adoleſcens altero die capite minueretur. Quod vt ritè fieret, ad noſtros miſit Princeps, qui adoleſcentem, circa octauam matutinam in arcem deducendum, ad ſupremum ictum parare ſatagerent: præſtare, vt ſemel reſipiſcens ac pœnitens moriatur, quàm vt toties

ties

ties recidat, ac tandem cacodæmoni victoriam relinquat. Quòd si fictè ostendat, se esse pœnitentem, adhuc satius esse, vt solus pereat, quàm vt complures adhuc alios seducat. Certè sic justitiæ iri satisfactum, neque ob indulgentiam atq; conniuentiam, hoc crimen in commune Reip. exitium redundaturum. Vbi igitur, altero die, diluculauit, circa horam septimam, nostri (inter quos fuit eius adolescentis Præceptor, qui hæc scriptis mandauit) ad juuenem iuerunt, & quidem in plumis adhuc, sine omni cura & metu iacentem. Faustum ergo diem apprecati, *Quî viuis*, inquiunt, *Erneste? Bene*, respondet Ernestus. Et quia coram suo Præceptore illum puduit in lecto hærere, vestes poposcit; ijsque raptim indutus, ad nostros, *Bene*, inquit, *viuo PP. Numquid vultis? quî tam manè adestis?* Cui illi lachrymabili voce: *Nihil aliud, mi Erneste, nisi vt meliùs viuas. Quam viuis vitam, misera est. Ad meliorem animum erige. Deserenda illa est, & beata illa æternùm fruenda. Detestare priorem, & ad alienam te para, ad quam jam jam migrabis. Age nobiscum arcem pete. Præstat sponte ire, quàm duci; parêre, quàm cogi. Seruorum hoc est, illud generosorum.* Ernestus ad hoc nihil turbari, sed ac si noua quædam ex India acciperet, blandè subridens, *Bonus* ait, *Deus est, & benignus Dominus: Vos bono animo estote.* Et, cum dicto pallium sumens, intrepidus ad arcem cum illis ambulat. Eò vbi peruentum est, læto vultu locos omnes circumspexit. Hîc lusi, inquiens, ibi potaui, alibi saltaui: ibi seduxi duos, ibi hoc, ibi illud factum est. Erat in aula arcis conclaue quoddam, in quo mortis theatrum extructum, & nigro vndique panno fuerat obuelatum, illuc introductus adolescens, postquam triste pegma vidit, & seueros circumsedentes Rhadamantos, repentè mutatus, omnisque generositatis oblitus, cœpit subsistere, tremere, toto corpore concuti. Multus in ore pallor, frigidusque sudor per omnes artus ibat. Multoque magis vidit rem seriò agi, postquam accessit carnifex miseram victimam ad ferrum recipiendum denudaturus. Supremo hoc in discrimine adolescenti vox redijt, quâ recuperata, discurrere, fugere, clamitare miserum in modum cœpit: *Itáne ego adolescens, qui vix cœpi vitam, vitam amissurus sum? ita in tam ferrea fata sim natus, vt nullus clementiæ sit locus? Parcite ætatis flori,*

qui viri estis; parcite nobilissimæ, & de vobis ipsis tam bene meritæ familiæ, cuius ego vnicus superstes surculus. Vnico ictu quanta decora cadent, quot vulnera fient? Denique qua potuit vocis contentione, vociferatus est: Ergóne aliud nullum pro me occurrit remedium, quàm sterni? Ergo omnia obticuêre patrocinia, omnium obriguerunt linguæ? nec quisquam est, qui pro me oret? aut peroret? O me infelicem! Mouit ea res ad vnum omnes, & ita, vt nemo siccis oculis ampliùs adesse sustineret, judicesque ipsi consternati Principem adirent, & pro rei vita oratores fierent. Interim adolescens ad sua reducitur. Princeps omne negotium ampliùs expendit, ac post dies aliquot è suis mittit virum ætate prudentem, consilijs grauem, qui adolescenti persuadeat, vt sibi suæque saluti consulat, tandemque seriâ constantiâ flagitiosa commercia missa faciat, futurum, vt apud omnes, & ipsum adeò Principem antiquo loco sit. Sed interea & Satan suis rebus non defuit, qui omnis generis illecebris puerum penitus dementauit. Legato igitur ad se misso, *Obstupesco referre, mi Domine*, dixit: *Si tu vidisses, quæ ego vidi, idem fieres, qualis ego sum. Et, Si talis non essem, jam fierem.* Nimirum, vt huiusmodi homines etiam alij sæpe fassi sunt, postquam in manum magistratûs peruenerunt, *tunc diabolus nihil aliud satagit*, ait Grillandus, *nec laborat in alio, nisi in persuadendo, vt persistant in sententia & vsque in vita finem perseuerent.* Ad hoc nonnumquam illis fictum quoddam cælum ostendit. Ad hoc exustorum animas velut beatas repræsentat. Ad hoc promittit, si ducantur, si in ipso supplicij loco sint, se istorum corpora vel è laqueo & flamma palàm erepturum, vel phantasma substituturũ, vel effecturum, vt ignem penitus non sentiant. Quare, si mori illos contingat incendio, mortem illam cruciatûs expertem fore; sed migraturos ex huius vitæ miserijs, absque vllo supplicij sensu, in mirabilem quamdam futuræ vitæ beatitudinem, & illuc translatos dæmonibus similes fore, ijsdem viribus, opibus, scientia, potentia, voluptatibus, quibus (egregijs sanè) dæmones polleant, donandos. Sic fallit mendax. Hæc multaque alia Legatus, sed omnia frustra opposuit. Videns igitur se actum agere, Principi retulit, rem esse desperatam, juuenem obstinasse. Princeps ergo, misericordia in iram versa, omni spe deposita, mandauit,

Grilland de Sortileg. q. 7. n. 2.

dauit, vt irent ad justitiæ amussim; negotiumque peragerent. Instruitur rursus eadem, eodem in loco, lugubris scena: reducitur reus, qui inter duos è nostris ferale denuò theatrum alacris ascendit. Monetur, vt pœnitentiam agat: nihil sibi pœnitentiâ opus esse, ait. Mox tamen, vbi ab omnibus alijs conclamatum esse vidit, institit rursus clamores suos repetere, è manibus elabi, angulos & latebras quærere. Nostri ingerunt æternitatem; rogant, pœnam, pro suo merito, lubens acceptet; fore eam non solùm in satisfactionem pro peccatis, sed etiam ad maius incrementum gloriæ. Ille nihil talium audire, continuare clamores, lamentari mortem. Instant nostri, per IESV Christi sanguinem, per salutem eius, saltem peccata sua detestetur; actum esse de hac vita; illam beatiorem non negligendam; caueat, ne æternùm miser esse velit; superesse adhuc spem veniæ à Deo impetrandæ, ab hoc momento pendere vel tristem, vel beatam æternitatem. Sed surdo prorsus omnia canebantur. Iubent igitur judices, vt carnifex obseruet opportunitatem, quâ visâ, tragœdiæ finem decretorio ferro, quo possit modo optimo, imponat. Factum: nam puer sui inops, inter clamores, & discursationes, tandem sub ictum venit, ferrum accepit, & sine vllo doloris signo, vel alio pietatis argumento cecidit in terram. Vtinam non etiam in æternum rogum cecidisset!

V.

In hoc adolescente egregiè nobis huius mundi, & in eo pereuntium typus proponitur. 1. Cui fidamus, si tales flores degenerant? Immò quis sibi fidat, si tales audiat hominum mutationes? 2. Hinc facilè omnes possunt discere, quàm periculosa res sit, si juuenes cum feminis sint familiares. Nemo dicat, cognatas esse, ad quas scribat absentes, aut cum quibus ludat præsentibus. Domesticus ignis æquè potest incendia serere, atque alienus. Multi à sororibus, multi à suis proprijs matribus seducti fuerunt; sicut Adam ab Eua, Eua à diabolo seducta fuit. 3. Etsi solum fornicationis peccatum est satis magnum, tamen solum non manet. *Qui enim spernit modica, paulatim decidet:* (Eccli. 19. 1.) & vsu ipso crimen eleuante, etiam maiora audebit; sicut facilè de morbo in morbum venit, qui non occurrit venienti. Vt enim pij homines *de virtute eunt in virtutem:* (Psal. 83. 8.) ita impij semper

funt in defcenfu; & eft fæpe vnum peccatum alterius cauffa, fæpe etiam pœna. Itur, vt otium non fentiatur, vifitantur puellæ; fit confabulatio; rifus; bibitur; faltatur; peccatur. Pfal. 68. 28. *Appone iniquitatem fuper iniquitatem eorum*, ait Pfalmifta, *& non intrent in iuftitiam tuam.* Et Ofeas: Ofeæ. 4. 2. *Maledictum & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & fanguis fanguinem tetigit.* Hinc toties contingit, vt, more iuuenis iftius, libido cum muliere incipiatur, cum dæmone finiatur. Certè quifquis fcortatur, periculo fe fe exponit cum ipfo dæmone libidinandi. 2. Cor. 11. 14. Poteft enim & folet fe fe *in Angelum lucis transfigurare*, quantò magis in formam meretricis? Quo facto etfi non illico fit magus, quem diabolus fic decepit; habet tamen diabolus in eum magnam poteftatem alliciendi, terrendi, irretiendi. Videant igitur cui fe fe periculo exponant vel viri, vel feminæ fornicantes. Nam fi eò deuenerint, vt cum dæmone fub larua mulieris latente peccent, iam hamum vorarunt; illico fe deteget; illico homagium extorquebit. Quòd fi dæmoni malo femel homagium præftent, iam funt in Labyrintho, vnde educi non poffunt, nifi diuina quadam Ariadna; & fortibus vinculis tenentur, ficut huic puero accidit; quem impœnitentem quoque Princeps è medio fuftulit, ne in maledictionem incurreret, quam iuftitiæ negligens magiftratus habet metuendam.

VI. Neque enim magis ac veneficis prodeft tantùm, fi viâ iuftitiæ aut impediantur à fceleribus accumulandis, atque thefaurizandis fibi fupplicijs inferorum, aut falcem euadant miferrimum cacodæmonis iugum, (nam etfi verè pœnitentiam agant, tamen totâ vitâ fuâ impugnantur, & infidias patiuntur, & rari funt, qui non iterum, iterumque, & fæpe fæpius relabantur, mortis autem fupplicio, & multa luunt, & tentationes effugiunt) verùm ipfe magiftratus quoque, etfi charos, & commendatos, etfi confanguineos nôrit diabolo auctoratos, quorum prô dolor nimia eft vbique multitudo, diuinis & humanis legibus obftringitur, vt in eos inquirat, conuictos damnet, ne fe damnet, ne Rempublicam vindictæ diuinæ obijciat. Reis certè melius eft hîc vri, & hîc fecari, quàm æternis flammis addici. Hic rogus tolerabilior eft, quàm infernus. Magiftratui autem

zelum

zelum inijcere debet, quòd & communitati vtile sit, remoueri ex ea homines veneficos, impios, perniciosos, qui illud horrendum sacramentum Orco dixerunt, quòd velint ad nocendum hominibus & pecoribus semper esse intenti & vigilantes; quiq; non solùm propria malitia, sed etiam damnati spiritûs suggestione, mandatis, verberibus & plagis aguntur, ad alios in idem flagitium pelliciendos; ad ciendas tempestates; ad grandines & fulmina elicienda; ad segetes inficiendas; ad infantes effodiendos; ad impediendum matrimonij vsum; ad procurandos abortus; ad omnis generis morbos mortésq; equis & vaccis, hominibus & bestijs procurandas; ad infandas libidines exercendas; ad ignominias maximas hostiæ sacræ, Christo, Diuis omnibus inferendas. Denique nullum est malum, quod ab his non perpetretur. DEVM ipsum abjurant, eiusque loco spiritum immundissimum pro Deo suo colunt, adorant, venerantur. Herodes, eos, qui illum obscuris natalibus oriundum dixerunt, jussit necari. Reges, & Imperatores, si quispiam vel verbulo eorum lædat maiestatem, quàm retinentes sunt suæ authoritatis? quàm accuratè jubent testes audiri, & colligi documenta? quæ si habeantur, parata sunt supplicia, stant cruces, expectat gladius, patent exilia, & prompti sunt omnes ad puniendum ministri; at verò, si Proserpina, si Hecate, si in vota vocatur crudelissimus humani generis inimicus, si procumbitur ante fallacissimum promissorem, & mendacij patrem, dicentem: *Hæc* Matth. 4. 9. *omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me*; si Plutoni Stygio sacrificia offeruntur; si diabolus in æternæ majestatis throno collocatur; nemo est, qui vindicet, nemo qui illatam Numini injuriam puniat. Pauperculo, & fame presso, si furetur, certa est furca, laqueum non euadit; at venefico impunè est, si colonis messes ex agro, vicinis pecora è stabulo, amicissimis quibusque sanitatem & vitam, Deo ipsi honorem & gloriam furetur.

Hæc crimina aliqui molli brachio persequuntur; aliqui VII. tamquam occulta censent negligenda; nonnulli etiam putant, ob pericula innocentibus impendentia, puniri non posse. Neque enim desunt sagarum aduocati, vel quia coniugibus suis & cognatis metuunt; vel quia suammet caussam agunt, rogumque

ipsi

ipsi timent, si proximus ardeat Vcalegon. Hi, quoniam crimen ipsum palàm defendere non possunt, nec audent, tortis legum interpretationibus, intricatis processuum difficultatibus, imperitorum quorumdam judicum erroribus, maleficos ita muniũt, vt eos aggredi, quæstioni subijcere, aut damnare non audeant, Zelosi aliàs, & justitiæ amantes magistratus. Audiant hi, quid Franconiæ dux erga ephebum; erga tam charum ephebum, erga tantæ nobilitatis vltimam stirpem decreuerit; audiant, & imi-
Deuter. 18. 9. tentur. Audiant ipsam diuinam legem Israëlitis datam: *Quando ingressus fueris Terram, quam Dominus DEVS tuus dabit tibi, caue ne imitari velis abominationes illarum gentium: nec inueniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam ducens per ignem: aut qui ariolos sciscitetur, & obseruet somnia atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat, nec diuinos, aut quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter huiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo. Perfectus eris, & absq; macula cum Domino DEO tuo. Gentes istæ, quarum possidebis terram, augures & diuinos audiunt: tu autem à Domino DEO tuo aliter institutus es.* Vbi seriò expendendum est, quod dicitur: *Et propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo.* Ecce quot gentes deletæ sunt, propter eos, qui dæmonibus seruierunt. Quod ipsis
4. Reg. 17. 16. quoque Israëlitis euenit, quando *dereliquerunt omnia præcepta Domini DEI sui: feceruntq; sibi conflatiles duos vitulos, & lucos, & adorauerunt vniuersam militiam cæli: seruieruntq; Baal, & consecrauerunt filios suos, & filias suas per ignem: & diuinationibus inseruiebant, & augurijs: & tradiderunt se, vt facerent malum coram Domino, vt irritarent eum. Iratusq; est Dominus vehementer Israëli, & abstulit eos à conspectu suo, & non remansit nisi tribus Iudæ tantummodo. Sed nec ipse Iuda custodiuit mandata Domini DEI sui: verùm ambulauit in erroribus Israël, quos operatus fuerat.* Ita serpit hoc malum, contagio quodam. Propagata est autem cum peccato etiam pœna peccati. Quid postea acciderit Manassi,
4. Reg. 21. 11. recenset sacer codex in hunc modum. *Quia fecit Manasses rex Iuda abominationes istas pessimas, super omnia, quæ fecerunt Amorrhæi ante eum, & peccare fecit etiam Iudam in immunditijs suis: propterea hæc dicit Dominus DEVS Israël: Ecce ego inducam mala super*

super Ierusalem, & Iudam: vt quicumque audierit, tinniant ambæ aures eius. Et extendam super Ierusalem funiculum Samariæ, & pondus domûs Achab: & delebo Ierusalem, sicut deleri solent tabulæ: & delens vertam, & ducam crebriùs stylum super faciem eius. Quid mirum, si, ob eadem scelera, nunc quoque eadem supplicia decernantur? Eant igitur, qui ad clauum sedent, & mala hæc publica vel patiantur, vel tollant; vt valeat apud eos lex illa: *Vir,* Leuit. 20. 27. *siue mulier, in quibus pythonicus, vel diuinationis fuerit spiritus, morte moriantur.*

VIII. Hæc idcirco exaggeratiùs fuerunt explicanda, quia inter grauissimas tentationes hæc non est minima, quæ ipsos Magistratus, ipsos Principes pulsat, vt cum sceleratissima hominum fæce conniuentiùs agant, vel quia desunt ministri; vel quia sumptibus parcunt (qui tamen ex fisco possent haberi plerumq;) vel quia difficultate terrentur exequendi. Est enim difficile negotium agere cum veneficis, & eorum magistris diabolis. Quosdam propria conscientia absterret; timent enim vel sibi, vel suis. Et quàm pauci sunt in magistratu, qui de hac iustitia à se omissa pœnitentiam agant; immò, qui hanc iniquitatem suam confiteantur? Atque hæc est prima classis eorum, qui sine pœnitentia moriuntur; quia enim plurimi putant, liberum sibi esse, vel punire, vel conniuere, neque peccatum quidem censent esse, officij sui neglectum, si magos & sagas relinquant impunitos. Pauperculi fures, quos inopia & fames ad clependum adegit, collo luunt, quod manu peccauerunt, coguntúrque ipsi fieri longi, si longos digitos habuerunt: & isti grandinum, tempestatumque coactores, isti tot homicidiorum & sacrilegiorum patratores, sine pœna sinuntur in homines & pecudes grassari? Quis non videat, eorum esse fautores, socios, & cooperatores, quorum officium esset, eos è medio tollere? Quando autem hoc peccatum agnoscunt? quando confitentur? Dissimulat quidem hoc Devs, dum viuunt, & expectat, donec ad illius tribunal ipsi Iudices veniant. Vnde ait: *Cùm accepero tempus, ego iustitias judicabo.* Psal. 74. 3. Altera classis eorum, qui sæpius sine pœnitentia hinc emigrant, est ipsorum veneficorum. Tametsi enim nec dici debeat, nec credi, magos & magas numquam pœnitentiam agere, cùm de S. Cypria-

Cypriano, & Theophilo, perspicua exempla contraria habeantur; rara tamen admodum ea sunt exempla. Quia hoc hominum genus longa consuetudine flagitiorum excæcatur & induratur, vt salutaria nec videat, nec sentiat. Et sanè malitia abiurantium Deum, & Diuos omnes cælites, meretur etiam à Deo & Diuorum patrocinio deseri. Et quamuis nonnulli, maximè cùm in manum & gladium magistratûs incidunt, pœnitentiam agant, à Confessario diligenter vigilante inducti: multi tamen etiam tunc tantùm simulant pœnitentiam, vt saltem in oculis hominum bene mori videantur, hypocrisi nimiùm assueti. Ad

Matth. 12. 31. hos accommodari potest illud: *Omne peccatum, & blasphemia remittetur hominibus, Spiritûs autem blasphemia non remittetur. Et quicumq; dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in*

Marc. 3. 29 & Luc. 12. 10. *hoc sæculo, neque in futuro.* Itaque *Spiritûs blasphemia,* est blasphemia in Spiritum S. Ex quo loco nascitur quæstio, qua S. Augustinus nullã censet esse, in sacra Scriptura, maiorem. Quid enim est peccatum contra Spiritum S. aut quomodo nec in hoc, nec in altero sęculo remittitur? Idem S. Augustinus aliquando peccatum contra Spiritum S. dicit, esse finalem impœnitentiam: aliquando ait, in Spiritum S. peccare eum, qui in Ecclesia remitti peccata non credens contemnit tantam diuini muneris largitatem, & in hac obstinatione mentis diem claudit extremum: aliquando desperationem indulgentiæ Dei vocat peccatum in Spiritum S. Hæc peccata sunt quidem contra Spiritum S. non sunt tamen blasphemia, de qua Christus loquitur, & quæ in contumeliosis verbis consistit. Vltimò, & ad mentem Christi hoc loco, peccatum in S. Spiritum docet esse, opera Spiritûs S. scienter dæmoni tribuere. Cùm enim Pharisæi dicerent, Christum in Beelzebub eijcere dæmonia, quæ ille in digito Dei, hoc est, in Spiritu S. eijciebat, manifestè opera Spiritûs S. dæmoni tribuebant, adeoque in Spiritum S. blasphemabant; vnde veniam non merebantur, quia nullam habebant excusationem. Itaque peccatum hoc in Spiritum S. numquam remittitur, non quòd remitti non possit (cùm fides doceat, nullum peccatum esse, quod à Deo remitti non possit) nec propterea, quòd de facto numquam remit-

S. Augustin. serm. 11. de verb. Dom.

S. Augustin. in qq. ex vtroque Testam. q. 102.

remittatur, sed quòd qui in Spiritum S. peccant, nullam ha- S. Athanas. hom. in hæc verba. S. Ambr. lib. 2. de pœnit. c. 4.
beant peccati excusationem, atque idcirco natura sua veniam
non mereantur, quemadmodum & venefici, qui mera malitia
Deum negant, & abiurant, etiamsi videant sanguinem è vulne-
rata à se hostia promicare. In alijs plerisque peccatis aut igno-
rantia, aut infirmitas, si non omnino, saltem aliqua ex parte ex-
cusat. Hinc illud legimus: *Misericordiam consecutus sum, quia* 1. Tim. 1. 13.
ignorans feci. Et: *Ipse cognouit figmentum nostrum, recordatus est,* Psal. 102. 14.
quoniam puluis sumus. Compendiosè, ad propositum nostrum
ait S. Chrysostomus, ideò dici hoc peccatum numquam remitti,
quia difficiliùs remittitur: sicut alibi Christus dixit, impossibile Matth. 19. 23.
esse, vt diues in regnum cælorum intret, non quòd Deo, sed
quòd natura sua sit impossibile.

IX. Tertia classis eorum, qui difficiliùs agunt pœnitentiam, ac
frequentiùs sine ea moriuntur, est Atheorum, Ethnicorum, Ido-
lolatrarum & Iudæorum, immò in hæresi etiam sua pertinaci-
ter permanentium. Quia *qui non credit, jam iudicatus est.* His Ioan. 3. 18.
accedit quarta classis in malo obstinatorum; & sunt nonnulli
adeò superbi, vt instar Luciferi & Angelorum eius flecti se non
sinant, ne, si peccatum suum retractent, errasse videantur. Quin-
ta classis est diuitum, qui opibus grauati plus habent impedi-
menti, quàm alij, præsertim si, ob iniustè possessa, ad restitutio-
nem teneantur, quam pecuniarum, sicut & famę restitutionem,
quia difficile est facere, multi pereunt. Haud frustra Ludouicus
Galliarum rex, quem Pium vocauerunt, dixit: *Molestissimum esse,* Ionuil. in vita cap. 94.
res ablatas iusto Domino restituere, ita enim agglutinatur pecunia,
& nominis ac famæ (quæ per honoris restitutionem periclita-
tur) amor, vt pars aliqua à corpore auelli videatur, si ventum sit
ad restitutionem. Quàm durum est, opes diu possessas, annuos
census, tot millia refundere, contrahere familiam, lautitias,
amittere sustentationem liberorum? Luculentissimum huius S. Antonin. 2. part. summæ cap. 7. § 3. tom. 1.
rei exemplum recenset S. Antoninus, alio à nobis loco memo-
randum; & aliud Cantipratanus: illud de patre, istud de matre
ob injusta bona filijs relicta, damnatis. Nobis hîc sufficiat id, Thom. Cantiprat. lib. 2. Apum. c. 54. n. 18.
quod Carolus Scribanius vir longa rerum tractatione, & difficil-
limis in mercatura quæstionibus exagitandis versatissimus pro

nuntia-

nuntiauit: *Tria potißimum flagitia homines in perniciem trahere: superbiam, luxuriam, & auaritiam; sic tamen, vt per Sacramentum pœnitentiæ ex 100. superbis facilè ad 50 ex 100. luxuriosis ad 80. ex 100. verò auaris, vix tres saluentur, idq; ob annexam restitutionem, quæ difficillima accidere solet.* Notum est autem illud: *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* His omnibus addo vltimam classem eorum, qui salutem suam flocci facientes, vel semper assuescunt in vetera peccata relabi, vnde & in vltimo agone, etiam confessi, in odium & vindictæ appetitum, in delectationem Veneream, in blasphemiam relabuntur; vel certè non curant, vt vigilantes aduentum Domini expectent, sed toto anno non confitentur, immò toto quinquennio, decennio, & tempore longiore. Hinc, sine pœnitentia, in fluminibus aut mari demerguntur; hinc in ebrietate lapsi ceruicem frangunt; hinc ferro vel plumbo traijciuntur, & repentina morte occupati, antè se æternùm damnatos, quàm ferè mortuos reperiunt. Cuius id culpa accidit? nonné ipsorummet? Nam Christus fideliter monuit: *Vigilate, quia nescitis, quâ horâ Dominus vester venturus sit.* Quæ monitio tantò attentiùs est obseruanda, quia etiam pijs, & doctis perseuerantia non est promissa.

S. Augustin. epist. ad Maced.

Matth. 24. 42.

CAPVT LXII.

Hominis docti & pij, sub mortem, à tentatione superati, meritò omnibus tremendum morituris exemplum proponitur.

I. IVBET nos Seruator monendo & corripiendo fratres nostros lucrari, quorum vnus, vt generosus equus filo, aut virgæ vmbrâ, vel nutu, vel verbo se sinit regi ab altero solo; alius qui, ne feratur in vitia, freno; atque vt ad virtutem impellatur, calcaribus indiget: ac, vt pertinacibus caballis progredi nolentibus ignis subijcitur, ita Acheronticis flammis est excitandus. Quare cùm illi vnus medicus non sufficiat, addit Christus; *Si autem te non audierit, adhibe adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum.* Quod & ego nunc faciam. Nam historiæ à me recensendæ, ac fidei illius

Matth. 18. 16.

lius, apud dubitantios, stabiliendæ, tres dabo testes, eosque integros, incorruptos, religiosos. Primus est Petrus Barocius Episcopus Paduanus, qui tres libros scripsit ediditque, de modis sese ad mortem præparandi, author æquè doctus ac pius. Alter testis est, Augustinus Viuus Augustinianum Ordinem professus, qui lingua italica librum de studio veræ sapientiæ in lucem misit; in quo etiam D. Antoninum citat, qui meritò pro tertio teste potest admitti. Hi si non sufficiunt, adduco testem quartum, omni exceptione maiorem, eminentissimum Cardinalem Robertum Bellarminum, qui non dubitauit eamdem historiam, tamquam verissimam, in exemplum, calamo describere, libroque suo inserere. Hos autem testes non eò tantùm collegi, vt rei authoritas concilietur; sed etiam, vt (quia singuli compendijs vtuntur, & alij alia omittunt, alij alia referunt) constet, quid scribant vniuersi, neque, quod apud vnum non reperitur, ego autem ex alio habeo, videar meo ingenio affinxisse. Quamquam, quod Tacitum aliosque profanos Authores video passim facere, atque meo instituto maximè seruit, mores & documenta ex officio sim additurus. Historiam igitur ordior, quâ docentur morientes esse cautiores.

Petr. Baroc. lib. 2. de præparat. ad morrem.

Augustin. Viuus de studio veræ Sapientiæ. part. 4. cap. 9.

Bellarm. l. 2. de arte bene moriendi. cap. 9.

Paduæ, in celeberrima tunc Academia, aliquando, inter varios atque insignes, tum studiosos, tum Professores, duo maximè viri eminuerunt. Quatuor sunt, quæ in Academijs faciunt eminentes, diligentia, ingenium, eruditio, & pietas. Habeat ingenium aliquis, sicut Aristoteles; si desit diligentia, erit sicut gleba bona, sed inarata, in qua, vice frugum, spinæ crescent. Sit in aliquo diligentia, qualis in Cleanthe fuit; si careat ingenio, erit sicut qui domum ædificat in arena, aut sine fundamento; dies, & annos, oleum & operam perdet. In his duobus viris vtrumque fuit coniunctum, vt ingenium diligentia excoleret, & industria in saxis non seminaret. Quare neque fructus fuit desideratus. Nam, vt plerumque fit, eruditio respondit labori. Sicut enim militis præstantia, in congressu cum hoste se se exerit, ita istorum doctrina eluxit in publicis actibus Academiæ. Nemo illis acutiùs, nemo clariùs disputauit. Illorum aduentu omnes exhilarabantur; illorum argumentis omnes doceban- II.

cebantur; adeò, vt, Petro Barocio teste, communi fama diceretur, non posse excellentiores, in tota Vniuersitate, reperiri disputatores. Quid est autem doctrina sine virtute? Gladius in manu furiosi; dens fulmineus in ore apri; telum ad nocendum, non ad defendendum emptum. Virtutis expers, si sit doctus, est armata impietas; mel in veneno. At non tales erant isti, & pia eruditione, & docta virtute, apud omnes, clari. Nam, inter multas atque eximias virtutes, singulari pietate & vrbem, & Academiam illuminabant; neque vspiam, nisi aut in templo, inter rem sacram; aut in Lycéo, inter Doctores; aut in Musæo domi inter libros conspiciebantur. Hos similitudo ingenij, doctrinæ, & morum facilè conciliabat; vt nulli ijs essent, inter se se, amiciores. Solo domicilio disiungebantur; cetera omnia erant illis communia, libri, sermones, mensa. Dixisses, in duplici vultu, tamquam in Iano quodam, vnum animum habitare. Dixisses Pyladem & Orestem conuenisse. Dixisses Castorem & Pollucem ex eodem ouo prodijsse. Dulcis res est amicitia, sed quò dulcior est coniunctio cum amico, eò amarior iactura, si ab eo separeris. Quod etiam his contigit; nam quos nulla suspicio, nullus susurro, lis nulla vmquam sejunxit, mors diuulsit, quæ vnum eorum rapuit. Luctum tamen superstitis mitigauit, memoria innocentiæ, & vitæ, in defuncto, æternâ gloriâ dignę. Quid enim non sperare iubeat, tanta precum assiduitas? castimonia? rerum diuinarum amor? ac denique mors ipsa talis, qualis à quolibet Christiano esset optanda; si, quæ oculis cerni possunt, aspiciantur. Nam omnibus vtique Sacramentis diuinis munitus decessit; siquidem peccata confessione diluit, ad futurum iter viatico, ad luctam agonemque extremum oleo sacro instructus. Ob hæc talia sodalis illius credidit, animam eius ex ore ad cælum, rectis lineis, euolasse. Nec sodalis dumtaxat, sed ceteri quoque omnes eiusdem opinionis extiterunt. O tremenda Dei judicia! cùm is, qui in vita relictus erat, domi, in sua Bibliotheca, solus sederet, diuinisque litteris operam daret perscrutandis (erat enim Theologus) adfuit inopinatò defunctus solâ facie noscendus; & veste: nam

Eosdem

Eosdem habuit secum, quibus est elatus amictus:
Eosdem oculos; lateri vestis adusta fuit.

Quid dico, adusta? flammis vndique, velut è furno erumpentibus, incendiaque longè & latè spargentibus formidanda. Externauit videntem tam miserandi amici spectrum, diuque metu obmutuit. Sed tandem, remigrante animo, desiderioque succurrendi, *Effare*, inquit, *amicorum optime, quænam ista facies? aut quæ caussa tam dira patiendi? & quousque se se hi tui cruciatus extendent? quisue te tuis supplicijs eripiendi est modus? quæ ratio? si eleemosynis potes juuari; si leuari precibus; si liberari jeiunijs; si curari peregrinationibus sacris, indica; nullis pecunijs parcam; noctes diesque pro te DEVM precabor; pane & aqua contentus vitam trabam; ad limina Apostolorum; ad D. Iacobum, ad Domini nostri sepulchrum, trans ipsa maria, proficiscar. Amaui te semper, amorem meum mors tua non extinxit: nec terminus vllus mea positus est charitati.* Hæc vbi dixit: alto suspirio ignitus Spiritus ingemiscens in eiuscemodi verba, lamentabili voce, erupit: *Omitte eleemosynas, pro me effundere; preces tuas, ac jeiunia tua tibi serua; nihil efficies, si vsq; ad vtramque pro me Indiam fueris peregrinatus. In eo statu sum, vt hac omnia nihil me ampliùs possint juuare. A justo judice DEO, ad atrocissimos ignes damnatus sum; quorum tamen omnium atrocitatem tolerabilem arbitrarer, si, post mille eos saltem annos, sperarem finiendos. Si calidioris, in æstate, solis flagrantiam censes omnibus modis vitandam, cogita, quid sint mille in ignibus anni? Et tamen hos patienter ferrem. Quid dicam, mille annos? Nosti quid dicat Christus: Ite maledicti in ignem æternum. Nescit hic ignis finem. Tam diu durabit, quàm diu DEVS erit. Adeò extenditur, vt si damnatus totis mille annis vel vnicam lachrymulam funderet, plus aquarum effusurus esset, quàm à condito orbe, per Paduam descendit; quàm Oceanus occupat; quàm ipsum totum hoc Vniuersum vsque ad firmamentum posset continere. Æternum, æternum! sola hæc æternitas, res est adeò formidabilis, vt, si omnis illius pœna non maior esset, quàm muscæ morsus, tamen intolerabilis esset. Nunc cùm ignis ibi & omnis confluat cruciatus, meritò præ illo eligenda essent omnia huius vitæ tormenta. Quisquis hic miser est, ad breue tempus miser est: quisquis in inferno miser est, æternùm est miser:*

Matth. 25.
Ludouic. Granat. lib 1. Ducis pecc. art. 10.

ser: sine fine est miser, miserrimè est miser. Postquam ibi aliquis mille annis fuit excruciatus, nondum est finis: immò postquam millies mille annis fuerit tortus, nihil adhuc ademptum erit de æternitate. O æternitas! ô æterna æternitas, quàm longa es? quàm raró ab hominibus expenderis? Quis te verbis potest explicare, ô æternitas? Cogita mille annos; cogita millies mille annos; cogita tot annos, quot temporum momenta, à condito orbe, ad interitum eius fuerunt & erunt, adhuc nihil erunt cum æternitate comparata. Fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum. Quid est, in sæcula sæculorum? Vellem dicere, non possum dicere. Quàm diu DEVS DEVS erit, erunt & illa tormenta, quæ verbis explicari, aut mente concipi satis numquam possunt. Væ nobis nunc & in perpetuum: væ nobis, qui nati sumus, & mori non possumus. Mors hæc est sine morte; finis sine fine; vita sine vita; quia à DEO, & ab æterna vita separata est; separata ab Angelorum & Beatorum omnium societate; conjuncta cum diabolis & omnibus damnatis. Vbi æternus dolor; æternum væ; æternus stridor dentium; æternum pœnitere; æternus clamor, nemine exaudiente: æterna desperatio. Nam si vel vllus Arithmeticus posset tantum numerum reperire, qui pœnam nostram terminaret; iam summo nos gaudio afficeret: sed post centum millia millionum non finientur anni æternitatis. Si tot milliones essent, quot arenæ maris, tamen finis posset sperari: nunc etiam post tot annorum milliones, nihil adhuc demptum erit de rota nostræ æternitatis. Si nobis à DEO concederetur, vel ipsi Mundo par mons, aut etiam ipsum cælum excedens, de quo, post decies centies millies annos, auicula arenulam minutissimam, quæ vel decima milij pars esset, auferre posset; speraremus tandem, montem, & cum eo pœnam nostram exhaustum iri; & magnas DEO gratias ageremus. Sed actum est. In ignem æternum missi sumus. Heu mihi, heu mihi!

Adamus Sasbout. hõ. Dom. I. Quadrag.

Apoc. 14. 11.

III. Hoc tam terrifico supplicio audito, absque dubio Lector, cum damnati istius amico, scire volet caussam damnationis. Quam damnatus disertè exposuit, sed vt diuinæ justitiæ vis tanto clariùs intelligatur, aliquid præfandum mihi est de tentatione. Elicuit Moyses è petra Horeb aquam, *& vocauit nomen loci illius Tentatio, propter iurgium filiorum Israël, & quia tentauerunt Dominum, dicentes: Estné Dominus in nobis, an non?* Totus Mundus

Exod. 17. 7.

dus dici potest *Tentatio*, ob duas caussas. 1: quia in eo omnia
sunt tentatione plena. Vnde S. Antonius vidit omnia laqueis &
retibus obducta, dixitque, *Quis euadet laqueos istos?* & ipsa scri-
ptura ait: *In medio laqueorum ingredieris.* 2. Quia cùm tanta sit Eccli. 9. 20.
ignorantia mortalium, videntes has tentationes, *tentant Domi-
num, dicentes: Estné Dominus in nobis, an non?* & iniquum putant
esse, quòd tentationes permittat? At æquitas huius permissionis
in caussis reperitur. 1. Nullus decernitur triumphus sine victo-
ria; nulla victoria obtinetur, sine pugna. Pugnandum est, vt
vincas; vincendum, vt triumphes. Quoniam ergo *militia est vi-* Iob. 7. 1.
ta hominis super terram, instituta ad æternos triumphos prome-
rendos, necesse est pugnare, & vincere tentationes: quas etiam
diuina sapientia permittit, vt orando ad eius auxilium confu-
giamus, & quotidie dicamus: *Ne nos inducas in tentationem*: vt Matth. 6. 13.
gratiæ diuinæ efficacitas magis eluceat; vt virtus exerceatur; vt
merita vincentium cumulentur; vt cautiùs ambulemus: vt alijs
compati discamus, sicut & ipse Christus *tentatus est, vt infirmi-* Hebr. 4. 15.
tatibus nostris compateretur: vt nos virtute, contra tentationes,
armaremus, easque oratione & jeiunio præueniremus, quibus
modis & Christus eas præuenit, in deserto, & discipulos suos do-
cuit esse præueniendas, dum dixit: esse *genus dæmoniorum, quod* Matth. 17. 20.
non nisi jeiunio & oratione pellatur. 2. Duce in acie versante,
turpe est militi pugnam detrectare. Si ergo Christus, non tan- Matth. 4.
tùm tribus illis vicibus, per tres externas & spectabiles tentatio- Marc. 1. 13.
nes, sed etiam inuisibili modo, quadraginta dierum decursu va- Luc. 4. 2.
riè fuit tentatus, vt ex S. Marco & Luca aduertit D. Thomas: D. Thom.
quis nostrûm se putet aut immunem esse debere, aut securiorem? 3. p. q. 1. a. 3. ad 2.
3. Hinc ipsi Angeli in cælo tentati, quàm gloriosè vicerunt,
alijs cum dedecore cadentibus? Hinc Abraham, Isaac, Iacob
quot pugnas habuerunt? quis non laudat Iosephum, à fratribus
primò, à Putipharis vxore postea, hoc est, à domina sua tenta-
tum grauissimè, sed gloriosè vincentem? quàm insigne est exem-
plum Susannæ? vicit tentationem, etiam præsentissimæ mortis
infamissimæ periculo spreto. Est & in Paulo exemplum, cui *datus* 2. Cor. 12. 7.
stimulus carnis, sed *sufficit gratia Dei.* 4. Igitur, longè securiùs,
sub Christi vexillo, militatur, quàm sub quocumque peritissimo
belli

belli duce, aut Alexandro. Si miles certus esset, sub hoc aut illo duce, se toties vincere posse, quoties ipse vellet, quàm libenter, sub tali duce stipendia faceret? at nullus alius dux potest eam virtutem militi suo dare: solus Deus potest, & vult dare, & dat:
1. Cor. 10. 13. *qui non patietur nos tentari supra id, quod ferre possumus: sed faciet*
S. Basil. in Const. Mo. nast. cap. 2. *etiam cum tentatione prouentum, quia fidelis est.* Et D. Basilius ait: *Qui à Deo se optat juuari, is numquam deserit, quod se addecet officium suum; qui autem hoc facit, is diuino auxilio numquam destituitur. Quapropter danda in eo opera est, ne vlla in re conscientia nostra*
Tob. 2. 12. & 12. 13. *nos condemnet.* 5. Permittit tentationem, non solùm, vt Iobum aut Tobiam, velut aurum in fornace probet & purget; sed etiam quia multi, sua culpa aut contumacia merentur, vt *propterea*
Rom. 1. 26. *tradat illos Deus in passiones ignominiæ.*

IV. Ob has caussas, supradictus damnatus, se quoque permissum tentari dixit. *Cùm jam essem in extremis,* inquiebat, *venit ad me tentator, & quia sciuit me Theologum* (nam & iste Theologus erat) *excellentem esse, interrogauit me, quid crederem? Respondi, me credere, quod in symbolo fidei doceretur. Mox ille institit, vt quosdam ei articulos obscuriores explicarem. Parüi, & Apostolorum symbolum, per symbolum S. Athanasij sum interpretatus. Haud enim clariùs exponi posse arbitrabar. Sed ille nō acquiescens ait; Non est ita: non enim Deus tam diu Pater, quàm diu Deus fuit; sed priùs Deus, & postea Pater extitit. Exclamaui,* ait damnatus, *& protestatus sum hanc hæreticam simul & diabolicam esse doctrinam. Ad quæ satan: Non clamoribus, ait, sed argumentis est agendum, si ad veritatem quis velit peruenire. Quid ego hîc sentiam, facilè exponam; ad quæ si mihi responderis solidè, magno me errore liberabis.* Hîc jam cognoscite, quò, scientiâ inflatum, superbia ducat. Coactus est enim damnatus ipse suam socio damnationem eiusque caussam indicare, in hunc sensum. *Quia, dum viuerem, nullius formidaui disputatoris congressum, persuasi mihi, ita me esse versatum, vt vel cum ipso cacodæmone possem ac auderem de SS. Trinitate disputare, non secus ac cum homine quouis. Ille autem gryphis ac sophismatis suis ita in me Scripturas sacras, ita rationes versutas, ita intricata argumenta contorsit; vt paulatim dubitare inciperem, ac demum in eum præcipitatus sim errorem, vt neq; Filium ampliùs, neq; Spiritum sanctum, crederem*

derem esse Deum. Ita seductum mors oppreßit; & diuino stitit tribunali; vbi tamquam hæreticus æternæ damnationis sententiam, à justissimo judice accepi. Dixit, & ex oculis amici euanuit.

V. Qua in re se diuina bonitas patefecit: nam, quæ Epuloni illi non concessit, vt ex mortuis vnus ad quinque illius fratres mitteretur; hunc ex ipso Orco ad socium misit, qui admoneret. Vbi & illud ferè impletum est; *Dico vobis: in illa nocte erunt duo in lecto vno; vnus assumetur, & alter relinquetur;* (Luc. 17. 34.) vt relictus sit stimulus assumpti. Quippe superstes alter, partim socij jacturâ, partim spectri tam diri supplicio ac confessione perculsus, rem non solùm secum, sed etiam cum intimis quibusque amicorum consultandam ratus, communi omnium sententia statuit; fidem Ecclesiæ Catholicæ & renouandam animo, & exercitio assiduo iterandam. Paulò pòst cœpit & ipse ægrotare, in quo morbo etiam obijt diem suum. Sed & ad illum jam successu audacior venit cacodæmon, eumque interrogauit, quid crederet? Respondit, se credere, quod crederet mater Ecclesia. Instat hostis: Quid ergo credit mater Ecclesia? Respondit Ecclesiam credere, quod ipse; & se, quod Eccclesia crederet. Ita, præsentibus alijs, vsque ad extremum spiritum, velut per circulum, trahebat cacodæmonem. Paucis diebus elapsis eleganti forma, & vultu radioso beatus apparuit ijsdem suis amicis, atque illis pariter, pro salutari consilio, & Numini pro facta per damnatum admonitione gratias egit, Addit Augustinus Viuus, apparuisse & damnatum, ac deplorasse suam superbiam, quæ eum scientiâ fecerat potiùs atque ingenio niti, quàm fide & humilitate, qua hortatrice, Confessario & alijs, si tentationem detexisset, dæmonem vicisset. *Væ soli, quia, cùm ceciderit, non habet subleuantem se.* (Eccle. 4. 10.) Alter stetit, quia nixus Ecclesiæ authoritate fidem suam supra petram ædificauit. Sapuit iste alieno damno, vtinam & nos ita sapiamus! Nemo præsumat de ingenio, nemo de doctrina; nemo sibi aut diabolo nimium fidat. *Qui stat, videat ne cadat:* (1. Cor. 10. 12.) *oret ne intret in tentationem.* (Matth. 26. 41.) Qui vicerit, ei manna dabitur; &, sicut post victas tentationes Christo, Angeli ministrabunt. At prô dolor, eò deuentum est, vt paucissimi putent se tentari. Nemo periculosiùs tentatur, quàm qui nescit, se tentari: cauentur, quæ præuidentur,

dentur, plures trahit fossa occultata. Caussa est quòd tam multi non sentiant se tentari, quia malum ad quod trahuntur, bonū esse judicant, & semper consentiunt tentatori. Qui semper in frigore est, nihil frigoris sentit; at qui è calido balneo exit, vel auram etiam horret frigidiorem. Sic pij, & charitate æstuantes, sentiunt quidquid est cōtra Dei charitatem: illi autem, in quibus refrixit charitas, nihili faciunt quidquid demum offendat charitatem. Vbi dæmon sagis stigma suum impressit, nihil dolent, etiamsi ferrum illuc immergatur: ita, qui sunt diaboli, non æstimant diaboli plagas. Primum remedium est tentationis, agnoscere tentationes. Alterum, se ante pugnam exercere. Existimas, miser, te non tentari? Offert tibi orcus Mundum & gloriam eius; offert alta & honores; offert panes, immò carnes in quadragesima, & non tentaris? Deseris DEVM & homines vt conserues reputationem; iuras, peieras, vt decipias lucri caussa; & qui inhonestos motus ieiunijs frangere deberes, carnem carne pascis, vino irrigas; nec tamen putas te tentari? Nulla dies, nulla hora it sine tentatione, & non sentis te tentari? Certè vltimâ horâ non eris sine tentatore, tentabit Mundus, tentabit caro, tentabit diabolus, tentabit antiqua consuetudo. Quòd si ergo Theologus tam doctus, tam pius, est superatus, quid tibi in fide tentato continget, qui ita rudis es, vt nec scias, quid sit credendum, nec id legendo, audiendoué discere sustineas? quid tunc facies miser, cùm spurcæ suggerentur cogitationes à carne; cùm vindicta & odium inimici in mentem venerit? cùm diabolus suggesserit desperationem; quibus iam non modò non assuescis resistere, sed vltrò annuis? Ah, miser, resipisce cum secundo Theologo, ne damneris cum primo.

CAPVT LXIII.

Quare DEVS alios, qui diu benè vixerunt, malè; alios, qui malè vixerunt, bene mori sinat?

I. CCVRRET hîc plerisque cupiditas audiendi, quamobrem nonnulli, qui diu sanctissimè vitam duxerunt, tandem tamen à DEO permissi sint labi in graue peccatum,

catum, aut etiam in ipsam desperationem, adeò, vt æternùm damnarentur? Nam quidam leguntur, post longam vitæ seuerissimæ sanctitatem, ex desperatione, etiam in puteos se conjecisse; quidam, DEI amore, viginti, triginta, quadraginta annis, in claustris abditi, se suspendisse: alij aliter seducti optimæ vitæ pessimum colophonem addidisse. Ad quid prodest igitur ab adolescentia jugum Domini portare, aut pondus diei & æstus sustinere? His respondendum est, paucissimos esse, quibus id legatur contigisse, vt post longam pœnitentiam, aut vitæ pietatem, mala morte cursum suum bonum terminârint. Sicut enim malam vitam plerumque mala mors sequitur, & apud Comicum dicitur:

Hi senes, nisi fuissent nihili iam inde ab adolescentia, Plaut. in Bacchidib. Epilogo.
Non hodie hoc tantum flagitium facerent canis capitibus.

Legi, relegi, ait S. Hieronymus, non vidi mala morte mortuum, qui vixerit benè. Et sanè vita ipsa solet esse præsagium mortis. Qualis vita, talis mors frequentissimè. Etsi enim aliqui saltem in fine pœnitentiam agant, & ad diuinam misericordiam recurrant, cum altero latrone Christi; tamen longè sunt pauciores, qui à DEO deficiant morituri, cui antea per omnem vitam adhæserunt. Respondent sibi plerumque morum itus, & exitus: & consuetudo viuendi, paradigma est moriendi. *Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. Quoniam, qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: qui autem seminauerit in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Itaque *bonum facientes, non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes.* Galat. 6. 8.

II.

Interea *non est homo securus à tentationibus totaliter, quàm diu vixerit: quia in nobis est, vnde tentamur, ex quo in concupiscentia nati sumus. Vna tentatione, seu tribulatione recedente, alia superuenit, & semper aliquid ad patiendum habebimus, nam bonum felicitatis nostræ perdidimus:* immò & securitatis bonum in hac vita non habemus. *Quidam in principio conuersionis suæ grauiores tentationes patiuntur; quidam autem in fine.* Itaque vniuersa hæc vita arena est, in quam descendimus, vt in ea, siue ad præmium, siue ad supplicium depugnemus. Omnia nostra negotia sunt, mereri, vel demereri, *Quàm diu in hac carne sumus,* ait S. Theodorus Thom. de Kemp. lib. 3. de Imit. c. 13. S. Theodorus

Studita. serm. 118. dorus Studita, *præsto est bellum: neq; enim fuerit virtus, nisi præsens sit bellum.* In bello autem quid est, nisi aut vincere, aut vinci? Nullo igitur tempore vult nos esse securos Devs, vt omni tempore vigilemus. Quare duobus malis prouidit; lapsis per eos, qui surrexerunt; stantibus per eos, qui ceciderunt. Idcirco enim in exitu, qandoque nonnullorum flagitiosissimorum hominum misertus est, eosque in gratiam recepit sub ipsum finem vitæ, vt spem omnibus faceret, ex quorumdam salute, qui flagitiosissimi cùm fuissent, tandem tamen resipuerunt. Horum casus non tantùm vtiles fuerunt ijs ipsis, sed etiam alijs, qui eorum exemplis animati ipsi quoque ad secundam hanc naufragij tabulam confugerunt. S. Augustin. lib. de nat. & grat. cap. 35. contr. Pelag. *Quorumdam sanè exempla*, ait S. Augustinus, *quos peccasse legimus, non ideò scripta dicit, qui sanum sapit, vt ad desperationem non peccandi valeant, & securitatem peccandi nobis quodammodo præbere videantur; sed vt disceremus vel pœnitendi humilitatem, vel etiam in talibus lapsibus non desperandam salutem.* Sicut ergo nonnulli, qui diu in sordibus jacuerunt, tandem ex illis, diuina gratia emergunt; vt nullus peccator dicat, se nimis diu in cœno scelerum suorum hæsisse, neque iam peccata relinquere atq; inde eluctari posse; cùm exempla contrarium demonstrent: ita etiam par fuit, vt à diuina prouidentia exempla esse sinerentur; ne quisquam de sua virtute præsumeret, quantumuis diu virtuti operam dedisset; sed vt *seruiret Domino cum timore*, juxta Psal. 2. 11. illud: *Qui se existimat stare, videat, ne cadat.* Facilè autem agno- 1. Cor. 10. 12. scet, se cadere posse, quisquis viderit, audiuerit, vel legerit, alios sui similes cecidisse. Id nos humiles facit, quod docet esse labiles. Vbi casus non timetur, nulla est incedendi solicitudo.

III. Fateor, tremendum est, & formidinem magnam inijcit nobis, si cogitamus, aliquos vsque ad supremam senectutem, Deo gratos amicosque extitisse, & tandem lapsos Acheronticis incendijs fuisse adjudicatos. Sed hoc ipsum Deo dignum, & diuinæ prouidentiæ conueniens est; quia facit, vt, semper sollicitè in diuino eius conspectu cauteque ambulemus; nec nos ipsos circumspiciamus, & nobis de magnis victorijs ipsi acclamemus; sed identidem cogitemus, nos cadere posse; sanctiores nobis cecidisse; ex nobis ipsis nihil esse, nihil valere, & *ad nihilum redigi* Psal. 72. 22. *posse,*

poſſe, vt, vnde orti ſumus, eò redeamus. *Ubi euidentiùs noſtra in-firmitas panditur, quàm hoc permiſſu? ex lapſu illius Monachi, qui illæſus ardentes prunas nudo calcauerat pede, fortaſſe ſalus pendebat S. Pachomij, S. Palæmonis, & plurimorum Monachorum, ſub Pa-chomij inſtitutione, ſanctiſſimorum. Inde humilior ipſe Pachomius, inde ardentior, & omnium virtutum magis ſtudioſus. Pauciſſimi tamen ſunt, qui in exitu vitæ pereunt, poſt veteranam pœnitentiam. Nam frequentiſſimum mortis archetypum videmus vitam: prout vi-nimus, morimur: apparatus enim noſtri exitûs, præcedens conuerſatio eſt. At omnium humilitas exigebat, vnius vel alterius periculo erudiri. Commune bonum poſtulabat, priuato capite inſtrui. Ideò aliqui in portu naufragium fecêre, ad ſalutem plurimorũ, ad diſciplinam timo-ris, ad eruditionem humilitatis, ad manifeſtationem ſupremæ DEI dominationis, ad oſtendendas miſericordiæ eius diuitias. Lapſus Memnonis plures inſtruxit, tum narratus ſimpliciter, tum à S. Theo-doro Studita inculcatus ſermone habito ad Monachos. Nec minùs Heronis cuiuſdam ruina, per quinquaginta annos ſanctiſſimi, vtilis multis fuit. Publicatum eius præcipitium multos detinuit. Nunc adhuc coërcet in humilitate, commendatum à Caſſiano in collatione ſecunda Abbatis Moyſis.*

Ioan. Euſeb. Nieremberg. In Theopolitico. p. 1. lib. 1. cap. 21.

IV.

Accedit his, etiam non raró Deo cauſſam dari ab illis, qui *cùm ſpiritu cœperint, carne conſummantur*. Multorum enim prin-cipia feruent, media tepent, quid mirum, ſi vltima frigent? Neque enim omnes *eunt de virtute in virtutem*, ſed multi putant, ſe ſe iam ſatis profeciſſe, nec progredi conantur in via perfectio-nis. Atqui in hac via non progredi, eſt regredi, quemadmodum contingit ijs, qui contra torrentem nituntur; niſi enim ſummâ vi aſcendant, ipſo vndarum impetu deorſum feruntur; ita, qui non cogitant pugnare ſemper contra vitia, carnem, & dæmo-nem, iam vitijs cedunt, carni obediunt, dæmoni ſuccumbunt. Quare aſſuetudine quadam res diuinas non tanti faciunt; tædio minuunt, fiducia quadam præteritorum meritorum omnino omittunt. An iniquum igitur, ſi Deus negligentes negligat, vel contemnentes contemnat? Nota erant opera Angeli, ſeu Epiſcopi Laodiciæ Eccleſiæ, cui ſcriptum eſt: *Quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.* Et ſi quis vult audire tepiditatis argu-

Galat. 3. 3.

Pſal. 83. 8.

Apoc. 3. 16.

argumentum, audiat, quid sequatur: *Quia dicis: Quòd diues sum, & locupletatus, & nullius egeo: & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Vt ergo scias, humiliandus
Iac. 4. 6. es; & quia Deus adeò *superbis resistit*, vt *neque Angelis* quidem in
Abdiæ. 4. cælo *peccantibus pepercerit*; *Si exaltatus fueris, vt aquila, & si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te.* Multi bonis operibus, multi meritis abundant; sed quia inde vel occulta superbia sibi placent, vel manifesta iactantia gloriantur, contingit
Luc. 18. 11. illis, quod Pharisæo euenit, Deo gratias agenti, *quòd non esset, sicut ceteri hominum, raptores, iniusti, adulteri: qui & ieiunabat bis in sabbato: decimas dabat omnium, quæ possidebat*; & tamen prælatus est ei publicanus pectus suum percutiens. In quam rem erit opportunum, ex Palladio Helenopolitano Episcopo, etiam ab Ruffino narratam historiam apponere.

V.
Pallad. c. 44. Ruffin. lib. 2. cap. 1. *Erat quidam Monachus, qui in propinqua solitudine degebat in spelunca, & omnem ostenderat exercitationē, & proprijs manibus panem sibi quærebat. Postquam autem permansit in orationibus, & profecit virtutibus, in seipso deinceps habuit fiduciam, fretus pulchro suæ vitæ instituto. Qui autem tentat, eum quoque, sicut Iob, expetijt ad tentandum: & ei vesperè præbet phantasiam formosæ mulieris errantis per solitudinem. Quæ cùm ostium reperisset apertum, ingressa est speluncam, & procumbens ad viri genua, petijt, vt sibi illic liceret quiescere, vtpote quòd nox eam apprehendisset. Ille autem, cùm eius esset misertus, quod quidem non debuit, eam admisit in speluncam: & de errore illam est percontatus. Illa verò & narrauit, & blanda ac fallacia verba inspersit, & sermonem diu cum eo protraxit. Eum autem sensim, nescio quomodo, pelliciebat ad amorem: pluraq; deinceps verba inter se conferunt, ridentq;, & subrident, eumq; ipsa multo sermone seduxit, & deinde contrectatione manus, & barbæ, & ceruicis, & tandem exercitatorem redegit in seruitutem. Cùm autem ille internis versaretur cogitationibus, deinde, vt quirem iam haberet in manibus, reputans opportunitatem, & voluptatis explendæ securitatem, cogitationi assentitur, & tentat cum ea habere consuetudinem, vt qui iam euasisset insipiens, & equus in feminas insaniens. Illa verò cùm repentè magna voce exclamasset, euasit euanescens ex eius manibus, non secus ac vmbra aliqua. Risus autem in aëre auditur multo-*

multorum dæmonum, qui ipsum increpabant, & in fraudem induxerant, & magna voce ad ipsum clamabant: Qui se exaltat, humiliabitur. Tu autem vsque ad cælos quidem es exaltatus, humiliatus verò es vsque ad abyssos. Exinde surgit manè nocturnum luctum attrahens: & cùm totum diem transegisset in lamentatione sua, desperatâ salute, quod non debuit, in Mundum reuersus est. Hoc est enim maligni spiritûs studium, vt quando quempiam irriserit, eum redigat ad insipientiam, vt non possit deinceps resurgere. Vnde, filij, non est nobis conducibilis propinqua vicis habitatio, neque mulierum collocutio, vt ex quibus oriatur memoria, quæ non potest deleri, quam ex visu attrahimus, & collocutione, sed neque debemus animum despondere, & nos ipsos detrudere ad desperationem. Iam enim ij quoq; qui non spem abjecerunt, non fuerunt priuati DEI misericordis clementiâ.

Aliqui tamen priuati sunt, qui, stantibus alijs, ceciderunt. VI.
Nam etsi gratiam habuêre sufficientem, qua & ipsi potuissent stare; si tamen habuissent efficacem, non cecidissent. Quare igitur vni potiùs, quàm alteri talis gratia, vel in vita, vel sub finem vitæ, datur? Duo latrones juxta Christum in cruce pependerunt: cur vnius Christus misertus est, vt peteret recipi in Paradisum; & non alterius? Quare *Esau Deus odio habuit, Iacob autem dilexit?* (Rom. 13. ex Malachiæ. 1.) Cur Petrum ad pœnitentiam vocauit, & non Iudam? Cur alij in fide Catholica, in pœnitentia, in ordine religioso perseuerant; alij autem fiunt desertores? Cur alij lapsi resurgunt, alij non resurgunt? Altissimum hoc prædestinationis arcanum rogatus B. Ægidius, respondit: *Sufficit mihi littus maris ad lauandum pedes, manus, & totum corpus.* D. Augustinus hoc inscrutabile existimauit. (S. Augustin. lib. 4. ad Bonifac. cap. 7.) Apostolus Paulus hanc quæstionem curiosè proponentibus respondit: *O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic?* (Rom. 9. 20.) Quin & ipse Paulus in hanc quæstionem ascendens, velut expauit, & exclamauit: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula, Amen.* (Rom. 11. 33.) Itaque si

verba illa, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui,* speciali prædestinationi & electioni accommodare libet, & interrogare, cur Petrus electus sit ad gloriam, Iudas autẽ reprobatus sit ad gehennam, ita licet accommodare: Ante præuisionem meritorum Petrum dilexi, id est, gratiam prædestinationis dedi; nimirum talem, cui videbam eum cooperaturum, perseueraturum, adeoque saluandum: Iudam verò odio habui, id est, gratiam non dedi talem, sed aliam, cum qua præuidebam eum non perseueraturum, sed casurum & damnandum; licet hoc non intenderem: quia seriò & sincerè dedi ei gratiam, sicut dedi Petro, intendens vt & ipse cooperaretur, & perseueraret, quod ipse tam facilè, ac Petrus facere poterat, si voluisset; sed præsciebam ipsum hoc non facturum, idque ex mera sua libertate. Quippe hæc præscientia futuræ vel non futuræ cooperationis & effectûs, distinguit gratiam prædestinationis, quæ datur electis, à gratia communi, quæ datur reprobis. Cùm itaque ista gratia prædestinationis non detur ex operibus, sed ex gratia, & liberali voluntate, proposito & intentione Dei, cur data est Petro, & non Iudæ? cur bono latroni, & non alteri?

VII. Respondet Apostolus: O alta profunditas, & *profunda altitudo diuitiarum!* quasi dicat, ô abyssalis & inscrutabilis misericordia, sapientia, & scientia Dei! Sunt enim *incomprehensibilia judicia eius,* & non vestigabiles *viæ,* seu consilia, modi, opera & rationes prouidentiæ *eius. Quis enim nouit sensum,* mentem, cogitationem, consilia *Domini?* Hinc abyssus humanæ miseriæ inuocat abyssum diuinæ misericordiæ, & abyssus humanæ ignorantiæ inuocat abyssum diuinæ scientiæ, & sapientiæ, vt ait S. Augustinus. Nemo enim est conscius consiliorum & arcanorum Dei. *Nemo prior dedit illi,* quare Deus nulli vllo jure aut titulo obstringitur: quia nihil ab illo accepit, quod priùs ipse illi non dederit. Quare cùm nulli quidquam debeat, non est iniustus, infidelis, aut ingratus, si vnum illuminet, & alium in sua cæcitate relinquat. Cur igitur iste gratiam efficacem conuersionis suæ accipiat, ille non accipiat, cùm neuter mereatur accipere, altitudo est consiliorum Dei, in quam ingredi non licet, vbi valet illud: *Altiora te ne quæsieris.* Sufficit nobis scire, quòd *non sit*

Eccli. 3. 22.

iniqui-

iniquitas apud Deum. Postquam enim Paulus non inuenit vllum meritum, apud Iacob juniorem nondum natum, ob quod præcessurus esset fratrem suum Esau, vt, antè quàm nascerentur, ambo, diceretur: *maior seruiet minori*, subiungit: *Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit:* Rom. 9. 13.
Miserebor, cuius misereor, & misericordiam præstabo, cuius miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est DEI. Exod. 33. 19.
Gratuitam igitur gratiam agnoscamus, & dicamus: *ipsi gloria in sæcula, Amen.* Nam sicut iram ostendit & *notam facit potentiam suam in vasa iræ*, (debitæ, ne sit iniquitas apud Deum) ita *ostendit diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam*, & quidem misericordiæ indebitę, sed gratuitæ, quæ item non est iniquitas apud Deum. Cur enim non liceret supremæ Maiestati, de gratia misericordiaque sua conferre cui vult, & quantum vult? Semper justus est Deus, siue pœnam inferat digno, siue gratiam faciat indigno. Potest igitur gratiam vel ex misericordia conferre, vel ex judicio negare. Gratiam si vult vni dare, non alteri, illi non opus est alia ratione, qui alij rationem non est redditurus. Nam quis voluntati eius resistet? aut quis rationem opponet? Non est illius voluntas sine ratione, quia est illi pro ratione voluntas; enimuerò ipsa eius voluntas ratio est. Cæsar, aut Princeps hospiti torquem aureum donauit, aulico suo non donauit; neutri debuit. Alter gratias agit, quia donum accepit; alter non murmurat, quia scit sibi nihil debitum fuisse: hinc eum non accusat de iniquitate. Et Deum accusabimus, cuius summa est potestas, quasi ei non liceat, quod homini licet? Principi nemo dicere audet: Cur isti torquē donasti, & non mihi? & à Deo caussam scire volumus, cur non eamdem nobis conferat gratiam, quam alteri videmus eum contulisse? Satis est nobis, Principem sic voluisse; & non satis est, Deum sic voluisse? cuius voluntas omnis recti regula est; quique nulli judicio subjacet, cùm sit penes illum summum jus; immò, vt Saluianus ait, *summa iustitia voluntas Dei est. Fateberis hoc ipso*, inquit Nierenbergius, *quòd Deus velit, rationabile esse: nec jam exquirendam rationem, sed caussam. Nam potest, quod cum ratione factum, nesciri cum quâ caussâ: Certè ex nobis nulla est caussa gratiæ; liberalitas & libertas* Ioan. Euseb. Nieremb. in Theopolitico. p. 1. lib. 1. cap. 22.

libertas Dei solùm est caussa, scilicet voluntas: voluit, satis est, vt discamus humilitatem nostram, & revereamur Maiestatem eius. Iam & hæc caussa erit, si desideras aliquam libertatis & voluntatis eius. Sunt præterea caussæ in alijs nostræ gratiæ, cùm viri Sancti, cùm Sanctißima Sanctorum Virgo Saluatoris Mater pro nobis potiùs orarunt. At ex nobis nulla caussa, nulla ratio, nullum meritum, nulla occasio antecesßit, quod allectaret gratiam primam: ad secundam potest esse, non tamen sine gratiâ.

VIII. *At si vis adhuc aliam rationem, quàm voluntatem,* ait Nierenbergius, *id est, quàm voluntatem, id est, quàm istam rationem, certè vtiq; est, exercitium sui iuris, ostensio dominatus sui ad humilitatem nostram, ad timorem, ad reuerentiam suæ maiestatis, ad incrementum gloriæ, ad gratificationem nostram. Prò! in quales effundetur gratiarum actiones affectus is, qui se videt diuinis respectum oculis, nullâ ex se præcedente caußâ, nullâ ratione, cur se magis, quàm alium respectaret misericordia; immò cùm se videt minùs meruisse? Vnde, quæso, exclamaret Apostolus: O Altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! si hoc non ita fieret? vnde supremum Dei dominatum miraretur, si hoc non videret? Quare hoc ipsum quod miramur, non inueniri rationem, cur vnius potiùs, quàm alterius misereatur Deus, est maxima ratio, vt scilicet miremur: hæc sufficiens & justa, & debita ratio, admiratio Dei. Nam quid in hoc miramur, nisi vsum supremi dominij? Hoc quidem debebamus nosse, suspicere, venerari, timere, mirari, adstupere. Nam si misericordia Dei debuit aliquibus effectibus clarere hominibus, si bonitas, si sapientia, si potentia; cur non & dominatio? Qui enim diuinæ dispositionis caussas scire velit, & justißima decentißimaq; omnia Dei opera fateri, & suspicere, caussam omnium diuinorum operum memoriæ commendet. Omnia propter semetipsum operatus est Dominus, neque decuit aliter operatum esse, nisi ad honorem suum, vt gloria tantæ maiestatis pateret creatis aut creandis mentibus: & quo pacto gloria Dei pateret, nisi perfectiones eius paterent? Hinc fit, cùm diuersæ sint diuinæ perfectiones, diuersa quoq; esse DEI opera; alia, vt misericodia monstraretur; alia, vt justitia; alia, vt sapientia; alia, vt potentia; alia, vt dominatus & jus supremum. Hinc respondebimus propositæ quæstioni, ac panè omnibus, quæ circa diuinam prouidentiam possunt inquiri. Quid quæris, quid miraris, cur Deus*

Idem loc. cit.

*Deus permittat mala? nónne hoc oportebat, vt sapientia & omnipo-
tentia Dei illustraretur, qui scit & potest ex malis bona capere maio-
ra? Quid obstupescis, quòd misericors Dominus æternis cruciatibus
miseros peccatores perdat? nónne Deus iustus est, sicut & misericors?
cur iustitia diuina ignota debebat esse, & non suâ quoque pompâ eluce-
re, cùm tanta perfectio, sit iustitiæ Dei, quanta misericordia? Quid
hæres, quòd vni potiùs, quàm alteri largiatur gratiam? nónne sicut
Deus iustus & misericors, & sapiens est, ita & Dominus? cur non su-
premus dominatus aliquem vsum debuit habere? Et vnde hoc, nisi in
hoc esset illi pro ratione voluntas? Iustißimè ergo & rationabiliter,
cuius vult, miseretur Deus, & quem vult, obdurat.*

Atqui hinc rursum exurget noua tentatio, apud rudes, qui IX.
sibi scioli esse videntur, satis vulgaris, aut potiùs apud malitio-
sos ac desperatos. Quam tentationem, vnà cum sua medicina
in Ludouici Landgrauij exemplo clarè explicauit Cæsarius his Cæsar Hei-
verbis: *Ex relatione cuiusdam viri religiosi cognoui, Ludouicum* sterbach. li. 1.
Landgrauium, patrem Hermanni Landgrauij, qui ante hos duos an- Historiar.
nos defunctus est, in errorem periculosum, non solùm propriæ animæ, memorabil.
sed & subditorum substantiæ decidisse: qui cùm esset prædo ac tyrannus cap. 27.
*maximus, duras & plurimas in sibi commissum populum faciens exa-
ctiones, multas Ecclesiarum sibi vsurpans possessiones, & propter hoc,
aliaq; plurima mala, à viris religiosis corriperetur, qui ei proponebant
in confeßione pœnam malorum, & gloriam electorum, verbum mise-
rabile respondit: Si prædestinatus sum, inquit, nulla peccata poterunt
mihi regnum cælorum auferre; si præscitus, nulla bona illud valebunt
mihi conferre. Et sicut mihi dicere solitus erat Nonnus Conradus senex
monachus noster, de Thuringiæ partibus oriundus, versiculum illum
Psalmistæ; Cælum cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum,
loco prouerbij ad suam excusationem arguentibus se proponebat: erat
siquidem litteratus, & ob hoc ampliùs induratus. Et cùm ei dicerent
viri timorati: Domine, parcite animæ vestræ, desistite peccare, ne
Deus prouocatus peccatorem in peccatis occidat: iterum respondit;
Cùm venerit dies mortis meæ, moriar, non illum potero bene viuendo
extendere, neque malè viuendo præuenire. Volens illum pius Domi-
nus à tanto errore misericorditer reuocare, & reducere ad mentem,
infirmitate periculosâ cœpit illum flagellare. Vocatus est medicus eius*

vir bonus & discretus, & non solùm in Physicâ, sed etiam in Theologia non mediocriter litteratus: cui Princeps dicit; Vt vides, infirmus sum valde, adhibe curam, vt possim conualescere. Memor medicus illius erroris, respondit: Domine, si venit dies mortis vestræ, non vos poterit cura mea morti subtrahere; si verò moriturus non estis de infirmitate ista, superflua erit medicina mea. Et ille: Quomodo sic respondes? si mihi non fuerit adhibita cura diligentia, & dieta proposita, potero tam à me ipso, quàm ab alijs imperitis negligi, & ante tempus mori. Audito hoc verbo, Physicus multùm hilaris effectus, datâ occasione respondit: Domine, si creditis vitam vestram posse protelari virtute medicinæ, quare hoc credere renuitis de pœnitentia & operibus justitiæ, quæ sunt antidota animæ? sine his anima moritur, sine his ad sanitatem, quæ est in futura vita, nemo peruenit. Considerat Landgrauius pondus verborum, & quòd rationabiliter perorâsset, dixit ei; De cætero medicus esto animæ meæ, quia per tuam linguam medicinalem DEVS liberauit me à maximo errore. Fallax est, & sophisticum argumentum, quod multos per jocandi speciem, trahit ad cogitationem desperationis. Desperationem ostendit vitiosa collectio: *Si prædestinatus sum, nulla peccata poterunt mihi regnum cælorum auferre; si præscitus, nulla bona opera illud valebunt mihi conferre.* Quid ais, miser? Si bona perseueranter feceris, non eris præscitus; si mala & peccata vsque ad finem vitæ tuæ continuâris, non eris prædestinatus. Mala ergo fuge, ne sis præscitus; bona operare, vt sperare possis, te esse prædestinatum. Tu fac tuum officium, cætera DEO relinque; qui te non damnabit sine tua culpa, nec saluabit sine sua gratia. Sic habes, vt justitiam illius formides, & misericordiam implores; de culpa trepidus, de gratia non superbus. Quod ipsum libet verbis doctissimi & sanctissimi Augustini confirmare.

X. S Augustin. cap. 99. Enchiridij.

Miseretur, ait, *magna bonitate* (DEVS) *obdurat nulla iniquitate, vt nec liberatus de suis meritis glorietur, nec damnatus nisi de suis meritis conqueratur. Sola enim gratia redemptos discernit à perditis, quos in vnam perditionis concreuerat massam ab origine ducta caussa communis. Hoc autem, qui eo modo audit vt dicat, quid adhuc conqueritur? nam voluntati eius, quis resistit? tamquam propterea malus non videatur esse culpandus, quia DEVS, cuius vult, miseretur,

retur, & quem vult, obdurat: absit, ut pudeat nos hoc respondere,
quod respondisse vidimus Apostolum: O homo, tu quis es, qui respondeas
DEO? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quid me fecisti
sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere, aliud
quidem vas in honorem, aliud in contumeliam? Hoc enim loco qui-
dam stulti putant, Apostolum in responsione defecisse, & inopiâ red-
denda rationis reperisse contradictoris audaciam. Sed magnum habet
pondus, quod dictum est: O homo, tu quis es? & in talibus quæstionibus
ad suæ capacitatis considerationem reuocat hominem, verbo quidem
breui, sed reipsâ magna est redditio rationis. Si enim non capit hæc,
quis est, qui respondeat DEO? Si autem capit, magis non inueniet,
quid respondeat. Videt enim, si capit, uniuersum genus humanum
tam justo judicio diuino in apostatica radice damnatum, ut, etiamsi
nullus inde liberaretur, nemo rectè posset Dei vituperare justitiam:
& qui liberantur, sic oportuisse liberari: ut ex pluribus non liberatis,
atque in damnatione justissima derelictis ostenderetur, quid meruis-
set uniuersa conspersio, & quò etiam istos debitum judicium DEI du-
ceret, nisi eius indebita misericordia subueniret: ut volentium de suis
meritis gloriam omne os obseratur: & qui gloriatur, in Domino
glorietur. Hæc sunt magna opera Domini, exquisita in omnes volun- Psal. 91. 14.
tates eius. His omnibus bene expensis, facilè omnes benè pa-
tientes erunt, ut annuntient: Quoniam rectus Dominus Deus noster,
& non est iniquitas in eo. Quamobrem coronidis loco, ad hanc
disputationem, libet apponere, quæ Ludouicus Blosius, vir do- Ludouic. Blosius in Paradiso anim. fidel. cap. 5. §. 3.
ctissimus & religiosissimus, contra hanc satanæ tentationem, in
hæc verba scripsit. Si diffidentiam suadet, veniat sibi in mentem
abyssus misericordiarum Dei, & singularis ipsius erga te amor ac pie-
tas si inepta aliqua insusurrauerit de prædestinatione, aut de alijs san-
ctæ Trinitatis consilijs, atque judicijs, quæ à nobis perquiri non debent:
tu spretis & consputis canis impuri latratibus, conuerte te ad Deum,
& eius dispensationi ac pietati omnia committe; prorsus persuasum
habens, illum tuæ salutis esse desiderantissimum. In laqueum periculo-
sum se inijciunt, qui ipsa Dei judicia temerè perscrutari audent.
Certum est, ea, quæ facit, quæ ordinat, quæ permittit Domi-
nus, esse justa: hoc tu crede, hîc siste, nihil
ultrà perquirens.

CAPVT LXIV.

Bonis bonas, malis malas sepulturas justissimè contingere.

I. Iob, 17, 1. POst mortem, sequitur sepultura. Vnde Iob ait: *Spiritus meus attenuabitur, dies mei breuiabuntur, & solum mihi superest sepulchrum.* Si ergo Deus justus erga animas tentationibus expositas, in vltimo mortis agone; quis eum injustum dicat erga corpora, siue ea sepeliri sinat, siue insepulta relinquat? De anima Lazari, & anima Epulonis Christus hæc Luc. 16. 22. indicauit: *Factum est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* En quàm boni, quamque nobiles *funeris non funeris portitores? Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno.* O miserabilem sepulturam? quàm profundum sepulchrum? quàm lamentabile funus? quàm flebilis lapis sepulchralis, cui inscriptum est *æternitas*! *æternitas! heu æternitas*! Iustam esse vtramque hanc funeris pompam, & sepulturam animæ, nemo ambigat: dignus fuit Lazarus Angelorum comitatu; dignus Epulo comitatu diabolorum. Quid mirum est, si illi, qui *sicut equus & mulus* vixerunt, *sepultura asini* sepeliantur? Neque indignum est, si corpora Sanctorum honestè tumulata marmoribus, miraculis, anathematis ornentur. Fuerunt enim domicilia animarum Deo dilectarum, & instrumenta piarum operationum.

II. Matth. 14. 12. Qua de caussa, postquam Ioannes ab Herode occisus est, leguntur discipuli eius corpus eius tulisse, & cum veneratione sepeliuisse. Ad quam sepulturam significandam, & honorificè Matth. 26. 13. parandam Maria Magdalena effudit *alabastrum vnguenti pretiosi super caput ipsius* CHRISTI *recumbentis.* Ob quod factum, eam Dominus defendens, dixerat: *Mittens hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit*, immò addit, *toto mundo præ-* Ioan. 19. 39. *dicandum, quod hæc fecerit in memoriam eius.* Nicodemus certè mixturâ myrrhæ & aloes CHRISTVM à morte totum condiuit; & mulieres quoque CHRISTI vngendi caussa ad monumentum venerunt. Qui mos Ægyptijs, atque etiam alijs consuetissimus fuit. Hinc corpus Iacob Patriarchæ, jussu filij Ioseph, & cadauer Asæ regis Iuda condîtum fuit. Ad quem morem etiam Virgilius lib. 6. Æn. respicit de Miseno scribens:

Corpúsque lauant frigentis, & vngunt.

De Christi autem sepultura Isaias vaticinatur: *In die illa, radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum.* Quàm gloriosum? Primùm Ioseph ab Arimathæa, potestate à Pilato obtenta, corpus ex infami ligno remouit. Dein venit & Nicodemus *ferens mixturam myrrhæ & aloës. quasi libras centum. Acceperunt ergò corpus* Iesv, *& ligauerunt illud linteis,* (seu inuoluerunt *in sindone munda,* quæ seruatur Taurini, sicut *sudarium,* quod fuerat super caput eius, Moguntiæ) *cum aromatibus sicut mos est Iudæis sepelire. Erat autem in loco, vbi crucifixus est, hortus; & in horto monumentum nouũ, in quo nondum quisquam positus fuerat. Ibi ergo propter Parasceuen Iudæorum. quia juxta erat monumentum, posuerunt* Iesvm. Quàm hoc monumentum nobile fuit? Ipsi Angeli, relicto cælo, in eo sederunt, & stellarum instar splenduerunt. Frequentârunt illud tres Mariæ, visitârunt Apostoli; & ex eo vsq; tempore, per ipsos Christiani nominis acerrimos hostes, hodieque pietatis caussa, ad illud solent proficisci Christi amatores non pauci. De quo glorioso sepulchro Beda, Baronius, Gretserus, alijque complures copiosè scripserunt. Quin & in omnibus Catholicorum templis sepulchra quotannis extruuntur, quæ gloriam sepulchri illius populo repræsentent. Hunc sepulchri honorem Seruator mille titulis meruit.

Isa. 11. 10.

Idem habet Matth. 27. 57.

III.

Meruerunt & alij olim quoque sepultura honorati. Sic Saram sepeliuit Abraham, Abrahamum Isaac: Saram quidem, *in spelunca agri duplici, quæ respiciebat Mambre, hæc est Hebron, in terra Chanaan. Et confirmatus est ager, & antrum, quod erat in eo, Abrahæ in possessionem monumenti à filijs Heth.* De Abraham autem legimus: *Et deficiens mortuus est in senectute bona prouectaq; ætatis, & plenus dierum: congregatusq; est ad populum suum. Et sepelierunt eum Isaac & Ismaël filij sui in spelunca duplici, quæ sita est in agro Ephron filij Seor Hethæi, è regione Mambre, quem emerat a filijs Heth: ibi sepultus est ipse, & Sara vxor eius.* Iacob moriturus filijs benedixit: *Et præcepit eis dicens: Ego congregor ad populum meum: sepelite me cũ patribus meis in spelunca duplici quæ est in agro Ephron Hethæi, contra Mambre in Terra Chanaan, quem emit Abraham*

Gen. 23. 19.

Gen. 25. 8.

Gen. 49. 29.

 cum

eum agro ab Ephron Hethæo, in possessionem sepulchri. Ibi sepelierunt eum, & Saram vxorem eius: ibi sepultus est Isaac cum Rebecca coniuge sua: ibi & Lia condita iacet. Nihil splendida horum Patriarcharum sepultura pungit curiosos. Honorem, quem habent, meruerunt. Ita vixerunt, vt etiam mortuorum ossibus reuerentia deberetur.

IV. Sed neque, si mali malè sepeliantur, scrupulum mouet; immò neque si insepulti volucribus in escam dantur. De Ægyptijs à diuino zelo percussis dicit Scriptura: *Similiter omnes, vno nomine mortis, mortuos habebant innumerabiles. Nec enim ad sepeliendum viui sufficiebant.* Hâc plagâ digni erant. Quare iusta debet, non dura vocari. Exposita sunt cadauera mortuorum, oculis transeuntium, vt desinerent mortem promereri, immò quia meruerant, dum infantes Hebræorum ipsi exponerent, vt vicissim & ipsi exponerentur. Esse hoc genus pœnæ admodum graue Ecclesiastes docet illis verbis: *Si genuerit quispiam centum liberos, & vixerit multos annos, sepulturaque careat, de hoc ego pronuntio, quòd melior illo sit abortiuus. Et in regnorum libris,* ait S Augustinus, inuenitur, *Deum per Prophetam minari alteri Prophetæ, qui eius transgressus est verbum, quòd non inferetur cadauer eius in sepulchrum patrum eius.* Minatur hoc & Ieremias his verbis: *In illo tempore, ait Dominus: Eycient ossa regum Iuda, & ossa Principum eius, & ossa Sacerdotum & ossa Prophetarum, & ossa eorum, qui habitauerunt Ierusalem, de sepulchris suis: & expandent ea ad solem & lunam, & omnem militiam cæli, quæ dilexerunt, & quibus seruierunt, & post quæ ambulauerunt, & quæ quæsierunt, & adorauerunt: non colligentur, & non sepelientur: in sterquilinium super faciem terræ erunt.* Et alio loco: *Et non erit qui sepeliat eos; ipsi & vxores eorum, filij & filiæ eorum: & effundam super eos malum suum.* Rursumque alibi: *Non plangentur, & non sepelientur, in sterquilinium super faciem terræ erunt: & gladio & fame consumentur: & erit cadauer eorum in escam volatilibus cæli, & bestijs terræ.* Ac paulò pòst: *Et morientur grandes, & parui in terra ista: & non sepelientur,* &c. *Ad Ioachim filium Iosiæ regem Iuda,* hæc dicit Dominus; *Sepultura asini sepelietur, putrefactus & proiectus extra portas Ierusalem.* Tales, inutilia terræ pondera, indigni sunt, quos

Sapi. 18. 12. — Eccl. 6. 3. — S Augustin. lib. de cura pro mort. hab. cap. 7. — Ierem. 8. 1. — Ierem. 14. 16. — cap. 16. 4. — Ierem. 22. 18.

quos terra intra viſcera ſua recipiat. Hinc intumulati jacent, hinc belluas paſcunt, quod pueris contigit petulantibus illis. 4. Reg. 2. 24.
Eliséus *aſcendit in Bethel, cumq́ aſcenderet per viam, pueri parui egreßi ſunt de ciuitate, & illudebant ei dicentes: Aſcende calue, aſcende calue. Qui cùm reſpexiſſet, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini; egreßiq́ ſunt duo vrſi de ſaltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros.* Tali ſepulchro impij merentur ſepeliri: qui conuicijs Prophetam tamquam beſtiæ lacerauerunt, ipſi quoque fuêre dentibus beſtiarum lacerandi. Ciuilis etiamnum pœna quibuſdam criminibus eſt ſtatuta, vt, ſicut quidam, more Veſtalium violatarum, viui ſepeliuntur, ita alij in aëre ſuſpenſi coruis cedant in prandium; alij in flumen abijciantur, dolio, non feretro incluſi; nimirum, qui ſe ipſos ſuſpenderunt, aut alio pacto interemerunt. Quamobrem, ſicut omnes Deum laudant in titulis, monimentis, & elegantibus ſepulchris ſanctorum hominum, quorum *pretioſa eſt mors in conſpectu DEI*, ſicque etiam in conſpectu hominum pretioſa: ita meritò etiam diuina juſtitia ſuſpicienda eſt, cùm impios ſepulchri honore priuat. Habet enim vtique DEVS in hominum ſepulturas jus maius, quàm quicumque ciuiles magiſtratus.

V.

Eſſe autem partem ſupplicij, decreto magiſtratûs vel ciuilis, vel Eccleſiaſtici, beneficio ſepulturæ priuari, & filijs aquilæ deuorandum exponi, clarum eſt non ſolùm ex illis Eccleſiæ ſtatutis, quibus excommunicati, & hæretici Eccleſiaſticâ ſepulturâ & loco ſacro, ſuffragijſq́; viuorum excluduntur, ſed etiam ex decretis veterum Romanorum, in quibus multa de religione ſepulchrorum: enimuerò etiam pœnæ legibus additæ: *Qui hoc, vel illud commiſerit, inſepultus abjciatur: ſicut illud apud declamatores: Qui parentes in calamitatibus deſeruerit, inſepultus abjciatur: Homicida inſepultus abjciatur. Sic ad popularem ſenſum pro Milone loquitur Cicero, cùm infelicius dicit cadauer Publij Clodij fuiſſe, quòd honore illo, & conſueta funeris pompa caruerit.* Verum eſt, quoſdam Gentilium Philoſophos extitiſſe, qui curam ſepulchri non habuerunt: vt Diogenes Cynicus, qui cùm morti proximus, & ſub arbore jacens, interrogaretur, vbi vellet tumulari, reſpondit, vt ſic eum permitterent. *Cumq́ amici admonerent, de laniatione*

L. Viues in 1. de ciuit. c. 12.

Idem Viues loc. cit.

tione cadaueris: Apponite, inquit, mihi baculum, quo aues & canes abigam. Atqui nihil senties, inquient illi. Si nihil sentiam, respondit Diogenes, quid mihi oberit laniator? Idem fecit Menippus, & pænè fuit istud Cynicis omnibus commune. Theodorum Cyrenaum, Cicero in Tusculanis scribit, Lysimacho crucem minitanti, respondisse: Terribilis sit hac purpuratis tuis, mea nihil interest, humine jam, an sublime putrescam. Eadem est Socratis sententia in Phœdone Platonis.

Cardan. li. 2. de consol.

Laudat, pro Christiano vltra rectum, hæc talia Diogenis, aliorumque responsa Cardanus, approbans & illud, quod ex Seneca refert, sepulturam, non mortuorum, sed viuentium caussa vsurpari, ne & odore, & aspectu cadauerum offendantur viuentes.

Theodoret. lib. 9. contr. Græc.

Adhuc immitiùs Massagetæ, Hircani & Tibareni apud Theodoretum, qui planè vsum sepulturæ ignorabant. Quidquid sit de Diogene, qui multa Cynicè, & dixit, & fecit, plerosque tamen reliquos, rectè scribit Lactantius non dixisse, non esse sepelienda mortuorum corpora, sed si id fortè non fiat, nihil admodum esse incommodi; neque esse, cur id aliquem valde angat; quare ea in re, non tam præcipientium, quàm consolantiũ functos officio, vt si fortè id sapienti euenerit, non se ob id miserum putet. Et sanè, quidquid dixerint vel Cynici, vel Stoici, negari tamẽ nequit, aliquod malum esse corporis insepulti, alioqui nec ciuilis, nec Ecclesiasticus magistratus, neque ipsa diuina Scriptura, malefactorum pœnis id minarentur, neque illa, apud Catullum, Ariadna questa esset, cùm in insula destituta à Theseo, beneficio suo commemorato, diceret:

Lactant. li. 6. Instit. c. 12.

Catull. in Nuptijs Pelei & Thetidis.

Pro quo dilaceranda feris dabor alitibusq;
Prada, nec injecta tumulabor mortua terra.

VI.

Bisciola t. 2. subsec. lib. 5. cap. 1.

S. Augustin. lib. de cura pro mortuis. cap. 2.

Psal. 78. 2.

Quod malum tantò magis æstimabant, quia apud Ethnicos ea opinatio inualuerat, vt copiosè ostendit Bisciola, sepulturam in magnum mortuorum commodum cedere, quòd quorum corpora jacerent insepulta, inquietas haberent animas, vt ex 6. Æneid. memorat D. Augustinus. Inter mala certè enumeratur à Dauide ab hostibus illata: *Posuerunt morticina seruorum tuorum, escas volatilibus cæli; carnes Sanctorum tuorum bestijs terræ. Effuderunt sanguinem eorum tamquam aquam in circuitu Ierusalem, & non erat, qui sepeliret.*

CAPVT

CAPVT LXV.

Malè sepultorum exempla.

I.

PORrò cur bonis mala subinde sepulchra, vel nulla contingãt, aut quid illis noceat, postea discutiemus. Nunc malis vel nullam, vel malam sepulturam contingere haud immeritò, ostendemus. Nulla contigit vxori Lot. Caussam & Scriptura, & Iosephus indicat: *Vxor Lot*, inquit, *cùm respiceret sæpe ciuitatem, & eius curam haberet, interdicente Domino, ne faceret, in statuam salis conuersa dignoscitur. Vidi siquidem eam: hactenus enim manet.* Nimirum ipsa sibi monimentum est, aliud non habet. Nam & in Scripturis anonyma est. At cur in statuam salis conuersa est? Vt pœna peccato corresponderet, & in quo peccauerat, in eo etiam puniretur. Nam si Hebræis à Lyrano relatis credimus, fuit mulier illa non modò curiosa, sed etiam inhospitalis. Dicitur enim, vespere præcedente, marito suo, ad condiendos pro Angelis cibos, sal porrigere noluisse, quòd instar ciuium Sodomiticorum, erga peregrinos malè affecta esset. Ne ergo illi insulsæ feminę sal deesset, ipsa est in salem commutata. Sed quidquid sit de hac Hebræorum narratione, inobedientia, & curiosus illius respectus, sufficiebant ad eam sepulturã priuandam. Simili priuationis pœna punitus legitur impius Iason, *qui multos de patria sua expulerat, peregrè perijt, Lacedæmonas profectus, quasi pro cognatione ibi refugium habiturus: & qui insepultos multos abjecerat, ipse & illamentatus, & insepultus abijcitur, sepulturâ neq; peregrinâ vsus, neq; patrio sepulchro participans.* Vbi vides legem talionis, etiam illis filijs metuendam, qui parcitate quadam dementati, paterni, vel materni funeris sumptus, quantum possunt, contrahunt; digni vtique vt illis paria ab hæredib⁹ suis referantur. Sunt in diuinis libris complura eiuscemodi exempla. Siquidem & quinq; reges Amorrhæi insepulti abjecti sunt: Dauid amputatum Palæstini gigantis caput Hierosolymam intulit, corpus eius volucribus & feris dilaniandum reliquit, justa talione. Quippe, sicut Philisthæus *dixit ad Dauid: Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cæli, & bestijs terræ;* ita respondit Dauid: *Dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & aufe-*

Gen. 19. Luc. 17. Ioseph. lib. 1. Antiquit. Iudaic. cap. 19.

2. Machab. 5. 9.

Iof. 10.

1. Reg. 17. 46.

& auferam caput tuum à te: & dabo cadauera castrorum Philisthijm hodie volatilibus cæli, & bestijs terræ: vt sciat omnis terra, quia est Deus Israël. Idem contigit Achab regis impiæ vxori Iezabel, quam mandato Iehu de fenestra *præcipitauerunt, aspersusq; est sanguine paries, & equorum vngulæ conculcauerunt eam. Cumq; introgressus esset, vt comederet, biberetq;, ait: Ite, & videte maledictam illam, & sepelite eam: quia filia regis est. Cumq; issent, vt sepelirent eam, non inuenerunt nisi caluariam, & pedes, & summas manus. Reuersiq; nuntiauerunt ei. Et ait Iehu: Sermo Domini est, quem locutus est, per seruum suum Eliam Thesbiten, dicens: In agro Iezrahel comedent canes carnes Iezabel, & erunt carnes Iezabel sicut stercus super faciem terræ in agro Iezrahel; ita vt prætereuntes dicant: Haeccine est illa Iezabel?* Cuius enim anima tricipiti Cerbero debebatur, rectissimè etiam carnes famelici venatorum molossi deuorauerunt. Non apponam, quæ de Ioachim rege à Nabuchodonosor capto, occiso, & ante muros Ierosolymitanos insepulto abjecto, deque Arrano & Iehu Pontificibus à Zelotarum manu interfectis, ac sine tumulo relictis Iosephus refert; nec quæ de Bessi Bactrianorum præfecti corpore à Darij regis consanguineis conciso fundisque hinc inde dissipato memorantur: nec quæ leguntur de Aristocrate Arcadum rege, extra fines itidem insepulto, rejecto; nec quæ de Cleomene pelle nudato, & cruci affixo, apud Plutarchum aliosque, leguntur. Quid mirum est, si in eorum corpora sæuitum est post mortem, qui viui in viuos sæuierunt? Quis non dicat Ioannem Leidensem Anabaptistarum regem meruisse, vt caueæ ferreæ vice feretri impositus suspenderetur? Si homines indignum pomposo funere honorant, adest Deus, & corrigit funeris rationem.

4. Reg. 9. 33.

Ioseph. li. 10. Antiq. cap. 8. & lib. 5. de bell. Iudaic. cap. 1. & 2.

II. Narrat Hieronymus de Florentia in vita P. Caspari Sanchez, nobilem Hispanum, sine pœnitentia defunctum, hominem prædiuitem, elatum domo magnâ pompâ, ingenti comitantium caterua. Dixisses triumphum victori institutum; sed non diu duraturum. Exorta est enim repentè, dum proceditur, tam sæua & atrox tempestas, vt in funus prodeuntes necesse esset omnes dissipari, & quà quisque proximè posset, sub tecta se recipere. Ob intolerabilem autem cadaueris fœtorem res moram non patieba-

P. Hieronym. de Florentia in vit. P. Caspari Sãchez. c. 13. Pag. 12.

patiebatur. Capulum itaque duo vel tres vilissimi homunciones funibus tractum in sacello ad id extructo deposuerunt. Quibus vix inde digressis, fulmen de cælo cecidit, combussitque primùm maiorum insignia, per parietes vndique suspensa, tum ipsum etiam cadauer, relictis solis ossibus Auernali fuligine inductis, in cinerem redegit. Quid prodest tantâ pompâ ad infernum properare, si cadauer effertur, nec sepulchro quidem & vermibus dignum? Plerumque etiam à dæmone, inter blasphemandum, aut alia scelera abrepti, insepulti manent, postquam eos malus spiritus in scopulos, aut solitudines abjecit, indignos, quos terra tegat, & in sinum suum recipiat.

Eiuscemodi pœnam, aut certè infame sepulchrum se promereri, quidam ipsâ vitâ suâ testantur, inter quos fuit ille, qui *nullo non se extulit die*, ille, inquam, nominatus Pacuuius, qui Syriam vsu suam fecit, cùm vino, & illis funereis epulis se sepelisset, quasi sibi parentaret. Sic enim in cubiculum ferebatur à cœna, vt inter plausus exoletorum hoc ad symphoniam caneretur: Βεβίωκε, Βεβίωκε. Quàm multi quotidie vino semet ipsos, & alios sepeliunt, vt sepeliant conscientiam latrantem? Sed frustra, reuiuiscit enim iste canis latrans, quoties crapulam edormierunt. Alij vel ipsi sepulchro suo epitaphium imponunt, vel ab alijs impositum ferunt, quo eorum facinora & produntur, & justissimè puniuntur. Notissima est epigraphe Sardanapali. Vulgò ab ipsis etiam potatoribus jactatur illud vini probi amantis elogium: *Propter Est, Est, meus dominus mortuus est.* Crebrò etiam citatur illud: Hîc N. QVIESCIT, QVI IN VITA SVA NVMQVAM QVIESCERE POTVIT. Rauennatis etiam cuiusdam libidinosissimæ feminæ monumentum Rauennæ conspicitur cū tali inscriptione. F. I. DICAT. CINERES ET OSSA LAODICEÆ PHILOCAPTÆ HIC SITA SVNT, PERPETVÆ MEMORIÆ FACTI, ET INFAMIÆ CAVSSA. QVÆ INSATIABILI VENERE EXHAVSTA SVBTER VIVO VIRO MORTVA EST. VIXIT ANN. XXIII. MENSES VIII. DIES III. INFELICISSIMI PARENTES, TACITO NOMINE, EXTRA SORTEM; AD RVDERA POSVERE. O VORAGINEM EXVRIENTEM! Hæc Epitaphia alij alijs scripserunt. Videamus nunc nouum Sardanapalum, animulæ suæ vagulæ, blandu-

III.

Philip. Camerar. Centur. 1. horar. subseciuar. cap. 96.

blandulæ, ad ignota loca abeunti vaticinantem. Æneas Syluius recenset hanc historiam: Comes Celeriæ amore scorti furens vxorem suam vitâ priuarat. Quo patrato scelere, tantis deinceps tenebris fuit inuolutus, vt nullam prorsus ampliùs rerum diuinarum humanarumque duceret rationem. Ad extremum, vt semper in peius proficiunt scelerati, eò dementiæ ruit, vt infamem, etiam nonagenarius, vitam ageret inter meretrices. Hunc vt Alphonsus ad meliorem frugem reduceret, captata opportunitate, ita est affatus: *Audi senex, tempus est, vt in tam grandi ætate, te moriturum esse cogites, & de sepulchro agas.* Cui *Comes responsum dedit, quod à Christiano non exspectasses, sed à desperatissimo parricida.* Dixit enim, se de sepulchro vtique cogitare, iussisse enim se, vt sepulchro suo marmoreo inscriberetur: HÆC MIHI PORTA AD INFEROS. QVID ILLIC REPERTVRVS SIM, NESCIO. HOC SCIO, EX HIS, QVÆ RELIQVI, NIHIL ME MECVM TVLISSE: NEQVE QVOD EDI, BIBI, QVODQVE INEXHAVSTA VOLVPTAS ABSVMPSIT, QVIDQVAM PERCIPERE. Tali elogio, qui sepulchrum viuens ipse honorat, an non dignus est, quo se dignum ipse iudicauit? Immò an non & DEVS meritò eiuscemodi hominibus ignominiæ apponit monimentum? Sicut apposuit Canonico illi, qui fusili ære, in sepulchrali lapide, iusserat exprimi effigiem sui, ante Christi crucifixi imaginem genua flectentis, atque ex ore hæc verba fundentis: MISERERE MEI DEVS. Altero enim post eum sepultum die, ceteris omnibus deletis, solum initium relictum est istorum verborum, MISER, quasi ipse ore suo, suam miseriam fateri cogeretur, quam eum meruisse, sciuerant, quicumque vitam eius non ignorabant. Feminæ quoque tale ad tumulum Deus apposuit monimentum.

Virgil. lib. 2. Æneid.

Sicut enim quondam scelus expendisse merentem
Laocoonta ferunt,

Fortunat. Ep. in vita S. Marcelli apud Zachar. Lippel. 1. Nouemb.

ita *de nobili quadam matrona, in vita S. Marcelli Parisiensis Episcopi narratur, quæ per omnem ferè vitam nefaria libidinis contagione turpiter polluta, tandem obnoxia crimini è vita excessit, cuius cadauer in tumulum illatum serpens immanissimus frequentare cœpit: credo vt quam viuentem in crimen pertraxerat, mortuam etiam suâ sæuitiâ penitus depasceret. Hoc cognito, Beatus Marcellus cum serpente pugnatu-*

gnaturus ad locum accessit: cumq; coluber de silua ad tumulum, obuio Marcello, rediret, cœpit supplici capite & blandiente cauda veniam precari. Tunc vir sanctus, baculo caput eius ter percutiens, belluam recedere jussit. Ille sanctissimi viri imperio nequaquam resistere ausus fugam cepit, quem populus, præcedente pontifice, tribus ferè millibus secutus est. Deinde acriore increpatione adhibita: Ab hac, inquit, die, aut deserta tene, aut in mare te demergito: moxq; dimissa bellua euanuit, & populum incredibili gaudio exultantem, & Domino laudes concinentem reliquit. Nempe spiritus seductor, antiqua arte, exuuias serpentis rursus induit, & cuius animam tenebat, in Acheronte alligatam, illius etiam corpus volebat possidere, egregius sepulchri custos.

IV. Cæsarius l. 4. cap. 21.

Paulò grauiùs punita est altera femina, de qua apud Cæsarium quidam ita loquitur: Dicam vobis rem terribilem, quæ meis temporibus in mea villa contigit: Erat ibi puella quædam bene nata, & diuitum filia, sed ita iracunda, ita contentiosa, atq; clamosa, vt vbicumq; esset, siue in domo, siue in Ecclesia, ibi rixas suscitaret, & beatum se judicaret, qui euadere posset flagellum linguæ illius: tandem defuncta est, & in atrio Ecclesiæ sepulta. Manè venientes ad Ecclesiam, vidimus tumbam eius, ad instar fornacis, fumum eructantem: unde exterriti, & videre volentes, quid hoc portenderet, terram ejecimus, & ecce, medietatem corporis superiorem ignis consumpserat, inferior verò pars ab umbilico & deinceps illæsa apparuit. Luculentum scilicet indicium Deus in eiuscemodi sepulchris ostendit, quid tales meruerint sepulti. Cuius rei etiam D. Gregorius hoc exemplum narrat. Terribile etiam quiddam in Valeria Prouincia contigisse, vir vitæ venerabilis Maximianus Syracusanus Episcopus, qui diu in hac vrbe meo monasterio præfuit, narrare consueuit, dicens: Quidam Curialis illic sacratissimo Paschali Sabbato juuenculam cuiusdam filiam in baptismate suscepit. Qui post jejunium domum reuersus, multoq; vino inebriatus, eamdem filiam suam secum manere petiit, eamq; nocte illa, quod dictu nefas est, perdidit. Cumq; facto manè surrexisset, reus cogitare cœpit, vt ad balneum pergeret, ac si aquâ balnei lauaret maculam peccati. Perrexit igitur, lauit, cœpitq; trepidans Ecclesiam ingredi. Sed si tanto die non iret ad Ecclesiam, erubescebat homines: si verò iret, pertimescebat judicium DEI. Vicit itaq;

S. Gregorius lib. 4. Dial. cap. 32.

itaq; humana verecundia, perrexit ad Ecclesiam: sed tremebundus ac pauens stare cœpit, atq; per singula momenta suspectus, quâ horâ immūdo spiritui traderetur, & coram omni populo vexaretur. Cumq; vehementer timeret, ei in illa Missarum celebritate quasi aduersi nihil contigit. Qui lætus exijt, & die altero Ecclesiam jam securus intrauit. Factumq; est, vt per sex continuos dies lætus ac securus procederet, æstimans quòd eius scelus Dominus aut non vidisset aut visum misericorditer auertisset. Die autem septimo subita morte defunctus est. Cumq; sepulturæ traditus fuisset, per longum tempus cunctis videntibus de sepulchro illius flamma exijt, & tamdiu ossa eius concremauit, quousq; omne sepulchrum consumeret, & terra, quæ in tumulum collecta fuerat, defossa videretur. Quod videlicet Omnipotens Deus faciens, ostendit, quid eius anima in occulto pertulit, cuius etiam corpus ante humanos oculos flamma consumpsit. Qua in re nobis quoq; hæc audientibus exemplum formidinis dare dignatus est: quatenus ex hac consideratione colligamus, quid anima viuens ac sentiens pro reatu suo patitur, si tanto ignis supplicio etiam insensibilia ossa concremantur.

V. Luc. 16. 22. Cæsarius lib. 12. cap 7. & 8.

Quod etiam aliàs sæpe est demonstratum. Vt enim illud confirmaretur: *Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno:* audi pium scriptorem: *Tempore quodam Sueuis quibusdam peregrinationis gratia profectis Ierosolymam, cùm in reditu nauigarent juxta montem Vulcanum, cuius perpetua sunt incendia, voces huiusmodi de illo reuomuerunt; Bene veniat, bene veniat amicus noster Schultetus de Kolmere: frigus est, ignem ei copiosum præparate. Illi personam cognoscentes, diem & horam notauerunt, & cùm ad propria redijssent: eumdem Schultetum, die & hora eadem defunctū repererunt.* Subjungit idem author & istud. *Alio tempore quidam Flamingi, cùm mare transirent de eodem monte Vulcano vocem huiusmodi audierunt. Bonus amicus noster Sivvardus hic venit, suscipite illum; qui cum multo stridore missus est in Vulcanum: nam & ipse Schultetus fuerat in Leggenich. Illi notantes tempus, & nomen personæ, reuersi villam jam dictam intrauerunt, & cùm de Schulteto requirerent, eum eâdem die & horâ, quâ vocem audierunt in mari, obijsse repererunt: nam & ipse homo pessimus erat, sicut & superior.*

VI. Qualiscumque sit corporis tumulus, certè anima miserrima in inferno sepelitur. Aliquando autem diuina justitia, ad terro-

terrorem impiorum, sinit nonnullos etiam viuos, hoc est, corpus & animam simul terrâ obrui. Cuius horribile exemplum fuerunt Core, Dathan, Abiron, & Hon, *Aliiq; filiorum Israel,* Num. 16. 2. *ducenti quinquaginta viri proceres synagogæ, & qui tempore concilij per nomina vocabantur. Dirupta est terra sub pedibus eorum; & aperiens os suum, deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum. descenderuntq; viui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis, &c.* Cur hoc non faceret Deus vitæ author hostibus suis, cùm id fecerit femina marito suo, immò Imperatrix Imperatori? Nam Zeno Imperator Orientis, vt scribit Zonaras, gulæ & ebrietati deditus, errore mentis sic affici solebat, vt prolapsus à mortuo nihil differret. Cùm verò ipsi etiam coniugi Ariadnæ inuisus esset, sic inebriatus pro mortuo in monumentum Imperatorium ab illa conjectus est, lapide maximo, qui pro operculo esset, imposito, factusque sobrius inter lamentationes & eiulatus misera, & horrenda morte extinctus est, cùm Ariadna prohiberet, ne quis monumentum aperiret, aut illum curaret. Censuit hoc vxor, immò fecit hoc ipse Imperator, vt se ipsum vino toties sepeliret, cur talem pessimis quibusque sepulturam non decerneret Deus? Apud Poëtas, Amphiaraus vates, dum apud Thebas prœliaretur, canitur repentino terræ hiatu, cum curru, cui insidebat, absorptus esse. Hinc Ouidius:

Ioan. Zonaras tom. 1. Annal.

Notus humi mersis Amphiaraus equis. Ouid. lib. 3. de Ponto.

Et Propertius. *Delapsis nusquam est Amphiaraus equis.* VII.

Quòd si hæc fabula est, certè historia est, quod de Core, Dathan Abiron, & Hon, paulò priùs memorauimus, & quod Liu. lib. 17. Pragę in monte Albano refertur contigisse impiæ illi Trahomiræ, cuius grauitatem sceleris mons ipse non potuit sustinere, qui eam repentino hiatu, velut rictu aperto, deuorauit. Quid, quòd nonnulli se ipsos sponte ita sepeliuêre? Romæ, cùm ingens vorago paulatim excresceret, & terrram absumeret, responsum est ab oraculo, hiatum non posse desinere, nisi quis intrò se demitteret. Quo responso intellecto Q. Curtius equo insidens illuc desilijt, viuens in infernum. Cuius id culpa accidit? nonnè illius temeritate potiùs, quàm fortitudine? Quod etiam

fecit

fecit Anchorus Midæ regis filius; & Torquatus, qui se sponte obtulit, quando ab oraculo responsum est, Romanos fore contra Pyrrhum Epirotarum regem victores, si quis eorum in voraginem se demitteret. Quare oraculum tale editum. Decepti isti pro patria se facere putauerunt, quod in exitium suum fecerunt; illi autem, qui vitiatas Vestales Virgines viuas terrâ obruerunt, in detestationem libidinis, honoremque falsæ Religionis. Ex amore autem, justitia, odioq; perjurij & fraudis, Philippus rex Franciæ, de quo juuat historiam, vti traditur, verbatim hîc adscribere. *Habebat hic rex, in ciuitate Parisiensi Præpositum, qui cuiusdam sui conciuis vineam concupiscens, vt sibi venderet illam, importunè nimis instabat. Respondente ciue, sicut Naboth respondisse legitur Achab Regi Israëli; Viuit Dominus, quia non vendam tibi patrum meorum hæreditatem, eò quòd nulla ad hoc me compellat necessitas, Præpositus minas intulit; sed non profecit. Contigit interim, vt homo moreretur, quo cognito, Præpositus effectus hilarior, huiusmodi dolos sicut homo astutus nimis, ad suam perniciem excogitauit. Duos siquidem ex Scabinis, vt sibi testimonium falsitatis ferrent, pecunia corrupit, cum quibus, sicut condictum fuerat, mox intempesta nocte, defuncti sepulchrum adyt, terraq; ejecta in fossam descendit, & sacculum pecuniæ, quam viro pro vinea obtulerat, in manu ponens mortui, ait: Testes estis vos domini, quòd tantam pecuniam homini isti pro vinea sua tali dederim, quam ipse quidem, vt vos videtis, manu suâ accipit, nec aliquid contradicit. Dicentibus illis, Testes sumus, mox recepit pecuniam, & rejecit terram. Manè testibus eisdem adhibitis, vineam sibi vendicauit. Quod cùm relicta defuncti didicisset, stupens accurrit, & contradixit, asserens neq; maritum, neq; se vineam illam Præposito vendidisse, neq; vmquam pecuniæ aliquid pro ea recepisse. Cui ille respondit; Ego tanto vineam comparaui, pecuniam sub testimonio horum Scabinorum in manus viri tui posui, nec contradixit. Quæ se videns nihil proficere, ad regem cucurrit, de violentia Præpositi illi conquerens, Illo sub prædictorum testimonijs contradicente, Rex, quia audientiæ vacare non poterat, quibusdam caussam commisit: qui testimonio Scabinorum decepti, in partem Præpositi declinantes, pro eo contra viduam dedêre sententiam. Tunc illa amplius turbata, cùm Regi clamosis fletibus nimis esset importuna,*

Vide Plutarch. in Numa. Dionys. lib. 11. Lipsiũ in tractatu de Vestal.

Cæsarius Heisterb. Illustrium mirac. lib. 6. cap. 23.

portuna, Rex Testes vocari jussit, & quia vir prudens fuit, prudenter illos examinauit, accito priùs vno, & solus loquens cum solo, ait; Nosti Dominicam Orationem? Respondente illo; Noui Domine, subjunxit Rex; Dic ergo illam, me audiente, quod cùm fecisset, nihil aliud ei loquens præcepit, vt in vicinam cameram secederet, & aduocans alterum, seueriùs eum allocutus est, dicens; socius tuus de vinea illa tam meram mihi retulit veritatem, sicut est sanctum Pater noster, quo nihil est verius. Quòd si ab eo discordaueris, punieris. Æstimans ille, quia Regi omnia dixisset, timens ac tremens ad pedes eius corruit, dicens; Miseremini nostri Domine, quia sic, & sic fecimus, à Præposito nostro inducti. Iratus rex valde, vineam viduæ restituit, & Præpositum viuum sepeliri præcepit. Iuste actum est, vt is sine misericordia infoderetur viuus, à quo inhumanè mortuus fuerat effossus.

CAPVT LXVI.

Cur bonis meritò sepultura debeatur? & qualis, aut à quibus, & quo modo, sit exhibita, vel exhibenda?



I.

SICVT merentur improbi, vt viui; ita probi, vt mortui sepeliantur. Hoc natura dictat, quæ terram in terram reuocat, & ita prouidit, vt omnes tegantur.

Libera fortunæ mors est; capit omnia tellus, — Lucan. lib. 7. Pharsal.

Quæ genuit, cælo tegitur, qui non habet vrnam. — Senec. ep. 92.

Et Philosophus ait: *Ne quis insepultus esset, rerũ natura prospexit. Quem sæuitia projecerit, dies condet.* Quamobrem etiam disertè Mæcenas ait:

Nec tumulum curo, sepelit natura relictos.

Itaque si homines desint, qui cadauer efferant; si desint vespillones, qui sepeliant; si non adsint aues, qui oculos effodiant; si nullæ sint bestiæ, quæ in ventrem condant defunctum; ipsa natura officium facit, &, quod olim rogus solebat, exequitur, corpusque in tabem, ac tandem in terram resoluit. Apud omnes populos natura hanc induxit opinionem, vt mortui aliquo tandem modo sepeliantur. *Sed quid singulorum opiniones animaduertam,* ait Cicero, *nationum varios errores perspicere cùm liceat?* *Condiunt Ægyptij mortuos, & eos domi seruant. Persæ etiam cera circum-* — Cic. lib. 1. Tuscul. qq.

circumlitos condiunt, vt quàm maximè permaneant diuturna corpora. Magorum mos est, non humare corpora suorum, nisi à feris sint antea laniata. In Hircania plebs publicos alit canes; optimates, domesticos. Nobile autem genus illud canum scimus esse: sed pro sua quisque facultate parat, à quibus lanietur: eamq; illi optimam esse censent sepulturam. At mihi quidem antiquissimum sepulturæ genus id fuisse videtur, quo apud Xenophontem Cyrus vtitur. Redditur enim terræ corpus, & ita locatum ac situm, quasi operimento matris obducitur, eodemq; ritu in sepulchro, quo procul ad fontis aras Regem nostrum Numam conditum accepimus, gentemq; Corneliam, vsque ad memoriam nostram hâc sepulturâ scimus esse vsam. Sic terra terræ redditur. Sic aër peste, viui infectione, ac tetro aspectu liberantur. Sic mortui honore debito afficiuntur. Sic, qui sepeliunt, officium debitum exequuntur. Neque enim sine caussa *Iusta mortuis persoluere* dicimur, quando circa mortuos occupamur. Hic

S. Chrysost. hom. de Babyla.

est vniuersorum sensus, & *communis naturæ lex*, ait S. Chrysostomus. *Sunt enim apud mortales omnes hæ leges communes, vt qui vitâ functus est, terrâ condatur, sepulturæ tradatur, ac sinu magnæ omnium matris obuoluatur. Atq; has non Græcus, non Barbarus, non Scytha, nec si quis illis immanior reperiatur, vmquam leges conuulsit; sed reuerentur, & obseruant omnes: adeò sacræ, & apud omnes veneratione sunt dignæ.* In diuinis litteris habemus: *Mortuo nō prohibeas gratiam*, hoc est, *beneficium sepulturæ.* Item, *Secundùm judicium* (seu jus, quod ei debetur) *contege corpus illius, & non despicias sepulturam illius.*

Eccli. 7. 37.
Eccli. 38. 16.

II.

Tob. 12. 12.

Quin & Deo rem gratam præstare, qui mortuos sepelit, perspicuè indicauit Tobiæ Angelus illis verbis: *Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.* De Christi & Patriarcharum sepultura, dixi superiore capite. Nec laudârunt alij dumtaxat eos, qui Christi sepulchrum fecerunt gloriosum, sed ipse quoque Christus, contra iniquam Iudæ murmurationem, Magdalenam defendens dixit: *Ad sepeliendum me fecit.* Quin & in hostem suum hoc officij genus exhibitum probauit. *Et nuntiatum est David, quòd viri Iabes Galaad sepelissent Saul: Misit ergo David*

Matth. 26. 12.
2. Reg. 2. 4.

Dauid nuntios ad viros Iabes Galaad, dixitq́; ad eos: Benedicti vos à Domino, qui fecistis misericordiã hanc cum Domino vestro Saul, & sepelistis eum. & nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiã & veritatem: sed & ego reddam gratiam, eò quod fecistis verbum istud. Et nunc quoque mos est in bellis, vt prœlio transacto corpora occisorum militum sepeliantur. In Actis quoque Apostolicis laudantur eiusmodi sepeliones. *Curauerunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum.* Actor. 8. 2. Iure igitur hoc S. Ambrosius *opus magnum* vocat. Et addit rationem: *Nam si viuentes*, inquit, *operire nudos præcipimur, quantò magis operire debemus defunctorum corpora? Si viantes ad longiora deducere solemus, quantò magis ad illam æternam domum profectos, vnde jam non reuertentur?* S. Ambros. lib. de Tob. cap. 1. Nemo Catholicorum est, qui, dum funus comitatur pro eo non orat; vnde & rosarium gestant manu, & illud pro defuncto percurrunt; Clerus autem Psalmis & cantu Deum eidem conciliat. Nihil simile, juxta dogma suum, possunt facere hæretici; quamuis in quibusdam locis, juxta antiquum ritum, & contra nouum suum cultum, etiam ipsi pro defuncto orant, quem tamen sciunt, in cælo non indigere, in inferno non juuari oratione; in Purgatorio autem (vbi eum preces refrigerarent) non credunt esse, cùm neque ipsum vspiam putent esse Purgatorium. Itaque, rosarij loco, vidi singulos in nobili eiuscemodi funere, comites pomum aureum manu ferentes, & contra cadaueris, credo, fœtorem naribus identidem admouentes. Putares eos à conuiuio surrexisse, non è domo luctûs venire. *Ego*, inquit Iob, *super omnem infirmum fleui. Quis infirmior defuncto*, ait S. Ambrosius, *de quo dicit Scriptura alibi: Super mortuum plora? Ecclesiastes autem ait: Cor sapientum in domo luctus; cor autem stultorum in domo epularum. Nihil hoc officio præstantius, ei conferre, qui tibi jam non possit reddere, vindicare à volatilibus, vindicare à bestijs consortem naturæ. Feræ hanc humanitatem defunctis corporibus detulisse produntur; homines denegabunt?* S. Ambros. loc. cit. Non denegabunt, nisi quibus eadem ipsis deneganda, aut qui solius vtilitatis, nullam autem rationem honestatis & charitatis habent. *Vltimum*, inquit Lactantius, *illud & maximum pietatis officium est, peregrinorum & pauperum sepultura, quod illi vir-* Lactãt. lib. 7. cap. 12.

tutis justitiæq; doctores (Ethnici) *prorsus non attigerunt. Nec enim poterant id videre, qui vtilitate omnia efficia metiebantur.* Et paulò pòst: *Non quærimus nunc vtrùmne tota sepeliendi ratio sit vtilis, nec ne. Sed hæc, etiamsi sit inanis (vt illi existimant) tamen facienda est, vel ob hoc solùm, quòd apud homines benè & humanè fieri videtur. Animus enim quæritur, & propositum ponderatur. Non enim patiemur figuram & figmentum Dei feris ac volucribus in prædam jacére, sed reddamus id terræ, vnde ortum est; & quamuis in homine ignoto necessarium munus implebimus, in quorum loco, quia desunt, succedat humanitas, & vbicumq; homo desiderabitur, ibi exigi officium nostrum putabimus.* Quod etsi non viderunt Ethnici esse officij sui, tamen vel natura instigante fecerunt. Itaque, apud omnes gentes video defunctos, nisi alia caussa obstaret, sepulturâ honoratos. *Ægyptij quoties medicatum aliquod funus apparabant, ex prima nobilitate mortuum condientes, seorsum eximebant ventriculum, eumq; in arcula seponebant, deinde cùm pollinctor elato funere cadauer ad solem conuertisset, defuncti nomine solem cælestesq; omnes insigni elogio contestabatur: Sol rerum domine, vosq; cælites, qui mortalibus lucis vsuram largimini, me accipite, & cælestibus contubernalem addite. Equidem piè, ac religiosè numina à maioribus mihi commonstrata semper dum vixi, excolui, genituræ meæ authores semper honoraui, hominem occidi neminem, aut deposito fraudaui, nec aliud quidquam infandum patraui. Quòd si quid à me peccatum est edendo, bibendóue, quod non oportuerit, id omne non mea, sed huius caussa commissum est, simulq; cum dicto arcam in qua ventriculus erat conditus, in profluentem projiciebat, corpus reliquum vt purum & labis immune condiens.* Eadem paulò fusiùs recenset Porphyrius. Herodotus certè refert, tanti fecisse Ægytios cadauerum honores, vt aliquando lege juberentur ij, qui sibi mutuò dari pecunias postularent, cadauer patris depositum fidei creditoris tradere. Putabant enim nullum illis charius esse pignoris genus, citiusque vitam propriam eos deserturos, quàm corpus patris, à quo vitam accepissent.

Nicol. Caussin. in Polyhist. lib. 5. §. 2. ex Plutarch. In conuiuio septem Sapientum.

Porphyrius lib. 4. de abstin. Herodot. lib. 2.

III. Quid quòd bestiæ ipsæ curam sepulchri, & quamdam similitudinem corporis ad vitam redituri habent? Nam quod de Phœnice vulgo narratur, id alij etiam de alia aue memorant.

Siqui-

Siquidem Nicolaus de Comitibus scribit, in vlteriore India auem esse, cui nomen Semenda, trifido rostro, sentireque se morituram. Mortis igitur hora, eam deferre ligna in nidum suum, cantillareque suauiter atque alarum percussione incendere ligna; ipsam illo igne consumi, indeque vermiculum gigni, qui postea in auem crescat.

Combustúsque senex tumulo procedit adultus,
Consumens dat membra rogus.

Quidquid sit de veritate huius narrationis, de qua in tractatu de monstris disputaui, significatur tamen, aliquam etiam apud veteres fuisse, de resurrectione cogitationem, quam qui certò credunt, nonnè caussam habent, vt ossa cineresque honoratè condant, & asseruent, quæ non dubitant aliquando vitam receptura, & æternùm duratura? Quid quòd in monumentis mortuorum, eorumdem laudes atque virtutes, ad exemplum posterorum inscribamus? Nam tituli & epitaphia ad hoc eriguntur. Sic olim *mortua est Rachel, & sepulta est: erexitq́ Iacob titulum super sepulchrum eius. Hic est titulus monumenti Rachel vsque in præsentem diem.* S. Hieronymus ait, se ad Mausolæum Dauidis regis precari solitum, de quo Mausolæo videtur loqui D. Petrus, cùm ait: *Et sepulchrum eius est apud nos vsque in hodiernum diem.* Simon quoque Machabæus super sepulchrum patris sui, ac fratrum suorum magnificum erexit monumentum. *Iustiniano Imperatori mortuo instrata vestis stragula in qua Phrygio opere texta victarum vrbium, & Barbarorum Regum, quos ipse suis auspicijs debellârat, effigies: de qua Corippus:* Gen 35, 19. S. Hieronym. ep. 17. Act. 2. 29. 1 Machab. 13. 30. Baron. ad annum Iustiniani. 39.

Et tulit intextam pretioso murice vestem,
Iustinianorum series vbi tota laborum
Nexo auro insignita fuit, gemmísque corusca.
Illic Barbaricas flexa ceruice Phalanges,
Occisos Reges, subjectásque ordine gentes,
Pictor acu tenui multa formauerat arte,
Fecerat, & fuluum distare coloribus aurum,
Omnis vt aspiciens seu corpora vera putaret.
Effigies auro, sanguis depingitur ostro.
Ipsum autem in media victorem pinxerat aula,

Effera VVandalici calcantem colla Tyranni.
Addidit antiquam tendentem brachia Romam,
Exerto, & nudo gestantem pectore mammam
Altricem Imperij, libertatisque parentem.

S Hieronym. epist. 25. Ad eumdem finem funerum sandapilis auro illusa tapetia inijciebantur. Quod D. Hieronymus testatur ad Paulam de obitu Blesillæ. Ita enim scribit: *Ex more parantur exequiæ, & nobilium ordine praeunte aureum feretro velamen obtenditur.* Quod isti in stragula veste considerauerunt, hoc omnes alij contemplantur in sepulchris mortuorum, *opera enim illorum sequuntur illos*; (Apoc. 14. 13.) & plerumque qualis quis fuit, talis est & memoria illius, post mortem. Et, si justi, si sancti fuerunt, meritò memoria illorum cum vita non deletur. Sicut enim de impijs dicitur: *disperede de terra memoriam eorum*; (Psal. 108. 15.) ita etiam de homine probo pronuntiatur: *In memoria æterna erit justus.* (Psal. 111. 6.) Ad quam conseruandam & augendam, etiam laudes defunctorum in funeribus illorum celebrantur. Cuiuscemodi laudes & orationes funebres extant, Eusebij Cæsariensis in funere Constantini Magni, Nazianzeni in funere Basilij & Cæsarij, Nysseni in Meletij, Ambrosij in Exequijs Valentiniani Imperatoris, & Satyri fratris; S. Bernardi, & quàm plurimæ aliorum, tam veterum, quàm recentiorum. Et diutiùs durant Rhetorum ac Oratorum flores, quàm qui ex hortis deprompti feretris sepulchrisque asperguntur. *Manibus date lilia plenis*, ait ille. Et S. Hieronymus ad Pammachium de obitu vxoris. *Ceteri mariti, ait, super tumulos coniugum spargunt violas, rosas, lilia, floresq; purpureos*, vt scilicet significent, etiam eos, qui humati sunt inibi, floruisse. In cuius rei signum fuit olim cyparissus feralis arbor, mortuorum sepulchris destinata, quia blattas & tineas non sustinet, diuque durat. Filiorum sanè officium est, vt memoriam parentum suorum numquam deponant, & eorum vel sepulchra sæpe adeant, vt ibi pro ipsis preces fundant, & cogitent, se eòdem secuturos; vel certè identidem recordentur, eorumque memoriam sanctè retineant, atque ita velut in capite sepultos circumferant. Ad quam rem indicandam *Brachmanes fabulam de Vpupa, quam Indorum Reges habent in delicijs, bellissimam narrant: Regi Indorum, inquiunt, olim filius fuit* (Ælian. lib. 16. cap. 5.)

minimus natu, quem fratres improbi propter ætatem contempserunt. Cùm verò parentes senectute graues, contumeliosè ab eis tractarentur, vt improbitatem eorum declinarent, assumpto filio minimo discedunt, ac fugiunt: & laboribus in itinere consumpti moriuntur, defunctorum cineres filius in sui capitis vulnere, quod ense sibi inflixerat, sepelit. Insignem hanc eius pietatem conspicatus, admiratusq; sol, puerũ in auem formosam admodum, & viuacem conuertit, crista supra caput eius erecta, vt gloriosi facinoris monumento.

IV. Si non solùm Iudæi, sed etiam vel Ethnici defunctos parentes talibus monumentis coluerunt, quantò magis Christiani Christianos sepulchri honore colere, & in memoria habere debent? Neque enim *contemnenda & abijcienda sunt corpora defunctorum, maximeq; iustorum atq; fidelium, quibus tamquam organis & vasis ad omnia bona opera sanctus vsus est Spiritus. Si enim paterna vestis & annulus, ac si quid huiusmodi, tantò charius est posteris quantò erga parentes maior affectus: nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ vtiq; multò familiariùs atq; coniunctiùs, quàm qualibet indumenta gestamus. Hæc enim non ad ornamentum vel adjutorium, quod adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent. Vnde & antiquorum iustorum funera officiosa pietate curata sunt, & exequiæ celebratæ, & sepultura prouisa: ipsiq; dum viuerent, de sepeliendis vel & etiam transferendis suis corporibus, filijs mandauerunt, & Tobias sepeliendo mortuos, Deum promeruisse, teste Angelo, commendatur. Ipse quoque Dominus die tertio resurrecturus, religiosæ mulieris bonum opus prædicat, prædicandumq; commendat, quòd vnguentum pretiosum supra membra eius effuderit, atq; hoc ad eum sepeliendum fecerit. Et laudabiliter commemorantur in Euangelio, qui corpus eius de cruce acceptum diligenter atque honorificè tegendũ sepeliendumq; curârunt. Verùm istæ auctoritates non hoc admonent, quòd insit vllus cadaueribus sensus: sed ad Dei prouidentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere significant, propter fidem resurrectionis astruendam.* S Augustin. lib. 1 de ciuit. cap. 13. Hinc Christiani quidem omnes, mortuos suos sepeliunt, & plerumq; quò quis sanctior est, seu qui sepelit, seu qui sepelitur, eò maiore cultu solet sepelire alios, vel ipse sepeliri. Sed curant maximè sanctis locis condi, qui sunt sancti, ibi enim & fruuntur Ecclesiæ

precibus animæ, & tuta ſunt corpora eorum à veneficis & veneficorum magiſtris Stygijs. Qua de cauſſa S. Cerbonius, in ea Populonij Eccleſia, cui præerat, ſepulchrum ſibi præparauit, &, per miraculum, non obſtantibus Longobardis Italiam vaſtantibus, pluuiaque copioſa extra nauem, quâ vehebatur eius ſacrum corpus, cadente, eò perlatus, & tutò ſepultus eſt.

S. Gregor l. 3. dial. cap. 11. Sur. Tom. 5. 10. Octobr.

V.

Ergo igitur Catholicos ſuos honorat Eccleſia ſepultura Eccleſiſtica, quæ & à loco ſacro, & à precibus viuentium, & à ſacrificijs, ac eleemoſynis, & aſperſione aquæ benedictæ, ijs, qui capaces ſunt, multùm confert. Iacob ſanè & Ioſeph Patriarchę in Ægypto mortui, in terra promiſſionis ſepeliri voluerunt, in qua Chriſtus erat naſciturus, & templum Domini futurum. Hinc D. Cyprianus perſtringit Martialem quemdam, quòd filios ſuos, exterarum *gentium more, apud profana ſepulchra depoſuerit.* Indicat ergo iam tum cœmeteria fuiſſe pro Chriſtianis conſecrata. Quod planiùs etiam docet Gregorius Turonenſis & Iuo Carnotenſis. *Conuenite in cœmiteria*, ait Clemens Romanus, *ſacros libros in ijs legentes, & pſallentes pro his, qui dormierunt.* Et Dionyſius Areopagita: *His peractis*, inquit, *Pontifex condit in loco digniſſimo corpus, cum alijs ſui ordinis corporibus ſacris.* Quin & in templis ipſis ſæpe ſepultos fuiſſe fideles, teſtantur Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius. Ob quam cauſſam Gregorius Sextus Pontifex, cùm multa bona feciſſet, & viciſſim graues haberet obtrectatores, atque inter eos etiam Cardinales nonnullos, teſte Platina, moriturus Cardinales ad ſe vocatos verbis caſtigauit, eò, quòd quę juſtè & ſanctè feciſſet, ipſi liuore moti reprehenderent: *Et, vt*, inquit, *ſcire poſſitis, vbi mortuus fuero, rectè an perperam fecerim, corpus meum ante fores Eccleſiæ ſiſtite vectibus oneratas: Si diuino nutu aperientur, cenſetote me dignũ Chriſtiana ſepultura: ſin ſecus, corpus meum vnà cum anima damnatum, quò volueritis, eijcitote. Fecêre mandata Cardinales, itaque porta, coorto graui vento, aperta ſunt, & corpus cum admiratione omnium, & opinione magnæ ſanctitatis introlatum eſt.* Eſt itaque Deo cura, non tantùm de animabus, ſed etiam de corporibus ſuorum famulorum, quid ni & famularum? Fusè refert Beda hiſtoriam de quadam Britanniæ Abbatiſſa Edilburga dicta, cui, tempore

Gen. 49. & 50.

S. Cyprian. lib. 1. ep. 4.

Gregor. Tur. de glor Confeſſ cap. 106. Iuo ep. 139. Clem. Rom. lib. 6 Conſtit. Apoſt. c. 30. Dionyſ. Areopagit. c. 7. de Eccleſ Hierarch. Ambroſ. lib. de Abraham cap. 9. Hieronym. in vita Paulæ & Fabiolæ. Auguſtin. lib. de cura pro mortuis. cap. 1. Greg. lib 3. dial. cap. 13. Platina in Gregor. VI. Pontif. V. Beda li. 4. hiſt Angl. c. 7. & ex eo Barõ,

pestis,

pestis, de loco sororũ suarum sepeliendarũ solicitę, nocte intem- tom. 8. An.
pesta, fulgentissima luce de cęlo demissa, aptum locum sepulturę 681.
monstrauit. Hoc cæleste lumen, vel loco ostendendo effusum
à Deo, docet non malè facere eos, qui cereis & facibus accensis
funera sua illuminant. Etsi enim mortui, quia nihil vident,
lumine accenso non indigeant, tamen cereis facibúsque fidem
eorum testantibus illustrantur. Ita testantur Eusebius, in funere Euseb. lib. 4.
Constantini arsisse lumina in aureis candelabris. Et Nazianzenus cap. 66.
affirmat, cum cereorum ignibus delatum fuisse corpus Constan- S. Gregor.
tij Cæsaris, eò, quòd Christiani putârint pium eius discessum Naz. orat. 2.
è vita his officijs ornandum. Alter quoque Gregorius Nyssenus in Iulian.
de morte sororis suæ Macrinæ ita scribit: *Amplius Clerici ordine* S.Greg Nyss.
progredientes, accensos cereos gestantes manibus, funus deducebant. ad Olympiũ.
S. Hieronymus de obitu Paulæ ait: *Cùm alij Pontifices lampades* S. Hieron. ad
cereosq; præferrent. Et alibi: *Sacerdotes lampades cereosq; prætule-* Eustoch. de
runt funeri. Ita etiam, vt defunctus S. Chrysostomus indicare- obitu Paulæ,
tur viuere, & filius lucis fuisse, refert Theodoretus, in transla- & in epita-
tione corporis eius, Bosphori ostium ad Propontidem prorsus phio Paulæ.
luminaribus fuisse completum. Cuius apud Christianos ritûs Theodoret.
etiam antiquissimus meminit Dionysius Areopagita. Nicepho- lib. 5. histor.
rus certè tradit, Deiparæ corpus cereis ardentibus floribúsque Eccl. cap. 26.
sparsis ab Apostolis ex Sion in Gethsemani elatum. Complura Dionys. Are-
talia extant ab hominibus in honorem mortuorum facta, Deo opag. cap. 7.
etiam miraculis præeunte, & locum sepulturæ liberalissimè per de Eccl. Hier.
lumina monstrante. Nicephor. lib. 2. cap. 22.

VI.

Non ausim hîc dicere in eos, qui etsi locum habeant sepe-
liendi, nec prohibeant sepeliendos, tamen nimiùm quantum
exigunt pretium sepulturæ, vt vir quidam clarissimus, sed non
admodum nummatus, sub mortem, joco serio auditus sit di-
cere, vel ideò se illibentiùs emori, quòd tâti mors constet, & à de-
functis tumulandis nimiùm quantum tributum exigatur: Cha-
rontem olim naulo contentũ fuisse; sed nunc esse vespillones ipso
Charonte auariores. Nihil hîc contra consuetudines, multóque
minùs contra justas leges disputabo; solùm ea, quæ D. Gregorius, S. Gregor.
epistola ad Messalinum Episcopum scripsit, apponam: *Secundùm* Mag. lib. 7.
nostrum institutum, inquit, *noueris nos illicitam antiquam consue-* epistol. 4.
tudinem Baron. tom 8. An. 618. 9.

tudinem à nostra Ecclesia omnino vetuisse, nec cuiquam assensum præbere, vt loca humandi corporis pretio posśit adipisci. Nam si Gentiles (vt arbitramur) viri Sichimitæ Abrahæ, pro Sara mortua, atque in loco proprio humanda, sepulturam gratis obtulerunt, & vix magna eius importunitate coacti sunt, vt pretium de loco sepulturæ perciperent: nos, qui Episcopi dicimur, de humandis fidelium corporibus pensa quid facere debemus? Hoc ergo fraternitatis vestræ iudicio committimus. Quibus verbis ostendit, se proponere exemplū, non ponere præceptum. Quare hæc non eò dicta volumus, vt pias consuetudines abrogemus, aut Parochis necessariam sustentationem subducamus, aut auaritiam parcorum quorumdam hominum (qui pecunias tantùm à mortuis sibi relinqui volunt, nullos autem in eorum honorem sumptus facere) foueamus; sed, vt eos refrænemus, qui nimij sunt in exigendo, nec vllis pretijs possunt satiari, vt non sine caussa pauperculi nonnulli sepulchrum in sacro loco, ob exactionis excessum, reformident. Locum honoratum tumuli, mirifico splendore nocturno, sollicitis monialibus, & S. Abbatissæ Edilburgæ diuinitus, tempore pestilitatis, demonstratum, narrat Beda, vt adeò Deus ipse sciatur curare seruorum suorum sepulturas, quas illustrando, non vult fieri abominabiles vendendo. Graues pœnæ leguntur inflictæ ijs, qui defunctorum tumulos violauerunt. Violantur autem etiam vtique pretij nimietate: quamquam & alijs modis, non sine diuina vindicta legantur violati. Quòd si quis etiam horum punitorum vult exempla, legat D. Gregorium de Equitio Abbate, ab rustico, per imprudentiam, non impudentiam, in tumulo temerè grauato, & impositam sibi arcam frumenti à se velut cum indignatione procul reijciente: Item Baronium de Lydo Sacellario grauissimè afflicto, & terribiliter mortuo, quòd ex suggestione Photij, sepulchro S. Ignatij injuriam intulisset: denique Surium de monumento Petri Gauensis Abbatis, à monacho per contemptum sputis contaminato; qui & ipse plagâ fœdissimâ fuit contaminatus; donec ab eo ipso sanaretur, quem despuit. Nec absimile legitur, apud Cæsarium, de eo, circa cuius feretrum diuinitus accensæ sunt candelæ, vbi pœnitentiam egit, qui peccatis suis caussa erat, vt extinguerentur. Nemo contem-

Beda lib. 4. hist. Angl. cap. 7. Baron. tom. 8. An. 681.

S Gregor. l. 1. dial. cap. 40.

Baron tō. 10. An 878 40.

Sur. 4. Martij. cap. 24.

Cæsar. lib. 11. cap. 9.

contemnendus, nemo despiciendus est, sed defunctus minimè, quia non potest se defendere, vnde Deum habet defensorem. Quare per pauperem illum, in porta mortis constitutum intelligitur, de quo Salomon ait: *Non facias violentiam pauperi, quia pauper est: neque conteras egenum in porta: quia iudicabit Dominus caussam eius, & configet eos, qui confixerunt animam eius.*

Prou. 22. 22.

VII. Probè hoc intellexerunt omnes probi, qui, vt defunctis supremus honor non negaretur, vel humeris suis eos extulerunt. Neque enim plebeius Tobias dumtaxat id fecit; fecit Ioseph ab Arimathea, fecit Nicodemus, viri primarij; quin etiam fecerunt Reges & Principes. Anno Christi 1007. è vita discessit Ratisponæ Romualdus Abbas S Emmerami, cuius feretro Henricus Romanorum Rex, & postea Imperator, proprium supposuit humerum, cùm illud ad sepulchrum portaretur. Idem fecit An. 1079. S. Ladislaus Hungariæ Rex, & alij Principes, qui corpus S. Gerardi proprijs humeris transtulerunt. Idem præstitit Theodoricus Rex Francorum, qui Theodorici Abbatis, S. Remigij discipuli corpus ad sepulchrum ipse quoque suis humeris extulit. *Alphonsus Aragonum Rex cùm Puteolos obsideret, atque animi laxandi gratia littus quotidie peteret, reperit viri Genuensis cadauer à Triremi hostium eiectum, littori appulsum. Quo viso, celeriter equo desilijt, ijsq;, qui propè aderant, omnibus desilire iussis, alijs negotium dedit, vt terram effoderent, alijs, vt nudum corpus obuoluerent; ipse verò non minimas in sepeliendo homine partes sibi ascripsit.* S. Odilo, quadam die, *dum per publicum pius equitator incedit, duos in itinere pueros fame peremptos reperit. Mox equo desiliens, laneam, quâ indutus erat ad carnem, subduxit sibi interulam, eaq; prout velaminis quantitas permittebat, vtrumq; cadauer obuoluens exhibet mortuis sepulturã; nam & vespillones mercede conduxit, & funereis vsque ad tumulum prosecutus exequijs, defunctis fratribus debitum humanæ pietatis exoluit. Hoc est quotidianum opus, & magnum quidem*, ait S. Ambrosius.

Baron. tõ. 12. An. Christi 1007. ex Arnolfo Comite.

Sur. 24. Septemb. in vita eius, & Baron. tõ. 11. An. 1079.

Vsuard. in Martyrol. 1 die Iulij.

Anton. Panorm. lib. 1. de gestis Alfonsi.

Petr. Dam. apud Sur. 1. Ian. Baron. tom. 11. An. 1006. 4. ex Sigeberto.

S Ambros. in lib. de Tobia.

VIII. Rident ista impij cachinnones, sed *væ vobis, qui ridetis* opera misericordiæ exercentem, & applauditis vanitati, Deus enim caussam istorum iudicat, & in fide luscos omnino excæcat, vt vel in tenebris videant, quid Sanctis suis debeatur. *Imperante Antonino,*

Zacha. Lippel ex Sur. 29. Ianuar.

Antonino, cui Pio cognomen erat, florebat sanctus Constantius Perusinæ ciuitatis Episcopus, qui cùm neque blanditijs, neque verberibus compelli posset, vt Christum desereret, tandem non procul ab vrbe Fulgineo sacrum ipsi caput fuit abscissum. Erat autem tunc temporis Fulginei quidam Leuianus, vir inter cæteros fide & bonorum operum meritis præstans, qui nocturna visione admonitus est, vt sanctissimi illius corporis curam susciperet, & omni cum honore, vt par erat, sepulturæ mandaret. Qui abiens protinus summa cum reuerentia illud humeris suis imposuit, sacroq; onustus pignore iam domum redire festinabat: At ei iam iter ingresso obuiam fiunt viri duo, qui Leuianum agnoscentes, cachinnos tollere & Constantium maledictis insectari cœperunt. Sed ecce Deus, qui suorum honorem mirificè defendere consueuit, volens serui sui injurias contumeliásque vlcisci, simul & miraculo eius gloriam clariorem reddere, vtrumque oculorum sensu illicò priuat. Sed tamen & ipsis ira Dei misericordia efficitur: siquidem illi propria calamitate edocti supplices ad cælum manus tendere, & Christvm Iesvm vnum solum verum DEVM confiteri cœperunt, tandemq; Leuiani operâ ad sacrum Martyris corpus ducti, statim primo eius contactu pristinum oculorum lumen receperunt: Duplex exemplum facti, & eorum scilicet, qui in temerandis Diuorum funeribus pœnam, & illorum, qui in venerandis auxilium merentur. Hinc probi, & defunctorum amantes sedulò curant, vt mortui magno comitatu efferantur. Quod legimus, Iacob Patriarchæ, & vnico viduæ filio, apud Lucam contigisse. Et S. Hieronymus, de obitu Paulæ Romanæ scribit: *Tota ad funus eius Palæstinarum vrbium turba conuenit.* Et alibi, de funere Fabiolæ: *Iam fama volat tanti prænuntia luctus, totius vrbis populum ad exequias congregabat.* Plura de funerum comitatu, D. Gregorius Nazianzenus, & alij, quorum non est cachinnis excipere, sed ritibus antiquis prosequi pietatem; nec sputum, sed aquam benedictam sepulcris aspergere. Si enim homines eam injuriam mortuis factam tanto opere vindicant, quid non par est facere Deum? Audi, quid homines faciant, ex Pompon. Læto de origine Machumetis. *Cùm defunctæ Fabiæ coniugis Heraclij funus efferretur,* ait, *puellam forte quadam per fenestram spuisse, tetigisseq; elatum cadauer: ideoq; illam, nullâ factâ morâ,* compre-

Gen. 50. Luc. 7. S. Hieronym. ep. ad Eustochium de obitu Paulæ Romanæ. Idem in ep. ad Oceanum. S. Greg. Naz. orat. 2. in Iulianum, & Seuer. Sulpit. in vit. S. Martini. ac Iac. Gretser. de funere, &c.

comprehensam, & rogo Fabiæ impositam, viuam exustam. Cui rogo imponentur illi, qui non solùm non comitantur funera, aut non venerantur sepulchra Sanctorum, sed eorum sacra ossa despuunt, in ignem inijciunt, in cineres redigunt; quasi viui non satis passi essent pro pietate, pro religione, pro Christo? O quantum isti ab humanitate recedunt! quantum à pietate! Nam tanta est egestas hominis ad eum statum deducti, vt planè eâ immisericordiâ reliquas omnes atrocitate transcendat. Despuere, spoliare, cremare hominem, non solùm se defendere non valentem sed etiam innocentem, sed sanctum, sed ad cælestem gloriam translatum, quid aliud est, quàm impietas? vt eam Dio Chrysostomus appellat. Si Plato, ne hostilis quidem cadaueris, ad prædam asportandam, spoliationem concedit, quid diceret, si videret, amicos, patronos, Diuos non iam spoliari, sed ossa quoque eorum vastari? Verba Platonis sunt: *Nonnè illiberale videtur & sordidæ auaritiæ & muliebris atq; humilis ingenij, cadauer spoliare, & mortui corpus pro hoste habere; cùm iam hostis euolàrit, eo relicto instrumento, quo pugnabat? Censeásne illos, qui hac agunt, à canibus quidquam differre, qui aduersus jactos lapides excandescunt eum verò, qui lapidem ejecerit, non attingunt? Nihilo quidem differre illos à canibus arbitror.* Qem Platonis locum etiam Aristoteles allegat; & sensum eumdem suum fuisse, ostendit Pausanias Lacedæmoniorum Princeps, qui deuicto Mardonio Persici exercitûs summo Præfecto, cùm à Lampone sociorum Æginetarum primario vrgeretur, ad agendum in crucem cadauer Mardonij, quem constabat in Leonidę Laconum Principis cadauer ita sæuijsse: negauit, è re ac gloria Laconum esse, adeò aberrare ab æquo, barbarum in morem sæuiendo in cadauer, tametsi hostis, tamen vitâ functi, atque exanime. Quid Diuis non honoris exhibuissent isti, qui hostibus à se trucidatis parcendum censuerunt? Meritò illis à Deo non parcitur, qui Dei seruis non pepercerunt. Statuam pugilis mortui quidam verberauerat, quæ super pulsantem cecidit, eumque oppressit. Nimirum recidunt meritò verbera in verberàtem mortuos. Quod de Achilla quoque scribit Ausonius.

Dio Chryſ. orat. 31.

Plato lib. 5. de Rep.

Aristot. lib. 3. Rhetor. c 4.

Oenomag. apud Euseb. lib. 5. præparat. cap. 13.

Abjecta in triuijs, inhumati glabra jacebat
Testa hominis, nudum iam cute caluitium.
Fleuerunt alij: fletu non motus Achillas,
Insuper & silicis verbere dissecuit.
Eminus ergo, isto rediit lapis vltor ab osse:
Authorisq; sui frontem oculosq; petit.

Guicciard. l. 1. de funer. c. 4. Sic merentur viui luere pœnas, qui mortuis non exhibent debitum honorem, quorum plura exempla recenset Guicciardinus.

IX. Hoc officij genus, si non æstimant homines, vel à bestijs docentur. Solet enim, etiam hos magistros nobis præbere Deus. Prou. 6. 6. *Vade ad formicam, ô piger*, ait, *& considera vias eius, & disce sapientiam.* Et ipse sapientiæ magister suo ore protulit illud oraculum: Matth. 6. 28. *Considerate lilia agri, quomodo crescunt*: Et paulò priùs: *Respicite volatilia cæli.* Quid ergo volatilia, quid ceteræ animantes docent de Sanctis mortuis honorandis? S. Ambros. in lib. de Tobia. *Feræ hanc humanitatem defunctis corporibus detulisse, produntur*, ait S. Ambrosius, *homines denegabunt?* Baron. tō. 8. An 627. post Sur. 22. Ianuarij. Decimo septimo Imperij Heraclij Anno, Christi autem An. 627. cùm S. Anastasij martyris caput ad Regem Persarum Cosrhoem fuisset delatum, & corpus eius, inter multa cadauera à Christianis quæsitum, inuenti sunt canes, qui cetera quidem corpora, præ fame inuaserunt, à S. autem martyris membris abstinuerunt, vt ea integra mundissimis linteis à filijs Iesdim inuoluta in Sergij martyris monasterio conderentur. Diuersum planè morem habent, qui iam condita Diuorum corpora è tumulis suis eruunt, nec tantùm lacerant, sed etiam flammis tradunt, in ossa ipsa sæui, more molossorum. Atque vt perspicuum sit, bestias ipsas homine impio esse humaniores. Ex Martin. Crom. de reb. Polon. & Io. Longino Canonic. Cracou Sur. tō. 2. 8. Maij. c. 24. S. Stanislaum Cracouiensem Episcopum sacrificantem Boleslaus Poloniæ Rex ferro trucidauit; neque cæde tam barbara contentus, corpus exanime è templo extractum militibus discerpendum tradidit, prohibuitque graui propositâ pœnâ, ne quis aut justa funeri persolueret, aut disiectas hinc inde corporis sacri particulas colligeret, aut in sepulchrum inferret; id cupiens, vt à canibus, aut auibus, aut alijs feris belluisque absumeretur, memoriaque omnis & martyris, & sceleris sui auferretur. Sed non est passus ille omnia circumspectans diuinæ

prouidentiæ oculus, martyris sui existimationem tam fœdè lacerari. Altera enim die ab eius cæde, cùm Rex & impij crudelitatis eius administri existimarent, iam corpus omne à canibus auibusque deuoratum, à quatuor mundi partibus totidem raræ formæ ac magnitudinis aquilæ aduolarunt, & sollicito studio loca, in quibus dissipata iacebant fortissimi Præsulis membra, per aërem, in orbem circumibant, & velut à Deo constituti custodes non sinebant ea ab vllis vel feris, vel volucribus attingi. À quo miraculo homines admoniti, ac præsertim viri religiosi accurrerunt, & dispersas hinc inde sanctissimi corporis partes, magnâ diligentiâ reuerentiaque, collegerunt, nouo prodigio recreati. Nam membra illa ita collecta diuinitus rursum in corpus vnum coierunt; vt, qui integerrimè vixerat, mortuus quoque integer sepeliretur. Ita Deus excogitatam martyris sui ignominiam in gloriam vertit.

X.

Quòd si canes, ab hominibus inter homines educati, putantur assuescere humanitati, atque ea propter S. Anastasio pepercisse; si aquilæ ad S. Stanislai cadauer odore attractæ aduolitâsse, iuxta illud: *Vbicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ;* illud memoriâ recolendum est: *Qui mortui fuerint de Ieroboam in ciuitate, comedent eos canes: qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aues cæli, quia Dominus locutus est:* Item, *Qui mortuus fuerit de Baasa in ciuitate, comedent eum canes; & qui mortuus fuerit ex eo in regione, comedent eum volucres cæli.* Rursusque: *Sed & de Iezabel locutus est Dominus dicens: Canes comedent Iezabel in agro Iezrahel;* &, vt alibi additur: *Nec erit qui sepeliat eam.* Quamuis enim Iehu, qui eam iusserat præcipitari, postea dixerit: *Ite, & videte maledictam illam, & sepelite eam: quia filia Regis est,* tamen *cùm issent, vt sepelirent eam, non inuenerunt nisi caluariã, & pedes, & summas manus.* Si istis deuorandis canes non abstinuerunt, cur canes Anastasio, & aquilæ, quæ sunt vulturium genus, & cadaueribus diripiendis assuetæ, Stanislao abstinuerunt? Numquid is, qui obturauit ora leonum, ne Danielem inuaderent, conclusit etiam tunc ora canum, & aquilarum? immò & leonum ipsorum? quibus quid est inhumanius, aut immanius? & tamen leguntur etiam aliorum Sanctorum corporibus abstinuisse, immò eos sepeliisse.

Matth. 24. 28.
3. Reg. 14. 11.
3. Reg. 16. 4.
3. Reg. 21. 23.
4. Reg. 9. 10.
4. Reg. 9. 34.
Daniel. 6. 22.

Memo-

XI. Memorat enim S. Hieronymus, cùm S. Antonio sarculum deesset, quo sepulchrum effoderet pro S. Pauli Eremitæ defuncti corpore humando, leones id munus exercuisse. Verba illius sunt: *Ecce duo leones ex interioris eremi parte currentes, volantibus per colla jubis, ferebantur. Quibus aspectis primò exhorruit: rursusq́; ad Deum referens mentem, quasi columbas videret mansit intrepidus. Et illi quidem directo cursu ad cadauer beati senis substiterunt, adulantibusq́; caudis circa eius pedes accubuêre fremitu ingenti rugientes, prorsusq́; vt intelligeret, eos plangere quo modo poterant. Deinde haud procul cœperunt humum pedibus scalpere, arenamq́; certatim egerentes vnius hominis capacem locum foderunt, ac statim quasi mercedem pro opere postulantes cum motu aurium, ceruice dejecta ad Antonium perrexerunt manus eius pedesq́; lingentes. At ille animaduertit benedictionem eos à se precari. Nec mora in laudationem Christi effusus, quòd muta quoq; animalia Deum esse sentirent, ait: Domine, sine cuius nutu nec folium arboris defluit, nec vnus passerum ad terram cadit, da illis, sicut tu scis. Et manu annuens eis, vt abirent, imperauit: cumq́; illi recessissent, sancti corporis oneri seniles curuauit humeros, & deposito eo in fossam, desuper humum congregans, tumulum ex more composuit.* Solent aliàs belluæ istæ vnguibus homines rapere, & rictum, tamquam sepulchrum patens, pandere, eosq́; in suo, non terræ ventre sepelire; sed, Deo jubente, omnia in contrarium faciunt, & mansuescunt, seu, vt ita dicam, hominescunt; quia & homines naturæ suæ obliti sæpe obbrutescunt.

S Hieronym. in vit. S. Pauli Eremitæ.

De eiuscemodi leone meminit etiam Paulus Diaconus, & alij. Nam cùm *Zosimas Abbas corpus S. Mariæ Ægyptiacæ jacens mortuum, inuenisset in solitudine, & manus sic, vt oportet, compositas, & corpus ad Orientem respiciens, lachrymas aliquamdiu fundens, & Psalmos dicens, tempori & rei congruentes, fecit sepulturæ orationem, & dicebat sibi ipsi: Forsitan non perplacet Sanctæ hæc fieri. Hæc eo cogitante designata erat in terra Scriptura, vbi hæc scribebantur: Sepeli, Abba Zosima, miseræ Mariæ corpusculum, redde terræ, quod suum est, & pulueri adijce puluerem, & ora Dominum pro me. Has senex cùm legisset litteras, cogitabat, quisnam esset, qui scripserat: illa enim litteras ignorabat (vt ipsa dixerat) in hoc tamen valde exultans gaudebat, quia eius sanctũ didicit nomen. Glorificans autem Zosimas Dominum,*

Paul. Diacon. apud Sur. tom. 2. die 9. April.

num, & lachrymis corpus eius infundens: Tempus est, inquit, miser Zosima, quod jussum est, perfice. Sed quid faciam infelix, quia unde fodere valeam non habes? Deest sarculum, non est rastrum, nihilq; ex omnibus est præ manibus. Hæc illo in corde suo secretè dicente, vidit lignum permodicum jacens, quod assumens cœpit fodere. Valde autem dura erat terra, & valde fortissima, & nequaquam valebat senex fodere: quia & jeiunio confectus, & longa itineris fatigatione nimis erat exhaustus. Laborabat enim, & suspirijs nimijs urgebatur, & sudoribus madefactus ingemuit grauiter ex ipso sinu cordis sui, & respiciens vidit ingentis formæ leonem juxta corpus sanctæ stantem, & eius plantas lambentem. Videns autem contremuit præ pauore grandissimæ feræ illius, præcipuè quia audierat fœminam illam dicentem, Quòd numquam aliquam vidisset feram. Signo autem crucis se confirmauit undiq;, credens, quia illæsum eum custodire valet virtus jacentis. Leo autem cœpit annuere seni, blandis eum motibus salutans. Zosimas autem dixit leoni: Quoniam à Deo missus fuisti maxime ferarum, ut huius Dei famulæ corpus terræ commendetur, exple opus officij jussusq; eius corpusculum sepeli. Ego enim senectute confectus non valeo fodere, sed nec congruum quid habeo, ad hoc opus exercendum: Rursus autem tanti itineris spatia emetiri non valeo, ut aliquid adferam. Tu diuino jussu hoc opus cum ungulis facito, ut commendemus terræ hoc sanctum corpusculum. Continuò autem juxta senis sermonem, leo cum brachijs & ungulis fecit foueam, quanta ad sepeliendum sanctæ corpusculum sufficere posset. Senex verò lachrymis pedes Sanctæ abluens, & multipliciter effusâ prece orans eam, ut nunc pro omnibus ampliùs oret, operuit terrâ corpusculum nudum adstante leone, sicut eam priùs repererat, & nihil aliud habens nisi illud scissum vestimentum, quod ei iam antè projecerat Zosimas, & Maria quædam corporis sui membra texerat. Deinde recedunt pariter; & leo quidem in interiora solitudinis quasi ouis mansueta abscessit. Zosimas reuersus est benedicens & glorificans DEUM, & hymnum laudis decantans Domino nostro. Nemo putet, leoni hoc opus fuisse à natura suggestum: Angelo agente, id egit; sicut & illi leones, qui Paulo Eremitæ scrobem præparauerunt, unguibus in vicem sarculi utentes.

XII. Quod ab Angelis adacti fecêre leones, id ipsum etiam Angeli

Sur. tom. 6. 25. Nouembr. geli ipsi præstiterunt, quorum manibus non solùm Lazarus in sinum Abrahæ fuit deportatus, sed etiam S. Catharina virgo & martyr Alexandrina, quæ cùm iam esset ducenda ad suppliciũ, tempus ad orandum DEVM postulauit, atque inter cetera petijt hoc quoque: *Da Domine IESV Christe, DEVS meus, vt hoc corpus meum, quod pro te fuit conscissum, non poßit ab ijs adipisci, qui quærunt illud.* Quid negaret sponsæ suæ Christus? cur Martyrem suam non exaudiret? Preces illius ad effectum deduxit. Itaque Angelicæ cohortes corpus illius quàm decentissimè composuerunt. Quo facto, ab ijs, qui præsentes erant, conspecti sunt sanctissimæ virginis corpus in montem Sina deferre; vbi illud condiderunt. Par erat nimirum, vt Angelicæ puritatis Virgo, non nisi Angelicis manibus corpore quidem ad sepulchrum, anima autem ad cælum deduceretur. Neque in sepulchro est vel

Cæsarius lib. 8. cap. 84. ab Angelis, vel à miraculis deserta. Nam qui ibi fuerunt, *viderunt caput eius cum capillis & oßibus natare in oleo*, quod ad varios morbos depellendos inde aufertur. Quin & de osse eius, cùm par-

Idem ibid. ticula inde sumeretur, oleum fluxisse, testes sunt. Similia complura leguntur contigisse. Eâ nocte, quâ rapienda erat S. Erme-

Sur. 29 Octo. lendis Virgo, ab Angelo sibi dici audiuit: *Recede, Virgo, recede, & virginitatem quam DEO consecrâsti, inuiolatam custodi. Quæ valdè perterrita, obediens jußioni iter fecit. Cumq; Spiritu sancto duceretur, Angelus Domini ei secundò apparuit, & viam, quam cœperat, ne desereret, imperauit. Venies, (inquit Angelus) in villam quam Meldricem nuncupabis, ibi namq; præparauit tibi Dominus locum ad perficiendum desiderij tui votum. Peruenit igitur venerabilis Virgo in locum, quem prædixerat ei Angelus, ibiq; parsimoniâ miræ abstinentiæ diu viuens, geminæ dilectionis in se continebat mandatum: Alebatur autem B. Ermelendis solummodò herbis agrestibus, non inferior summis Eremi cultoribus: puellares quoq; artus teneros diris cruciabat injurijs. Frequentabant quoq; eam quiq; Religiosi, sed quantò Dominus famam eius dilatabat, tantò humiliùs se agebat. Tandem verò post multa certamina euocata à Domino, ad cælestem peruenit gloriam, quam in terra positâ totâ deuotione quæsiuit. Ad cuius exequias non hominum vocibus resonabatur, sed hymnidici Angelorum chori Christo cecinerunt gloriam. Et quia Christo fuit dilecta, ab ipsis est officiosißimè sepulta.*

Quid

XIII.

Quid mirum est, Angelos huic defunctæ Lessum cecinisse? bestiæ, quæ nihil intelligunt, id Angelis impellentibus præstiterunt. Simeon senior ille Stylita, sub Imperatore Leone Magno, & Martyrio Antiochenæ vrbis Pontifice, ex pastore ouium Monasticam vitam ingressus, in columna quadraginta septem annos stetit, &, multis in vita miraculis editis, è vita discessit. Quod vbi factum est, *aues volabant super columnam, clamantes, & quasi lugentes, ita vt omnes viderent. Planctus etiam populi & jumentorum resonabat per milliaria septem. Sed & montes & campi & arbores contristati sunt circa loca illa: vbiq; enim nebula tenebrosa facta est per circuitum. Ego autem considerabam Angelum venientem ad visitandum eum. Circa horam septimam seniores septem loquebantur cum Angelo, cuius vultus erat sicut fulgur, & vestimenta sicut nix. Et vocem eius in timore & tremore tamdiu consideraui, quamdiu audire potui: quid tamen fuisset, ignoro. Cùm autem jaceret sanctus Simeon in feretro, volens Papa Antiochiæ de Barba illius pro benedictione aliquid contingere, extendit manum, statimq; arefacta est: multæq; obsecrationes & orationes fiebant ad Deum pro eo, & sic restituta est manus eius. Supponentes autem corpus feretro, cum psalmis & hymnis duxerunt Antiochiam, omnis autem populus, qui erat per circuitum regionis illius, plangebat, quòd Patrocinium tantarum reliquiarum tolleretur ab eis, & quòd Episcopus Antiochiæ jurâsset, vt nemo tangeret corpus illius. Venientes verò in quintum milliarium ab Antiochia, in vicum, qui vocatur Meroë, nullus potuit mouere eum. Tunc quidam homo annis quadraginta surdus & mutus, subitò cecidit ante feretrum, & cœpit clamare, & dicere: Benè venisti serue Dei, tuus enim aduentus me saluabit: & si meruero viuere, ego tibi seruiam omnibus diebus vitæ meæ. Et eleuans se, apprehendit vnum de burdonibus, qui portabant feretrum, statimq; mouit se de loco isto. Et ita sanus factus est homo ex illa hora. Peccatum autem hominis illius tale erat: Hic amabat vxorem alienam, & volens eam adulterare non potuit, & mortua est, & posita in monumento. At ille iuit, & violauit sepulchrum eius: statimq; obmutuit, & surdus factus est, & obligatus est in illo loco annis quadraginta: Tunc exeuntes omnes de ciuitate Antiochiæ, suscipiunt super argentum & aurum corpus S. Simeonis, cum psalmis & hymnis, & cum multis lampadibus por-*

De hoc Martyrolog. Rō 5. Ianuar. Menolog. Græc. 1. Septembr. Theodoret. in Philotheo cap. 26. Euagrius lib. 1. hist. Eccles. cap 13. & 14. Nicephor. li. 14. cap 51.

tauerunt in Ecclesiam maiorem, & inde in aliam Ecclesiam, quæ vocatur Pœnitentia: Multa etiam virtutes fiunt ad sepulchrum eius, magis, quàm in vita sua: & homo, qui sanus est factus, ibi seruiuit vsq; in diem mortis suæ. Multi autem obtulerunt thesauros Episcopo Antiochiæ pro fide, poscentes reliquias de corpore eius: sed propter jusiurandum minimè præstitit. Non ergo homines modò ceremonijs consuetis, verùm etiam ipsę volucres insolitis vocibus funus S. Simeonis celebrauerunt.

XIV. Sic Angelorum cantum aues, homines autem pij, & Angelorum & auium voces in exèquijs imitantur. Est enim inter ceteros Ecclesiæ ritus, vt funera hymnis & canticis pijs prosequantur. Cuius rei quatuor sunt caussæ. Prima, vt tristi cantu tristitia conuenientium ad funus moueatur: quæ tristitia communis, solatium est, vel filijs si parente; vel parentibus si filio; vel coniugibus si vxore, aut marito viduentur. Vt enim onus leuiùs fertur, quod à pluribus fertur, ita luctus, si in plures diuidatur,

Rom. 12. 15. mitigatur. Qua de caussa jubet nos Apostolus *gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, id ipsum inuicem sentientes.* Hinc D.

S. Ambros. in cap. 8. Lucæ. Ambrosius scribit, fuisse morem gentilium, vt ad omne funus lamentatrices & tibicines adhiberent, qui lachrymas audientibus, cantatis nænijs, elicerent. Ad hunc modum alludens Ouidius ait:

Ouid. lib. 4. Fastor.

Cantabat mœstis tibia funeribus.

Lucil. lib. 22. Et Lucilius: *Mercede quæ conductæ flent alieno in funere* PRÆFICÆ *multo, & capillos scindunt, & clamant magis.* Existimat autem

S. Ambros. loc. cit. D. Ambrosius, hanc consuetudinem ab Ethnicis ad Iudæos permanasse. Certè apud Iudæos fuisse constat ex Matthæo Euan-

Matth. 9. 23. gelista, apud quem *cùm venisset IESVS in domum Principis, & vidisset tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat: Recedite: non est enim mortua puella, sed dormit.* Altera caussa huius cantûs est contraria, vt scilicet cantu mœstitia pellatur. Hanc enim indi-

S. Greg. Nazianz. orat. 10. in laudem fratris. cat S. Gregorius Nazianzenus, qui ait Cæsarium fratrem psalmodijs luctum sedantibus sepultum. Et S. Chrysostomus: *Quanã, inquit, de caussa, quæso, presbyteros vocas, & psallentes? Nonne, vt*

S. Chrysost. hom. 70. ad pop. *te consolentur, nonne vt defunctum honorent?* Vbi & tertia caussa panditur defuncti honorandi, & cantu celebrandi. Qua de caussa

etiam

etiam *Præficæ* olim fuerunt constitutæ, vt scilicet fortia defunctorum facta laudarent. Quò spectat illud Comici: *Præfica, quæ alios collaudare se verò non potest.* Sed Christianis quarta præcipua caussa est, vt, DEVM vitæ necisque Dominum laudemus, mortuoque placatum reddamus, si quidem ille suffragijs indigeat. Pauci enim sunt, qui non indigent. Hinc etiam pulsu campani æris ad funerum deductionem conuocamus, teste Beda. Quamuis etiam in viuos redundet ex hoc funerum honore emolumentum, dum monentur, vt cogitent, etiam sibi aliquando exequias iri celebratum; certè Theodoricum longè alia cogitantem memorat Cæsarius conuersum, dum in funere à Fratribus cantari audiret: *Domine, miserere super peccatore.* Sacra quædam cantica in funeribus cani iubent Apostoli, apud Clementem Romanum. Et S. Gregorius Nyssenus ad Olympium indicat, Sacerdotes in funere maximè Psalmos concinuisse. Immò S. Hieronymus testatur, à S. Antonio Pauli Eremitæ corpus foras prolatum, cum hymnorum psalmorumq; cantu, ex traditione Christiana. Quem morem etiam de obitu Paulæ ad Eustochium, & de funere Fabiolæ ad Oceanum attingit. Clarissimè autem S. Augustinus de funere matris agens ait: *Psalterium Euodius aperuit, & cantare cœpit psalmum, cui respondebamus: Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.* Cur id non facerent homines, cùm faciant aues? immò cùm id fecisse legantur Cælites? Quippe in cœnobio Hemenrode dicto cæcus erat, ex eorum numero vnus, qui *Conuersi* appellantur; *cui Deus interioris hominis lumen contulit, damnum corporis cælesti munere commutans dedit enim ei diuinas videre visiones, aliquando gloriam Sanctorum frequenter pœnas malorum, assiduè ipsum dæmonem flammiuomos ignium globos eructantem. Mira sunt hæc, & munera Dei. Frequenter autem patitur dæmonum incursus & congressus; ita vt ipsi impingant in eum, & ipse vel pugno vel baculo affligat eos. Hos assultus pati solet in quolibet loco, magis in Ecclesia, maximè cùm pro defunctis orat. Ea tempestate, cœpit iste in exequijs defunctorum audire choros Angelorum psallentium, modò cum monachis, modò diuisim: Cùm autem efferebantur corpora præcedente Conuentu, manebant Angeli in choro exequiarum officia complentes. Inter sanctos autem, & Pater noster inef-*

Plaut. in Truc.

Beda lib 4. de tintinnabulis. cap. 23.

Cæsar. lib. 1. cap. 21.

Clem. Rom. lib 6. Constit. Apost. c. 29.

S. Hieronym. in vit. Pauli Eremit.

S. Augustin. lib. 9 confession. cap. 12.

Cæsarius lib. 11 cap. 7.

fabiles solebat audire jubilos, & supra humanam æstimationem dulces. Hæc cœlestis modulatio, post depositionem domini Dauid, dulcior & magis intelligibilis audiebatur. Pertinet hoc ad magnos triumphantium applausus, vt habeant non tantùm acclamantes, sed etiam cantu & musica omnis generis instrumentorum prosequentes. Quid ni & Angeli exeant obuiam Sanctis, quorum corpora ad sepulchrum, animæ ad cęlum gradiuntur? Hoc est enim: Psal. 87. 5. *Et cantent in vijs Domini*, quales vtique sunt, per quas ad DEVM itur.

CAPVT LXVII.

Cur malis multis bonam, & multis bonis malam Deus permittat obuenire sepulturam?

I. Cæsarius. histor. memorab. lib. 10. cap. 41.

MIrabile quiddam accidit in Saxonia, Anno Redemptoris 1222. Nam nubes densa vno casu ex aëre delapsa, intra duos montes, omnia aquis impleuit, magnamq; & hominum, & pecorum stragem edidit; neque sepes tantùm, sed etiam officinas euertit, supellectilemque omnem, quam arripuit, deuexit. In P.P. Benedictinorum monasterio, quod Winendenburg vocabatur, ex omnibus, quotquot aderant, nemo mortem euasit, præter quinque Religiosos, qui ad turrim confugientes se saluârunt. Paria fecit idem torrens in vicina ciuitate Islere, vel Islene dicta. Putasses sæculum Pyrrhæ & Deucalionis redijsse. Sed longè luculentiore signo DEVS, quàm fictus Iuppiter, tunc probos ab improbis discriminauit. Siquidem aquis decrescentibus, & terra retecta, mirabili modo suffocati differebant. Quotquot enim in templis, aut ædibus suis inundatione deprehensi interierant, reperti sunt colore candidissimo, instar niuis enitescere: illi autem, qui in theatris, in popinis, in tabernis cauponum, vel lupanaribus, inter scortorum totius vrbis ambubaiarumque ministeria extincti erant, carbonibus nigriores apparuerunt. *Tali enim charactere Deus bonos distinguebat à malis.* Quem morem etiam veteres tenuerunt. Siquidem

Mos erat antiquis, niueis atrisq; lapillis,
His damnare reos, illis absoluere culpa.

Hoc discrimen, si DEVS vbiq; obseruaret, facile esset benè mor-

tuos,

tuos, à malè defunctis discernere: quia bonos in bona, malos in mala sepultura cognosceremus. Nunc verò experimur sæpe contrarium fieri, vt pessimi quique & scelestissimi, & mille patibula, mille rotas, mille ignes meriti, magnificis sepulchris Mausoleisq; honorentur; optimi autem, & quorum animæ inter cælestes gloriosè triumphant, eorum corpora, vel insepulta jaceant, vel in mare, immò in fimum atque cloacas abijciantur. Si ergo cura est DEO non modò de animabus, sed de capillis quoque capitis Sanctorum suorum, cur tot pios inhonestè, impios magnificè sinit sepeliri? An, qui justus est in viuos, obliuiscitur mortuorum? *Numquid iniquus est DEVS*? & qui *Zelauit super iniquos*, ipse numerabitur inter eos, *qui operantur iniquitatem*? Nequaquam. Etsi enim apud D. Augustinum nonnulli ita argumententur: *Si aliquid prodest impio sepultura pretiosa, oberit pio vilis, aut nulla*; tamen reipsa ostendemus, nec impio prodesse sepulturam pretiosam, nec pio nocere vilem, aut nullam. Matth.10. 30. Rom. 3. 5. Psal. 72. 3. Iob. 4. 8. S. Augustin. lib. 1. de ciuit. cap. 12.

II.

Ad impios ergo quod attinet, acquirunt illi sanè sæpenumero pomposam funeris deductionem, & sepulchra ex marmoribus ædificata. 1. Quia hæc est mundi vanitas, vt quemadmodum alios decipit, ita vicissim & ipse decipiatur. Sicut ergo frequenter bonos judicat esse malos; ita pessimos quoque fallaci judicio optimos arbitratur. Quid igitur mirum, si tales sepelit honoratè? Hanc caussam Ecclesiastes clarè indicat, dum ait: *Vidi impios sepultos: qui etiam, cùm adhuc viuerent, in loco sancto erant, & laudabantur in ciuitate, quasi justorum operum. Sed & hoc vanitas est.* 2. Quia etsi illorum quoque multi magnificè sepeliuntur, quos constat, omnium scelerum sordibus inquinatos esse; tamen ea probatio est hominum rectè sperantium, vel temerè judicantium non esse prouidentiam in mundo. *Etenim*, vt statim inibi subjungit Ecclesiastes, *quia non profertur citò contra malos sententia, absq; timore vllo filij hominum perpetrant mala.* Dicunt enim: Quid prodest mihi à voluptatibus abstinere, si etiã malè viuentes bene sepeliuntur? Aliter Ecclesiastes ibidem, in persona sapientis loquitur, dum ait: *Attamen peccator ex eo, quòd centies facit malum, & per patientiam sustentatur, ego cognoui, quòd erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem eius.* Vident enim, Eccl. 8. 10. Eccl 8. 11.

enim, Conditori suo, non propter honorem sepulchri, qui etiam indignis contingit, sed ob aliam longè meliorem retributionem esse seruiendum. 3. Quia etiam sæpe in diuersum errat hominum temeritas, dum censet malis bonas contingere sepulturas. Tametsi enim loci, & sepulturæ honestas est manifesta; immò licet etiam in aprico sint quorumdam hominum flagitia, tamen pœnitentia illorum est in occulto, per quam sepulchri honorem meruerunt. Memini, me legere de latrone, quem ipsa Dei Mater in Ecclesia jussit sepeliri; cuius vtique alium locum cædes exigebant, sed alium lachrymæ, quibus sanguinem de manibus suis abluit, impetrauerunt. Fuit & Dauid homicida, sed pœnitens; vnde dignus sepultura, ad quam S. Hieronymus affusus precaretur. Fuit & latro homicida, qui cum Christo crucifixus veniam obtinuit: quis eum vel idcirco non diceret sepulchro dignum? Sicut hi publicam egerunt pœnitentiam, ita alij agunt priuatam; de qua etsi non constat, satius tamen est sperare, quàm vel de vnico temerè judicare. 4. Quia vix aliquis est tam malus, quin subinde aliquid faciat boni. Ast optimus Devs, etsi improbis ex condigno nihil debeat præmij, tamen ex congruo vult nullum esse bonum opus à se irremuneratum. Cùm ergo id eum facere, in altera vita, justitiæ rigor non sinat, saltem in hac vita talibus mercedem rependit. Quod D. Chrysostomus colligit ex illis Abrahæ verbis ad epulonem dictis: *Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua.* Recipere enim est velut mercedis. Inter bona autem, quæ recepit, fuerunt diuitiæ, vestes superbæ, dapes Iouiales, vina peregrina, ac demum etiam post vitam splendida sepultura; quæ illi concessa, & Lazaro negata: nec illi multum dedit, neque huic multum negauit. Quare æquitatem Numinis vtrimque agnoscens D. Augustinus ita loquitur: *Præclaras exequias, in conspectu hominum, exhibuit purpurato illi diuiti turba famulorum, sed multò clariores in conspectu Domini vlceroso illi pauperi ministerium præbuit Angelorum, qui eum non extulerunt in marmoreum tumulum, sed in Abrahæ gremium sustulerunt.* Et sanè nihil prodesse impio sepulturam pretiosam, vel Poëta pronuntiauit ita canens:

Æternos animam collegit in orbes:

Luc. 16. 25. | S. Augustin. lib. 1. de ciuit. cap. 12. | Lucan. lib. 9.

Non illuc auro positi, nec thure sepulti
Perueniunt.

Per hunc scilicet ornatum. Siquidem cum hoc ornatu multi & ad tumulum, & ad cælum peruenerunt; qui etsi neminem illuc extollit, neminem tamen etiam impedit; alioqui nec Sanctos illo coleremus, quibus vtique etiam in ossibus suis ac cineribus aliqua reuerentia debetur. Et decens est, eos, quos in cælo DEVS coronat, etiam in terris ab hominibus honorem reportare. III.

5. Quia, cùm plerumque imperia, opes, fauores, dignitates sint penes improbos, relinquit illis DEVS etiam hanc sepulchri felicitatem, vt potentiâ ac libertate suâ vtantur. Vnde quid habent, nisi breuem, apud mortales, memoriam? nihil autem plus apud immortales. *Nec aliquid nocet fidelibus negata eorum corporibus sepultura; nec si exhibeatur, aliquid infidelibus prodest*, ait S. Augustinus. Enimuerò, *quibus peccata dimissa non sunt*, etiam à sacris locis post mortem adiuuari non possunt: quia quos peccata grauiora *deprimunt, si in sacris locis se sepeliri faciant, restat, vt de sua præsumptione judicentur: quia eos sacra loca non liberant, sed de culpa temeritatis accusant.* Vsque adeò non prodest profanis locus sacer, vt ijs etiam noceat. 6. Quia, quod isti tales sibi honori ducunt, si videlicet in templis sepeliantur, id illis sæpissimè in ignominiam cedit. Et leguntur in templis humati, quorum postea non inuentus est locus ampliùs: immò, loco inuento, corpus illorum non est inuentũ, cùm quæreretur. Quemadmodum enim Deiparæ corpus ab Apostolis perhonorificè tumuladum, quando in gratiam S. Thomæ aduenientis, sepulchro retectum, est quæsitum, non repertum est, vtique iam honoris & gloriæ caussa in cælum à Filio assumptum; ita credibile est, nonnullorum improborum cadauera è templis, per cacodæmones, abrepta, & nescio quò gentium fuisse asportata. Magnus testis est M. Gregorius, primarium quemdam tinctorem, in Ecclesia B. Ianuarij Martyris, juxta portam S. Laurentij à coniuge sua sepultum esse, cuius spiritus, proxima nocte, è tumulo auditus sit clamare: *Ardeo, ardeo.* Missi sunt igitur, qui corpus indagarent. *Qui aperientes sepulchrum, vestimenta quidem intacta repererunt: qua nunc vsque*, inquit S. Pontifex, *in eadem Ecclesia, pro eiusdem caussa*

S. Augustin. de curâ pro mortuis agenda.

S. Gregor. lib. 4. dial. cap. 54.

caussa testimonio seruantur, corpus verò illius omnino non inuenerunt, ac si in eodem sepulchro positum non fuisset. Quis honor fuit isti, in templo habere monumentum, sine corpore? nisi vt in templo audiretur clamare: *Ardeo*, qui arsit in inferno?

IV. 7. Quia sicut quorumdam Sanctorum corpora, ad tempus, indecorè abiecta sunt, vt postea maiore cum gloria sepelirentur; ita vicissim impiorum corpora non rarò inferuntur in templa, vt inde turpiùs ejecta doceant, quo loco condi mereantur. Sic Almaricus Carnotensis Episcopus, quòd hæreticæ cuiusdam sectæ fuisset author, à Concilio condemnatus, & de sacro cœmeterio eliminatus est, eiusque cinis & ossa hinc inde dispersa sunt. Sic Henricus quartus à S. Ecclesia excommunicatus, & Leodij in templo sepultus, mandato Pontificis, quamuis Imperator fuerit, tamen è loco sancto, & omni sepultura Christiana exclusus est, vt testatur S. Antoninus. Qui etiam refert, B. Dunstanum, cùm fidelis juxta illum terræ mandatus esset, primùm per puerum, cui apparebat, jussisse illum exturbari inde; postea, cùm id non fieret, à quibusdam monachis visum esse, à loco discedere. A quibus interrogatus, cur discederet, respondit: *Se fœterem paganæ carnis, & quorumdam illic viuentium iniquitates ferre non posse.* Sic B. Faustinus Martyr, postquam Valerianus Patricius in illius templo fuit inhumatus, æditimo se visendum stitit, dixitque: *Vade, & dic Episcopo, vt proijciat hinc fœtentes carnes, quas hic posuit, &c.* Sic caussam grauissimi tumultûs in templo auditi, populo & Episcopo iteratis precibus roganti, D. Hieronymus sole splendidior indicauit, id ob impudicum & ebriosum Sacerdotem inibi indignè sepultum contingere, jussitque illud exhumatum flammis in cineres redigi, si vellent peste grassante liberari. Quod vbi factum est, etiam pestis cessauit, vnà cum pestifero cadauere extincta sublataque. Sic non solùm Diui immortales, sed ipsi etiam mortales impiorum cadauera tractauerunt. Nam Constantinum Copronymũ Imperatorem eius nurus Irene, Theodori Antistitis hortatu, ex Imperatorio sepulchro erutum, publicitus concremari, cineresque eius in mare jactari jussit, tanta pietatis amatrix, quanta impietatis hostis. Cur pij homines hoc non facerent, cùm legamus,

Ioan. Naucl. gener. 40. vol. 2.

S. Antonin. p. 2. Chronic. tit. 17. cap. 6.

Idem ibid. tit. 16. cap. 7. §. 6.

S. Gregor. lib 4. Dial. cap. 52.

Cyrill. ep. ad Augustin. de laudib. D. Hieronymi.

Ioann. Cuspinian. in Cæsaribus.

gamus, ipsos canes tales esse impietatis osores? Insignis author, alibi à nobis laudatus, narrat, duos in Flandria fuisse viros copiosos, inueteratâ inimicitiâ, sibi mutuò insidiantes, quorum vterque dies noctesque meditabatur, quo pacto alterum posset è vita tollere. Horum vni erat seruus, qui priùs seruierat alteri, nebulo omnium notarum. Hic auaritiâ extimulatus clam accessit ad priorem dominum, compositoque ad fraudem sermone, ei pro antiquis beneficijs gratias ingentes agens, asseruit, meminisse se, quàm bonum antè herum habuerit, quàm benignum, & mansuetum, ac liberalem, cùm illi seruiret; nunc autem luculentè se experiri, quantum sit inter dominos discrimen: incidisse enim se in herum pessimum, malignum, & immitem ac sordidum; quare id consilij cepisse, vt eum illi in manus traderet. Quod sibi perfacile fore, affirmauit. Exhilarauit inimicū animū optata hæc occasio; quare sine mora ei spopondit, certam pecuniæ summam ei ex pacto se soluturum, quàm primùm dominum suum tradidisset. Nec diu circumspicienda fuit opportunitas. Callido & infido seruo semper est occasio nocendi hero. Citò igitur eum obtulit rapiendum & occidendum. In herilis sanguinis pretium pecuniā accepit; maluit enim domino, quàm argento carere. Verùm numquam satiatur cupiditas pecuniarum. Quia ergo existimabat, proditionis suæ crimen nulli, nisi cum quo pepigerat, notum esse, ausus est lucrum sperare duplex, & facinus facinori superaddere. Itaque ad occisi cognatos amicosque adijt, questus, se domino spoliatum, crudelissimè interempto; indignum factum, non inultum relinquendum. Enimuerò se adesse paratum, ad tam detestandi flagitij vindicandi viam aperiendam. Innotuerat autem illis jam aliunde, eum ipsum fuisse perfidum domini sui proditorem. Quare manus ei & vincula injecerunt, eumque ad judicem miserunt, judex in crucem. Inde tamen amicorum precibus, demptus, & sepultus est, vt nominis quoque memoria, & infamia sepeliretur. Sed diuinus vindex sæpe dedecora, quæ homines tegere conantur, luculentiùs manifestat. Nocte intempesta, miser de patibulo sublatus, & in terra defossus est, non diu quieturus. Vix enim die facto, ignoti quidam horridiq; canes adfuerunt, &

Thom Cantipr. lib. 1. Apum. c. 26. §. 2.

& velut ad nouercæ tumulum flerent, triste vlulantes spectantibus multis, cadauer refossum inter se se in morem Absyrti discerpserunt. Non constat, vnde canes illi aduenerint. Credibile est, de Cerberi prosapia fuisse. Nam ex Orco veniunt ministri, qui homines è loco sacro trahunt ad Orcum.

V. S. Gregor. lib. 4. Dial. cap. 53.

Cuius rei memorabile exemplum refert S. Gregorius, his verbis: *Adest in præsenti venerabilis frater Venantius, Lunensis Episcopus, & magnificus Liberius vir nobilissimus atq; veracissimus, qui se scire, suosq; homines interfuisse testantur, eam rem, quam narrant, nuper in Genuensi vrbe contigisse. Ibi namq;, vt dicunt, Valentinus nomine, Ecclesiæ Mediolanensis defensor, defunctus est vir valde lubricus, & cunctis leuitatibus occupatus, cuius corpus in Ecclesia beati Martyris Syri sepultum est. Nocte autem media in eadem Ecclesia factæ sunt voces, ac si quis violenter ex ea expelleretur, atq; traheretur foras. Ad quas nimirùm voces cucurrerunt custodes, & viderunt duos quosdam teterrimos spiritus, qui eiusdem Valentini pedes quadam ligatura strinxerant, & eum ab Ecclesia clamantem, ac nimium vociferantem foras trahebant, qui videlicet exterriti ad sua strata reuersi sunt. Manè autem facto, aperientes sepulchrum in quo idem Valentinus positus fuerat, eius corpus non inuenerunt. Cumq; extra Ecclesiam quærerent, vbi projectum esset, inuenerunt hoc in sepulchro alio positum, ligatis adhuc pedibus, sicut ab Ecclesia fuerat abstractũ. Ex qua re, Petre, collige, quia his, quos peccata grauia deprimunt, si in sacro loco sepeliri se faciant, restat, vt & jam de sua præsumptione judicentur: quatenus eos sacra loca non liberent, sed etiam culpa temeritatis accuset.* Quia alieno choro pedem intulerunt.

VI. S. Gregor. Turon lib. 1. de gloria Martyrum cap. 89.

Alter quoque Gregorius, sanctitate illustris, Turonensis Episcopus, terribile factum recenset, de quodam Antonio Tolosano, quòd Abronis, aut Apicij vitam duxisset, & nec aram, nec fidem habuisset, Deo pariter & hominibus exoso, quem vel mali itidem, vel boni Genij è sepulchro, certè non sine Dei nutu, excusserunt. Cùm palàm improbus homo in S. Vincentij templo esset tumulatus, in quo ipse viuens sibi capulum collocârat, concubia nocte, Sandapila illa, vnà cum cadauere, è sancto loco est sublata, atque per fenestram è templo exturbata, & publicè prostituta; dieque exorto, operculo diffracto, palàm omnium

omnium oculis demonstrata. *Propinqui illius non intelligentes virtutem DEI, neque sentientes Sancti injuriam, in cuius templo indignum temerè sepelierant, iterum deposito sarcophago, in loco, in quo priùs fuerat, altiùs suffoderunt. Altera verò illucescente die inuenerunt eum iterum foris ejectum, in medio esse atrij, & sic intellexerunt magnalia DEI. Ex hoc enim à nullo tactus vsque hodie in loco, in quo ejectus est, in testimonium reseruatur.* Hæc D. Gregorius Turonensis, quibus similia alius; immò maiora, recensuit in Concilio Lemouicensi, his verbis: *Nuperrimè, post Concilium Bituricense, quidam de excommunicatis eques in nostra Diœcesi interfectus est, quem ego rogantibus amicis & propinquis eius, nullatenus soluere volui, vt ceteri metum haberent: grauem enim culpam prædantis habuerat. Itaq; sine Sacerdotis obsequio à militibus apud quamdam Ecclesiam S. Petri, non me jubente, sepultus est. Manè autem facto, corpus eius longè extra cæmeterium projectum, & nudum super faciem eius terræ inuentum est: tumulus autem, vbi sepulturam habuerat, intactus, & ita, vt dimissus fuerat, repertus est. Quem iterum milites aperuêre, & nihil in eo ampliùs nisi vestes, quibus inuolutum corpus fuerat, inuenerunt. Rursus cadauer ibidem sepelierunt, & diligenter tumulum sub enormi põdere terræ & lapidum claudunt: sed die altero projectum cadauer, & tumulum intactum, vt suprà, aspiciunt. Quinquies sepeliunt: toties eòdem ejectum corpus longè à cœmeterio Ecclesiæ terra obruunt. Quo terrore perculsi Principes militiæ, pacem nobis, velut optabamus, firmare nequaquam distulerunt. Ad hæc respondit Concilium,* ait Baronius: *Quid hoc aliud est, nisi quia sub oculis hominum arbiter hominum affirmat Ecclesiæ suæ auctoritatem, quia excommunicati à sepultura Christianorum justè ab Episcopis segregantur? Tales enim negant fidem, dum latrocinia potiùs quàm pacem sectantur.* Quanto igitur his talibus honori fuit nobilitas sepulchri? nonnè satius fuisset, eos in ignota silua terris & obliuione obrui, quàm in loco sacro poni, vt ipsâ ejectione toti mundo constaret, eos illo honore indignos extitisse? Vt enim contempta fuisse dicitur cornicula alienis plumbis spoliata, multicolorem se esse mentiens, quæ erat nigra; ita his talibus, quod gloriæ caussa quærunt, in ignominiam cedit; *tolluntur in altum, vt lapsu grauiore ruant;* marmoribus illorum nomina inscribun-

Ex Act. 2. Concil. Lemouicens. Cardin. Baronius tõ. II. An. 1034. 17.

scribuntur, vt quantò difficiliùs, tantò turpiùs eradantur. Similes sunt isti viro, *quem Rex vidit, non vestitum veste nuptiali*, cui dixit: *Amice, quomodo huc intrâsti, non habens vestem nuptialem?* de quo præcepit ministris: *Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium.* Quod etsi corpori non fiat, certè animæ fit, quæ etiam hoc titulo profundiùs descendet in infernum: quia ossibus suis cinerique sollicita fuit, vt honorificè in sepulchro quiescerent, & non curauit, vt ipsa quoque in cælo quiesceret gloriosè. Alia res sceptrũ, alia plectrum: aliud curandum fuit: terram coluerunt, cælum neglexerunt. Hoc merentur, qui, vt ancillæ placeant, dominam non curant.

Matth. 22. 12.

VII. Super hæc omnia etsi subinde, ad reliquorum terrorem, quidam manifesti peccatores *induantur hoc pudore, & operiantur, sicut diploide confusione suâ*, vt scilicet duplici infamia, tam apud mortales, quàm immortales puniantur; id tamen rariùs contingit; non solùm, quia miraculis non semper opus est, vt homines conuertantur, qui aliunde satis officij sui admonentur; sed etiam, quia benignus DEVS etiam damnatis plerisque adeò parcit, vt hanc eorum confusionem, vsque ad extremi judicij diem differat. Tunc enim aperientur libri conscientiarum; tunc totus mundus cognoscet, quis bonus vel malus, albus an ater fuerit: *Tunc Filius hominis sedebit super sedem maiestatis suæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut segregat pastor oues ab hœdis: & statuet oues quidẽ à dextris suis, hœdos autem à sinistris.* Atque hæc etiam est prima caussa, ob quam sæpe bonis quoq; immò sanctis hominibus, vel mala nonnumquam, vel nulla, vel certè malis permista contingit sepultura. Hinc Ioan. Baptista Christum describit: *Cuius ventilabrum in manu sua: & permundabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Hinc ipsa Ecclesia est istud *regnum cælorum simile sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Quam, cùm impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consumatione sæculi: exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis;*

Psal. 108. 29.
Matth. 25. 31.
Matth. 3. 12.
Matth. 13. 17.

ibi erit fletus, & stridor dentium. Iaceant hîc corpora Sanctorum, cum cadaueribus impiorum; immò in vno tumulo ossa eorum confundantur, erit tamen aliquando tempus discriminis faciendi. *Tunc duo erunt in agro: vnus assumetur, & vnus relinquetur,* Matth 24.40. *duæ molentes in mola: vna assumetur, & vna relinquetur;* immò, Luc. 17. 34. *erunt duo in lecto vno, vnus assumetur, & alter relinquetur.* In terra caro putrescit, ossa mortuorum nihil sentiunt, neque animæ tantò peius habent in cælo, si earum corpora in terris vel nullo, vel ignobili loco sepeliantur. Quod ipsum respondet D. Augustinus, cùm ait: *Quando ista cadaueribus Christianorum in illa magnæ vrbis, vel aliorum oppidorum vastatione defuerunt nec viuorum culpa est, qui non potuerunt ista præbere, nec pœna mortuorum, qui non possunt ista sentire.* S. Augustin. lib. 1 de ciuit. cap. 13.

VIII. Hinc altera exurgit caussa. Si enim, etsi sepultura sit aliquid, tamen, vt suprà meminimus, Philosophi adeò non magni æstimârunt eius jacturam, vt eam etiam contemnere negligereque viderentur; quantò magis Sancti Dei poterunt æquanimiter tolerare, si eorum corpora iam nihil sentientia doloris abijciantur, quæ ipsi, dum viuerent, sponte omnibus molestijs affecerunt? De Philosophis Seneca ita scribit: *Philosophus è corpore modò æquo animo exit, modò magno prosilit, nec quis deinde reliquijs eius futurus sit exitus, quærit. Sed vt ex barba capillos detonsos negligimus, ita ille diuinus animus egressurus hominẽ; quò receptaculum suum conferatur, ignis illud exurat, an feræ distrahant, an terra contegat, non magis ad se judicat pertinere, quàm secundas ad editum infantem. Vtrùm projectum aues differant, an consumatur* Senec. ep. 92.

Canibus data præda marinis;

Quid ad illum? Qui tunc quoque cùm inter homines est, nullas minas timet, vllásne timebit, post mortem minas eorum, quibus vsque ad mortem timere parum est? Non conteret, inquit, me, nec vncus, nec projecti ad contumeliam cadaueris laceratio, fœda visuris. Neminem de supremo officio rogo. Nulli reliquias meas commendo Ne quis insepultus esset, rerum natura prospexit. Quem sæuitia projecerit, dies condet. Altior via & Philosophia est Christianorum, quorum non pauci, immò ingens multitudo, dum viueret, carcerum

fœtores,

fœtores, angustias vinculorum, horribiles lanienas patientissimè tolerauit; neque his cruciatibus contenta, etiam insuper corpus suum cilicijs, flagris, jeiunijs afflixit, castigauitq́; : quis ambigat, eam non etiam post mortem, cùm nullus ampliùs in membris eorum dolor est, libenter passuram, si ossa & caro jam mortua, pro Christo, aliquid patiantur, & nescio quò proijciantur? In hunc sensum rursus ait S. Doctor: *Si ea, quæ sustentandis viuentibus sunt necessaria, sicut victus & amictus, quamuis cum graui afflictione desint, non frangunt in bonis perferendi tolerandiq́; virtutem, nec eradicant ex animo pietatem, sed exercitatam faciunt fœcundiorem: quantò magis cùm desunt ea, quæ curandis funeribus condendísque corporibus defunctorum adhiberi solent, non efficiunt miseros in occultis piorum sedibus jam quietos?*

S. Augustin. loc. cit.

IX. Atque hîc tertia caussa se offert, ipsa piorum Sanctorumq́; humilitas & modestia; quæ sponte expetit viles & ignobiles sepulturas. Ribadeneiram audi de S. Ignatio Loiola, ita loquentem: *Mihi aliquando dixit, illud sibi à DEO petendum esse, vt eius ipsius mortui cadauer volucribus, & feris laniandum abijceretur. Nã cùm ego, inquit, sterquilinium, & detestabilis omnino sim, quid aliud meis criminibus dignum expetam?* Hæc Societatis IESV author dixit, & sensit. Cui exemplo præiuit S. Gregorius Turonensis, qui, vt consuetam sibi humilitatem seruaret etiam in sepultura, in eiuscemodi se loco jussit sepeliri, in quo omnium semper pedibus conculcaretur, & ipsa loci constitutio obstaret, ne vnquam in aliqua reuerentia haberi posset. Quod quidem factum est, vti petiuit. Verùm optimus S. Martini populus non diu passus est, vt tantus domini Diuique sui amicus, vestigijs intrantium premeretur. Quare inde eum sustulit, atq; in edito loco, Mausolæoq; insigni addito, eum collocauit. Nimirum, *Qui se humiliauerit, exaltabitur*, & hæc est via Sancti, *Antequam glorificetur humiliatur*. Atque hæc est quarta caussa, ob quam vilior præcedit tumulus in nonnullis Sanctis, vt honoratior sequatur. Onesili Regis Cypri caput in ludibrium Amathusij supra portam vrbis suspenderant: in id examen apum mella congessit, fauisque refersit. Hinc loci incolæ oraculo moniti caput honorificè sepelierunt, Onesiloque quotannis, vt Heroi, sacra instituerunt.

Petr. Ribadeneir. lib. 5. vit. S. Ign. cap. 3.

Sur. tom. 6. 17 Nouembr. in vit. eius. cap. 23.

Matth. 23. 12.

Prou. 18. 12.

Pier. Valer. lib. 26. cap. 3.

tuerunt. Ad hunc modum multi Sancti, etiam post mortem, ignominiosè tractati, vel se ipsi malè tractari cupientes, à cælitum dulci omine innotuerunt, atque vel idcircò magis sunt honorati. Quia nimirum minoribus

Maius ab exequijs nomen in ora venit.

S.Marcellinus Pontifex, cum Claudio, Cyrino, Antonino, jussu Diocletiani, jam pœnitens ad martyrium ductus est. Comitabatur eum Marcellus Presbyter, quem vbi inter eundum multis admonuit, vt in fide constans permaneret, tandem etiam rogauit, ne corpus suum sepulturæ traderet, quòd diceret, *Ob negatum Saluatorem, se id nequaquam mereri.* Cùm igitur Diocletiani mandato, omnium eorum simul interemptorum corpora, ad dies sex & triginta, in via publica, insepulta jacuissent, apparuit Marcello Presbytero D. Petrus Apostolorum Princeps, monuitque eum, vt via Salaria, in cœmeterio, quod Priscillæ deinceps nomen habuit, conderentur. Quod sexto Kalendas Maias, juxta B. Crescentionis corpus, factum est. Ad hunc modum Petri non tam in Christo negando, quàm conciliando successor, dum sepulturæ honorem fugit, Petro ipso procuratore, acquisiuit. Refert Beda, exædificatum à S. Augustino Anglorum Patrono, in regia ciuitate cœnobium & templum, sumptu & opera Edelberti, in honorem Apostolorum Petri & Pauli, in quo & ipsius Augustini, & omnium Episcoporum Dorouernensium simul & Regum Cantij corpora sepelirentur. Primus inibi Abbas erat Petrus, qui legatus in Galliam missus in mare demersus est. Eiectus autem, ab accolis ignobili loco tumulatus est. Ita ignotus in ignota jacebat arena. Sed non passus est prouidens Devs thesaurum talem delitescere. Noctibus singulis, ipse defuncto lumen accendit, & quia lampas deerat, admirabili cælesti luce sepulchrum eius illustrauit. Hâc conspectâ, vicini pariter errorem suum, & viri à se sine honore sepulti sanctitatem agnouerunt. Quare egesta rursus arena, sacrum corpus & in Bononiæ vrbem, & in templum tumulumque eius virtute dignum transtulerunt. Nihil vilitas loci nocet Sanctis; in ipsis tenebris exsplendescunt: premuntur ad tempus vulgari cespite, vt

Platina in vitis Pontificũ. Naucler. gener. 11, volũ. 2. Marul. lib. 4. cap. 9.

Bed. in hist. gentis Anglor. lib. 1. cap. 33.

vt paulò pòst cum maiore gloria efflorescant. Ex ipso mari à procellis eijciuntur, vt condantur. Quòd si necdum conduntur dignè satis, de cælo irradiantur, vt dignè condantur. Enimuerò si procellæ id non faciunt, faciunt marinæ belluæ. Siquidem, vt Baronius tradit, alijque ante eum Scriptores, quando Maximiani Imperatoris mandato S. Lucianus Martyr in vastum mare projectus est, grandi saxo dextero eius brachio appenso, vt submersus nusquam appareret, neque corpus eius sepulturam adipisceretur, aut ei parentaretur; delituit inibi quatuordecim diebus. Die decimo quinto, cùm discipuli eius, circa littora, alius alibi, obambularet, solliciti vt cadauer eius è fluctibus ejectum reperirent, jamque hiberno tempore, mari admodum turbato, de eo inueniendo desperarent, S. Martyr Glycerio discipulo suo se stitit, eumque ita est affatus: *O tu, cùm primùm manè surrexeris abi in hunc locum*, ostendens locum littoris. *Te enim conueniam, cùm illuc veneris.* Quamobrem & ille, vt primùm diluculauit, spe & admiratione plenus, associatis sibi pijs nonnullis viris, ad locum demonstratum approperauit. Ibi eo stante, ingens delphinus capite emersit è mari, magno murmure fluctus ante se agens, & spumis vndique circumdatus, vndas dissecuit, paulatimque magis ac magis super aquas eminuit, seque in æquore summo præbuit videndum, instarque vehementer spirantis anhelauit. *Ferebat autem extensum mortuum, tamquam in lecto jacentem. Eratq; spectaculum mirabile, super corpus adeò lubricum & rotundum quiete manens mortuus, & nec à suo pondere, nec à vi fluctuum deuolutus ab eo, quod ipsum portabat, vehiculo. Cùm autem delphinus fuisset prope continentem, fluctu sublime fuit sublatus, & terræ id appulit. Atque ille quidem statim expirauit. Tunc discipuli sepulchrum illi, quale potuerunt, prout tempus vrgebat, statuerunt, & humili sepulturâ donârunt. Hæc autem omnia, cùm S Helena percepisset, vt erat sanctorum Martyrum studiosissima, digno trophæo triumphum Martyris ornare decreuit, atq; illic sumptuosam desuper basilicam erigendam curauit.* Quis hunc Lucianum non appellet Christianum Arionem? immò supra hunc extollat? Arioni viuo, huic mortuo Delphinus pepercit: ille naulum vehendi citharâ

Baron. tom. 3. Annal. An. 326. post Sur. 7. Ianuar.

citharâ cecinit, iste vnus è turba silentum fuit. Quid cum Ario-
ne comparo Martyrem, cum Iona conferendum, si non præfe- Ion. 1. & 2.
rendum? Ionam cetus (quem nonnulli *Lamiam* dictum putant) Gesner. in li.
deuorauit, & in visceribus suis, tribus diebus & tribus noctibus de piscib. fol.
retentum, tandem in aridam reuomuit: ab hoc deuorando piscis 82. & Micha-
abstinuit; sed ipse funeris portitor & comes, eum discipulis suis el Bapti in
tradidit sepeliendum, vt tantò gloriosior, quantò prodigiosior lib. mirab.
eius esset sepultura, ab ipsa denique Imperatrice magnificentis- medic fol 29.
simè adornanda. Quemadmodum Devs, vel inter marinos flu- 30. &c.
ctus S. Clementi martyri sepulchrum adornauit. Vt enim Breuiar. Ro-
Traianus eum ex oculis & memoria hominum aboleret, iussit man. die 23
illum, alligatâ ad eius collum anchorâ, in profundum deijci. Nouembr.
Sed non est consilium contra Dominum. Nam cùm, quod Im- Lipom. tō. 5.
perator mandârat, factum esset, *Christianis ad littus orantibus,* Sur. tom. 6.
mare ad tria milliaria recessit: eoq; illi accedentes, ædiculam marmo-
ream in templi formam, & intus arcam lapideam, vbi Martyris cor-
pus conditum erat, & iuxta illud anchoram, quâ mersus fuerat, in-
uenerunt. Quo miraculo incolæ permoti, Christi fidem susceperunt.
Eius corpus postea Romam Nicolao primo Pontifice translatum, in Ec-
clesia ipsius S. Clementis conditum est.

X.

Porrò, vt S. Lucianus ipse moneret de corpore suo excipi- 1. Reg. 2. 30.
endo fecit id quidem peculiari Numinis, quod *glorificantes se glo-*
rificat, voluntate; sed etiam conuenienter voto & desiderio alio-
rum defunctorum, quod, dum viuerent habuerunt. Quippe,
quia propensione & lege naturali homo diligit seipsum, & teste
Apostolo, *Nemo carnem suam odio habet,* idcirco etiam cupit cor- Ephes. 5. 29.
pus suum, post mortem, honestè tractari. Quapropter etiam
defuncti quidam, vt ait S. Augustinus, *feruntur vel in somnis, vel* S. Augustin.
alio quocumque modo apparuisse viuentibus, atq; vbi eorum corpora in lib de cura
iacerent inhumata nescientibus, locisq; monstratis, admonuisse, vt sibi pro mortuis
sepultura quæ defuerat, præberetur. Et quis non credat, animam agenda. c. 10.
post mortem eidem cupere, quod homo viuus corpori suo desi-
derauit, cùm naturalem suam ad illud retineat inclinationem,
quia cum illo tamquam fido comite & adiutore, Deo seruiuit;
illud in extremo iudicij die receptura est; cum illo in æterna bea-

titudine triumphabit? Quinta igitur hæc caussa est, ob quam DEVS aliquando Sanctos suos sinit esse ad tempus malè sepultos, vt illis postea ex sepultura honestiore non solùm maior gloria, vt dixi, sed etiam noua lætitia accedat, si suo desiderio potiantur. Hinc de fortissimo martyre Sebastiano legimus; eum, postquam erinacij instar sagittis vndique, & densè oppletus, à mortuo nihil differebat, diuinitus sanitati restitutum, Diocletiano Imperatori crudelitatem suam exprobrasse. Ob quam increpationem magis in eum excandescens Imperator iussit eum in hippodromo palatij tam diu fustibus dirissimè cædi, donec spiritum exhalaret. Corpus defuncti impia lictorum carnificumque turba in cloacarum maximam præcipitauit, dicens: *Ne fortè Christiani eum sibi Martyrem faciant.* Hæc scelerati homicidæ cogitauerunt, & reipsa etiam perfecerunt. At non tulit hanc ignominiam serui ac Martyris sui Summus Iudex, sed eam in honores maximos conuertit. Immò nec ipse tulit D. Sebastianus, qui Lucinæ religiosissimæ matronæ dormienti in somno apparens, dixit: *In cloaca illa, quæ est juxta Circum, quære, & inuenies corpus meum pendens in vnco: quod cùm leuaueris, perducas in Catacumbas, & sepelies me in initio cryptæ juxta vestigia Apostolorum.* Non piguit Lucinam vespillonis officium facere. Media igitur nocte, cum famulis suis ad eum se se locum contulit, corpusque sanctissimi Martyris è fœtudinis extractum, & pilento suo impositum, ad destinatam cryptam perduxit, & quàm accuratissimè potuit, terræ mandauit; neque per triginta dies inde pedem retulit, vt sibi tantò magis conciliaret in patronum, cuius ipsa corpus assumpserat in clientelam. Aliquot dehinc annis, pace Ecclesiæ reddita, domum suam in Ecclesiam conuertit, omnesque diuitias suas illi, in Christianorum solatium, consecrauit. Ita ille è sordibus extractus Christi athleta, postea, in omni Ecclesia, *Ecclesiæ Defensor* nominatus, tantò lætiùs, & in aris, & in templis, & in astris, triumphauit.

Baron. tō. 2. Annal. Eccl. An. 286. Sur. 20. Ianuar.

XI. Lucina sextam nobis suggerit caussam, ob quam pij Sanctique non pauci vel nullum, vel abjectum & contemptibile sepulchrum habuerunt, vt scilicet alijs occasio quæreretur meliùs

meliùs de illis merendi, eosque honestiùs sepeliendi. Ita enim Lucina sibi S. Sebastianum deuinxit; ita alij & aliæ reliquias SS. Apostolorum, non sine insigni emolumento, honorauerunt. *B. Cornelius Summus Pontifex & Martyr*, inquit Ludouicus Blosius, *corpora Apostolorum Petri & Pauli, rogatu Lucinæ, nobilissimæ Deoq; dedita matronæ, leuauit è terra, & in sacris congruisq; locis honorificè posuit, vt ipse scripto testatus est.* Simeon Metaphrastes scribens de corporibus SS. Apostolorum Andreæ, Lucæ, & Timothei, loquitur ita: *Iustinianus assumptis Imperij sceptris, hæc sacra Apostolorum corpora theca argentea concludens, circa altare vehementi DEI amore reponit, nempe pretiosa in pretioso conditorio. Porrò, communi Apostolorum nomine, templum appellatur. Ad quod sanè omnes, qui conueniunt, sanctificationem participantes, spirituali implentur gaudio.* De sepulchro S Ioannis Euangelistæ, in quod effossũ se se ipse substrato pallio demisit, ac spiritũ DEO reddidit, ita scribit, apud eumdẽ Abdias: *Protinus manna exiens de sepulchro apparuit cunctis.* Nec satis fuit, hoc miraculo sepultum fuisse honoratum, sed etiam vt Metaphrastes scribit: *hoc die, quo ista contigerunt, splendidus huic Theologo celebratur Ephesi conuentus ex omni genere & ætate: qui astrorum splendorem imitetur. Præterea in hoc sacro loco, ad quem hic cum pallio declinauit, minutus quidam puluis manat ac exoritur, cuius accedenti medelam ab omni morbo suppeditans. Cùm igitur in nocturnis laudibus Festi ipsius, ab his, qui in eo templo ministrant, tradatur cœtibus ad hoc congregatis, non exhauritur; sed quò ampliùs hauriunt, eò ampliùs manat.* Sic sepulchrum S. Ioannis DEVS prodigijs, homines nocturnis diurnisque laudibus celebrauerunt. Enimuerò illi ipsi Reges, qui Apostolis necem intulerunt, postea eosdem magnificis condecorauerunt monumentis. Siquidem Abdias de sacris Apostolorum Simonis & Iudæ corporibus ac Reliquijs hęc verba scripsit: *Post tres menses misit Rex Xerxes nuntios in ciuitatem Senayr, qui corpora sanctorum Apostolorum ad suam transferrent ciuitatem, in qua extruere cœpit Basilicam. In medio autem sarcophagum, corpora SS. Apostolorum portantem, ex argento puro instituit.* Hæc de Simone & Iuda Abdias, de S. Thoma autem, quem Idolo-

Ludouic. Blosius in defensione fidei. cap. 3.

Abdias. lib. 5.

Abdias. lib. 6.

Idem in fine libri 9. latræ immaniſſimè trucidârunt, alibi hæc habet: *Cùm Meſdei* (Regis) *filius correptus eſſet à dæmonio, nec quiſquam, qui eum ſanaret, poſſet inueniri, ſucceſſit huiuſmodi Meſdeo ſententia, vt diceret: Vado, & aperio ſepulchrum, & tollens oſſa de corpore Apoſtoli, ſuſpendam filio meo & curabitur. Aſcendebat igitur, ſecundùm cogitationes ſuas Meſdeus ad montem: & reuelauit ei ſe Thomas dicens: In viuentes non credidiſti, & in mortuos credis? Sed ne timeas; miſerebitur & tui Dominus* IESVS, *& exhibebit tibi viſcera miſericordiæ ſuæ, propter bonitatem ſuam. Verùm vbi aſcendit Meſdeus, reſerato ſepulchro, oſſa inuenire non potuit: quia iam pridem Reliquias ſanctas quidam de fratribus rapuerant, & in vrbe Edeſſa ſepelierant. Ea tamen quæcumq; Rex in ſepulchro reperit humi, vel ſtercoris, ſupra quæ jacuerant Reliquiæ Apoſtoli, auferens Meſdeus, & alligans filio ſuo ait: Credo tibi,* CHRISTE, *nunc, quia receſſit à me ille qui hominum turbat affectus, ne ad te videndum ſumma properatione contendam. Itaque, vbi ſuſpendit illa puero, ſtatim ſanatus eſt ex illa hora: & factum eſt gaudium magnum inter fratres ſuper conuerſione regis ad Regem cæleſtem* CHRISTVM IESVM *Dominum noſtrum*, Hæc ille, qui paulò pòſt ſubdit de eodem Apoſtolo Thoma: *Eum cum lachrymis ſepelierunt fratres in ſepulchro regio, in quo Reges priores ſepulti ſunt, pretioſis & plurimis amictum odoribus atque indumentis.* Ita iidem barbari, qui antea Apoſtolos nec vita, nec ſepultura dignos judicauerunt, poſtea, vt eoſdem ſibi propitios facerent, in ſuiſmet ſepulchris, condiderunt; vt, quod occidendis ſcelus patrauerant, ſepeliendis rurſus expiarent.

XII. Denique ſi plurimos probos integræque vitæ homines videamus, ob inopiam vel ſuam, vel amicorum, eſſe inſepultos, aut ſine cenotaphio, vel etiam ſepulchrali lapide, ſepultos; ſi ſtrenuos milites in acie occiſos, in campis computreſcere, qui pro patria, pro juſtitia, pro religione pugnantes ceciderunt; ſi denique Sanctos, ſi Martyres, in Anglia, Perſia, Turcia, India, audiamus in patibula ſublatos, & vulturum coruorumque pabula factos; ſi in flumina ſparſos, ſi in profundum pelagus demerſos; ſi flammis traditos, & in cinerem redactos, dicamus cum D. Auguſtino: *Aliud eſt, quod carnis ſenſus infirmiter pauidus*

S. Auguſtin. lib. 1. de ciuit. Dei. cap. 11.

refugit,

refugit, aliud quod mentis ratio diligenter enucleata conuincit. Mala mors putanda non est, quam bona vita praecesserit. Neque enim facit malam mortem, nisi quod sequitur mortem: non itaque multùm curandum est eis, qui necessariò morituri sunt, quid accidat, vt moriantur, sed moriendo quò ire cogantur. Cùm igitur Christiani nouerint, longè meliorem fuisse religiosi pauperis mortem inter lingentium canum linguas, quàm impij diuitis in purpura & bysso, horrenda illa genera mortium quid mortuis obfuerunt, qui benè vixerunt? At enim in tanta strage cadauerum, nec sepeliri potuerunt? Neq; istud pia fides nimiùm reformidat, tenens praedictum, nec absumentes bestias resurrecturis corporibus obfuturas, quorum capillus capitis nō peribit. Nec vllo modo diceret Veritas: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere, si quidquam obesset futurae vitae, quidquid inimici de corporibus occisorum facere voluissent. Nisi fortè quispiam sic absurdus est, vt contendat eos, qui corpus occidunt, non debere timeri ante mortem, ne corpus occidant; & timeri debere post mortem, ne corpus occisum sepeliri non finant. Falsum est ergo, quod ait CHRISTVS: Qui corpus occidunt, & postea non habent quid faciant: si habent tanta, quae de cadaueribus faciant? Absit, vt falsum sit quod Veritas dixit. Dictum est enim, aliquid eos facere cùm occidunt, quia in corpore sensus est occidendo: Postea verò nihil habere, quod faciant, quia nullus sensus est in corpore occiso. Multa itaq; corpora Christianorum terra non texit, sed nullum eorum quisquam à Caelo, & terra separauit, quam totam implet praesentia sui, qui nouit, vnde resuscitet, quod creauit. Dicitur quidem in Psalmo: Posuerunt mortalia seruorum tuorum escam volatilibus caeli, carnes Sanctorum tuorum bestijs terrae. Effuderunt sanguinem eorum sicut aquam in circuitu Ierusalem, & non erat, qui sepeliret; sed magis ad exaggerandam crudelitatem eorum, qui ista fecerunt, non ad eorum infelicitatem, qui ista perpessi sunt. Quamuis enim haec in conspectu hominum dura, & dira videantur, sed pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius. Proinde omnia ista, id est, curatio funeris, condicio sepulturae, pompa exequiarum, magis sunt viuorum solatia, quàm subsidia mortuorum. Quamuis & illi, vt suprà dictum est, aliquid subsidij inde consequantur, quod tamen ab ijs comparatione

Idē cap. seq.

ratione cæli, quo fruuntur, non est æstimandum. Nouit omnia compensare diuina manus. Ver hiemem sequitur: in quocumque justus loco recumbat, dicetur illi aliquando: *Amice, ascende superiùs.* Hæc cùm ita sint, facilè etiam hîc acquiescent, & fomenta curarum relinquent de corpore suo sepeliendo, quicumque DEI bonitatem & æquitatem perspectam habebunt. Quòd si quis etiam hîc *in cælum ponit os suum*, & te, ô justissime atque sapientissime Mundi Gubernator & Iudex, accusat, aut judicat, palàm est, eum abire in perniciem, quia *auferuntur judicia tua à facie eius. Sed*, (vt verbis Lactantij finiam) *nimis diu de rebus apertis disputo, cùm sit liquidum, nihil sine prouidentia nec factum esse vmquam, nec fieri potuisse.* Vacillent alij, dubitent, murmurent, blasphement, tu autem *exaltare, Domine, in virtute tua: nos cantabimus & psallemus virtutes tuas*; &, vt Lectorem quoque mulceamus, carmine alloquemur.

Luc. 14. 10. Psal. 72. 9. Psal. 9. 27. Lactãt. Firm. lib. de opificio Dei, c. 4. Psal. 22. 14.

Cur tibi de magnis cura est, moriture, sepulchris?
Exiguos cineres qualibet vrna capit.
Quid de marmoreis tua mens est anxia cippis,
Arida si, tellus qualibet, ossa tegit?
Si benè sollicitus, si vis benè prouidus esse,
Mens tua, post mortem, quò sit itura, vide.

FINIS.

Omnia ad maiorem sapientissimi, benignissimi, & justissimi DEI Gloriam.



INDEX

INDEX.

RERVM ET VERBORVM TOMI QVARTI.


Prior numerus Caput, alter Paragraphum significat.

Homi-

FINIS.







Georg. Stengelio.
Iudiciorum Divinorum
Tomus III^tius & IV^tus